PONTIFICALE ROMANUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM

CLEMENTIS VIII. AC URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

NUNC PRIMUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATUM,

in quo
varii manuscripti Ritus Pontificales non modo sparsim in ipsis Commentariis
sed et integri in Appendicibus Titulorum referuntur
ac notis illustrantur.

AUCTORE

JOSEPHO CATALANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS;

NOVA EDITIO

RECOGNITA ET NOVIS COMMENTARIIS ET ANNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Accurante aliquo sacrorum rituum cultore.

TOMUS II,

PARTEM ALTERAM COMPREHENDENS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

SUMPTIBUS J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORUM,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLARUM,

7, via vulgo Majorum Augustinianorum.

M DCCC LI

Digitized by Google

Digitized by Google

PONTIFICALE ROMANUM.

Digitized by Google

EXCUDEBAT BEAU, SANCTI-GERMANI-IN-LAYA.

Digitized by Google

108831

PONTIFICALE ROMANUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM

CLEMENTIS VIII. AC URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

NUNC PRIMUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATUM,

AD SS. P. CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM;

in quo
varii manuscripti Ritus Pontificales non modo sparsim in ipsis Commentariis
sed et integri in Appendicibus Titulorum referuntur
ac notis illustrantur.

AUCTORE

JOSEPHO CATALANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS;

NOVA EDITIO

RECOGNITA ET NOVIS COMMENTARIIS ET ANNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Accurante aliquo sacrorum rituum cultore.

TOMUS II,

PARTEM SECUNDAM COMPREHENDENS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

SUMPTIBUS J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORUM,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLARUM,

7, via vulgo Majorum Augustinianorum.

M DCCC LI

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1891

CHRISTI JESU

IN TERRIS VICARIO
PATRIARCHÆ (a) OECUMENICO
CAPITI (b) ECCLESIÆ
PONTIFICI MAXIMO
OMNIUM (c) EPISCOPORUM
PATRI ET MAGISTRO
MÆCENATUM OMNIUM
PRINCIPI

CLEMENTI XII.

PARTEM ALTERAM
ROMANI PONTIFICALIS
NUNC PRIMUM
COMMENTARIIS ILLUSTRATAM

JOSEPHUS CATALANUS
D. D.

(a) Ex supplicibus libellis qui in Actis Concilii Chalcedonensis exstant inscriptis *Patriarchæ Œcumenico Leoni*
(b) Ex Epistola Synodali ejusdem Concilii ad ipsum Leonem Pontificem Maximum.
(c) Ex Hincmaro apud Thomassinum, part. I *Disciplinæ*, lib. I, cap. V, num. XI.

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Postquam primam partem Romani Pontificalis nunc primum Prolegomenis et Commentariis a me illustratam Christo Jesu futurorum bonorum Pontifici, atque Sacerdotii fundatori, dedicavi, æquum plane erat, Beatissime Pater, ut Sanctitati Tuæ, quæ universæ Ecclesiæ vicaria illius potestate præsidet, partem alteram nuncuparem. Quis enim æquo animo ferret, si alium patronum quærerem? cum constet a te uno terræ omnes reges ac Episcopos omnes dignitate ac potestate longe superari: verumque esse quod scribit S. Bernardus, libro II, *De Consideratione ad Eugenium III, Pontificem Maximum*, dicens : *Tu princeps Episcoporum, Tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moyses, potestate Petrus, unctione Christus.* Hinc veniam mereri posse videor, si post dicatos tibi, primum de codice S. Evangelii libros, tum Commentarios in quatuor priores œcumenicas Synodos, nunc tertio ausus sim volumen hoc Sanctitati Tuæ offerre : etsi enim Pontificii apicis majestas terrere me debuit, invitavit me tamen humanitas ac insignis comitas tua, qua omnes complecteris, omnesque ut filios diligis, nullumque ad te venientem ejicis foras. Equidem fateor, præter memoratam superius causam, cur tibi hanc alteram Romani Pontificalis partem inscribam, quia scilicet primam Christo Jesu Sacerdotii fundatori dedicavi, duas adhuc inesse causas, quæ me ad id faciendum potissimum urgent, nullique alii quam tibi ad nuncupandum hoc opus impellunt. Altera est, Beatissime Pater, quod ubi quatuor abhinc annis, genibus Sanctitatis Tuæ provolutus, Commentarios supradictos obtuli, tu bonarum artium fautor, ac rerum præsertim Pontificalium amantissimus, id oneris imposuisti, ut ego omnium minimus Romanum Pontificale, rem a nullo alio hactenus intentatam, summopere autem a viris doctis, ac potissimum ab Episcopis et Romanis Præsulibus desideratam, Commentariis illustrarem, rerumque origines panderem, atque hæreticos, qui Romanæ Ecclesiæ ritus irrident, testimonio sanctorum Patrum, ac veteris Ecclesiæ disciplinæ auctoritate confutarem. An itaque non tuum esse debuit, quod tuo jussu cœptum atque absolutum est? An alii offerri

Digitized by Google

Pontificale Romanum decuit, quam Romano Pontifici? Et illi præsertim Pontifici, qui eximia sua munificentia viris doctis animos fecit, ut Missalis Romani ac Breviarii Rubricas explicarent, aliosque veteres Catholicæ Ecclesiæ Ritus exponerent? Longum esset, ac tædio SANCTITATEM TUAM afficerem, si cunctos hic memorare auctores ac libros vellem, qui tua insigni liberalitate prodierunt in lucem. Dicam ergo alteram causam, ob quam tuo immortali nomini hoc volumen inscribo; ut scilicet testatum omnibus faciam quantum sit nostræ hujus Congregationis Oratorii Sancti Hieronymi Charitatis gaudium, quod adepta Patronum sit nepotem tuum, virum eximiæ prudentiæ, præclarissimum Florentinæ urbis Patricium, ac S. R. E. Cardinalem amplissimum, et præstantissimum decus atque ornamentum, NEREUM CORSINUM. Quid enim potuit nobis accidere jucundius, quam tanti principis locum illum protectione muniri, quem Julius Medices inclytæ nationis Florentinæ, S. R. E. Cardinalis fundavit, factusque Pontifex Maximus, fuitque Clemens VII, privilegiis insignivit? Quem alii præclarissimæ ejusdem nationis Cardinales patroni, Petrus Aldobrandinus et Franciscus Barberinus, eximiis beneficiis cumularunt? Quem tandem complures ex Hetrusca gente nostri antiqui Patres sanctitate, doctrina ac nobilitate conspicui incoluerunt? Quorum venerandæ imagines atque elogia, quæ apud nos hodieque servantur, maximo nobis ad sectandam virtutem sunt incitamento. In his jure meritoque principem locum tenet S. Philippus Nerius, qui in hac Sancti Hieronymi Charitatis domo triginta tres annos commoratus est, et nonnisi præcepto adactus Pontificis Gregorii XIII, ad Sanctæ Mariæ in Vallicella domum confectus jam senio se contulit. Reliquum est, BEATISSIME PATER, ut, quemadmodum decessores tui, Clemens VIII ac Urbanus VIII Pontifices Maximi, causa nepotum suorum, S. R. E. Cardinalium, nobilissimæ Archiconfraternitatis Charitatis, ac domus hujusce Sancti Hieronymi patronorum, eamdem beneficiis præstantissimis locupletarunt; SANCTITAS etiam TUA, eminentissimi principis NEREI CORSINI, ejusdem Archiconfraternitatis ac domus patroni causa, locum ipsum, ibique degentes Presbyteros, ac pro animarum salute, juxta antiquam ac indesinentem sui Instituti disciplinam, verbi Dei prædicatione, orationis assiduitate, ac sacramentorum administratione laborantes, benignus aspiciat, omnesque paterna sua benevolentia, et Apostolica benedictione dignetur. Interim vero, ut exiguum hoc qualecumque munus ex mea potius voluntate, quam ex Tua summa amplitudine metiare, SANCTITATEM TUAM etiam

Digitized by Google

atque etiam rogo. Quod autem dixi in hoc adornando opere, Tibi tuæque Apostolicæ Sedis auctoritati totum committo, atque subjicio, sicut et cætera, quæ hactenus scripsi scribamque in posterum, universa reservo : Tuo, tuæque Sedis, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. Faxit Deus Optimus Maximus, ut te bonorum præsidium, Mæcenatum omnium principem, atque Catholicæ Religionis decus eximium nobis servet quam diutissime.

LYON

Digitized by Google

PONTIFICALIS

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

PARS SECUNDA.

TITULUS I.

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA ÆDIFICANDA.

I. Facturum me operæ pretium arbitror, si hujus initio tituli nonnulla ex Jacobo Gretsero, Jacobo Eveillon, et aliis qui de benedictionibus tractarunt, præmittam quæ generaliter spectant benedictiones Ecclesiasticas, de quibus speciatim in variis tomi hujus titulis agendum nobis erit. Benedictio Ecclesiastica illa proprie dicitur quæ nomine Ecclesiæ, et ex auctoritate ei a Deo concessa, fit; quando quis scilicet, ratione muneris sacri quo fungitur, petita Deo, ut personis seu rebus aliquibus bona convenientia tribuat. Posuit enim Deus Sacerdotes et ministros Ecclesiasticos dispensatores benedictionum suarum, uti scite docet eruditissimus Jacobus Eveillon, canonicus Ecclesiæ Andegavensis, in libro *De Processionibus Ecclesiasticis*, c. XXXI, probatque ex cap. VI *Numerorum*, ubi per Moysen ita Deus locutus est Aaroni et filiis ejus : *Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : « Benedicat tibi Dominus, et custodiat te : ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui : convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. » Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*

II. Egregie hunc locum interpretatus est quidem inter alios S. Petrus Damiani in Epistola ad cives Florentinos quæ est XI libri VIII, sic dicens : « Dominus in libro *Numeri* de Sa» cerdotibus ait : *Invocabunt nomen meum super* » *filios Israel, et ego benedicam eis.* Sacerdos » quippe Dominum super hominem verbis in» vocat, sed ipse super eum Dominus bene» dictionem efficaciter format. Effectus itaque » benedictionis non in merito Sacerdotis con» stat, sed hanc invocatio divini nominis admi» nistrat; ut quod ex ore sonat hominis, intus » impleat Creator; et per indigni sæpe hominis » ministerium, divina virtus suum veraciter » efficiat sacramentum. » Quod quidem consentaneum est doctrinæ antiqui auctoris, qui nomine S. Augustini eumdem Scripturæ locum ita exponit in libro *Quæstionum veteris Testamenti*, cap. XI : « Per quod ostenditur, inquit, » Spiritum gratiarum non personam sequi aut » digni, aut indigni, sed ordinationem traditio» nis; ut, quamvis aliquis boni meriti sit, non » tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, » ut officium ministerii exhibeat : Dei autem » est effectum tribuere benedictionis. » Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali, benedictio Ecclesiastica suum habet effectum non quidem ex opere operato, ut aiunt, adinstar sacramentorum, sed ex vi precum Ecclesiæ, quæ cum sit sponsa Christi dilecta, non potest non exaudiri ab eo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit.

III. Ergo tota benedictionum Ecclesiasticarum vis in oratione et invocatione Ecclesiæ est, quæ

Digitized by Google

fit per ejus ministros, ut de omni genere ciborum, qui a Christianis ante esum benedicuntur, dicit Apostolus in Epistola I ad Timotheum, cap. IV : *Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Quemadmodum autem ex recitato libri *Numerorum* loco, Deus certam formulam populo benedicendi Aaroni et Sacerdotibus veteris legis præscripsit, « ita quoque usus Ecclesiæ multiplices benedictiones in diversis rebus » habet; » uti docet Rabanus Maurus lib. II *De institutione Clericorum*, cap. LV, sive, uti post alios scriptores tradit memoratus Eveillon, « ita » Ecclesia divino Spiritu edocta omnium rerum » benedicendarum formulas conceptis verbis » definivit in libris Ritualibus, ut sciant Sacerdotes quid in singulis et quomodo petendum » sit; ne scilicet temere et pro arbitrio loquendo, ab ejus institutione, proposito et fine » exerrent, et sic optatis decidant. » Addit propterea omni ratione cavendum esse iis, ne alias benedictionum formas, ritus, aut cæremonias usurpent, quam quæ in libris Ecclesiasticis, ut pote Missali, Pontificali et Rituali, continentur. Cavendum etiam ne Ecclesiasticæ benedictiones quocumque prætextu ad alios fines detorqueantur, quam ad quos ab Ecclesia institutæ sunt. Cum enim illæ vim non habeant, nisi ex intentione et invocatione Ecclesiæ, non autem ex proposito et voluntate utentium, certum est quod theologi docent, ex communi ordine Providentiæ divinæ, easdem neque effectum sortiri alium quam ab Ecclesia institutum, neque sine piaculo ad alienos et particulari præsumptione excogitatos usus posse applicari.

IV. Sunt autem Ecclesiasticæ benedictiones ex communi theologorum sententia in duplici differentia; nam aliæ sunt quas invocativas appellant, aliæ vero quas constitutivas nominant. Invocativæ benedictiones sunt illæ quibus Dei benignitas invocatur, ut personis, seu rebus benedicendis, pro cujusque benedictione, usu aut necessitate aliquid boni tribuat, easque a malo vindicet, non immutato earumdem statu, cujusmodi sunt benedictio Episcopalis, benedictio quæ datur initio confessionis, quæ post baptismum et communionem, quæ in fine Missæ, quæ ante lectionem divini officii, quæ Diacono lecturo Evangelium. Item benedictio regis et reginæ, benedictio sponsi et sponsæ, benedictio annuli sponsalis, novi militis, armorum, vexilli bellici, ensis, vestium Monachorum et Monialium, domus novæ, novæ navis, vinearum, frugum, atque adeo omnium esculentorum, aliarumque ejusmodi rerum, quarum benedicendarum formulæ habentur in libro *Sacramentorum* S. Gregorii, in Ordine antiquo Romano, et in recentioribus libris Ritualibus tum latinis, tum græcis. Harum siquidem benedictionum virtute, etsi nova quædam bona, seu temporalia, seu spiritualia divinitus conferantur rebus seu personis pro quibus nomen Dei invocatur, relinquuntur tamen illæ sibi, et suæ conditioni pristinæ, atque usui consueto, neque ob hoc in ordinem rerum sacrarum transeunt.

V. Constitutivæ benedictiones illæ dicuntur per quas res seu personæ benedictæ constituuntur in esse permanenti rei sacræ, religiosæ et sanctæ, adeo ut eum statum deinceps non mutent, neque ad profanum usum redire possint. Quo in genere nonnullæ ad significandum et repræsentandum aliquid sacrum spectant; ut cereus paschalis, cruces, imagines Christi et Sanctorum, candelæ in die Purificationis, rami in Dominica Palmarum, cineres in feria IV in capite jejunii, panis eulogiarum, sal qui adhibetur in Baptismo, annuli pro consecratione virginum. Quædam vero ad cultum Dei, et certa nostræ Religionis officia et ministeria destinantur; ut Episcopi, Sacerdotes et reliquorum ordinum ministri : Abbates, Abbatissæ, Moniales, ecclesiæ, capellæ, seu oratoria ad usum divini Sacrificii benedicta, cœmeteria, campanæ, Sacerdotalia indumenta, mappæ altaris, corporalia, ciborium seu custodia sanctissimi Sacramenti, capsæ reliquiarum et alia vasa sacra. Quædam denique ad aliarum rerum benedictionem et sanctificationem comparatæ sunt, ut chrisma et oleum catechumenorum atque infirmorum, thus, aqua benedicta, tum communis, tum baptismalis, tum illa quæ dicitur *Episcopalis*, cujus usus est in dedicatione et reconciliatione Ecclesiarum, de qua habetur mentio in cap. *Proposuisti* et cap. *Aqua*. Extra. *De Consecratione Ecclesiæ vel altaris;* et infra in nostro Romano Pontificali. Hæc sane omnia, cum per benedictionem seu consecrationem in jus Domini transierint, non possunt sine sacrilegio ad proprium hominis usum et profanos actus transferri, juxta celebratissimam illam canonici juris regulam in cap. LI *De regulis*

Digitized by Google

juris, in VI, *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.*

VI. Posterioris hujus generis benedictionum instituendarum causam fuisse docent, quod cum ea quæ ad cultum Dei et usum aliquem sacrum destinantur, sancta esse oporteat, id est talia quæ ei pie convenienterque deservire possint; Ecclesia quippe, prout quamque rem ad hujusmodi usum statuit adhiberi, ita statis atque solemnibus precationum formulis a Deo petere solet, ut illam eo usu dignam et ad eum aptam perficere dignetur; impedimenta, si quæ sint, tollendo, et vim ad efficiendum necessariam tribuendo : quod benedicere, sanctificare, dedicare vulgo dicitur. Atque hac virtutis divinæ sanctificatione creaturæ a simplici rerum naturalium conditione elevantur ad statum quemdam quasi divinum, id est supernaturalis cujusdam excellentiæ, ut jam ad Dei cultum digne et congruenter applicari possint. Quod quidem comprobat S. Thomas in sua *Secunda Secundæ*, quæstione XCIX, articulo I, sic inquiens : « Ex » hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, » efficitur quoddam divinum; et sic ei quædam » reverentia debetur, quæ refertur in Deum. » Ex hoc etiam res Deo dicatæ appellantur sanctæ; sanctitas enim, ut ibidem S. Doctor disserit, quæstione LXXXI, articulo VIII, duo importat, munditiem et firmitatem : munditiem, ut res ipsa, quæ denominatur sancta, ab omni labe et inquinamento pura sit; firmitatem, ut Deo tanquam ultimo fini et summo principio firmiter conjungatur, et immobiliter adhæreat. Mens autem humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus, id est terrestribus et mundanis, conjungitur, sicut quælibet res ex immixtione pejoris sordescit : res vero inanimatæ impuritatem inde contrahunt, quod in promiscuo usu creaturarum vilium, corruptibilium et profanarum versentur, et præterea, quod sæpe maleficiis et noxiis impressionibus dæmonum, aut irreligioso usu pravorum hominum conspurcentur. Vide Costerum *Christianarum institutionum* lib. IV, cap. VIII.

VII. Ergo benedictione Ecclesiastica seu consecratione, res quæ divino cultui inservire debent, primum ab omni dæmonis immunditia et contaminatione purgantur, et ejusdem infestatione liberantur (ad quem effectum pertinent exorcismi, qui in nonnullis benedictionibus præmittuntur, et signa crucis frequentia, quibus ejusdem dæmonis vis pellitur), atque a communi, profano et mundano usu sejunguntur; et in hoc munditia est : deinde abstractæ a colluvione et contagio creaturarum, ad religionis et pietatis usum applicantur, et Dei cultui in perpetuum addicuntur; et in hoc cernitur firmitas illa quæ veram sanctitatem perficit, ut res illæ a Sancto Sanctorum divelli amplius non possint. Quare illæ deinceps singulari protectione virtutis divinæ, et speciali quadam Angelorum custodia munitæ creduntur, ut ab omni injuria et contaminatione vindicentur; quemadmodum altare illud apud Joannem Moschum in *Prato spirituali*, cap. IV, ad cujus cornu stantem Angelum cum conspexisset abbas Leontius, et pavore correptus aufugisset, vox ad eum de cœlo delapsa est, dicens : « Ex quo sanctifi- » catum est altare istud, ego jugiter illi adstare » jussus sum. » Cui simile est aliud exemplum cap. X, ibidem.

VIII. Quod pertinet ad ministerium benedicendi, quædam sunt benedictiones quæ communi jure et usu Ecclesiæ fieri a quibusvis Sacerdotibus possunt, quædam vero Episcoporum propriæ. Et harum quidem nonnullæ ejusmodi sunt, ut simplicibus Sacerdotibus committi et delegari possint, ut benedictio imaginum, novæ ecclesiæ, et cæteræ quæ in Rituali Romano notantur : aliæ delegari nequeunt, nisi auctoritate Apostolica, ut benedictio corporalium et vestium Sacerdotalium, juxta communem doctrinam, consecratio calicis, ecclesiæ et altaris, et benedictio solemnis super populum, de qua alias diximus. Atque hæc quidem ex libro *De benedictionibus*, quem scripsit Jacobus Gretserus, excerpimus, præsertim vero ex opusculo *De processionibus Ecclesiasticis*, auctore Jacobo Eveillon, Andegavensis Ecclesiæ canonico, qui cap. XXXI præfati opusculi de benedictionibus pertractavit. Qui plura quæ praxim spectant curiosus desiderat, legere opusculum poterit, quod *De benedictionibus* inscripsit Paulus-Maria Quarti, clericus regularis theatinus.

IX. Nunc de exorcismo agamus, qui nonnullis benedictionibus adjungi solet ex prisco Ecclesiæ instituto. Nonnullæ enim res benedicendæ prius purgantur exorcismo seu adjuratione, et tum demum facto exorcismo benedicuntur : quædam

Digitized by Google

vero absolute benedicuntur, nullo præmisso exorcismo. Prioris generis sunt salis et aquæ, et aliarum quarumdam rerum benedictiones. Primo enim in ipsa salis benedictione præmittit Sacerdos hunc exorcismum : « Exorcizo te, crea- » tura salis, etc. » Tum hac adjuratione præmissa, qua dæmon vel expellitur, vel impeditur ne creaturam illam obsideat, usumque ejus mortalibus reddat innoxium, subjungitur benedictio : « Immensam clementiam tuam, omni- » potens æterne Deus, humiliter imploramus, » ut hanc creaturam salis, etc. » Similis plane est benedictio aquæ aliarumque rerum in quibus exorcismus præcedit et benedictio subsequitur, ut videre est in nostro hoc Romano Pontificali, tomo II et III.

X. Scio offendi hæreticos ex verbo *exorcizo* in benedictionibus posito, quia scilicet absurdum est creaturam rationis expertem exorcizari, seu adjurari, cum exorcismum ipsa nec sentiat, neque intelligat. Verum communis theologorum doctrina est hujusmodi res adjurari posse, *non secundum se*, ut aiunt, sed *in alio :* quia cum adjuratio sit petitio seu obsecratio, vel imperium, dirigi per se ad creaturas ratione carentes nequit, cum talium actionum recipiendarum non sint capaces : dirigitur ergo adjuratio ad Deum, sed petendo et obsecrando (aliter enim Deum adjurare non licet), eaque adjurationis forma observatur præsertim in benedictionibus salis et aquæ : « Exorcizo te, creatura salis, per Deum » vivum, etc. » Tum subjunguntur preces quibus petitur ut Deus creaturas istas benedicat, expulsis inde cacodæmonis insidiis, et ut dæmones impediat ne nobis per creaturas rationis expertes noceant.

XI. Fit quidem et aliquando exorcismus, seu adjuratio per imperium quæ directe terminatur ad dæmonem, non obsecrando, sed cogendo illum ut hanc vel illam rem relinquat, per eamque mortalibus damna inferre desinat. Talis est inter alios exorcismus qui fit in benedictione olei infirmorum, uti videre est tomo III, tit. IV : « Exorcizo te, immundissime spiritus, omnis- » que incursio Satanæ, et omne phantasma. In » nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ san- » cti, ut recedas ab hoc oleo, etc. » Sed et recte docet Suarez tomo II *De Religione*, lib. IV *De adjuratione*, cap. II, num. XIV, adjurationem per imperium etiam directe circa creaturas irrationales versari posse quoad efficaciam et effectum, non quod morale illud imperium percipiant, aut ad ejus intelligentiam sese moveant, vel a motu desistant, sed quia efficacia et effectus imperii ita illis a Deo imprimitur, quasi imperium ipsum intellexissent. Sic in Evangelio S. Matthæi, cap. VIII, imperavit Christus ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

XII. Quod si hæretici obganniant Catholicos, qui aquam, et salem, aliasque res exorcizant, pollutos esse hæresi Manichæorum, existimantium creaturas a malis spiritibus teneri et obsideri ; manifesta calumnia hæc est, cum creaturas Dei bonas esse, nulla penitus excepta, doceamus ac fateamur palam et passim ; ut scite ait Gretserus, lib. II, capite VII, non ignorantes tamen dæmonem his ipsis rebus saluti et incolumitati nostræ insidias struere, eam ob causam ante usum benedicuntur ac sanctificantur. Ad quam benedictionem et sanctificationem ipse etiam exorcismus refertur, ut si forte in usu ejus creaturæ nobis nocumentum pararet, exorcismi seu adjurationis virtute compulsus abscedat. Posse autem diabolum res quas ad vitam sustentandam adhibemus, præsertim esculenta et poculenta inficere, vel unum illud exemplum Monialis apud S. Gregorium lib. I *Dialogorum*, capite IV, satis ostendit ; quæ cum non præmisso sanctæ crucis signo lactucam comedisset, simul etiam dæmonem, ut ita loquar, comedit, graviter ab eodem obsessa, et cruciata, ac vehementius adhuc crucianda, nisi S. Equitius ei opem tulisset, expulso ab ipsa stygio spiritu.

XIII. Hæc quidem describere veluti prolegomena in hunc alterum tomum nostri Romani Pontificalis placuit. Quod autem præsentem primum titulum spectat, qui inscribitur *De benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda*, vetus quidem et acerbum est hæreseos bellum adversus constructionem ecclesiarum ; nam circa annum Domini 324, Eustathiani a Concilio Gangrensi damnati, can. V, Ecclesiam Dei spernentes, et ea quæ in ipsa fiebant, in privatis ædibus cœtus faciebant suos, et profanis in locis hærebant. Præivisse videntur jam hisce hæreticis Manichæi quidem, celebres illi ac sua insana doctrina famosi, III Christi sæculo grassantes hæretici, de quorum misera secta se quondam fuisse deplorat sanctus

Digitized by Google

Augustinus initio libri *De duabus animabus, contra Manichæos*. Hi sacras ædes adeo irriserunt, ut antiquorum delubris compararent, objiceretque Faustus Manichæorum sectator Catholicis apud eumdem Augustinum lib. xx, cap. III, quod haberent templa et altaria more Gentium et Judæorum.

XIV. Eustathianos et Manichæos secuti Anomæi et Messaliani templa omnia et altaria exsecrati sunt, contendentes in suis duntaxat domibus orandum Deum; teste Chrysostomo, *Homilia* XXXIII, et Damasceno in lib. *De centum hæresibus*. Hunc errorem amplexi Petrobrusiani aram cum hara componebant, et templum cum meritoria taberna. Idem postea docuerunt Albigenses, ut in suo *Catalogo* refert Bernardus Lutzemburgensis : ii siquidem non modo idololatriæ scelus appellarunt eum cultum et honorem qui templis sacris et sacellis defertur, verum, inaudito contumeliæ genere, ventrem inibi exonerabant, et sacram mensam multis metuendisque ritibus consecratam impudica impudicitia notabant; idem quoque Waldenses, apud Claudium Caussordium in libro *Contra Waldenses*, cap. VI; idem Wicleffistæ, apud Thomam Waldensem, tomo III, tit. XII et XXII; idem Thaboritæ, qui ubique et in omni loco sacris operabantur, apud Æneam Sylvium *De origine Bohemorum*, cap. XXXV, et Anabaptistæ Transylvani in *Antichesibus Christi veri et Christi falsi*, editis Albæ Juliæ, anno 1568; Lutherani denique et Calvinistæ, ne cuiquam memoratorum hæreticorum cedere viderentur, templa nostra simillima esse nugati sunt lucis arisque Baali dicatis.

XV. Sed cum non sit nostri instituti portenta hæc et monstra refellere, videri potest eximius cardinalis Bellarminus, lib. III *De cultu Sanctorum*. Constat siquidem loca jam pridem a temporibus Apostolorum specialiter fuisse destinata, ad quæ fideles convenirent, orationis, sacrificii incruenti offerendi, aliaque religionis et pietatis opera peragendi causa, ut ex Apostolo addiscimus, qui in Epistola I ad Corinthios, cap. XI, scribit : *Convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*. Et paucis interjectis : *Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?* Ubi loqui Apostolum de loco sacro, quo fideles conveniebant, evidentissimum est; eumque Pauli locum post S. Basilium in *Regulis brevioribus*, interrogatione CCCX, et alios Patres sic quidem exponit S. Augustinus, *Quæstione* LVII *in Leviticum*, dicens : « Ecclesia dicitur » locus quo Ecclesia congregatur, nam Ecclesia » homines sunt, de quibus dicitur : *Ut exhiberet* » *sibi gloriosam Ecclesiam*. Hoc tamen vocari » etiam ipsam domum orationum, idem Apo- » stolus testis est, ubi ait : *Numquid domos non* » *habetis ad manducandum et bibendum, aut* » *ecclesiam Dei contemnitis?* Et hoc quotidianus » loquendi usus obtinuit, ut in ecclesiam con- » fugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, » parietesque prodierit, quibus Ecclesiæ con- » gregatio continetur. » Eumdem Pauli locum non quidem pro congregatione, sed pro loco Dei cultui consecrato accipiunt S. Basilius in *Regulis fusioribus*, quæstione XXX, et in *brevioribus*, quæst. CCCX, auctor sub nomine S. Hieronymi delitescens, Chrysostomus, Sedulius, Œcumenius, Theophilactus et alii ipsius loci expositores.

XVI. Ab ipsis Apostolorum temporibus tam in Oriente quam in Occidente fuisse ecclesias constructas ac divino Numini dedicatas, pluribus veterum testimoniis ostendit cardinalis Baronius ad annum Christi 57, ubi inter alia docet probatque auctoritate *Actuum Apostolorum*, cap. I, versiculo XII et XX, antequam novas ecclesias licuisset erigere, privatas domos, ampliora videlicet earum membra, quæ cœnacula dicebantur, in locis superioribus constituta, ejusmodi ministerio inservisse; et quamvis de erectis olim ecclesiis nullum aliud suppeteret argumentum, vel ratio, ipsa saltem imperatorum ethnicorum edicta de demoliendis Christianorum ecclesiis, quorum Eusebius, lib. VIII *Historiæ*, cap. II, meminit, fidem certissimam facere. Est et apud Lampridium de pervetustis Christianorum ecclesiis testimonium luculentissimum ac notatu dignum ; refert enim Alexandrum Severum imperatorem ethnica superstitione cæteroqui occupatum, Christianis addixisse ecclesiam, de qua controversiam faciebant caupones : « Cum » Christiani quemdam locum, qui publicus » fuerat, occupassent; contra popinarii dicerent » sibi eum deberi : rescripsit melius esse ut » quomodocumque illic Deus colatur, quam po- » pinariis dedatur. » Meminit apud Vopiscum Valerianus imperator ecclesiæ Christianorum ;

Digitized by Google

et Lucianus demum, qui Apostolorum tempore vixit, res Christianorum deridens in *Philopatre*, Critiam quemdam introducit, qui cum ab aliquo fidelium christianus fieri suaderetur, ab eo deductus est in locum ubi conventus Christianorum agebatur.

XVII. Ex hisce tam nostrorum quam externorum testificationibus plane intelligimus quod docent eximii ac laudati scriptores, cardinales Baronius et Bellarminus, cum sive apud Origenem, lib. VIII *Contra Celsum*, sive Minutium Felicem, aliosve adversus ethnicos disputantes, negatur Christianos antiquos habuisse templa, intellexisse de templis sic a Gentilibus vocatis; a quibus non omnia deorum delubra, sed ea tantum quæ vastissima erant atque amplissima, dici solita fuisse templa, Varro apud Gellium, lib. XIV, cap. VII, et Arnobius, lib. VI *Adversus gentes* demonstrant. Nec enim nos inficias imus caruisse priscos illos Christi fideles tempore persecutionis ejusmodi templis, quæ sub Christianis imperatoribus, præsertim vero sub Constantino tum Romæ, tum alibi magnificentissime exstrui cœpta sunt; satisque admodum constat ipsos Christi fideles, eo tempore quo persecutio sæviebat, non publice in suis ecclesiis, sed clanculum, sive in privatis domibus, sive in cryptis, quales sunt stupenda Urbis cœmeteria, ubi adhuc altaria et sacræ imagines cernuntur, aliisve quibus poterant locis convenisse.

XVIII. Itaque etsi scirent Christiani Divinitatem loco minime concludi, jamque horam venisse de qua ad mulierem Samaritanam Salvator dixerat, quando *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* uti legere est in Evangelio Joannis, cap. IV, et in Epistola II quam ad Timotheum scripsit Apostolus, dicens: *Volo vos orare in omni loco, levantes manus puras:* sciebant ipsi nihilominus summam esse utilitatem, imo et necessitatem, ut loca quædam specialiter deputata, quo fideles convenientes divina audituri, atque una oraturi, ad pietatem magis excitarentur, propitiumque Deum suum atque præsentem magis haberent. Promisit enim non semel Deus in veteri Testamento, exauditurum se esse de cœlo eos qui in istiusmodi locis preces suas fuderint; et in Evangelio Matthæi, c. XVIII, versiculo XX, jam Christus Dominus dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quæ verba etsi quidam SS. Patres ad comprobandam Conciliorum auctoritatem referant, non incommode alii ad preces in ecclesia fundendas explicant. Cæterum S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XXX contra Anomæos ecclesias contemnentes dicentesque: « Orare domi possumus, » sapienter respondit: « Te, homo, decipis, et magno in errore versa- » ris; nam etsi domi quoque detur orandi fa- » cultas, tamen fieri non potest ut domi tam » bene ores quam in ecclesia. »

XIX. Hinc non mirum si vel sub ethnicis imperatoribus, prout in dies numerus augebatur Christi fidelium, ampliores augustioresque antiquis excitatæ fuere ecclesiæ, adeo ut teste Eusebio, lib. VIII *Historiæ*, cap. I, priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias. Refert idem Eusebius, lib. X, cap. II, sub imperio Constantini cœptum esse restaurari ecclesias nitore et opulentia majore quam prius: « Nobis, » inquit, incredibilis erat lætitia, cum loca cun- » cta quæ tyrannorum impietas paulo ante sub- » ruerat, reviviscere videremus; templaque » rursus a solo in immensam altitudinem erigi, » et longe majore cultu ac splendore quam illa » quæ prius expugnata fuissent, innitescere. » Id quidem Romæ præsertim videre est, ubi eximius Constantinus multa augusta erexit templa; nam et in suo Lateranensi palatio ecclesiam Salvatori dedicavit, in Vaticano basilicam Sancti-Petri, in via Ostiensi Sancti-Pauli templum, et alia de quibus vide in suis *Annalibus* cardinalem Baronium.

XX. Qua pietate Christiani olim principes Ecclesias fundarent ex *Actis* quidem S. Sylvestri, ubi agitur de baptismo Constantini Romæ suscepto, quod strenue propugnat vir clarissimus Franciscus Blanchinus, illud constat, laudatum Constantinum octava die a suscepto baptismate processisse ad Confessionem B. Petri Apostoli, quæ erat in Vaticano, ablatoque diademate capitis, ac exuentem se chlamyde imperiali, et accepto bidente terram primum aperuisse, ad fundamenta basilicæ in eo loco construendæ; deinde vero ob numerum XII Apostolorum, duodecim cophinos terra plenos suppositis humeris bajulantem adsportavisse. Refert hæc ad annum Christi 324 cardinalis

Digitized by Google

Cæsar Baronius, ubi etiam scite observat imitatum videri ea in re Constantinum, a quo genus ducebat, Vespasianum imperatorem, de quo Suetonius, cap. VIII, ita scribit : « Ipse restitu- » tionem Capitolii aggressus, ruderibus purgan- » dis manus primus admovit, ac suo collo quæ- » dam extulit. » Porro non debuit prætermisisse Constantinus pro cultu veræ Religionis præstare quod ipso major ejusdem familiæ Flaviæ illustrator pro superstitione avita officium exhibuerat.

XXI. De Liberio Pontifice Maximo scribit in ejus Vita Ciacconius, quod ubi basilicam insignem in honorem beatæ Matris Domini condidit in Monte Esquilino, juxta aggeres Tarquinii ad Marcellum Liviæ, ex collatis impensis Joannis patricii Romani in ejusdem basilicæ erectionem, ea de re per visum admoniti, et miraculo confirmati, descendentibus nivibus, nonis augusti, formam templi monstrantibus, Liberius ipse « visionis conscius et particeps, ligone accepto, » basilicam descripsit, Joanne patricio sumptus » liberaliter ministrante. » Itaque ex allatis exemplis constat aliquando quidem patronum, sive ecclesiæ fundatorem, aliquando vero Episcopum cœpisse fodere fundamenta. Porro a Liberio Pontifice Liberania hæc basilica diu vocata fuit; a Sixto III Pontifice restituta et ampliata postmodum fuit circa annum 432, elegantissimisque veteris et novi Testamenti vermiculato opere imaginibus, in fenestrarum interstitiis et in apside, mirifice decorata. Dicta deinde basilica Sanctæ-Mariæ-ad-Præsepe ob translata ex Bethlehem ibi sacra incunabula Christi; postremo Sanctæ-Mariæ-Majoris basilica appellata est, ut eminentia supra omnes hujus nominis ecclesias significaretur,

XXII. Exceptis majoribus urbibus, ut Roma, Alexandria, Antiochia, Constantinopoli, vel similibus, urbes aliæ fere ecclesias habebant singulæ singulas, et plerumque, uti quidam docent, in minoribus urbibus unus erat olim cum Episcopo Presbyter; de S. Evaristo, qui sextus a Petro circa finem I Christi sæculi Romæ Pontifex Maximus fuit, scribit auctor *libri Pontificalis* eum titulos in urbe Roma Presbyteris divisisse, id est domus fidelium divino cultui mancipatas, in quibus Christiani synaxes religiose agebant. De sancto autem Marcello, qui initio IV sæculi Pontifex etiam Maximus inauguratus fuit, diserte inquit quod viginti quidem titulos in eadem urbe constituit, id est parochiales ecclesias, propter baptismi et pœnitentiæ administrationem, et propter martyrum sepulturas. Cæterum S. Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Donatistas*, tradit ipsos hæreticos Donatistas inter quadraginta, et quod excurrit, basilicas, non habuisse locum Romæ ubi colligerent, id est Sacrificium offerrent.

XXIII. Sequioribus Christi sæculis ea fuit Christianorum Religio, ut passim ecclesias novas ædificarent : in hoc autem peccasse videntur, ut sicut hodie fieri assolet, antiquis neglectis templis, nova funditus excitarent. Id quod suo exemplo sanctus Gregorius Magnus recte admodum improbavit; testatur enim Joannes Diaconus in ejus Vita, lib. IV, cap. LXVIII, ipsum Pontificem quantum studeret reparandis ecclesiis veteribus, tantum a novis condendis abhorruisse : « Qui » videlicet omni vitæ suæ tempore, sicut novas » basilicas minime fabricarat, ita nimirum fa- » bricatarum veterum sarta tecta cum summo » studio annualiter reparabat. » Alienissimus quippe erat a magnificentia insolentiore exstructionum novarum ecclesiarum, quod sciret publicum Ecclesiæ ærarium in templa viventia, id est pauperes cum summa laude effundi. Quamobrem non mirum videri debet, si fuerit aliquando tempus, ut Beda refert lib. III *Historiæ*, cap. IV, cum nulla ecclesia lapidea in universa Angliæ insula, quam memoratus Gregorius ad fidem Christi converterat disciplinaque Ecclesiastica imbuerat, existeret, sed de lignis universæ exstruerentur. Quamobrem cum Nynias episcopus de lapide ecclesiam faceret, vulgo ipsa appellata fuit « ad candidam casam, eo quod ibi » ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more » fecerit. » Idem auctor Beda, lib, III, cap. XXV, narrat Finam episcopum secundum in insula Lindesfarnensi, postea Episcopatus Dunelmensis nomen sortita, fecisse ecclesiam Episcopali sedi congruam, quam tamen non de lapide, sed de robore secto totam composuerit atque arundine texerit; atque ita durasse eam donec Eadbertus, episcopus septimus, ablata arundine, plumbeis laminis eam totam, hoc est et tectum et ipsos quoque parietes ejus, cooperire curaverit.

XXIV. Præter S. Gregorium fuere et alii Episcopi qui a novis construendis templis sapientissime abhorruerunt. Scribit enim de S. Wol-

Digitized by Google

stano Wigorniensi in Anglia episcopo ejus Vitæ auctor apud Surium ad diem XIX januarii, quod cum videret ecclesiam antiquam destrui, quam S. Osuvaldus construxerat, uberrimas lacrymas fudit, eaque de re a quibusdam redargutus, quod potius gaudere deberet, se superstite, tantum honorem ecclesiæ suæ accidisse, ut multiplicatis Monachis, ædificia augerentur, plorans ita dixit: « Ego longe aliter intelligo quod nos peccatores » et miseri opera Sanctorum destruimus, ut no- » bis laudem comparemus : non noverat illa » ætas pompatica construere, sed sub qualicum- » que tecto seipsos Deo immolare, subjectosque » ad exemplum attrahere. Nos e contra nitimur » ut curam animarum negligentes, cumulemus » lapides. » Nostra hac tempestate res eo progressa est, ut veteribus templis solo æquatis, nova passim in dies ædificentur, adeo ut in magnis urbibus plures ecclesiæ conspiciantur quam domus privatæ, cum non modo unaquæque natio, sed quarumcumque artium professores, imo et mendici ipsi qui panem ostiatim quæritant, cæci, claudi, surdi templum suum habeant, ut oratoria omittamus in privatis ædibus matronarum nobilium ditiorumque usui destinata, in quibus scilicet, quando eis lubet, mercenario Presbytero quotidiana stipe constituta, post meridiem Missam audiant.

XXV. Quantus autem hic sit abusus, ac Christianæ Religionis detrimentum et animarum pernicies, satis profecto expresserunt Patres Concilii Ticinensis : « Quidam laici, inquiunt, » et maxime potentes ac nobiles, quos studiosius » ad prædicationem venire oportebat, juxta do- » mos suas basilicas habent, in quibus divinum » audientes officium, ad majores ecclesias rarius » venire consueverunt, et dum soli afflicti et » pauperes veniunt, quid aliud quam ut mala » patienter ferant, illis prædicandum est ? Si au- » tem divites, qui pauperibus injuriam facere » soliti sunt, venire non renuerint, admoneri » utique possent ut eleemosynis peccata sua re- » dimerent, ut a fluxu rerum temporalium se » abstinerent, etc. » Porro hic abusus, ut scite animadvertit Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici universi*, tit. V, cap. VIII, num. IX, sequentibus sæculis jam invalescente Missarum honorario, sive eleemosyna, atque cum illo Sacerdotum de ipso honorario pene victitantium multitudine, incredibile est quantum acceperit incrementum, quantusque hinc ecclesiarum parochialium, atque illarum præcipue ubi verbum Dei prædicatur, neglectus.

XXVI. Sed hoc abusu omisso, de quo alibi erit sermo opportunius, pro coronide hujus tituli duo nobis adnotanda sunt. Primum quidem, non modo nutu divino, sed in male etiam actorum pœnitentiam ædificatas aliquando fuisse basilicas. Cujus rei exempla passim leguntur apud historiæ sacræ scriptores, et apud Surium, atque Bollandianos in Vitis Sanctorum. Certe Belisarius ob scelus admissum contra Silverium Papam et Romanam Ecclesiam, in se reversus, ad expiandum immane facinus, ut offensum divinum Numen conciliaret sibique propitium redderet, mox Romæ ecclesiam erigendam curavit, cui præ foribus ejusmodi inscriptionem lapidi incidi voluit patrati facinoris pœnitentiæ perpetuum monimentum :

Hanc vir patricius Vilisarius, Urbis amicus,
Ob culpæ veniam, condidit ecclesiam.
Hanc iccirco pedem sacram qui ponis in ædem,
Ut miseretur eum, sæpe precare Deum.

At licet ipsa ecclesia ab eo erecta perierit, demolita fortasse a Gothis, cum rursum potiti sunt urbe, ut putat Baronius ad annum 538, in odium ipsius conditoris Belisarii, ipsa tamen inscriptio adhuc integra legebatur Baronii tempore, in alterius ecclesiæ affixa pariete, Cruciferorum scilicet, inter Pincium montem et Quirinalem. Ubi nota morem cæteroqui antiquum inscribendi majusculis litteris in marmorea tabula nomen fundatoris novæ ecclesiæ.

XXVII. Alterum quod notandum superest, ad ecclesiarum structuram pertinet; situm nempe illarum ad Orientem spectantem disponi solitum, auctor *Apostolicarum constitutionum*, lib. II, cap. LXI, Tertullianus *Adversus Valentinianos*, cap. II, et S. Paulinus, Epistola XII ad Severum, docent sive ad imitationem templi Salomonis, quod ad Orientem fuisse conversum Aristeus tradit in libro *De* LXXII *Interpretibus*, sive quod Christiani versus Orientem precari consuevissent, uti allatis variis sanctorum Patrum locis diserte ostendit ad annum Christi 58 cardinalis Baronius; quod nimirum pedes Christi Domini, juxta vaticinium Zachariæ prophetæ, cap. XIV, in die suæ ad cœlum ascensionis, steterunt *supra montem Olivarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem*. Secundum cujusmodi

Digitized by Google

situs rationem eam consuetudinem ab Apostolis ipsis ad posteros esse dilapsam, ut Christiani ad Orientem versi precarentur, sanctus Athanasius auctor est in lib. *Quæstionum*, quæstione XIV. Cæterum docet laudatus Baronius ad memoratum Christi annum 58, ita fuisse singula ecclesiarum membra ad diversorum ordinum officia accommodata, ut quantum licet in re parva maximam omnium repræsentare, similitudinem quamdam Hierosolymitani templi redderent; quippe quæ continerent porticum, ubi essent pœnitentes, et alii quibus intra ecclesiam non pateret accessus, atrium, navim, Sancta sanctorum, et alia, de quibus fuse in sequenti Commentario dicemus, singulas ecclesiæ antiquæ partes ex veterum scriptorum testimonio explicantes.

§ I.

Nemo ecclesiam ædificet, priusquam Pontificis judicio locus et atrium designentur, et quid ad luminaria, quid ad rectoris ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad ecclesiæ dotem pertineat, definiatur; et per eum, vel ejus auctoritate per Sacerdotem, crux in loco figatur, et lapis primarius in fundamento ponatur.

COMMENTARIUS.

I. Data Ecclesiæ pace per Constantinum Magnum, tot passim cœperunt ædificari ecclesiæ, ut ipsi primi imperatores, et sacræ Synodi modum earum exstructioni ponere coacti sint; uti videre est in *Codice* Theodosiano, lib. XVI, tit. II, et in *Novella* CXXXI, cap. VII, Justiani imperatoris, in Concilio Chalcedonensi, can. IV, Aurelianensi et aliis ex quibus desumpta videtur hæc nostra Rubrica : « Si quis voluerit fabricari » venerabile oratorium aut monasterium, præ» cipimus non aliter inchoandam fabricam, nisi » locorum sanctissimus Episcopus orationem ibi » fecerit, et venerabilem fixerit crucem. » Verba sunt memoratæ *Novellæ constitutionis* Justiniani, qui etiam in *Novella* LXVII, cap. II, edixerat non » aliter quempiam de novo ecclesiam ædificare, » priusquam loquatur ad Deoamabilem episco» pum, et definiat mensuram quam deputat, et » ad luminaria, et ad sacrum ministerium, et » ad incorrumpendæ domus custodiam, et ob» servantium alimenta; et si sufficienter habere » videtur, faciat prius donationem eorum quæ » futura sunt deputari; et ita domus ædifice» tur. » Mandat itaque ne ecclesia vel monasterium ædificetur sine consensu Episcopi, sine constituta dote, et antequam ipse Episcopus crucem in eo loco fixerit.

II. In Commentario canonis IV Concilii Chalcedonensis, ubi Monasticam disciplinam fuse explicuimus, dictum jam fuit, num. XV, quod cum monasteria olim in eremo primum assurgerent, difficile apud scriptores inveniatur an requisitus fuerit Episcoporum consensus, opus tamen semper habuerint Episcoporum consensu, ubi Monachi primum ex eremo migrarunt, et passim in civitatibus et vicis monasteria construxerunt. Id nos hoc loco recensuimus occasione Justinianeæ constitutionis, qui et de monasterii ædificatione ibidem meminit : cum alias de nova construenda ecclesia celebris sit canon Concilii Aurelianensis relatus a Gratiano in can. IX de Consecratione, distinctione I, cujus verba hæc sunt : « Nemo ecclesiam ædificet an» tequam Episcopus veniat, et ibidem crucem » figat : publice atrium designet; et ante præfi» niat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria et » custodiam, et ad stipendia custodum sufficiunt; » et ostensa donatione, sic domum ædificet. » Sunt fere ipsissima verba Justinianeæ constitutionis in *Novella* CXXIII. Quamobrem recte statuit Concilium Bracharense III, anno Christi 675 habitum, can. V : « Ut unusquisque Episcopo» rum meminerit, ut non prius dedicet eccle» siam aut basilicam, nisi antea dotem basilicæ, » et obsequium ipsius per donationem chartulæ » confirmatum accipiat. » Additque mox hanc rationem : « Nam non levis est ista temeritas, » si sine luminariis, vel sine sustentatione eo» rum quæ ibidem servituri sunt, tanquam » domus privata, ita consecretur ecclesia. » Hinc,

Digitized by Google

cum anno Christi 924 Joannes archidiaconus ab Arnoldo Arvernorum episcopo in quodam suo fundo ecclesiam ædificare peteret, interrogatus ab ipso Episcopo « si valeret ex rebus suis tan» tum ibi conferre, ex quibus Sacerdos in ipso » loco Deo militans, pauperem vitam possit su» stentare; cum ad hæc respondisset velle se » quamdam particulam ex suis facultatibus lar» giri toti Ecclesiæ, a præfato confestim illustri » Episcopo speculatore sancitum est eamdem » dedicandam ædem. » Exstat hoc monumentum apud Dacherium, tom. III, pag. 371 ultimæ editionis.

III. Exstat et in antiquo Romano Ordine titulus *De ædificanda ecclesia*, in cujus initio præscriptum legitur : « Nemo ecclesiam ædificet, » antequam civitatis Episcopus illuc veniat, et » ibidem crucem figat publice, et ante præfi» niat, qui ædificare vult, quid ad luminaria, et » ad custodiam, et stipendia custodum, et ad » suppletionem necessitatum Presbyteri, do» temque ecclesiæ sufficiat atque pertineat, et » facta donatione sic demum ædificet. » Idipsum docent plerique manuscripti libri Pontificales, in quibus etsi nulla de atrio designando habeatur mentio, constat tamen evidentissime, jam olim statim ac data fuit Ecclesiæ pax, ubi nova templa ædificabantur, relictam fuisse ante ipsa aream porticibus seu peristyliis circumdatam. Atrium appellant Latini, alioque nomine *peristylium* et *impluvium;* quia locus erat apertus, et patens sine ullo tecto. Græci vero αἴθριον, quod sub dio esset, nuncupant. Meminit hujus loci Eusebius lib. X *Historiæ*, cap. IV, ubi describit magnificum Sanctæ-Sophiæ templum a Constantino Magno imperatore Constantinopoli ædificatum : « Medium spatium apertum et pa» tens reliquit, ut et cœli adspectum præberet, » et aerem splendidum, solisque radiis collu» stratum præstaret. » Observat in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario* Carolus Ducange, verbo *Atrium*, vocari a Græcis αὐλὴν quidem atrii aream, porticus vero atrium ipsum cingentes τριστῶον et τετραστῶον, *quadriporticum* et *triporticum*, pro ratione numeri porticuum. Unde Willelmus Brito in *Vocabulario* manuscripto : « Atrium, inquit, magna ædes, ampla et spa» tiosa domus, et dictum Atrium, quod addan» tur ei tres porticus. »

IV. Itaque atrium apertus locus, seu area erat ante templum, porticibus quidem circumdata; errantque idcirco auctores nonnulli qui atrium, seu vestibulum, et porticus inter se confundunt; quia scilicet formam antiquarum ecclesiarum ignorant. In hoc plane loco, id est, vel in atrio, vel in porticibus, stabat olim prima pœnitentium classis, ut fidelium in ecclesiam ingredientium precibus se commendarent; vel, si forte graviorum criminum rei essent, inde etiam expellebantur, teste Tertulliano in libro *De pudicitia*, cap. IV, ubi de monstruosis quibusdam peccatoribus loquens, sic inquit : « Re» liquas autem libidinum furias impias et in » corpora, et in sexus ultra jura naturæ, non » modo limine, verum omni ecclesiæ tecto sub» movemus, quia non sunt delicta, sed mon» stra. » Varias pœnitentium classes una cum multis scitu dignis fuse explicuimus in Appendice ad Canonem XI Nicænum nostro I tomo *Conciliorum*. Fuit et ibidem locus egenis stipem mendicantibus attributus; licet enim illis, sicut et cæteris fidelibus, precum causa templi fores paterent, non tamen intus ab orantibus eleemosynam petere permittebatur, ne sacra agentibus, Deumque precantibus molesti essent : « Propterea, » inquit S. Chrysostomus, *Homilia* XXVIII *ad populum Antiochenum*, « ante ec» clesias et martyrum monumenta pro foribus » pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi specta» culo multum capiamus utilitatis. » Et S. Gregorius Nazianzenus in *Oratione de amore pauperum* ad eum morem alludens : « Petitionum » gemitus, ait, internis templi cantibus ex ad» verso respondet, atque adversus mysticas voces » miserabilis luctus excitatur. »

V. In hoc eodem atrio, et proprie in meditullio ipsius, plerumque fons erat, seu cisterna, vel concha in usum populi collocata ad abluendum ex ea manus et faciem, priusquam templum ingrederentur. Sicut enim ad emundationem positum fuit in templo veteris Testamenti labrum æneum, quo Sacerdotes manus pedesque ante ingressum lavarent, uti habetur *Exodi* cap. XXX, ita præ ecclesiarum foribus tum apud Græcos, tum apud Latinos constitui solitos fontes aquæ communis ad purificationem, et ad manus ac facies introeuntium abluendas, sordesque corporis abstergendas (secundum quod etiam monet Apostolus in Epistola I ad Timotheum, cap. II, orare puris manibus) complures

Digitized by Google

tum Latini, tum Græci scriptores testantur, a Baronio relati ad annum Christi 57.

VI. Certe si antiquas Græcorum ecclesias inspiciamus, testatur Eusebius lib. x *Historiæ*, capite IV, ubi templum a Paulino exstructum describit, « hunc sacrarum expiationum signa » posuisse, fontes scilicet ex adverso ecclesiæ » structos, qui interius sacrarium ingressuris » copiosos latices ad abluendum ministrarent. » Meminit hujusmodi fontis in descriptione templi Sanctæ-Sophiæ Paulus Silentiarius, eumque *Phialam* nominat, alii *Nympheum*, Socrates autem φρέαρ, id est *puteum*, vocat. Loquens enim lib. II suæ *Historiæ*, cap. XXXVIII, de conflictu inter Catholicos et hæreticos Macedonianos in ecclesia Acacii Constantinopoli, ait tantam hominum cædem factam esse, ut ecclesiæ illius atrium sanguine compleretur, puteum quoque, qui fuit in atrio, cruore redundasse, et sanguinem in conjunctam porticum effluxisse, usque ad ipsam plateam. Alludit et ad hos fontes communis usus in atriis ante ecclesias positos non uno in loco sanctus Chrysostomus; *Homilia* siquidem LII *in Matthæum* sic alloquitur populum : « In nonnullis jam ecclesiis hunc morem » corroboratum videmus, ut diligenter multi » studeant, quomodo manibus lotis, candidis » induti vestimentis in ecclesiam ingrediantur. » Idem S. Pater ac Doctor Ecclesiæ Græcæ, ut alia complura ipsius omittam loca, *Homilia* III *in Epistolam Pauli ad Ephesios* hæc habet : « Dic » mihi, vellesne ad sacrificium manibus illotis » accedere ? Non opinor, sed malles potius non » prorsus accedere. » Et *Homilia* LXXII *in Joannem :* « Deinde, inquit, ingressuri templum ma» nus lavamus, non corda. »

VII. Suos in atriis habuisse fontes ecclesias Latinas, ac præsertim antiquissimam Vaticanam basilicam, testis est S. Paulinus in Epistola ad Alethium ; sed nomen Canthari ei fonti tribuit, quod significat longum aquæ conceptaculum, sive statuam ludicris formis elaboratam, per quas aquæ saliunt : « Ubi cantharum ministra » manibus et oribus nostris fluenta ructantem » fastigiatus solido ære tholus ornat et inum» brat, non sine mystica specie quatuor colum» nis salientes aquas ambiens. » Idem in Epistola XII ad Severum de ea re ita scribit :

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.

Tradunt varii scriptores S. Leonem Magnum, Pontificem Maximum, fontem cum cantharo ante basilicam Sancti-Pauli condidisse, addito hoc eleganti epigrammate :

Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fides.
Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli
Ingrederis, supplex ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longæva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.
Provida Pastoris per totum cura Leonis
Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit.

Etiam de Symmacho Papa, qui summo Pontificatui initiatus est anno 499, scribit in ejus Vita Anastasius Bibliothecarius, quod « ante fores » basilicæ gradus fecit in atrio, et cantharum. » Et de S. Dono creato Romano Pontifice anno 676 : « Hic, inquit, atrium B. Petri Apostoli, » quod est ante ecclesiam in quadriporticum » magnis marmoribus stravit. » Porro quod naturalis quidam instinctus docet non nisi puros ad Deum accedere debere, inde evenit ut non solum Christiani, sed et Judæi, ut testatur Aristeus *De* LXXII *Interpretibus*, atque ipsi etiam Gentiles ante adorationem se aqua mundarent, ut testes sunt Herodotus in *Euterp.;* Cicero, lib. I *De legibus ;* Persius, *Satyra* II ; Tibullus, lib. I, *Elegia* II, et alii. Docet autem ad annum LVII cardinalis Baronius, ejusmodi lavacri loco successisse postea apud Christianos, ut aqua precibus Sacerdotis benedicta, quæ fidelibus usui esse consuevisset in domibus privatis, ut Alexandri Papæ I res gestæ significant, in ipso ingressu ecclesiæ poneretur, qua ad levicrum peccatorum expurgationem adeuntes ecclesiam adspergerentur ; de qua nos aliqua dicemus inferius opportuniori loco.

VIII. Sed ut ad ecclesiæ atrium revertamur, constat, postquam loca sepulturæ in civitatibus fuerunt permissa, consuevisse fideles in ipso atrio sepeliri. Quod quidem expresse cautum est ex canone VI Concilii Nannetensis, habiti an. 658 : « In ecclesia, inquit, nullatenus sepe» liantur, sed in atrio, aut porticu, aut in exe» dris ecclesiæ. » Huc spectat Pœnitentiale Romanum, tit. VII *De variis criminibus*, cap. XXV, ubi pœnitentiam decem dierum in pane et aqua illis infligit qui, « cum venerint in atrium ec» clesiæ, ubi sepulta sunt corpora fidelium, et » dum calcaverint sepulcra proximiorum, non » recordantur quod ei futurum sit, nec ullam

Digitized by Google

» mentionem, nec ullas preces pro eis ad Domi-
» num fundunt, quod facere debuerunt. » Sane, ut in ecclesia corpora defunctorum sepelirentur, non statim receptum fuit, imo expresse prohibitum tam Pontificiis et Canonicis, quam Cæsareis et civilibus legibus, uti videre est apud Natalem Alexandrum, *Theologiæ dogmaticæ et moralis* libro II, *De extrema unctione*, cap. VI, regula XVII. In ecclesiarum quidem valvis et vestibulis sepeliri magno olim honori fuit. Unde S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XXVI *in Epistola* II *ad Corinthios*, ait Constantinum Magnum imperatorem sepultum fuisse in vestibulo ædis Apostolorum, quasi eorum janitorem.

IX. Fuit et olim ecclesiæ atrium non modo asyli et immunitatis jure donatum, perinde ac ipsa ædes sacra, verum etiam portis, iisque reliquiis Sanctorum consecratis, clausum. Legimus siquidem in *Capitularibus* regum Francorum, libro IV, cap. XIII, graviter puniri homicidam, « si in atrio ecclesiæ cujus porta reliquiis san-
» ctorum consecrata est, homicidium perpetra-
» tum fuerit. » De atrii autem immunitate ita decrevit Chlotarius rex post legem Salicam, § XIII : « Nullus latronem, vel quemlibet culpa-
» bilem..... de atrio ecclesiæ trahere præsumat.
» Quod si sunt ecclesiæ, quibus atria clausa non
» sint, ab utraque parte parietum terræ spatium
» arpennis pro atrio observetur. » Arpennis mensura est; de qua voce vide Carolum Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*. Ex *Legibus S. Eduardi Confessoris*, cap. VI, cautum est ut « quicumque reus.... causa præsidii
» ad ecclesiam confugerit; ex quo atrium eccle-
» siæ tenuerit, » a nemine insequente nullatenus apprehendatur. Idem statuitur in *Lege Longobardorum*. lib. II, tit. XL, et in *Capitularibus Caroli Magni*, lib. I, cap. CXL, et lib. VII, cap. CXXV. Porro docet Leo Ostiensis, lib. III, cap. XXVI, atrium ecclesiæ Romana consuetudine *Paradisum* dici.

X. Age videamus nunc cæteras antiquarum ecclesiarum partes, quo integram formam qua olim ipsæ construerentur, addiscere valeamus. Erat quippe secunda pars, aula ipsa basilicæ, ad quam uti scite docet Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XX, num. VI, patebat aditus per tres portas, quarum media magnitudine et ornamentis alias superabat. Proximus januæ intra ecclesiam occurrebat narthex, locus nempe in quo primum viciniores portæ infideles, tum catechumeni et pœnitentes secundi ordinis, quos ἀκροωμένους, id est audientes, vocant, commorabantur; locusque ipse ἀκρόασις dicebatur, teste Gregorio Neocæsareensi in Can. pœnitentiali XI. Tam infideles quam catechumeni et audientes, finita ad populum homilia, quæ post lectum in Missa catechumenorum Evangelium pronuntiari solebat, completisque quibusdam solemnibus super ipsos catechumenos scilicet et audientes orationibus, quarum meminit Canon Laodicenus XIX, foras una cum iis qui dicebantur *prostrati*, Diacono proclamante, dimittebantur; non enim eis licitum erat sacris interesse mysteriis. Unde Concilii Carthaginensis IV can. LXXXIV cautum est « ut Episco-
» pus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, et
» audire verbum Dei, sive gentilem, sive hære-
» ticum, sive judæum, usque ad Missam catechu-
» menorum. » Cui tamen disciplinæ dissentit Concilium Laodicenum, cujus canon VI inquit « non oportere permitti hæreticis ut in domum
» Domini ingrediantur, si in hæresi perma-
» neant. »

XI. Joannes Morinus in opere *De Pœnitentia*, lib. VI, cap. I, § X, ait antiquas ecclesias quingentis annis narthecem non habuisse, sed in duas duntaxat partes, in aulam scilicet, sive atrium laicorum, et sanctuarium, in quo consistere Episcopis, Presbyteris et Diaconis tantum licebat, divisas fuisse; narthecem, autem a Monachis Orientalibus sexto demum sæculo subintroductum autumat. Verum manifesto fallitur; licet enim narthecis nomen fortassis non ita antiquum sit, res tamen ipsa est. Fuit enim hæc semper distincta quædam et separata ecclesiæ pars, ut scite docet Joseph Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum* lib. VIII, cap. IV, § II. Cæterum etsi Beveregius et alii quidam in narthece baptisterium collocatum olim fuisse arbitrentur, uti hodie in nostris ecclesiis, labi et ipsi quoque videntur, cum nihil tam certius est quam quod per plura sæcula baptisterii locus ab ecclesiæ corpore distinctus, et exedris, sive locis ecclesiæ contiguis adnumeratus fuerit; ut late ostendit Stephanus Duranti, lib. I *De Ritibus Catholicæ Ecclesiæ*, cap. XIX, num. IV, et alii scriptores : de qua re nos etiam infra opportune fuse disseremus.

XII. Post narthecem sequebatur naon, sive

Digitized by Google

ipsum templum, cancellis vel tabulatis a narthece separatum, in quo stabant inferiorem partem occupantes pœnitentes tertii ordinis, id est *prostrati,* de quibus, sicut et de aliis scitu dignis ad ritus pœnitentiæ publicæ spectantibus, abunde disputavimus nostro I tomo *Conciliorum* in Appendice ad canonem XI Nicænum. Post ipsos prostratos manebant quidem fideles, servata sexus et ordinis distinctione; collocatis hinc inde transversis parietibus, uno scilicet ex virorum, altero ex feminarum latere; erantque in ipsis parietibus portæ, quarum præfectura ex parte virorum incumbebat Clericis Ostiariis, ex parte feminarum Diaconissis. Pœnitentes quarti ordinis dicti *consistentes*, quia consistere et orationes Ecclesiæ audire ipsis permissum erat, catechumenis aliisque pœnitentibus jam dimissis, divinis mysteriis ad finem usque assistebant, abstinebantque tamen a sacramentorum perceptione, donec plenariam absolutionem consequerentur. His S. Eligius Noviomensis, *Homilia* VIII *ad pœnitentes*, non sine causa locum in sinistra templi parte assignatum fuisse dicit : « Cur ergo in sinistra parte ecclesiæ po» siti estis? Non sine causa usus Ecclesiæ hoc » obtinuit; sed quia Dominus in judicio oves, » hoc est justos, a dextris; hædos vero, id est » peccatores, a sinistris ponet. »

XIII. In memoratis transversis hinc inde parietibus non modo viri a mulieribus, sed et virgines a nuptis, et monachi a sæcularibus separati erant. Mulieres a viris vetustissima consuetudine segregatas, diserte ostendit pervetustus auctor *Apostolicarum constitutionum*, lib. II, cap. LVII, ubi mulieres separatim a viris sedere jubet, et idcirco partem officii Diaconissarum facit, ut custodiant introitum mulierum: « Janitores, inquit, stent ad introitum virorum; » Diaconissæ vero ad mulierum, custodiendi » causa. » Idem docet S. Cyrillus in *Præfatione Catechesion*, num. VIII, dicens : « Separatio fiat, » viri ut sint cum viris, mulieres cum mulie» ribus. » Idipsum S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. XXII, cap. VIII, et alii permulti Patres docent, inter quos S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* LXXXIV *in Matthæum*, ait ut plurimum factam fuisse hanc virorum et mulierum distinctionem ligneis parietibus, additque nonnulla notatu digna, nostra hac præsertim tempestate, de ejus consuetudinis origine : « Oportebat qui» dem nos, inquit, interiore pariete (*id est,* » pariete cordis) a mulieribus disseparari. Ve» rum, quoniam non vultis, necessarium esse » patres nostri putaverunt saltem his ligneis » parietibus vos disseparare. Audivi autem ego » a senioribus non fuisse hos parietes ab initio. » In Christo enim Jesu non est mas, neque fe» mina. Apostolorum etiam tempore una viri » et mulieres orabant; et mulieres vere mu» lieres, et viri similiter viri erant. Nunc vero » e contrario, mulieres quidem meretricum sibi » mores assumpserunt; viri autem furorem » equorum imitantur. » Oculis passim in ecclesiis non cerneremus quod olim de suo tempore scripsit idem Chrysostomus : « Nonnulli secu» rius quam in foro mulieres illic libidinis causa » prosequuntur; obscenisque, et inhonestis » verbis, et signis utuntur. Si quis corrumpere » matronam conatur, locum hunc maxime ido» neum putat. » Docent nonnulli juxta veterem Ecclesiæ disciplinam in utroque latere Ecclesiæ stetisse olim viros atque mulieres, ibidemque loca sua utrosque habuisse, si tamen eadem consuetudo Romæ obtinuit atque Constantinopoli, in aliisque Orientis ecclesiis; secundum quam viri infra, mulieres autem in porticibus, sive cœnaculis supra illos ad sinistrum, si non etiam ad dextrum ecclesiæ latus sedebant. Verum dicendum autumo, posterioribus sæculis in ecclesiis Occidentis eam consuetudinem invaluisse, ut masculi in australi parte starent, in boreali autem feminæ, « ut ostendatur, inquit » Amalarius, per fortiorem sexum firmiores » sanctos constitui, in majoribus tentationibus » æstus hujus mundi. » Vide plura de ea re apud Stephanum Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XVIII.

XIV. Sed veterem disciplinam prosequamur. Virgines quoque seorsim a nuptis stetisse, Origenes docet *Tractatu* XXVI *in Matthæum* et quidem ex antiqua traditione. Sic enim ait : « Venit » ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in » templo, ubi virginibus quidem consistere li» cet, et orare Deum; expertæ autem thorum » virilem non permittebantur in eo consistere. » Addit B. Virginem Mariam, postquam genuit Salvatorem, ingredientem adorare stetisse in illo virginum loco, prohibentibus autem eis qui noverant eam filium genuisse, Zachariam dixisse, « quoniam digna est virginum loco,

Digitized by Google

» cum sit virgo; » camque ob causam ipsum Zachariam tanquam adversus legem agentem, et in loco virginum permittentem stare mulierem, occisum fuisse inter templum et altare a viris generationis illius. Puto in hac narratione labi Origenem, cum, ut notat S. Hieronymus, alius profecto sit Zacharias, cujus occisionis Christus meminit in Evangelio Matthæi, c. XXIII.

XV. Quicquid autem de ea re sit, habemus id saltem ex Origene, qui floruit II Christi sæculo, fuisse in Ecclesia distinctum ab aliis feminis virginum locum : ad quem morem alludit S. Ambrosius in lib. *Ad Virginem lapsam*, cap. VI : « Quomodo tibi actu illo ignominioso » non veniebat in mentem habitus virginitatis, » processus in ecclesiam inter virgineos cho- » ros ? » Et paulo post : « Nonne vel illum lo- » cum tabulis separatum, in quo in ecclesia » stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ » matronæ et nobiles certatim currebant, tua » oscula petentes, quasi sanctioris et dignioris ? » Certe S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem *De servanda virginitate* ipsam inter alia admonuit declinanda sibi esse matronarum maritis ac sæculo servientium consortia, ne sollicitaretur animus, et audiret quid vel maritus uxori, vel uxor locuta viro esset. Cæterum constat alicubi datum locum fuisse mulieribus in sublimi specula prope testudinem clathris interpositis, ut a virorum consortio et colloquio omnino subducerentur. Narrat enim Amphilochius præcepisse S. Basilium ut vela e speculis suspenderentur, et si quæ mulier deprehensa esset caput emittere ad respiciendum, dum sacra agebantur, extra communionem fieret. Alludit et ad hunc locum feminis tributum in ecclesia, S. Gregorius Nazianzenus in *Somnio* de templo Anastasiæ, ubi de seipso concionante inquit :

Denique virginei cœtus, matronæ et honestæ
E tectis aures ad mea verba dabant.

De virginum loco in ecclesia Christiana illud quoque ex S. Ambrosio notandum est, quasdam divinæ Scripturæ sententias parietibus ecclesiæ in hoc loco inscriptas fuisse, statui virginum accommodatas, ut, exempli gratia, illud Apostoli dictum in Epistola I ad Corinthios, cap. VII : *Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Quod monitum S. Præsul virginem illam lapsam, ad quam scribit, recordari debuisse dicit, quia oculis ejus ipse paries ecclesiæ monitum illud ingessisset : « Nonne, inquit, vel illa præcepta » quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, » recordari debuisti : « Divisa est mulier et » virgo : quæ non nupta cogitat quæ Domini » sunt, quomodo sit sancta corpore et spiritu ? » » Tu autem in contrarium vertens dictum, ita » cogitabas, ita agebas, ut nec corpore esses » sancta, nec spiritu.

XVI. Inter navim, quæ et gremium dicebatur, ipsumque sanctuarium situs olim fuit ambon, habebatque hinc inde inferius alas, uti Romæ videre est duos integros pervetustos ambones, qui adhuc supersunt; unum in ecclesia Sancti-Clementis Papæ et Martyris ad Amphitheatrum, alterum in ecclesia Sanctorum Martyrum Nerei et Achillei. Prior quidem ambon duo continet pulpita, singula in utroque latere cohærentia; cum tamen sanctorum Nerei et Achillei ambon unicum habeat pulpitum, idque a se disjunctum, et muro navis cohærens, sed perinde antiquum. Observavit hæc ante nos quidem Joannes Cabassutius in sua *Notitia Conciliorum*, cap. LVII *De vetere Ecclesiæ situ et forma;* ubi etiam scite notat quatuor ut plurimum fuisse in ambonibus portas, ex quibus geminæ navim spectantes vocabantur ὡραῖαι, *speciosæ;* aliæ geminæ, aditum ex ambone ad sanctuarium aperientes, dicebantur ἅγιαι πύλαι, *portæ sanctæ.* Istarum cura et custodia Subdiaconis incumbebat, quibus prohibent Laodiceni Canones XXI et XXII ab his januis discedere, atque in sanctuarium, atque in Diaconium vetant se ingerere. Multa de ambone et de ejus usu diximus jam in opere nostro *De codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione et usu vario Ritibus*, lib. II, cap. VI.

XVII. In quibusdam ecclesiis memorandus est ille locus, qui nunc σωλεῖον, nunc σωλεύς, aut σωλέα legitur appellatus; de quo tamen loco inter viros eruditos magna est controversia, quisnam ille, aut ubinam fuerit, et quem usum in ecclesia habuerit. Gretserus in *Notis ad Codinum*, *De origine Constantinopolis*, lib. III, cap. XII, pavimentum fuisse autumat, ad introitum in sanctuarium, vel locum ejusmodi bemati, vel tabernaculo contiguum. Morinus *De sacris Ordinationibus*, parte II, num. LII; Allatius, *De templis Græcorum*, Epistola II,

Digitized by Google

§ v; Cabassutius loco laudato, et alii, locum aiunt fuisse intermedium inter bema et ambonem. Schelestratius in *Concilium Antiochenum*, pag. 192, docet fuisse locum ante cancellos sanctuarii, ubi solium imperatoris ex dextra parte, ex sinistra vero parte sedilia Diaconorum et Lectorum constituta erant. Goar in suo *Euchologio*, in notis ad ordinem sacri ministerii, pag. 14 ultimæ editionis Venetæ, aliter eum locum designat, quod nempe fuerit « solium » Christi imperatoris ad populum pro commu- » nione recipienda extra sacras fores prodeun- » tis. » Unde hallucinari inquit Cellotium, « qui » ab expansa et exporrecta ejus forma, qualis » est soleæ sic dictum putat, quasi profanis so- » leis, et non solutis calceamentis terra sancta » calcanda foret, et non potius Christus impe- » rator in regio solio suspiciendus. » Svicerus in suo *Thesauro* voce σωλέας, et in *Glossario* suo Meursius, quibus etiam adhæret Beveregius in *Notis ad canonem* XI *Nicenum*, fuisse statuunt imperatoris thronum σωλεῖον, a Latino vocabulo *solium* nuncupatum. Ducange, in *Notis ad Paulum Silentiarium*, hoc tanquam probabile similiter admittit, sed putat posse quoque significare limina cancellorum, sive inferius fundamentum, cui cancelli sanctuarii insistant, et ita dici a vocabulo solum, unde nomen Gallicum *seuil*, et Anglicum *sill* sive *groundsil*.

XVIII. Sunt et adhuc aliæ virorum doctorum de eo loco opiniones, sed cum nostrum apud Latinos quidem non sit inter eos tantas componere lites, ad illum locum progredimur qui dicitur *sanctuarium*, et aliis etiam nominibus, *secretarium*, *tribunal*, *Sancta sanctorum* appellatur; apud Græcos autem ἱερατεῖον, ἱερὸν δῆμα, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Erat hæc pars ecclesiæ sacratissima quidem et penitissima, in cujus medio situm erat sub tabernaculo altare primarium, in quo Sacerdos Sacrum faciens stabat facie conversa ad populum, uti videre est in antiquis Urbis basilicis, Vaticana, Lateranensi, Sancti-Pauli ad viam Ostiensem, Sanctæ-Mariæ Majoris in Exquiliis, Sancti-Laurentii in Agro Verano, et aliis non paucis. In quatuor altaris angulis columnæ quatuor sub imposita sibi trullo erectæ erant, sacramque hanc machinam tum Latini, tum Græci auctores *ciborium* appellitarunt. Cur autem eo nomine vocaretur, non una est auctorum sententia. Germanus Constantinopolitanus episcopus ciborium istud describens, huic voci Græcam etymologiam assignat a verbo κίβος, seu κιβωτὸς, id est *arca*, et ὁρᾶν, quod est *videre*, quasi sit arca visionis seu manifestationis Domini nostri Jesu Christi. Latini vocem ipsam a cibo deducunt, id est a vivifico Eucharistiæ pane, qui in eo loco Sacerdotum ore conficitur. Porro ciborium istud plerumque ex marmore, interdum etiam pro majestate et nobilitate ecclesiarum, et munificentia Episcoporum vel principum, ex argento vel auro conficiebatur. Sic enim ciborium depingit Codinus, quale in magna Constantinopolitana ecclesia ab imperatore Justiniano constructum est : « Ciborium, » inquit, et columnas illud suffulcientes ex » argento conflavit, illisque deauratis pomum, » liliaque, et ciborii crucem totam ex auro im- » posuit. »

XIX. Sanctuarium undique per circuitum obsepiebant cancelli, quorum mentio habetur quidem in vetustis Ecclesiæ Synodis, et apud antiquissimos scriptores Ecclesiasticos. Eusebius, lib. x *Historiæ*, cap. IV, hanc basilicæ Tyri partem a Paulino Tyriorum Episcopo dedicatæ describens, dicit septis e ligno reticulatis munitam fuisse, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, ut promiscue multitudini inaccessa esset. De Theodosii imperatoris per S. Ambrosium zelantissimum Ecclesiæ Mediolanensis præsulem facta exclusione extra cancellos, testes sunt Socrates, lib. I *Historiæ*, cap. XXV, et Theodoretus, lib. I, cap. XIV. Meminit hujusmodi cancellorum Actio I Concilii Chalcedonensis, ubi refertur magnificos et gloriosissimos judices et senatores Synodo interfuisse, atque in medio consedisse inter cancellos sanctissimi altaris. Statuit certe Concilium Turonense II, canone IV, ut tempore divinorum officiorum, illa ecclesiæ pars quæ a cancellis versus altare dividitur, Choris tantum psallentium Clericorum pateret. Quem canonem *Capitulari* suo inseruit Carolus Magnus, lib. VII, cap. CCIII, confirmatque Synodus Romana sub Eugenio II, cap. XXXIII, et in sua Romana Synodo Leo IV, qui tamen hanc adhibuit moderationem, ut possent quidem sæculares, Episcopo permittente, intra sacros cancellos accedere. Verum prohibuisse id Theodosio Ambrosium præter Socratem et Theodoretum testatur etiam Nicephorus, lib. XII, cap. XLI; et licet Trullana

Digitized by Google

Synodus, can. LXIX, nemini licere edixerit intra septa altaris ingredi, excepto imperatore, cum dona sua offerre vellet, corruente Ecclesiæ sanctiore disciplina, etiam thronum in sacrario imperator sibi erexit Patriarchali sublimiorem. Quem abusum attentatum non semel scimus alicubi a nonnullis baronibus erigentibus sibi in ecclesiis feudorum suorum thronos sublimes contra solium Episcoporum.

XX. Olim in basilicis unum duntaxat constructum fuisse altare, et quidem ad sacrarii seu sanctuarii initium, non est quod dubitari possit. Notus est S. Ignatii aphorismus in Epistola ad Philadelphios : « Unum altare, unus Episco» pus. » Certe Eusebius, lib. X *Historiæ*, c. IV, oculis subjiciens magnificum Tyriæ urbis templum, unum in eo altare statuit : « Post hæc » Sanctum sanctorum, altare videlicet, in medio » constituit. » Id passim servatum olim apud Græcos, ut unum ac singulare templi unius altare esset, luculentissime ostendit Isaacius Habert, pag. 661, citans S. Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Synesium, Socratem, Theodoretum et alios. Joannes cardinalis Bona idipsum fatetur lib. I *Rerum Liturgicarum*, capite XIV, testaturque contrariæ praxis vestigia invenire non potuisse usque ad sancti Gregorii Magni tempora, qui lib. V, epistola L ad Palladium Santonensem episcopum, cujusdam ecclesiæ meminit, in qua tredecim altaria collocata erant, et quidem ad usum sacrificii, ut ex eadem epistola constat. Plura item altaria Romæ fuisse in basilica Principis Apostolorum, non solum ad Orientem juxta ritum Ecclesiæ, sed et in alias partes distributa, scribit Walfridus, cap. IV. In ecclesia Petriana a Petro decimo octavo archiepiscopo Ravennate, in civitate Cæsareæ dicuntur fuisse tercenta altaria, uti videre est in *Spicilegio* Ravennatis Ecclesiæ, apud virum clarissimum Ludovicum Muratori, tom. I *Rerum Liturgicarum*, parte II, pag. 577.

XXI. Sunt etiam varii auctores qui olim non nisi unum altare in unaquaque civitate fuisse aiunt; etiamsi forte multæ minores ibi ecclesiæ essent. Quo spectat id quod scripsit in *Apologia* II S. Justinus, die solis omnes qui erant in oppidis ac villis ad Eucharistiæ celebrationem fuisse solitos convenire. Ut enim Episcopus unus, ita et ecclesia una, est altare unum, ubi sacra facienti Episcopo adessent omnes Presbyteri et Eucharistiam acciperent, ut oblationis consortes et hostiæ participes; offerrent autem ipsi nunquam, nisi absente Episcopo aut jubente; eratque hæc vetus Ecclesiæ disciplina, de qua locuti sumus tomo I hujus operis, tit. XII, § V, num. II. Christianus Lupus, Antonius Pagius, et alii, hanc consuetudinem sentire videntur ad tempus usque Innocentii I perdurasse. Is enim Pontifex, ut scite observat Thomassinus, p. I *Disciplinæ*, l. II, perspicue innuit sua ipsius ætate, hoc est, ineunte sæculo V, nullas adhuc sibi fuisse in agris ecclesias : has enim quas titulos appellat, intra civitatem constitutas esse, in quibus, velut in cœmeteriis, essent Presbyteri; cum hoc tamen discrimine, quod cœmeteriorum Presbyteri conficiendorum sacramentorum jus et licentiam haberent, non Presbyteri ecclesiarum : ac propterea ad hos sacramentum, quod fermentum appellat, mitteret Episcopus, ut intelligerent ab Episcopi communione se non esse alienos. Sed de hoc satis.

XXII. Præter intermedium altare fuerunt in sanctuario ipso geminæ hinc inde mensæ collocatæ, quales etiam nunc marmoreæ conspiciuntur in sanctuario memoratæ SS. Martyrum Nerei et Achillei ecclesiæ. In ea quæ ad lævam erat, reposita fuisse, inquit Cabassutius, vasa sacra cum suis velis, simulque panem partim consecrationi sacræque communioni destinatum, partim eulogiis post Synaxim distribuendis; in altera vero ad dexteram erecta mensa, sacra Episcopi aut Sacerdotis sacrificaturi vestimenta. Priorem mensam Græci quidem πρόθεσιν, id est *propositionem* seu *propositionis mensam*, nuncupant, etsi illam perperam Genebrardus *altare* interpretatur; non enim sacrificio, sed pani tantum offerendo dicata est, ut scite observat Jacobus Goar in *Notis ad Euchologium*, ubi ordinem sacri ministerii explicat, pag. 14 editionis Venetæ. In Ordine antiquo Romano itidem dicitur *oblationarium* et *prothesis;* alterum enim nomen alterius explicationis gratis factum est.

XXIII. In suprema tandem sanctuarii parte, quæ *apsis* a nonnullis dicta est, per interiorem scilicet circuitum disposita erant Clericorum ac Presbyterorum subsellia pro cujusque gradu et dignitate, et in loco editiori cathedra Episcopalis in medio ac imo sanctuarii hemicyclo ex adverso altaris, adeo ut sedens Episcopus, et altare, et

Digitized by Google

populum recta prospiceret; uti Romæ cernere est, tum alibi, tum vero in sanctuario sanctorum Nerei et Achillei, ubi adhuc cernitur antiquum Episcopi solium, ex quo olim S. Gregorius Papa, ut ipse de se perhibet, sermonem ad populum habuit. Hujusmodi solium, sive Episcopalis cathedra, appellatur a Prudentio in hymno de S. Hippolyto *sublime tribunal*, a S. Gregorio Nazianzeno in Somnio Anastasiæ *sublimis thronus*. S. Ambrosius in lib. *De dignitate Sacerdotali*, cap. VI, ad eum alludens locum : « Num» quid aliud, inquit, interpretatur Episcopus, » nisi superinspector? maxime cum in solio in » ecclesia editiore sedeat. » S. Ambrosio adjungimus S. Augustinum, qui de cathedra Episcopali ita scribit in Psalmum CXXVI : « Quomodo » vinitori altior locus sit ad custodiendum vi» neam, sic et Episcopis altior locus factus est, et » de ipso alto loco periculosa redditur ratio. » Vide plura de cathedra Episcopi nostro I tomo hujus operis in Prolegomenis, cap. VI.

XXIV. Construi præterea consueverunt ad utrumque sanctuarii latus duo pastophoria seu secretaria, unum nempe a dextra apsidis seu testudinis, ad recondendam Eucharistiam, uti quidam autumant, sive potius ut ibi sacræ vestes reponerentur : dicebaturque idcirco *vestiarium*, et hodie barbara voce *sacristia*. Meminit hujus loci S. Paulinus in Epistola XII ad Severum, testaturque in hoc secretario, ad templi dexteram a se descripti sito, a se positum illud distichon :

Hic locus est veneranda penus, quo conditur, et quo
Promitur alma sacri pompa ministerii.

Alterum secretarium a parte sinistra erat, sacrique libri et Evangelia ibidem servabantur; de quo etiam S. Paulinus ita cecinit :

Si quem sancta tenet meditandi in Lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Porro notandum hic illud est, secretarii nomen plura quidem complecti; etenim apud scriptores Ecclesiasticos, uti scite Cabassutius observat, nunc ipsum conclave significat, in quo vasa sacra, et alia ad sacrificium spectantia, omnisque ad templi cultum et ornatum pertinens supellex asservatur; nunc etiam illam sanctuarii partem, in qua vasa, velaque, et indumenta sacra ad sacrificium decenter apparabantur; nunc demum pro toto ipso sanctuario usurpatur. Nam Liberatus Carthaginensis Ecclesiæ diaconus in suo *Breviario*, cap. XIII, vocat quidem secretarium Ecclesiæ Sanctæ Euphemiæ locum in quo Chalcedonensis Synodus habita fuit. Id quod non modo memorati Concilii Chalcedonensis, sed et aliorum etiam Acta frequenter exprimunt, uti videre est apud laudatum scriptorem Joannem Cabassutium.

XXV. Græci, quod nos *secretarium* seu *vestiarium*, et barbara voce *sacristiam* dicimus, appellant *diaconicon*, *scevophylacion*, *pastophorion*, uti fuse ostendit Jacobus Goar et Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, capite XXIV, num. II, et recenter Josephus Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum* lib. VIII, cap. VI, § XXIII. Sciendum tamen est hodie Græcos non quidem in diaconico, sed in ipso bemate sacris vestibus ad peragenda divina solere indui; non enim habent scevophylacion junctum ecclesiæ, quia sacra vasa et vestimenta in propriis ædibus vel in loco tutiori conservant, ut Leo Allatius observat, in dissertatione *De templis Græcorum recentiorum*. Id quod nos etiam in compluribus nostri regni Neapolitani Græcis ecclesiis observavimus, ob nimiam scilicet ipsorum Italo-Græcorum paupertatem. Quamobrem ubi primum in terram S. Benedicti venimus, a sanctissimo domino nostro Papa Clemente XII missi ut seminarium ab ipso ibidem constructum regeremus, profecto curavimus ut ad ecclesiæ latus a fundamentis ipsis secretarii seu vestiarii locus excitaretur, in quo sacra supellex deinceps asservaretur, et sacri homines ad peragenda divina sacris vestibus induerentur. Antea enim ipsa quidem supellex in privatis tuguriis reponebatur, et Sacerdotes, uti hodie mos est Episcopis, in ipso altari se vestiebant.

XXVI. Hactenus de variis veterum ecclesiarum partibus intra parietes ipsarum disseruimus; restat ut de quibusdam ædificiis disputemus, quæ generali exedrarum nomine comprehenduntur, et non intra, sed extra ecclesias construi consueverunt. Testatur quidem S. Cyrillus, *Catechesi mystagogica* I, solitum construi baptisterium extra basilicas ad vicina ipsis atria. Describens etenim sacros ritus quibus olim Baptismus conferebatur, diserte indicat baptisterium peculiare quoddam fuisse per se ædificium, in quo porticus seu vestibulum erat, ubi catechumeni primum renuntiabant diabolo fidemque Christi profitebantur : « Primum, » inquit, ingressi estis in porticum domus bapti-

Digitized by Google

» sterii, et stantes versus Occidentem mandari » vobis audistis ut protensa manu tanquam præ» senti Satanæ renuntiaretis. » Addit in *Catechesi mystagogica* habuisse baptisterium domum interiorem, ubi baptismi solemnitas peragere-tur : « Quamobrem facturum me operæ pretium » existimo, si hesternæ mystagogiæ ea quæ » deinceps explicanda sequuntur, apposuero, » ut dicere possitis quorum illa symbola fuerint, » quæ a vobis in interiore domo peragebantur. » Sidonius Apollinaris, lib. IV, epistola XV quam Elaphio suo scripsit, de baptisterio quidem loquitur tanquam distincto ædificio, ejusque consecrationem his verbis indicat : « Nam » baptisterium, quod olim fabricabamini, scri» bitis jam posse consecrari. » Agit de baptisterio Ruthinensi. Ritus autem dedicandi baptisteria in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium descriptus habetur.

XXVII. Constat initio baptisteria non fuisse in omnibus ecclesiis, sed tantum in cathedralibus; unde eo proficisci oportebat eos qui erant baptizandi, ut patet ex exhortatione ad eos facta qui reformidant itineris longinquitatem, apud S. Gregorium Nazianzenum, *Oratione* XL, et ex Joanne Moscho qui, cap. CLXV *Prati spiritualis*, refert quosdam profectos ex agro Nicopoleos Hierosolymam ut baptizarentur; itemque ex can. II Concilii Toletani XVII, anni 694, in quo fuit statutum ut Episcopi initio Quadragesimæ clauderent baptisterium, et obsignarent usque ad Cœnam Domini, ne ullus baptizari posset. Cœperunt esse baptisteria in ecclesiis parochialibus, prout Episcopo visum erat, ut patet ex canone VII Concilii Vernensi, quod in Gallia anno 755 habitum est. Statuitur ibi siquidem ut publicum baptisterium in nulla parochia esse debeat, nisi ubi Episcopus constituerit cujus parochia est. Hodie etiam tum Romæ, tum alibi, nec omnes ecclesiæ parochiales baptisteria habent. In nostra civitate Paulæ quatuor quidem sunt Parochi, et unusquisque parochiam suam habet distinctam, singuli tamen suos parochianos in uno baptisterio quod in ecclesia exstat quam Matricem dicimus, baptismo abluunt; cum alias Romæ non a proprio Parocho parochiani, sed a Parocho illius ecclesiæ in quo est baptisterium baptismum recipiant.

XXVIII. Ampla fuerunt jam olim baptisteria, quod unum in unaquaque urbe construeretur prope majorem civitatis basilicam, uti nostro adhuc tempore antiqua baptisteria intueri licet, quæ exstant Romæ, Pisis, Florentiæ, Bononiæ, et in aliis plerisque nostræ Italiæ urbibus; in iis enim baptisteriis tingebantur juvenes æque ac senes, nobiles pariter et plebei, divites quoque et pauperes. Quamobrem S. Gregorius Nazianzenus, *Oratione* XL in sanctum Baptisma, monebat divites patricios et dominos ne alienum a dignitate sua ducerent una cum pauperibus, ignobilibus, et servis baptizari. Secernebantur tamen feminæ a viris, quod ex S. Augustino, lib. XXII *De Civitate Dei*, cap. VIII, colligere licet. Quæ fortassis causa est cur S. Ambrosius in *Epistola* sua XXXIII editionis Basileensis, numero plurali uta« tur, Symbolum, inquiens, aliquibus competen» tibus in baptisteriis tradebam basilicæ. » Porro propter baptizandorum multitudinem plures aliquando fontes baptisteria habuerunt, ut in Pisano baptisterio videre est, cujus in medio, testante Mabillonio in suo *Itinere Italico*, « exstat » fons sacer rotundo opere cum multis fonticu» lis in petra excisis. »

XXIX. Eadem ratione baptisteria tantæ debuerunt esse amplitudinis, ut plura baptizandorum millia cum suis susceptoribus capere possent, uti scite observant Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. I, articulo II, num. XIII, et Josephus Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum* lib. VIII, cap. VII, § II. Cum enim olim non nisi ter aut bis in anno baptismatis officium celebraretur, nec aliunde essent baptisteria nisi singula in singulis civitatibus, tanta tingendorum multitudo eo confluebat, ut ad plura dubio procul millia aliquando excresceret. Certe in Constantinopolitana ecclesia cum Sabbato sancto adversus S. Joannem Chrysostomum irruissent Theophili satellites, jam tria hominum millia regenerationis sacramentum perceperant, fugatis reliquis præsertim mulieribus nudis, quæ separatim a viris, assistentibus Diaconissis, sacro fonti immergebantur, quarum numerus forte nec minor erat. Etiam cum Clodovæus Francorum rex a S. Remigio baptizatus est, tria cum eo Francorum, teste Hincmaro, sive sex millia, uti refert Fredegarius, una Baptismi gratiam perceperunt.

XXX. Quoniam vero recens baptizati soliti fuere antiquitus statim post susceptum Baptisma Corpus et Sanguinem Christi suscipere, oratoria

Digitized by Google

idcirco et altaria in ipsis baptisteriis majores nostri ædificarunt. Tradit profecto Anastasius Bibliothecarius in Vita Hilarii Papæ, eumdem Pontificem tria fecisse oratoria in baptisterio basilicæ Constantinianæ, Sancti-Joannis Baptistæ, Sancti-Joannis Evangelistæ et Sanctæ-Crucis; præterea in baptisterio Lateranensi oratorium Sancti-Stephani. Idem Anastasius in Symmacho, ait ipsum fecisse « ad fontem in basilica B. Pe» tri Apostoli oratorium Sanctæ-Crucis ex ar» gento, confessionem, et crucem ex auro, etc. » Quem quidem morem hisce versibus indicat etiam S. Paulinus *Natali* x, ubi baptisterium describit :

. . . . . Medio pietatis
Fonte nitet, mireque simul novat atque novatur.
Namque hodie bis eam geminata novatio comit,
Dum gemina Antistes gerit illic munera Christi,
In geminos adytum venerabile consecrat usus,
Castifico socians pia sacramenta lavacro.

Sed et in Pisano baptisterio scribit Mabillonius in laudato suo *Itinere Italico*, adhærere altare cum globo super illud concavo, in quo Eucharistia olim ad usum, ut verisimillimum est, recens baptizatorum asservabatur.

XXXI. Qua olim forma baptisteria constructa fuerint difficile est definire. Observat tamen Durantus, lib. I *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, capite XIX, num. VI, ex libro Pontificali in Vita Silvestri Papæ, baptisterium Lateranense ex lapide porphyretico ex omni parte coopertum extrinsecus, foris ac desuper a Constantino imperatore fuisse constructum. Hujus partem illam, quæ aquam continet, ex argento fuisse dicit, in medio vero baptisterii columnam porphyreticam positam fuisse ait, in qua aurea phiala quinquaginta librarum balsamo plena; in labro fontis stetisse agnum auri purissimi, unde aqua fundebatur; ad dexteram agni statuam Salvatoris argenti purissimi centum et septuaginta librarum; ad lævam signum S. Joannis Baptistæ argenteum librarum centenarum, in cujus manu erat index, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* fuisse etiam scribit septem cervos argenteos aquam fundentes, singulos librarum octoginta. Porro moris fuisse ut in baptisteriis aureæ et argenteæ columbæ in figura sancti Spiritus supra divinos fontes suspensæ collocarentur, constat ex Actione V Synodi II Nicenæ. Picturis autem variis adornari baptisteria consuevisse, testatur quidem S. Paulinus in Epistola sua XII, et Anastasius in Leone Papa III, de quo ita scribit : « Ipsum baptisterium diversis in circuitu deco» ravit picturis. » Quibus adornari solerent baptisteria ipsa picturis, egregie describit Ægidius monachus Aureæ-Vallis in Oberto episcopo Leodiensi, cap. XVIII, his versibus :

Fontes fecit opere fabrili,
Arte vix comparabili.
Duodecim qui sustinent
Boves, typum gratiæ continent.
Materia est de mysterio
Quod tractatur in baptisterio.
Hic baptizat Joannes Dominum ;
Hic gentilem Petrus Cornelium ;
Baptizatur Craton philosophus ;
Ad Joannem confluit populus.
Hoc quod fontes desuper operit
Apostolos et Prophetas exerit.

XXXII. Sanctorum etiam reliquiis insignita fuisse baptisteria, testis est S. Gregorius Turonensis, qui, in libro *De vitis Patrum*, cap. VII, dicit, quod in Divionensi baptisterio « multæ » sanctorum reliquiæ tenebantur. » Idem auctor, lib. X *Historiæ Francorum*, cap. XXXI, ubi loquitur de constructo a se baptisterio, hæc habet : « Baptisterium ad ipsam basilicam ædifi» cari præcepi, in quo S. Joannis cum S. Sergii » martyris reliquias posui, et in illo priori ba» ptisterio S. Benigni martyris pignora collo» cavi. » Cæterum quemadmodum in ecclesiis, ita et olim in baptisteriis vetitum fuit christianis hominibus sepeliri. Quod quidem constat ex Concilio Antissiodorensi, habito anno 578, canone XIV : « Non licet, inquit, in baptisterio cor» pora sepeliri. » Quo autem proprie loco olim defuncti sepelirentur, et quandonam consuetudo invaluerit intra ecclesiam sepeliendi, dicemus infra in Commentario ad titulum VI, qui inscribitur *De benedictione cœmeterii*. De aliis locis prope ecclesiam construi olim solitis, cujusmodi erant scholæ, bibliothecæ, hortuli, balnei, carceres, fuse disserit Josephus Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum*, lib. VIII, cap. VII, § IX, XII et XIII.

XXXIII. Explicata huc usque forma ecclesiæ antiquæ, et variis ejus partibus tam intra quam extra ecclesiam, redeo ad § nostrum, in quo inter alia præcipitur ut, quando ædificanda est nova ecclesia, per Episcopum, « vel ejus aucto» ritate per Sacerdotem crux in loco figatur, et

Digitized by Google

» lapis primarius in fundamento ponatur. » Certe quam sit antiquus manu Pontificia ecclesiam fundandi ritus, ex iis, quæ tum Esdras, lib. III, cap. V, tum Gregorius Syncellus, tum Baronius refert ad annum 401, dignoscitur. Post descriptam namque, cruce in sublime elata, Psalmisque decantatis a templo Irenes ad Marnii templi idolorum destructi locum, sacram populi processionem, et hortatu Episcopi a Ruffino architecto spatium ecclesiæ gypso designatum, « cum precatus esset sanctissimus Episcopus, et » genua flexisset, jussit populum fodere. Statim » autem omnes uno animo et eadem alacritate » fodiebant, clamantes, *Christus vicit, etc.* San- » ctus rursus congregato Christi amante populo, » multisque precibus et psalmodiis dictis in loco, » ipse primus se succingens, cœpit portare la- » pides, et jacere fundamenta : deinde pii quo- » que clerici, et omnes laici lætantes, et magna » voce psallentes, etc. » Idem Baronius jam ad annum 245, num. III, retulerat qua ratione S. Fabianus Pontifex Maximus, Gordiano imperatore, Romæ fundabat ecclesias, quas pariter longe lateque ad ejus instar Episcopi per universum terrarum orbem erigebant.

XXXIV. Neque vero solum Episcopi licentia et auctoritate ecclesiam ædificandam, sed nec inchoandam, edicunt tum Pontificiæ, tum Cæsareæ leges, initio hujus Commentarii recitatæ, quibus, quod maxime fixionem crucis spectat, addi potest testimonium Balsamonis, qui in *Nomocanone*, titulo III, cap. XIV, hæc scribit : « Oportet oratorium vel ecclesiam construen- » tem.... Episcopum rem omnibus manifestan- » tem illuc publice accedere, et cum oratione » crucem figere, et tunc opus aggredi. » Est hæc quidem veterum sanctorum Patrum disciplina ; etenim, ut scribit S. Ambrosius in *Sermone* LVI, « sine cruce ecclesia stare non potest. » Unde non mirum si in ecclesiis construendis crucem figere moris fuit, uti etiam ex Metaphraste addiscimus ad diem XIII septembris, ubi agit de reliquiis Cornelii centurionis, cum et templa ipsa formam crucis referre deberent, ut discimus ex Evagrio, lib. I *Historiæ*, cap. XIV, et ex Zonara in Justiniano. Deinde crucem fere solam in sanctuario exhibitam, testatur in Synodo generali septima, Nicæna vero secunda insigne Nili testimonium, qui vult « in sacrario ad » Orientem divinissimi delubri unam et solam » crucem repræsentari. » Sed et Theodosium imperatorem præcepisse quidem quarto Christi sæculo cuncta gentilium sacra, templa, delubra, si quæ essent integra, præcepto magistratuum destrui, collocationeque venerandæ Christianæ religionis signo expiari, ex ipsius lege XXV addiscere licet, quæ exstat in Cod. Theodosiano, libro I, tit. III *De Paganis*.

XXXV. Ergo ut paucis hunc Commentarium tandem absolvam, nemini licet ecclesiam ædificare, antequam Episcopus civitatis veniat, et ibidem crucem figat, publice atrium designet, et ante præfiniat is qui ædificare vult, quæ ad luminaria, et ad custodiam atque stipendia custodum sufficiant. Cujus rei variæ sunt rationes. Prima quidem, ut ante sciatur quæ sit dos ecclesiæ. Secunda, ne antiquiores ecclesiæ propter novas suam decimam amittant, ex Concilio Wormaciensi, can. VI, apud Burchardum, lib. III *Decretorum*, cap. VII. Tertia, ut videatur an quis pro quæstu potius quam devotione ædificet; ut colligitur ex Concilio Bracharensi II, can. VI; apud Gratianum, can. X *De Consecratione*, distinctione I. Porro cum Monachi quidam, et alii hominum ordines interdum signum crucis in ædes publicas atque alia loca populi voluptatibus fabricata inferre conarentur; quod eo spectabat ut in ecclesias sine Episcopi venia ædes istas converterent, Leo imperator, lege XXVI Cod. *De Episcopis*, decrevit quidem ut nihil istiusmodi in posterum usurpatione alicujus fieret, sed si vel crux alicubi erigenda esset, vel reliquiæ alicujus martyris in aliquo loco collocandæ, utrumque, consultis et mandantibus Episcopis, nec ulla ratione alia perageretur. Recte autem docet Azorius, parte II *Institutionum moralium*, lib. IX, cap. III, quæstione IV, posse Episcopum per se vel per alium crucem figere, et ponere primarium lapidem. Et quæstione VIII tenet posse Episcopum ipsum absque rationabili causa nolentem consensum suum præstare, compelli auctoritate superioris Antistitis, videlicet Archiepiscopi vel Primatis.

XXXVI. Apud Græcos, quam fuerit solemnis crucis fixio, ubi primum ecclesia debebat ædificari, satis explicat *Euchologium*, et prisci Græci scriptores, inter quos Theodorus Balsamon in *Commentario canonis* XXXI *Apostolorum* ait, veteri quidem consuetudine fuisse receptum, ut Episcopi apud Græcos nequaquam potuerint

Digitized by Google

cruces figere, ubi ecclesias in suis diœcesibus ædificabant, sed soli Patriarchæ, qui mittebant σταυροπήγια, id est *crucis fixiones. Euchologium*, in eo titulo qui inscribitur *De Crucis defixione*, de ea re hæc habet : « Crucis defixio hoc pacto » perficitur. De ædificio templi hujusmodi ser- » mo fit cum Patriarcha. Et litteris datur facul- » tas visitatori, aut Pontificum cuipiam, ut fun- » detur, et consecretur, perficiaturque templum » sub Patriarchali crucis defixione. Crux autem » lignea mandatur fieri, in qua Patriarchæ no- » tarii scribunt, in una quidem ejus facie hoc » pacto : *Crucis defixio Patriarchalis in sancti* » *N. nomine consecrata, in custodita a Deo ci-* » *vitate N., in provincia N., assentiente N. san-* » *ctissimo et œcumenico Patriarcha.* In adversa » autem parte : *Regnantibus piissimis impera-* » *toribus N., mense N. anni N.* Et mittitur crux » hujusmodi, sub qua templum ædificandum est : » quam qui recipit, supra positum in fundauda » ecclesia officium celebrat. Cum vero conse- » crationem peregerit, retro sacram mensam » elato quopiam aut e lapidibus, aut ferro, aut » ære ædificiolo loculum habente, crucem col- » locat prout in magna ecclesia conspicitur. »

XXXVII. Itaque rogabatur Patriarcha ut permitteret fundamenta fieri alicujus ecclesiæ per crucis defixionem Patriarchalem; jubebatque is fieri crucem ligneam, et in utraque ejus parte scribi quod mox ex *Euchologio* recensuimus. Ex quo etiam liquet ferri crucem illam consuevisse in locum in quo fieri debebat ecclesia, figi quoque ab Episcopo circa locum mensæ sanctæ seu altaris. Quin et illud constat, eam crucis defixionem nequaquam fuisse consecrationem, verum ecclesiæ constructionem primam; consecratio enim peracto templo celebrabatur, ut recte docet Balsamon in can. VII Synodi VII. « Cum autem, ait, interrogassent aliqui quando » fit ecclesiarum consecratio, audierunt quod » fundamenti quidem projectio fit per solam » orationem Episcopi illius regionis, et crucis » fixionem; consecratio vero post templi per- » fectionem, quando fiunt encænia, et apertio- » nes, et inthronisatio, et universa ejus perfectio » sacro chrismate inuncti, et martyrum reli- » quias suscipientis. »

XXXVIII. Etiam apud nos Latinos non potuere aliquando ædificari ecclesiæ sine Pontificis Romani permissu, uti constat ex Epistola S. Gelasii Papæ ad Episcopos per Lucaniam constitutos; apud Gratianum can. IV *De Consecratione*, distinctione I, ubi ita inquit : « Basilicas noviter » institutas, non petitis ex more perceptionibus, » dedicare nemo audeat, etc. » Cui consonat Epistola Nicolai Papæ ad Clerum et populum Viennensem his verbis : « Ecclesia, id est, Ca- » tholicorum collectio, quomodo sine Apostolicæ » Sedis instituetur nutu, quando, juxta sacra » decreta, nec ipsa debet absque præceptione » Papæ basilica noviter constitui, quæ ipsam » Catholicorum intra semet amplecti catervam » dignoscitur ? »

XXXIX. Quantum ad formam construendæ ecclesiæ, fuisse in modum crucis, præter varia ecclesiarum antiquarum monimenta, quæ adhuc supersunt, addiscimus ex testimonio Marci scriptoris Vitæ S. Porphyrii Gazensis episcopi, qui, uti Marcus ipse scribit, ab Eudoxia Augusta impetravit ut, destructo Marnii delubro, novam ibi vero Deo ecclesiam a fundamentis excitaret : « Interim, inquit, dum repurgatur locus, venit » Magistrianus epistolas afferens imperatorias » semper memorandæ Eudoxiæ. Continebant » vero litteræ salutationem, et precum petitio- » nem pro suo marito et filio. Erat autem in » alia charta intra litteras descripta forma sanctæ » ecclesiæ in figuram crucis, quomodo nunc » quoque Deo volente cernitur; et continebant » litteræ ut convenienter dictæ figuræ sancta » conderetur ecclesia. Lætatus est autem S. Por- » phyrius cum legisset, et vidisset formam de- » scriptam. Sciebat enim hoc quoque factum » fuisse ex divina revelatione, et meminit Scri- » pturæ, quæ dicit : *Cor regis in manu Dei.* » Continebant autem litteræ pretiosas quoque » columnas esse mittendas et marmora. » Videri hæc fusius possunt apud Baronium ad annum 401, et apud Surium ad diem XXVI februarii.

XL. Fuisse hunc ritum in Ecclesia antiquiorem ædificandi templa in modum crucis, constat ex *Magno Belgii Chronico*, in quo legimus, quod in anno 327, in Trevirensi civitate, « jussu » beatæ Helenæ ecclesia maximi ornatus et » structuræ in honorem sanctæ Crucis est ædi- » ficata, et in modum crucis. » Etiam apud Gallos erectas fuisse antiquitus basilicas in modum crucis, addiscere licet a S. Gregorio Turonensi episcopo, lib. II, cap. XVI, ubi describit eccle-

Digitized by Google

siam, quam S. Namatius apud Arvernos ædificavit, « habentem in longum pedes centum » quinquaginta, in latum pedes sexaginta; in » altum infra capsum usque cameram pedes » quinquaginta, in ante absidem rotundam ha- » bens; ab utroque latere ascellas (*id est* alas » seu porticus), eleganti constructas opere : » totumque ædificium in modum crucis habetur » expositum. » Non omittenda hoc loco est descriptio ecclesiæ Gemmeticensis, qualis a S. Philiberto abbate sæculo VII condita est. « Introrsus domus alma fulget, habitantibus » digna, ab Euro surgens ecclesia crucis instar » erecta; cujus apicem obtinet alma Virgo Ma- » ria, altare ante faciem lectuli, condente bea- » tissimo Filiberto, pictum gemmarum lumine, » comptum auri et argenti congerie. » Lectus, seu lectulus, aliquando altare, aliquando sancti tumulum significat, uti docet clarissimus Mabillonius, lib. I *De Liturgia Gallicana*, c. VIII. Satis autem mirari nequeo cur hodie neglecta antiqua disciplina construendarum ecclesiarum in modum crucis, passim in formam rotundam ecclesiæ novæ excitentur, quales sunt quas nos ædificari in Urbe vidimus ecclesiæ Sanctæ-Mariæ Orationis, vulgo *la Morte*, Sancti-Celsi prope Pontem Sancti-Angeli, Sanctissimi-Nominis Mariæ ad columnam Trajanam, et aliæ complures quas longum est hic recensere.

XLI. Denique etsi absque Episcopi auctoritate construi ecclesia non posset, poterat tamen ipse Episcopus alii Sacerdoti committere, ut locum novæ ecclesiæ designaret, ac rite benediceret, uti ex multis libris Pontificalibus liquet, inter quos manuscriptus Pontificalis liber Ecclesiæ Barensis, qui Romæ apud Fratres eremitanos Sancti-Augustini in Bibliotheca Angelica asservatur, hunc inquit in modum : « Ordo ad eccle- » siam fundandam per Episcopum, vel ipsius » Capellanum, qui baculum cum cambuca secum » habebit, incipiens a dextro angulo sanctuarii » septem Psalmos spirituales, trahens de angulo » in angulum eam cambucam, dicens : In no- » mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. » Ubi nota I. cambucam, licet passim pro ipso baculo Episcopali accipiatur, uti notatum est I tomo hujus operis, in Prolegomenis, cap. XX, hic tamen nihil aliud significare quam ornamentum ipsius baculi. Id quod etiam addiscere licet ex visitatione thesaurariæ ædis Sancti-Pauli Londinensis anno 1295, ubi inter alia legitur : « Baculus Ricardi episcopi tertius, cu- » jus cambuca de argento deaurato, etc. Baculus » ejusdem cum cambuca cornea, continens in- » terius vineam circumplectentem leonem de » cupro deaurata. » Unde labi videntur quidam, inter quos Carolus Ducange in suo *Glossario*, ubi ad verbum *Cambuca*, citans locum ex gestis Gaufredi episcopi Cenomanensis apud Mabillonium, tomo III *Analectorum*, pag. 390 : « Cam- » bucam argenteam magni ponderis deauratam, » et opere decoram cum baculo pastorali, » ait, eo in loco cambucam videri esse a baculo pastorali distinguendam, quia hic vilior erat, illa pretiosior. II. Recitationem septem Psalmorum, quos vocat spirituales, in nullo me alio Pontificali reperisse.

§ II.

Pridie igitur lignea crux in loco ubi debet esse altare, figatur. Sequenti vero die, lapis in ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis, benedici debet hoc modo. Pontifex paratus supra rochetum, vel si sit religiosus, supra superpelliceum, amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, et mitra simplici, et baculum Pastoralem in sinistra tenens, stans, cum mitra, in loco ubi ecclesia est fundanda, benedicit sal et aquam, dicens : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram. Exorcizo te, creatura salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum qui te per Eliseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus sumentibus te sanitas animæ et corporis, et effugiat atque discedat a loco in quo aspersum fueris, omnis*

Digitized by Google

phantasia, et nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. *Amen.* Deinde deposito baculo Pastorali et mitra, junctis manibus, dicit : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene✠dicere et sancti✠ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; et quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Collocari pridie ac figi crucem ligneam, et quidem sine precibus ullis, in loco ubi debet esse altare, meminit in hoc § nostrum Romanum Pontificale. Si autem verum est, quod narrat Metaphrastes, habemus morem figendi crucem in ecclesiis exstruendis, precesque ab Episcopo Deo fusas cum ipsam figeret. Agens etenim ipse auctor die XIII septembris de reliquiis Cornelii centurionis, diserte ait Cornelium Silvano Troadis episcopo suas prodidisse reliquias, eique jussisse ecclesiam eo loci ædificari, Silvanumque eo profectum, cum precatus esset, crucem fixisse. *Euchologium*, sive Rituale Græcorum, postquam egit de ordine solito observari in fundamento ecclesiæ ponendo, hanc mandat recitari Orationem pro crucis defixione : « Domine Deus omnipotens, qui Moysis virgam in » pretiosæ et vivificæ crucis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi figuram designasti ! » benedic ipse et sanctifica locum istum virtute » et operatione pretiosi, vivifici et illibati ligni » crucis, in dæmonum et omnis adversarii expulsionem, custodiens locum hunc, et ædem » istam, et animas omnium in ea commorantium ; intercessionibus super omnes gloriosæ » Dominæ nostræ Deiparæ, et semper Virginis » Mariæ. Quia benedictum est et glorificatum » regnum Patris, et Filii, et Spiritus sancti » nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. » Amen. » Ubi nota quam ob causam crux primum in nova construenda ecclesia collocetur, in dæmonum scilicet et omnis adversarii expulsionem.

II. Crucem ligneam rite benedictam indagandæ divinæ voluntatis gratia ad locum missam, ubi ardentes apparebant lucernæ, et suavissimi odores redolebant, num ibidem scilicet construenda esset ecclesia, docet nos Vita S. Ruperti, seu Rudberti episcopi Salisburgensis, de quo apud Bollandianos ad diem XXVII martii, cap. II, ita legimus : « Porro diebus certis pro» babiles quidam viri beatissimo Pontifici cum » magna admiratione narraverunt quod ipsi in » eremo, quod tunc temporis verbo appellationis » caruit, nunc *Bongotobi* dicitur, cœlestia pro» digia ardentium lucernarum ter quaterque » vidissent, et mirificæ suavitatis odores ibi re» dolere sensissent : mirantibus autem cunctis » qui aderant, super talibus prodigiis, S. Epi» scopus Domingum presbyterum suum ad » eumdem locum misit, præcipiens ut veritatem » hujus signi diligenter approbaret, ponendo in » eodem loco crucem ligneam, quam ipse San» ctus sua manu benedixit et illuc direxit. » Addit, comperta a memorato Domingo et aliis religiosis viris miraculi veritate, ipsum deinde Rupertum in eodem loco annosa robora exstirpare, silvarumque condensa in planitiem campi redigere, atque ecclesiam cum habitaculis servorum Dei ædificare cœpisse in honorem

Digitized by Google

S. Maximiliani. Floruit Rupertus initio sæculi VII.

III. Porro notandum et illud est, crucis fixionem habere quidem tituli virtutem, et quemvis locum Deo vindicare, ideoque a solis Episcopis ipsam figendam, non modo ex canonum constituto, sed et lege imperatorum liquet. Hinc cum quidam Monachi spectaculorum osores in ædes publicas, et alia loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem crucem et sanctorum reliquias inferre conarentur, auderentque ea occupare, per ejusdem crucis fixionem, quæ ad publicas causas vel populi oblectamenta constructa erant, eosdem Leo Augustus lege lata repressit, exstante in Codice Justiniani, libro I, tit. III, cap. XXVI. Fixa enim crux, ut dictum est, tituli habebat virtutem, et locum Deo vindicabat. Eam a solis Episcopis figi deinceps merito laudatus Leo imperator mandat; ad eamque legem alludere videtur S. Gregorius, lib. VII, indictione II, Epistola ad Januarium Calaritanum in Sardinia episcopum, in qua graviter culpat Petrum quemdam ex Judæo Christianum effectum, qui « sequenti die baptismatis sui, hoc est Dominico, in ipsa festivitate Paschali, imaginem Dei Genitricis et » venerabilem Crucem posuerat, » quasi Christianitatis titulum in Judæorum synagoga violenter invasa, easdemque mandat « cum ea qua » dignum est, veneratione efferri, » et omnia in pristinum statum reformari.

IV. Ponticale Romanum, quo cautum est ut pridie lignea crux in loco ubi debet esse altare, figatur, in hoc præsenti § mandat ut die quidem sequenti lapis in ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis, ritu solemni benedicatur; quamobrem benedictionem salis et aquæ faciendam prius declarat certis precibus, quæ exstant in Ordine antiquo Romano et in plerisque aliis priscis Pontificalibus, sed ubi exponunt ritum benedicendæ seu dedicandæ ecclesiæ jam prius ædificatæ. Legere autem est eosdem exorcismos, et benedictiones salis et aquæ, et totidem quidem verbis in antiquo *S. Gregorii Sacramentorum* libro, quem notis egregiis illustravit vir clarissimus Hugo Menardus, et apud priscos scriptores, qui de rebus Ecclesiasticis scripserunt, inter quos Rabanus Maurus, *De institutione Clericorum* lib. II, cap. LV, alludens ad ipsas preces, ita inquit : « Benedicitur sal et aqua in diversos usus » fidelium, ad homines infirmos contra phantasiam inimici, ad pecorum sanitatem, ad » morbos auferendos, etc. » Ait mox S. Alexandrum, septimum post S. Petrum Romanæ urbis episcopum, ac martyrem, constituisse aquam adspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum; deinde vero adjungit sal sanctificatum aquæ immisceri, ex divina auctoritate processisse, quia illud per Eliseum prophetam in fontem mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquarum Jericho. Tum ita concludit : « Ergo natura » salis naturæ aquæ vicina et conjunctissima » est, quia ejusdem elementi ambo sunt, et » idem officium et significationem habent. » Nam aqua a sordibus mundat, sal putredinem » fugat : aqua nitorem præbet, sal sinceritatem » adhibet : aqua potum sapientiæ significat, et » sal gustum prudentiæ indicat. Quod scilicet » sacrorum Librorum satis testatur auctoritas, » et multiplicia eorum produnt testimonia. » Porro salis exorcizati, ita dicti quia in illius benedictione exorcizantur dæmones, jubenturque ut ab ipso recedant, diserte meminit Braulio Cæsaraugustanus in Vita S. Æmiliani, capite XXIV, his verbis : « Salem exorcizat, et » aquæ commiscet more Ecclesiastico, ac domum ipsam aspergere cœpit. »

V. Denique etsi nostra hæc Rubrica adamussim fere conveniat cum manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi episcopi, in quo non modo fit mentio fixionis ligneæ crucis in loco ubi debet esse altare, sed et etiam ritus benedicendi sal et aquam, utrumque tamen desideratur in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis annorum circiter quingentorum, ubi agit de ordine ad ecclesiam fundandam, uti in Appendice videre est. Quod quidem mirum videri debet, cum ex hactenus dictis antiquus sit Ecclesiæ mos Occidentalis æque atque Orientalis figendi crucem in loco novæ ecclesiæ construendæ.

Digitized by Google

§ III.

Tum accepta mitra et baculo Pastorali, super aquam absolute dicit : *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Fi✠lii ejus, Domini nostri, et in virtute sancti ✠ Spiritus, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas, cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* ℟. *Amen,* Deinde, deposito baculo Pastorali et mitra, junctis manibus, dicit : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti; adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene✠dictionis infunde; ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abjiciendos dæmones morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum; ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa : non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici; et si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat; ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ IV.

Pontifex mittit sal in aquam in modum crucis, dicendo semel : *Commixtio salis et aquæ pariter fiat : in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis sævitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas : te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Aquam sale aspersam benedici, eaque populum Christianum aspergi, licet hoc in usu esset etiam a temporibus Apostolorum, uti probat cardinalis Baronius anno 132, præcepisse id tamen S. Alexandrum Papam, ut aqua benedicta in habitaculis hominum asservaretur, diximus supra, et docet auctor *Libri Pontificalis* in laudati Alexandri Vita, cui omnes passim scriptores consentiunt, relati ab erudito Stephano Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, capite XXI. Ait itaque de Alexandro memoratus *Libri Pontificalis* scriptor, quem nonnulli Anastasio Bibliothecario tribuunt : « Hic constituit aquam aspersionis cum sale » benedici in habitaculis hominum. » Exstant autem recitatæ Orationes in hisce §§ non modo in priscis *Ritualibus*, sed in libro *Sacramentorum S. Gregorii* totidem fere verbis. Dicitur autem aqua exorcizata, quia in illius benedictione exorcizantur dæmones ut ab ea recedant, uti ex ipso aquæ exorcismo superius descripto liquet. Cum vero exorcismi benedictiones tantum sint sive preces ad Dei opem invocandam, atque res illas quæ benedicuntur, ejus honori consecrandas, mirum haudquaquam videri debet, si modo aqua exorcizari, modo benedici dicatur. De aqua Ecclesiæ precibus benedicta, cui sal miscebatur, agit lib. VI *Adversus Donatistas* S. Optatus Milevitanus; meminitque ejus ritus Braulio Cæsaraugustanus in Vita S. Æmiliani, cap. XXIV, cujus verba in superiori Commentario retulimus. Cæterum sunt qui velint verba hæc benedictionis aquæ, *Commixtio salis et aquæ pariter fiat*, si eorum originem spectemus, rubricam tantum fuisse, quæ eo loco sal et aquam miscenda esse monebat ad illa verba : *In nomine Patris, etc.* Ita Grancolas in *Breviarium Romanum*, cap. XLI, prope finem. Antiquum vero esse morem, ut aqua signo crucis adhibito benedicatur, non modo antiqui libri Rituales, sed et prisci Patres docent apud Hugonem Menardum in *Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii*, pag. 330.

II. Sunt etiam qui recte docent aquam benedictam primum institutam fuisse ad domos et agros lustrandos, ut constat ex Alexandri constituto, ex *Sacramentario* Gelasiano, et ex ipsa Oratione quæ vel hodie superest, diciturque die Dominico post aspersionem in ecclesia factam : « Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipo- » tens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum » Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, » protegat, visitet, atque defendat omnes habi- » tantes in hoc habitaculo, etc. » Neque vero recentiorem usum dixerim aspergendi populum in ecclesia aqua benedicta, quæ ante Missarum solemnia fit a Sacerdote; meminit enim ejus ritus Hincmarus episcopus Remensis in *Capitulari* suo, anno 852, cap. V, ubi ita inquit : « Omni die Dominico quisque Presbyter in sua » ecclesia ante Missarum solemnia aquam bene- » dictam faciat in vase nitido, de qua populus » intrans ecclesiam aspergatur, et qui voluerint, » in vasculis nitidis ex illa accipiant, et per » mansiones et agros, nec non super cibos et » potum suum conspergant. » Ubi nota populum aquam benedictam secum tulisse ad domos et agros lustrandos, postquam Pastor omnes ante Missam illa aspersisset, ut ad sacrificium rite pararet.

III. In Anglia Clerici instituti olim fuerunt, quorum munus erat ad singulorum domos aquam benedictam portare; et si quid illis fideles largiebantur, ad ipsorum usus vertebatur, ut constat ex Concilio Oxionensi anni 1287, capite XXIX, ex statutis Alexandri Conventriensi episcopi anni 1237, et Ægydii episcopi Sarisberiensis anni 1256. Tradit Carolus Ducange in suo *Glossario*, verbo *Aqua benedicta*, Clericos etiamnum in aliquot Galliæ provinciis statim post peractam majorem Missam, aquam benedictam in parochianorum domos deferre, eaque familiam universam aspergere, brevi facta ad id oratione. Hodie passim domus a Parocho aqua benedicta lustrari solent Sabbato sancto, vel cum Viaticum, aut Extrema-Unctio ad ægrotos affertur, sive cum nuptialis thalamus benedicitur. Qui plura de aquæ benedictæ origine, ritu, mysteriis, virtute et effectibus, legat Casalium *De veteribus sacris Christianorum Ritibus*, cap. XXXVI; Pompeum Sarnelli Vigiliensem episcopum, tom. IV *Epistolarum Ecclesiasticarum*, epistola XVIII, et alios scriptores Catholicos, quibus egregie refellitur Flagellan-

Digitized by Google

tium et Lollardorum hæresis, qui negabant aquam benedictam plus habere virtutis quam aquam profanam, et aspergillum aquæ benedictæ clavem infernalem vocabant. Quos hæreticos impii Lutherus, Calvinus, Brentius ac reliqui hujus farinæ homines æmulati sunt.

IV. Neque insuper illud prætermiserim, quod rem nostram præsentem spectat, antiquo Christianorum instituto, aquam signo crucis ac benedictione consecrari consuevisse adversus dæmonum magorumque præstigias, ubi ecclesia nova construebatur. Cum enim, teste S. Epiphanio in *Hæresi* Ebionitarum, quidam Josephus Comes, Christianus ex Judæo factus, ecclesiam ædificaret in urbe Tiberiade, ac Judæi, qui frequenter illic habitabant, magicis incantationibus opus interrumpere conarentur, calcisque coctionem impedirent; Josephus aquam afferri sibi jubens, eique signum crucis imprimens, et hoc modo benedictam fornacibus adspergens, vim omnem diaboli pervicit : « Crucis signum, inquit » Epiphanius, super vas illud aqua plenum digito » ducit, et Jesu nomen invocans, magna voce » sic loquitur : In nomine Jesu Nazareni, quem » mei pariter et horum omnium qui hic ad- » sunt majores in crucem egerunt, hæc aqua » vim habeto ad magicas artes maleficiaque om- » nia restinguenda, quæ isti compararunt, et ad » restituendam igni vim suam, ut domus Dei » possit absolvi. » Non hæc frustra a sancto Comite dicta monstravit exitus. Hanc vero narrationem a Josepho ipso sibi expositam memoriæ tradidit Epiphanius, qui et vim aquæ inditam refert per illud salutare crucis signum; ut appareat falsum esse, quod Casaubonus et ejusdem sectæ alii commenti sunt, antiquos Christianos ad solam professionem Christianæ religionis usurpasse signum illud, nec in eo vim ullam inesse putasse. Quod quam falsum sit, tum ex isto ipso Josephi Comitis exemplo, tum aliis innumeris, quæ sequentibus deinde gesta sæculis, Annales et Historias implent Ecclesiasticas, abunde docemur.

§ V.

Tum Pontifex accipit mitram, et Schola cantat Antiphonam et Psalmum sequentes. Interim, dum ea cantantur, Pontifex cum mitra aspergit locum ubi crux posita est, cum aqua per eum benedicta. Antiphona I toni : *Signum salutis pone, Domine Jesu Christe, in loco isto, et non permittas introire angelum percutientem.* Psalmus LXXXIII : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, etc.* Finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans versus ad locum per eum aspersum, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Domine Deus, qui licet cœlo et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur : locum hunc, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis, et beati N. (nominando Sanctum vel Sanctam in cujus honorem ac nomen fundabitur ecclesia), *omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, et per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem, in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Designatum ecclesiæ ædificandæ locum aqua benedicta ab Episcopo aspergi debere, præsertim vero eum loci situm ubi crux posita est, et cæremoniis quidem in præsenti § recitatis, docet vetus Ordo Romanus in eo capite inscripto *Incipit Ordo de ædificanda ecclesia :* in quo tamen in multis variat Oratio quæ post aspersum locum ab Episcopo pronuntiatur : « Postquam ergo, inquit Episcopus, crucem in » loco, in quo altare fabricandum est, fixerit, » tunc aspergat locum aqua benedicta, hanc ca» nendo Antiphonam *Signum salutis pone, etc.*, » cum Psalmo *Quam dilecta* usque in finem. » Psalmo finito, mandat dici ab Episcopo hanc prolixiorem descripta hodierni Romani Pontificalis Orationem : « Domine Deus, qui licet » cœlo et terra non capiaris, domum tamen tibi » in terra fieri jussisti, in qua nomen tuum ju» giter invocaretur, hunc locum, quæsumus, » B. Mariæ semper Virginis omniumque San» ctorum tuorum intercedentibus meritis, sereno » tuæ pietatis intuitu visita, et vide, et illum ad » fabricandum elige, perque infusionem gratiæ » cœlestis ab omni inquinamento purifica puri» ficatumque conserva; et qui dilecti filii tui » David devotionem in filii sui Salomonis opere » complesti, tu famuli tui N. in hoc opere ita » precamur vota perfice, ut illud te inspirante » incipiat, te adjuvante perficiat, suique laboris » præmium in terra consequatur viventium. » Effugiant ergo hinc, jubente te, Domine, om» nes nequitiæ spirituales, et cum fraudibus » cuncta diaboli turma, tua virtute depulsa. Re» surgat hic Ecclesiæ pura simplicitas, et ama» bilis tibi innocentiæ candor : sicque hunc lo» cum per unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu » Christi dilectionem coæterni tibi Spiritus Pa» racliti rore fœcunda gratissimo, ut quicumque » hic pro suis necessitatibus auribus tuæ beni» gnitatis ingerit vota, votorum suorum conse» quatur effectum. Per. »

II. Juxta ritum Ecclesiæ Orientalis, uti constat ex *Euchologio* in eo titulo qui inscribitur *Ordo solitus observari in fundamento ecclesiæ ponendo*, apud Jacobum Goar, fundamentis dispositis exstruendi templi, illuc quidem proficiscitur Pontifex, et stola pallioque indutus, dicit : « Benedictus Deus noster, ubique, nunc, » et semper, et in sæcula sæculorum. Sanctissima » Trinitas. Pater noster. Quia tuum est. » Tum Pontifex effossa fundamenta in gyrum præfumigat. Cantores vero dimissorium Sancti, cujus nomine exstruendum est templum, vel alios quos Præfectus voluerit, modulos occinunt. Deinde vero stans Pontifex in loco ubi altare figendum est, hanc dicit Orationem : « Dominum » precemur. Domine Deus noster, qui etiam in » hac petra ædificari tibi templum voluisti ; ipse » tua ex tuis donis offerentes respice, et pro » reparata vel exstructa ad laudes tuas domo, in » supercœlestium bonorum tuorum copia mer» cedem retribue : opifices ejus incolumes con» servatos corrobora, fundamenta ejus incon» vulsa et inconcussa custodi, et usque ad » perfectionem domum tuam deduc, ut in ea » celebribus canticis et glorificationibus te ve» rum Deum nostrum collaudemus. Quia con» venit tibi omnis gloria, honor et adoratio, » Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et » semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

III. Hunc Orientalis Ecclesiæ ritum mirifice exponit in libro *De Sacramentis* Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, ubi ita inquit : « Fundamenta fossasque eorum in crucis mo» dum cunctas thure sanctificans, benedicit. » Gratiam quippe Spiritus sancti exprimit in» censum ; crux vero Christum ipsum. Massam » quoque materiæ ibidem congestam suffumi» gat et sanctificat, cunctosque pariter adstan» tes, quos ad opus urget. Et sanctificatione » hujusmodi peracta, versus Orientalem funda» menti regionem, ubi altare statuendum est, » tendit, et in medio fossæ Orientalis stans, ubi » tribunalis sacri semifornix est erigendus, pre» cem sacram facit. » Porro apud Latinos consuevisse locum, ubi ædificanda erat ecclesia, diu precibus ac jejuniis dedicari, testatur Beda libro III *Historiæ Anglicanæ*, cap. XXIII, his verbis : « Ceddo episcopus Orientalium Saxonum » construxit monasterium, quod Lestingen vo» catur, ope Edilvadi filii Osualdi regis, cujus » solum, priusquam ædificium moliretur, pre» cibus et jejuniis per totam Quadragesimam » dedicavit ; dicebat enim hanc esse consuetu-

Digitized by Google

» dinem eorum a quibus normam disciplinæ » regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad » faciendum monasterium vel ecclesiam, prius » orationibus ac jejuniis Domino consecrent. » Varia ejus moris exempla legere est passim in Vitis Sanctorum, qui inter alia pietatis opera divinitus moniti ecclesias construebant. Vide quæ infra in Commentario, § VIII, de ea re dicemus.

IV. Hic illud certe non omittendum, tum nostram hanc Rubricam, tum Antiphonam, Psalmum et Orationem totidem pene verbis exstare in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis nihil de ea re habetur. Nam Antiphona, *Signum salutis pone, Domine, etc.*, dicebatur quidem, ubi in singulis Ecclesiæ angulis ponebat Episcopus signatum lapidem cum cambuca; Psalmus vero, *Quam dilecta tabernacula tua, etc.*, decantabatur, cum ipse Episcopus quinque lapides eodem modo signatos accipiens, quatuor sub quatuor altaris angulis, quintum vero in medio altaris collocabat. Quo facto cantabatur Responsorium, *Domine Jesu Christe, ne despicias desiderium meum, etc.*, sequebaturque Oratio, *Domine Deus, qui licet cœlo et terra non capiaris, etc.* De quibus vide in Appendice.

§ VI.

Post hæc stans adhuc sine mitra Pontifex benedicit primarium lapidem, dicens : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc, et usque in sæculum.* ℣. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* ℟. *Hic factus est in caput anguli.* ℣. *Tu es Petrus.* ℟. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor et imago æterni Patris, et vita æterna, qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, et immutabile fundamentum; hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma : et tu qui es principium et finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quæsumus, principium, et incrementum, et consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem et gloriam tui nominis inchoari, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere dignare hunc lapidem in fundamentum ecclesiæ, in honorem sancti N. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, de quo dicit Apostolus, Petra autem erat Christus, *qui tecum et cum Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

§ VII.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum crucis, dicens : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.* Quo facto, dicit .

Digitized by Google

OREMUS.

Benedic, Domine, creaturam istam lapidis, et præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ad hanc Ecclesiam ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, et animæ medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. In Ordine antiquo Romano ritus ædificandæ ecclesiæ finitur quidem cum prolixa illa Oratione, *Domine Deus, qui licet cœlo et terra non capiaris, etc.*, nulla facta ibidem mentione benedicendi primarium lapidem in fundamento ecclesiæ collocandum; alludit tamen ad eum ritum Gulielmus Durandus in suo *Rationali Divinorum officiorum*, lib. I, cap. I, ubi ita inquit : « Parato fundamenti loco juxta illud : » *Bene fundata est domus Domini super firmam* » *petram,* debet Episcopus, vel Sacerdos de » ejus licentia, ibi aquam aspergere benedictam » ad abigendas inde dæmonum phantasias, et » primarium lapidem, cui impressa sit crux, in » fundamento ponere. » Ex manuscripto quidem Pontificali ipsius Durandi, post recitatam in § V Orationem, præscriptum est ut Episcopus benedicat lapidem, dicens : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.,* aliasque Orationes in § VI descriptas ; quibus dictis mandat ut « aspergat lapidem aqua benedicta, et accepto » scultro (*corrigendum* cultro) per singulas » partes sculpat in eo signum crucis, dicens : » *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ » *sancti. Amen;* deinde vero Orationem, *Bene-* » *dic, Domine, creaturam istam lapidis, etc.,* » uti in § VI habetur. »

II. Fuit certe aliquando mos ut Romani Pontifices ad novas construendas ecclesias, cum maxime sub protectione S. Petri et Romanæ Sedis ædificarentur, primum lapidem ad fundatores mitterent, uti liquet ex litteris quas Callistus II Pontifex Maximus ad Marcum Julianum misit, qui anno Christi 1119 Venetiis monasterium Sanctæ-Mariæ de Charitate exstruxit : « Callistus Servus servorum Dei dilecto Filio » Marco clerico salutem et Apostolicam bene- » dictionem. Clarissimus et venerabilis frater » et legatus noster P. Portuensis episcopus mis- » sis litteris significavit nobis te possessiones » tuas per manus suas beato Petro ejusque Ro- » manæ Ecclesiæ obtulisse sub censu annuo » unius byzantii. Ubi videlicet ecclesiam ædifi- » care desideras, in qua sub jure ac dominio » beati Petri Regulares Canonici conversentur. » Et nos ergo devotionem tuam et desiderium » approbantes, oblationem ipsam suscepimus, » et pro te omnipotenti Deo supplicamus ut » bonum quod cœpisti opus ad honorem suum » et salutem tuam te faciat consummare. Pro- » pterea lapidem, quem in fundamento illius » ecclesiæ ponere debeas, mittimus, in eo tibi » nostrum consensum et gratiam indulgentes. » Exstant hæ litteræ Callisti Pontificis apud virum clarissimum Ferdinandum Ughellum, tomo quinto *Italiæ Sacræ*, ubi agit de Venetiarum Patriarchis, in Vitali Michaele. Porro an istiusmodi lapides, quos Romani Pontifices fundatoribus mittere soliti erant, essent ab ipsis prius benedicti, etsi affirmare pro certo nequeam, puto nihilominus benedictos fuisse.

§ VII.

Deinde ponitur in terram aliquod tapete, et desuper faldistorium super quod Pontifex, accepta mitra, accumbit. Tum dicuntur Litaniæ usque ad finem. Quibus finitis, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad primarium lapidem, dicit :

Digitized by Google

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Dictum jam fuit in Commentario, § v, fuisse jam olim locum, ubi ædificanda erat ecclesia, primum precibus ac jejuniis consecratum. De Litania, et Oratione, *Actiones nostras, etc.*, ibidem dicenda, mentionem facit manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, in quo ritus ipse ita præscribitur : « Lapis autem taliter » benedicendus ponitur in fundamento ecclesiæ » fundandæ, hoc modo. Primo, Episcopo super » faldistorio accumbente, dicitur Letania, ut » supra in ordinatione Subdiaconi, et termina» tur cum collecta, *Actiones nostras, etc.* »

II. Cum vero antiquus sit ritus, ut novæ ecclesiæ fundamenta præviis precibus ac solemni ad ipsius construendæ ecclesiæ designatum locum processione dedicarentur, docet nos Porphyrius Gazensis episcopus, qui floruit labente IV Christi sæculo. Is etenim, ut in Vita ipsius testatur Marcus diaconus ejus discipulus, et fidelissimus scriptor apud Surium ad diem XXVI februarii, et apud cardinalem Baronium ad annum 401, combusto Marnio templo ac funditus diruto, volens in ejus locum nobilissimam ecclesiam construere, indixit primo jejunium ac preces : « Tum vero jussit ut unusquisque affer» ret ligones, et rastra, et alia hujusmodi instru» menta. Congregato autem populo cum dictis » instrumentis in sancta ecclesia, quæ appella» batur *Irene*, jussit omnes psallentes simul » proficisci in Marnium, quod olim fuerat. Ipse » vero sequebatur, portans sanctum Evangelium, » et circa se habens pium Clerum revera imi» tans Christum cum discipulis. Præcedebat » autem populum semper memorandus Baro» chas, venerandæ crucis portans effigiem.... » Euntes autem psallebant, et in versiculorum » Psalmi intercisione, dicebant *Alleluia*. Erat » autem Psalmus quem dicebant : *Venite,* » *exultemus Domino, jubilemus Deo Salvatori* » *nostro, etc.* »

III. Pergit laudatus scriptor, et postquam dixit alios quoque recitatos fuisse Psalmos, donec ingressi in designatum locum fuerunt ; hortatuque S. episcopi Porphyrii Ruffinum quemdam architectum Antiochenum, virum fidelem et peritissimum, « accepto gypso, » designasse « po» situram sanctæ ecclesiæ » in formam crucis, juxta exemplum quod ei miserat Eudoxia Augusta, cujus impensis ipsa ecclesia construebatur, hæc statim addit : « Cumque precatus esset » sanctissimus Episcopus et genuflexisset, jussit » populum fodere ; statim autem omnes uno » animo et eadem alacritate fodiebant, claman» tes : *Christus vicit*. Non licebat vero videre » differentiam inter virum et mulierem, aut » senem aut puerum ; sed promptus et alacer » animus vires præbebat omnibus : et alii qui» dem fodiebant, alii autem terram exportabant, » adeo ut paucis diebus fuerint, et omnia loca » effossa, et terra egesta. Prius itaque præparata » materia, et ingentibus lapidibus ex tumulo, » qui dicitur *Aldioma*, a parte Orientali civitatis » et alia materia, Sanctus, rursus congregato » Christi amante populo, multisque precibus et » Psalmodiis dictis in loco, ipse primus, se suc» cingens, cœpit portare lapides et jacere fun» damenta ; deinde pii quoque Clerici et om» nes laici lætantes, et magna voce psallentes, » adeo ut audirentur a tribus milliariis ex ci» vitate. »

IV. Placuit prolixam hanc narrationem describere, quod multi in ea continentur ritus Ecclesiastici qui sæculo Christi IV in usu erant, præsertim Processionis prævio signo crucis, quam hæretici nostri temporis irridere non erubescunt ; quos tamen temere ac perperam blaterantes jam strenue ac fuse nostri theologi confutarunt. Vide Jacobum Eveillon *De Processionibus Ecclesiasticis*.

Digitized by Google

§ VIII.

Deinde parato cæmento, et cæmentario assistente, Pontifex cum mitra inchoat, Schola prosequente, Antiphonam I toni : *Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino : vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.* Psalmus CXXVI : *Nisi Dominus ædificaverit domum, etc.* Quo dicto, Pontifex stans cum mitra, tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens : *In fide Jesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento : in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti, ut vigeat vera fides hic, timor Dei fraternaque dilectio; et sit hic locus destinatus orationi, et ad invocandum et laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

§ IX.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento; postea Pontifex spargit super lapidem aquam benedictam, dicens : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus L *Miserere mei, Deus.* Et dicitur totus cum *Gloria Patri, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Antequam harum Rubricarum explicationem aggrediamur, lubet ritum Ecclesiæ Orientalis exponere, juxta quem ritum, ut in *Euchologio* habetur, terminata Oratione *Dominum precemur, etc.*, quam superius in Commentario, § V, recitavimus, Pontifex lapidem accipit, in illoque crucem efformans, propriis eum manibus in fundamento locat, dicens : « Fundavit » eam Altissimus : Deus in medio ejus, non » commovebitur : adjuvabit eam Deus mane » diluculo. » Atque ita opus aggrediuntur artifices. Sciendum tamen diversum in Allatiano Officio recenseri eum ritum. Etenim tres lapides acceptos mittit in fundamentum Sacerdos, dicens : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti. » Tum vero architectus opus aggreditur, rursumque hanc Orationem Pontifex recitat : « Deus, et Salvator noster, qui juxta tuum » immaculatum et immortale Verbum ab Evan» gelistis in orbe universo prædicatum, in Zac» chæi tabernaculum, ut ipsi totique ejus domui » salus fieres, ingredi dignatus es; ipse quoque » nunc ædem hanc, a nobis humilibus et pecca» toribus preces offerentibus consecratam, tua » benedictione comple; abundanti tuo dono » devotam, et a noxa immunem illam redde; » ut et in ea glorificetur sanctissimum nomen » tuum, etc. »

II. Prolixius describit, atque enucleatius explicat hanc cæremoniam Simeon Thessalonicensis antistes in libro *De Sacramentis :* « Mox, » inquit, laudibus Deo redditis, manibus petras » apprehendit, et calcem aut cæmentum aliquo » instrumento, et in fossam fundamenti descen» dens, lapides cruce consignatos in crucis figu» ram componit, ut Christum petram immobi» lem in fundamentum se posuisse profiteatur. » Describit statim et alios ritus, quos operæ pretium me facturum puto hoc loco recensere. Sic autem inquit : « In ipsorum vero lapidum me» dio, in foveola, velut in sepulchro, lampadem » acceptam infuso desuper oleo accensam ponit: » oleo quidem Dei misericordiam in æde con» structa suppeditantem, lumine vero supernam » a vero lumine illustrationem, ipsumque Chri» stum, lumen præcipuum et unicum, propter » nos in monumento positum repræsentans; et » in oleo rursus, quia gratiæ oleo nos unxit, et

Digitized by Google

» quia per oleum, id est chrismatis unguentum, » ædes tota consecrabitur, et quia Christus, qui » lumen nostrum est et oriens ex alto, in illa » æde habitabit. »

III. Apud Latinos morem in primis aliquando fuisse ut Romanus Pontifex primum lapidem mitteret ad construendas novas ecclesias, quæ sub protectione S. Petri et Romanæ Sedis ædificabantur, dictum jam fuit in Comment., § VII, ubi litteras recitavimus quas eam ob rem Callistus II Pontifex Maximus ad Marcum Julianum misit, qui anno Christi 1119 Venetiis monasterium Sanctæ-Mariæ de Charitate exstruxit. Fuit præterea aliquando mos ut, ubi primarius ad construendam novam ecclesiam ab Episcopo proprio lapis imponebatur, alii quoque Episcopi adessent; ait enim Ughellus, in *Italia sacra*, tomo VIII ultimæ editionis Venetæ, ubi agit de Episcopis Bovinensibus nostri regni Neapolitani, Joannem Baptistam Bovini episcopum in ædificatione celebris ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Valleverde suæ diœcesis, cujus devotissimus erat, anno 1265 primum jecisse lapidem, « præsentibus N. Asculano, Guillelmo Melphiensi, Joanne » Rapollano, Ursino Montis Viridis, Antonio La» quedonensi, Perenno Lesinensi, Bartholomæo » Lucerino, Zacharia Bisaciensi, Benedicto Vul» turariensi, Odosio Triventino, Joanne Termu» lano, episcopis, qui perennem indulgentiam » ecclesiæ pie visitantibus quotannis concesse» runt. » Ejus ecclesiæ historiam ex antiquo manuscripto evulgavit Dominicus Petrus Pauli, ut ipse Ughellus ibidem testatur.

IV. Illud plane constat, primarium lapidem in constructione novæ ecclesiæ fuisse aliquando positum ab illo qui ecclesiam ipsam sumptibus suis fundabat, uti addiscere licet ex Matthæo Parisio, in Vita Offæ Anglorum regis secundi, ubi de cœnobio ab ipso ædificato in honorem S. Albani ita scribit : « Post inventionem memo» ratam statim rex ecclesiam cœpit ædificare, » ponens primum lapidem in fundamento, di» cens : *In honore Dei omnipotentis, Patris, et* » *Filii, et Spiritus sancti, et martyris sui Albani,* » *totius terræ meæ protomartyris.* Et addens ait » junctis manibus, flexis genibus, lacrymisque » profusis : *Domine Jesu Christe, tibi hanc tuam* » *domum, et tibi, martyr Albane, et tibi, Wil*» *legode, commendo fideliter custodiendam. Cu*» *jus omnes adversarii, vel perturbatores, vel* » *spiritualibus diminutores maledicantur; om*» *nes quoque benefactores præmia recipiant sem*» *piterna.* » Willegodus monachus erat quem ipse Offa « præfecit fabricæ Ecclesiasticæ præ» ceptorem, » et primum abbatem memorati cœnobii constituit tempore Adriani I Summi Pontificis. Ritum hunc etiam apud Græcos et pridem usitatum, ut primarius vir quispiam aut princeps in ecclesiæ structura lapidem primarium in fundamentis locaret, docet nos Georgius Codinus *De origine Constantinopolis*, ubi loquens de ædificatione templi Sanctæ-Sophiæ, toto orbe celeberrimi, ait imperatorem Justinianum propriis manibus calcem cum tegula accepisse, ac fundamenti initium posuisse.

V. Multis abhinc sæculis ritus ille omnino servatur, ut Episcopus quidem primum lapidem in novæ ecclesiæ fundamento ponat. Hinc ubi civis meus sanctus Franciscus de Paula, inclytus Minimorum Ordinis instituto, primam in ipsa Paula civitate suæ Religionis domum, atque ecclesiam a sancto Francisco de Assisio designatam ædificare cœpit, scribit antiquus ejus Vitæ scriptor apud Bollandianos ad diem II aprilis, archiepiscopum Consentinum, qui tunc temporis, anno scilicet 1767, erat Pyrrhus Caracciolus, posuisse « primum lapidem cum cruce et » magnis solemnitatibus; » in quo scilicet lapide, juxta ritum superius descriptum, crucem sculpserat. Unde adhærere nequeo opinioni civis mei eruditissimi Josephi Mariæ Perrimezzi, qui in Notis ad ipsam Vitam, quam Romæ edidit anno 1707, ait hanc crucem, cujus scriptor meminit, argenteam vel argento saltem tectam, quæ in Paulanæ ecclesiæ sancti Patris sacello, in loco pro sacris ejus reliquiis custodiendis deputato religiose asservatur, in solemni conventus Paulæ fundatione erectam fuisse, ejusque traditionem a memorato Vitæ auctore suo testimonio firmari. Verum pace viri doctissimi, quem sæpe in operibus nostris ob ejus eximiam eruditionem laudavimus, auctor Vitæ nullum in eo loco, ubi agit de impositione primi lapidis, de crucis traditione testimonium profert; ait duntaxat Consentinum Episcopum posuisse primum lapidem conventus cum cruce et magnis solemnitatibus; ut nimirum nobis significaret servatos fuisse in ea fundatione ritus ac cæremonias quas libri Pontificales præscribunt; positum nempe lapidem sculpto in eo prius crucis signo.

Digitized by Google

VI. Quoniam vero mentio hic incidit Paulæ patriæ nostræ, adnotandum et illud censeo, cœnobium ipsum Sancti-Francisci una cum ecclesia ab eodem fundata, magna ex parte anno 1555, die II julii, ab Ariadeno Barbarossa Turcarum pirata concrematum fuisse, cum simul urbem cepisset ac devastasset, atque insuper innumeros cives captivos secum deduxisset. Postmodum quidem Isabellæ Toleto magnificentia iterum ædificata est ecclesia ac cœnobium restauratum, ita tamen ut ob reverentiam sancto fundatori debitam, in eodem loco, eadem forma, ac super eadem fundamenta, prout ipse primo construxerat, ecclesia restituta sit. Patres autem tanti beneficii memores munificæ benefactrici monumentum posuere, quod supra majores conventus ac ecclesiæ fores legitur, quodque jam in Vita sancti Francisci de Paula memoratus civis meus Joseph Maria Perrimezzi Ordinis Minimorum, archiepiscopus Bostrensis, p. II, dissertatione VIII, pag. 150, exscripsit :

ISABELLA TOLETA
MATER ALTRIXQVE FRANCISCÆ
FILIÆ, ET EX ASSE HÆREDIS IO. BAPTISTÆ SPINELLI
DVCIS CASTROVILL. III. CARIATI ET PAVLÆ DOMINI
QVI
CAROLI V. CÆSARIS DVCTV
EQVITVM NEAPOLIT. BELLO ALEMAN. GENERAL. PRÆFECT.
PETRO TOLETO SOCERO PROREGE
LAVREATIS FASCIBUS REDVX
CÆLI NON ÆVI MATVRVS ANN. XXX. ELATVS EST
TEMPLVM HOC CÆNOBIVMQVE
TVRCARVM INCVRSIONIBVS ET VETVSTATE LABEFACTATVM
PIETATEM SECVTA VIRI
REFICIT AMPLOQVE DITAT CENSU
AN. D. CIↃ. D. LXVII.

Eram equidem parvulus Paulæque degebam, cum ipse laudatus Joseph Maria Perrimezzi a Ravellen. et Scalen. ecclesia ad Oppidensem, Clementis XI Pontificis Maximi beneficentia, translatus, inter alia sua beneficia memorato cœnobio collata sumptibus suis ecclesiam refecit, ornavit, consecravitque die XV mensis januarii, anno Christi 1718. Cujus rei hoc exstat hodieque legitur monumentum in interiori dextro latere parietis prope ostium ecclesiæ :

D. O. M.
ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO
D. F. IOSEPHO MARIÆ PERRIMEZZI
EX ORDINE MINIMORVM
S. FRANCISCI DE PAVLA
SACRI HVIVSCE CONVENTVS FILIO
FELICIS HVIVS CIVITATIS PATRITIO
PRIMARIÆ HVIVS PROVINCIÆ OLIM PROVINCIALI
REBELLEN ET SCALEN PRIMVM NUNC OPPIDEN
EPISCOPO
QUOD ECCLESIAM HANC TOTIVS ORDINIS
MATREM ET CAPVT
QUAM S. PATER PROPRIO LABORE FVNDAVERAT
DILECTUS IPSE FILIVS PROPRIO ÆRE EXORNAVERIT
PAVLANI CONVENTVS PATRES
P. P.
ANNO CIↃ. IↃ. CCXVIII.

Digitized by Google

A latere sinistro ipsius ostii hæc legitur inscriptio, consecrationem præfatæ ecclesiæ Sancti-Francisci de Paula ab ipso Episcopo religiosissimo peractæ continens :

D. O. M.
ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO
D. F. IOSEPHO MARIÆ PERRIMEZZI
EX ORDINE MINIMORVM
S. FRANCISCI DE PAVLA
SACRI HVIVSCE CONVENTVS FILIO
FELICIS HVIVS CIVITATIS PATRITIO
PRIMARIÆ HVIVS PROVINCIÆ OLIM PROVINCIALI
REBELLEN ET SCALEN PRIMVM NVNC OPPIDEN
EPISCOPO
QVOD ECCLESIAM HANC TOTIVS ORDINIS
MATREM ET CAPVT
QVAM IPSE PROPRIO ÆRE EXORNAVERAT
IPSE IDEM PROPRIA DEVOTIONE CONSECRAVERIT
ANNO CIↃ. IↃ. CCXVIII.
PAVLANI CONVENTVS PATRES
PERENNE GRATITVDINIS MONVMENTVM
P. P.

VII. Arguet me forte quispiam quod plus justo in enarrandis patriæ rebus immoratus sim; at justum plane non erat ut extera nos illustrantes, propria negligeremus, præsertim cum ipsa a nostro instituto aliena prorsus non sint. Cæterum, ut alia, quæ impositionem primi lapidis in ecclesiæ fundamento spectant, prosequamur, fuit quidem aliquando ritus ut una cum ipso lapide numismata tum aurea, tum argentea, immitterentur. Vidi equidem hunc ritum in patria servatum, cum initio hujus sæculi, anno scilicet Christi 1703, die XVIII octobris, in erecta nova ecclesia ad honorem beatæ Virginis in egregio civitatis foro, præfatus Joseph Maria Perrimezzi, tunc Calabriæ citerioris Fratrum Minimorum provincialis, primum lapidem solemni pompa collocavit.

VIII. Varias etiam reliquias sanctorum Martyrum una cum vasculis sanguine ipsorum respersis sub ipso primo lapide, et in ecclesiæ novæ angulis, ac sub parietum fundamentis rite positas ab episcopo Anagnino, cum anno 1733 cœptum est Anagniæ novi templi ædificium in honorem immaculatæ Deiparæ Conceptionis, ac SS. martyrum Cosmæ et Damiani, in monasterio scilicet virginum Ordinis Cisterciensis Oblatarum, contestatus est mihi ejusdem monasterii ac templi fundator Joannes Marangonus, nostræ olim Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis presbyter, qui etiam addit, non modo ipsi cæmento in parietibus erigendis immixtos fuisse innumerorum pene martyrum cineres ex diversis sacris urbis cœmeteriis erutos, sed et centum ac amplius sanctorum Martyrum corpora, quorum singuli nomen proprium habent, per ipsius ecclesiæ parietes in variis loculis fuisse deposita, adeo ut memorata ecclesia jure ac merito habitatio Sanctorum appellari queat. Quod quidem mirum videri non debet, cum ex Ecclesiastica historia constet, super sepulcra Martyrum ædificatas olim ecclesias, reliquiasque Sanctorum in ipsarum parietibus fuisse reconditas. Certe in titularis ecclesiæ Sancti-Clementis de Urbe, apside musivo opere elaborata, arborem vitis undique ramos extendentem conspicimus, in qua exstat crux cum Christo eidem affixo inter imagines Deiparæ virginis ac S. Joannis Evangelistæ, in qua etiam quidam leguntur versus, qui nobis luculentissimum testimonium hodieque exhibent de sacris reliquiis ibidem collocatis :

Ecclesiam Christi viti assimilabimus isti.
Quam Lex arentem, Christus fecit virentem.
De ligno crucis, Jacobi dens, Ignatiique
In suprascripti requiescunt corpore Christi.

IX. Receptum præterea morem fuisse ut non modo crux in primario lapide insculperetur, sed et epocha ipsius lapidis in fundamento novæ

Digitized by Google

ecclesiæ collocandi signaretur, docet nos marmor Massiliense editum a viro clarissimo Stephano Baluzio de scriptoribus Ecclesiasticis in *Comment. ad Lactantium*, et ab illustribus Massiliæ historicis Ruffis, lib. x, pag. XLVI, in quo legitur jactum fuisse primarium lapidem illius ecclesiæ a fundamentis restitutæ, consulatu VI Valentiniani Augusti, scilicet anno Christi 445, XIII kal. decembris, anno 19 episcopatus Rustici; ubi etiam consignantur nomina Episcoporum subsidia corrogantium ad constructionem sacri ædificii, numerata summa solidorum quam quisque contulerat. Compendiariis autem litteris ita concepta est :

✠ DO. ET XPO. MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO. IIII. C. S. VALENTINIANO. AVG. VI. III. KL. D. XVIIII. ANNO. EPTVS. RUSTI...

Quas litteras hunc scite in modum viri eruditi interpretantur : *Deo et Christo miserante limen hoc conlokatum est anno* IV, *consule Valentiniano Augusto* VI, *tertio kalendas decembris* 19° *anno Episcopatus Rustici.* Porro expressum fuisse tempus quo ecclesia ædificabatur, docet nos vetus musivum ecclesiæ Sanctæ-Sabinæ in monte Aventino, in qua ejusdem tituli Clerici expresserunt epocham Pontificatus S. Cælestini, quo Ecclesiam regente ædes illa sacra magnificentius fundabatur :

† Culmen Apostolicum cum Cælestinus haberet
Primus, et in toto fulgeret episcopus orbe,
Hæc quæ miraris, fundavit presbyter urbis
Illyrica de gente Petrus, etc.

X. Illud insuper elapso Christi sæculo observatum fuit, ut Ludovicus cardinalis Ludovisius, Gregorii XV Papæ nepos, ubi templum in honorem S. Ignatii Romæ exstruxit, primumque lapidem solemni ritu benedictum in fundamentis posuit, in uno lapidis latere inscribi fecerit :

✠ LVDOVICVS CARD. LVDOVISIVS S.R. E. VICECANC. TEMPLVM IACTO AB SE LAPIDE FVNDAVIT IV. NON. AVGVSTI A. SAL. MDCXXVI. Ab alio vero lapidis latere hunc in modum :

ERIT LAPIS ISTE IN SIGNVM MEÆ ERGA S. IGNATIVM EIVSQVE ORDINEM PIETATIS. Solemnitatem dictæ cæremoniæ descripsit, typisque mandavit hæres Bartholomæi Zannetti anno 1626. Ipsum autem egregium templum publicæ venerationi apertum fuit anno Jubilæi 1650, sequenti inscriptione supra majorem portam interiorem apposita :

LVDOVICVS CARD. LVDOVISIVS S. R. E. VICECANC. IN HONOREM B. IGNATII SOCIETATIS IESV FVNDATORIS. QVEM GREGORIVS XV. PONTIFEX MAXIMVS PATRVVS INTER SANCTOS RETVLERAT. TEMPLVM HOC A FVNDAMENTIS EXTRVXIT. NICOLAVS PLVMBINI ET VEN. PRINCEPS FRATER APERIENDVM CVRAVIT AVSPICHS INNOCENTII X. PONT. MAX. ANNVM IVBILÆI MDCL. SANCTISSIME CELEBRANTIS.

§ X.

Quo dicto, Pontifex spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta; si non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta ecclesiæ designata hoc modo. Incipiens aspergere et circuire, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam VI toni : *O quam metuendus est locus iste ! vere non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli.* Psalmus LXXXVI : *Fundamenta ejus in montibus sanctis, etc.* Et repetitur Antiphona usque ad tertiam partem fundamentorum apertorum, seu designatorum, ubi subsistit; et repetita Antiphona, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur : quæsumus immensam clementiam tuam, ut quicquid modo visitaturi sumus, benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum

Digitized by Google

meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Vix in antiquis Pontificalibus libris invenies ritum in § præsenti descriptum, quem alias totidem fere verbis legere est in manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi, qui exstat in Vaticana Bibliotheca. Antiphona, Psalmus et Oratio desumpti sunt quidem ex ritu consecrationis ecclesiæ, uti infra ex titulo sequenti patebit. Ex ipsa autem Oratione addiscere licet quanta sit Ordinis Sacerdotalis dignitas, cui tantam præ cæteris Deus gratiam contulisse dicitur, ut quicquid in ejus nomine digne perfecteque a Sacerdotibus agitur, ab ipso Deo fieri credatur. Sed de hac re prolixe loquuntur SS. Ecclesiæ Patres, inter quos videri potest S. Joannes Chrysostomus in aureis suis *De Sacerdotio* libris, S. Ambrosius, S. Augustinus et alii.

§ XI.

Deinde inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni v : *Pax æterna ab æterno huic domui. Pax perennis, Verbum Patris sit pax huic domui; pacem pius Consolator huic præstet domui.* Interim Pontifex, accepta mitra, aspergendo procedit usque ad aliam tertiam partem fundamentorum apertorum seu designatorum, ibidem subsistens, et finita Antiphona, stans cum mitra dicit : *Omnipotentem Deum, Fratres charissimi, in cujus domo multæ sunt mansiones, supplices deprecemur ut locum istum nomini suo ædificandum, per serenissimam pietatem suam bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Exstat et is ritus iis fere descriptus verbis in laudato manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, in quo eadem Antiphona et Oratio reperitur, quam ex ritu consecrationis ecclesiæ desumptam constat ex titulo sequenti, mutatis his solum quibusdam verbis, ut ædificandæ potius ecclesiæ quam consecrandæ conveniant. Quod autem in initio Orationis dicitur, desumptum plane est ex Evangelio S. Joannis, cap. XIV, ubi ita Christus inquit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quæ verba egregie explicant sacri loci hujus interpretes.

§ XII.

Deinde inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Bene fundata est domus Domini supra firmam petram.* Psalmus CXXI : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, etc.* Et repetitur Antiphona. Interim Pontifex aspergendo procedit per ultimam tertiam partem fundamentorum apertorum seu designatorum, revertens ad locum in quo lapidem imposuit; ubi, repetita Antiphona, stans, deposita mitra, dicit : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Deus, qui ex omnium cohabitatione sanctorum, æternum majestati tuæ condis habitaculum : da ædificationi tuæ incrementa cœlestia, ut quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

§ XIII.

Subsequenter Pontifex, ibidem stans sine mitra, inchoat, Schola prosequente, Hymnum *Veni creator Spiritus*. Et dicitur totus. Quo inchoato, Pontifex genuflectit usque ad finem primi versus. Tunc surgit stans detecto capite usque ad finem Hymni. Quo finito dicit: *Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hanc domum ædificandam, qui et dona nostra et populi tui in ea sanctificet, et ipsius corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis: exaudi nos, quæsumus, et concede; ut inviolabilis hujus loci permaneat constructio, et beneficia tui muneris, universitas fidelium, quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quæ in superioribus duobus Commentariis observavimus, locum etiam habent in harum Rubricarum explicatione, quæ una cum Hymno *Veni creator Spiritus*, et Orationibus desumptæ sunt ex ritu consecrationis ecclesiæ. Vide sis in Appendice Ordinem manuscriptum codicis Pontificalis Gulielmi Durandi, qui asservatur in Vaticana Bibliotheca, cum quo hactenus præscriptus ritus omnino consentit. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, in fine Ordinis ad fundandam ecclesiam, præscriptum erat ut Episcopus, vel ejus jussu Presbyter, qui locum benedicebat, Sequentiam diceret quæ in fine Epistolæ festi Pentecostes et per octavas hodieque dici solet, nempe: *Veni, sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium, etc.*

§ XIV.

Hoc facto, accepta mitra, Pontifex, si placet, sedens ibidem in faldistorio, exhortatur populum ad contribuendum pro structura ecclesiæ novæ, et aliis opportunis. Deinde dat benedictionem solemnem, dicens: *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Et in fine concedit indulgentias. His expletis, si velit, parat se ad celebrandum Missam in dicto loco, de Sancto in cujus nomine ecclesia fundatur.

COMMENTARIUS.

I. Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi codice, finita Oratione, præscriptum est ut Episcopus « faciat exhortationem ad populum » si velit, et concedat indulgentias: ultimo loco » det benedictionem, dicens: *Sit nomen Domini* » *benedictum, etc.* » Tum mandat ut, his ita peractis, paret se Episcopus ad celebrandam Missam, si velit, in qua, dicta prima Oratione de Sancto in cujus honore ecclesia fundatur, mox hanc Orationem recitet: « Deus, qui ad ineffa- » bilis affluentiam sacramenti, famulorum tuo- » rum præparas voluntates: donis tuis sanctis » corda nostra purifica; ut quod sancta est de- » votione tractandum, sinceris mentibus exse- » quamur. Per Dominum. ℟. Amen. » Ubi nota I. factum quidem ex præscripto hujus Pontificalis sermonem ad populum, sed nulla facta mentione contributionis pro structura, et aliis

Digitized by Google

opportunis; II. prius concessas indulgentias, et ultimo loco datam benedictionem; III. in Missæ celebratione, quæ alias in arbitrio Episcopi erat illam dicere vel omittere, addi debuisse recitatam Orationem, « Deus, qui ad ineffabilis af- » fluentiam sacramenti, etc., » de qua nulla in nostro hodierno Romano Pontificali mentio habetur.

II. Sed omissa hac varietate, constat ex Ughello in *Italia sacra,* Dacherio in *Spicilegio*, Martenio in suo *Anecdotorum Thesauro*, et aliis, allectos fuisse olim Christi fideles largitione indulgentiarum, ut opem suam constructioni ecclesiarum præstarent. Certe Arelatensis Ecclesiæ archiepiscopus, qui ad decimi sæculi finem sedit, Pontius, post elargitas Montis-Majoris ecclesiæ summas indulgentias, de publice pœnitente, ita ad rem nostram addidit: « Hic talis » ad dictam ecclesiam si venerit in die dedica- » tionis ejus, aut semel in anno cum sua vigilia, » et adjutorium dederit ad opera ecclesiæ San- » ctæ-Mariæ, quæ modo noviter construitur in » prælibato monte, ex parte Domini nostri Jesu » Christi, et ex nostra sit absolutus de tertia parte » majorum peccatorum, unde pœnitentiam ha- » bet acceptam. » Exstat diploma apud laudatum Dacherium in sexto sui *Spicilegii* tomo.

III. Afferri innumeræ huc possent constitutiones Maximorum Pontificum, quibus ipsi rogati a religiosis præsertim Mendicantibus, largitione indulgentiarum alliciebant fideles, ut auxilium suum novorum conventuum atque ecclesiarum constructioni præstarent. Verum notatu dignus est alius ritus, quem quidem non ita passim descriptum invenies, sane ubi ipsi præsertim Mendicantes dedicari a suo proprio Episcopo ecclesias postulabant, eumdem rogabant ut litteras ipsis traderet ad alios Episcopos perferendas, quibus Episcopi vel longe absentes rogabantur indulgentias suas concedere, quo induci valerent fideles ad eleemosynas tum ecclesiæ perficiendæ, tum sustentandis Fratribus elargiendas. Talis est litterarum tenor quas Rambertus Camerinensis episcopus Patriarchis, Archiepiscopis ac Episcopis scripsit, rogatus a Fratribus ordinis Prædicatorum dedicare ecclesiam Sanctæ-Mariæ de Mercato in civitate Sancti-Severini apud Picenos, quam tunc temporis Camerinensis Episcopus administrabat.

IV. « Venerabilibus in Christo patribus et Dominis, Patriarchis, Archiepiscopis ac Episcopis, ad quas littere presentes pervenerint, Rambertus, miseratione divina Camerinensis episcopus, salutem ac veram in Domino caritatem. Cotidianis humanæ fragilitatis excessibus, quibus nequitie fomite suadente, humanum genus sepissime labitur in delictum, celestis opifex antidotum pietatis apposuit, et eleemosyne remedium salutare, ut (*a*) que seductorie infirmitas humana carnis lubrico peccati contraxit rubiginem, misericordiali munificentia collatio indefecte caritatis expurget; ad quam quidem collationem tam dignam tamque meritoriam universi Ecclesiæ Prelati viribus omnibus quibus possunt, subditos suos teneantur inducere, ut eis proficiat ad salutem. Cupientes *igitur* ut ecclesia Sancte-Marie de Mercato ordinis Fratrum Predicatorum de Sancto-Severino (*b*) Camerin. dyecesis congruis reverentiis et honoribus frequentetur, et ut ipsa ecclesia, et totum monasterium augmentetur, et ut Fratres *ipsi qui* abjectis et spretis mundanis omnibus, ac seipsos abnegantes, ibidem divino se cultui manciparunt, possint commode substentari, prefatam ecclesiam cum altaribus in ipsa erectis, *divina miseratione favente*, sequenti anno (*c*) intendimus consecrare; Paternitatem vestram confidenter requirimus et rogamus instanter, quatenus ob reverentiam Dei, beatissime Virginis matris ejus, in cujus honorem ecclesia predicta fundata est, ac

(*a*) Legendum *ut quam*.

(*b*) Civitas quæ hodie apud Picenos Sancti-Severini dicitur, appellabatur olim Septempeda, suosque habuit Episcopos, inter quos recensetur S. Severinus, S. Victorini frater. Ob incursiones Barbarorum solo pene æquata, sicut et aliæ complures Picenorum urbes, antiqua Septempeda Episcopalem cathedram amisit, perduravitque sub regimine Camerinensis Episcopi usque ad Sixtum V Pontificem Maximum, qui ipsam civitatem pristino suo splendori restituit Constitutione sua quæ incipit *Superna dispositione,* anno 1586, VI kal. decembris, Pontificatus anno secundo edita: ab eoque tempore decem Episcopi recensentur, quorum meminit in sua ad diœcesanam Synodum Septempedanæ Ecclesiæ Sancti-Severini appendice altera præclarissimus ejusdem Ecclesiæ Præsul Dionysius Pieragostini, § I, pag. 142 et sequenti. Habita fuit ea Synodus anno 1733, estque totius Ecclesiasticæ disciplinæ compendium.

(*c*) Exstat hoc spatium in autographo.

Digitized by Google

Sanctorum in quorum nomine ibidem altaria sunt erecta, si placet, dignemini omnibus et singulis qui ad predictam ecclesiam in die consecrationis ipsius, ac per octo dies ipsum consecrationis immediate sequentes, ac etiam in omnibus festivitatibus Virginis ac Sanctorum in quorum honore altaria in ipsa ecclesia sunt erecta, ac per octavas eorundem, et in omnibus Dominicis Quadragesime, et in Paschate Resurrectionis, ac per octavas ipsius, causa devotionis, et spiritu humilitatis contriti, et confessi accesserint, et eidem Ecclesie porrexerint subsidia caritatis, vel ad fabricam predicte ecclesie manus adjutrices extenderint, vestras, in quantum vobis a jure (*a*) permittitur, indulgentias concedere salutares, quibus universi induci valeant ad grata subsidia caritatis, ex quibus ipsi Religiosi Fratres et pauperes ibi substentari possint, ac ferventius persistere in servitio Jesu Christi, convenientiusque vacent commodis animarum, ac ipsorum monasterium et conventus ad laudem Dei de bono in melius augeatur, et vos hoc a Domino premium expectetis. Nos vero qui sumus *illius* loci diocesanus, indulgentias quas duxerit vestra Paternitas inibi concedendas, ratas habebimus, et eas ex nunc per presentes litteras approbamus. In cujus rei testimonium et certitudinem pleniorem presentes litteras fieri fecimus nostri sigilli impressione muniri. Notificantes vobis insuper, quod si in hoc nostras preces exaudieritis, gratum beneplacitum erit Summo Pontifici, (*b*) cum predictam Ecclesiam et locum specialiter diligat, et in prefata consecratione intendat gratiam facere singularem. Datum Camerini vicessima die martii. »

Huc usque encyclica Ramberti (*c*) Epistola. Si quis tamen ex multis aliqua litterarum exempla legere cupiat, quas rogati Præsules suis obsignatas sigillis Fratribus ipsis Religiosis exhibebant, hoc loco describere non gravabor. Sunt autem hujusmodi :

« Frater Placidus miseratione divina episcopus Andreensis; Saracenus episcopus Melfiensis; Rogerius episcopus Asculanus; Stephanus episcopus Lavelensis; ac Robertus episcopus Sancti-Angeli de Lombardis, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem ac pacem veram in Domino.

» Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extreme sanctorum obsequiis, et operibus misericordie prevenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum fructu multiplicato recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque gerentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum igitur ad substentationem Religiosorum, et pauperum Fratrum Predicatorum de conventu Sancti-Severini Camerinensis dyocesis, proprie

(*a*) Cautum est in Concilio Lateranensi IV, cap. LXII, ab Innocentio III, ne indulgentia quæ in dedicatione ecclesiæ concedatur, ultra annum extendatur, et XL dies in anniversario dedicationis.

(*b*) Pontifex iste erat Benedictus XI, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui, uti habetur in *Bullario Dominicano* a viro clarissimo sac. theol. magistro Fr. Antonio Bremond edito, ac Notis illustrato, sua peculiari Constitutione ipsi ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Mercato indulgentias largitus est. Dum hæc prælo committuntur, editum est a sacra Rituum Congregatione Decretum a sanctissimo domino Papa Clemente XII, probatum die V decembris, anno 1738, ut singulis annis in honorem ipsius beati Benedicti XI Papæ, septima die julii anniversaria illius obdormitionis in Domino, tum in toto Ordine Prædicatorum, quem ille professus fuerat, tum in civitate et diœcesi Tarvisina, ubi ortum habuit, tum denique in civitate et diœcesi Perusina, ubi ad superos evolavit, recitari posset Officium et celebrari Missa de Communi unius Confessoris Pontificis cum Oratione propria sub ritu duplici, ab omnibus tam Sæcularibus quam Regularibus qui ad horas Canonicas tenentur. Est is Benedictus XI, alter e quatuor qui ex inclyto Prædicatorum ordine ad Romani Pontificatus fastigium assumpti sunt. Primus namque est Innocentius V, electus anno 1276; secundus est B. Benedictus XI, de quo loquimur, creatus anno 1303; tertius S. Pius V, anno 1566; quartus tandem Benedictus XIII, anno 1724. Sunt qui ex eodem Prædicatorum ordine Romanum Pontificem Joannem Vercellensem scribunt electum anno 1281, sed mortuum antequam suæ creationis nuntium accepisset : quod tamen pernegat Natalis Alexander, ejusdem Ordinis scriptor, in *Historia* sua *Ecclesiastica* sub Martino IV. Sed quicquid sit ea de re, profecto maximum est ordinis Prædicatorum decus, quod duo e quatuor suis Romanis Pontificibus Maximis cœlitum albo adscripti sunt, et aris donati. Faxit Deus Optimus Maximus ut reliqui duo eodem aliquando honore afficiantur, ob eximias nimirum suas virtutes, quæ in duobus hisce viris eximiis mirifice elucent!

(*c*) Ignoravit hunc Episcopum Ughellus, illumque sicut et alios plures in sua *Italia sacra* omisit. Agendæ sunt ergo gratiæ archivo Sancti Severini, quod suis Ecclesiis varios Episcopos conservavit.

Digitized by Google

non suppetant facultates, cum proprii nihil habeant, quia mundana omnia ut stercora arbitrantes, ut Christum lucrifacerent, cum Apostolo ex toto animo reliquerunt, et esse cum Christo pauperes spiritu, voluntate propria elegerunt; ipsius sequentes vestigia qui, cum dives esset, factus est egenus pro nobis : Universitatem vestram monemus in Domino, et ortamur, quatenus de bonis collatis a Deo vobis, pias eis elemosinas erogetis, et grata subsidia caritatis, ut per subventionem vestram ipsorum inopia sublevetur, et vos per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterna possitis gaudia pervenire. Nos autem ipsa gaudia promerendi dare causam fidelibus cupientes, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam Sancte-Marie de Mercato dictorum Fratrum in die consecrationis ipsius et per octavas jugiter, et in anniversaria die consecrationis ejusdem ac per octavas ipsius; et in festivitatibus Sanctorum omnibus, in quorum nomine in prefata ecclesia altaria erecta fuerint, ac in festivitatibus omnibus beatissime Marie Virginis, beati Dominici confessoris, beati Petri martyris, omnibusque Dominicis Quadragesime; et in Pasquate (*a*) Resurrectionis Dominice; ac per octavas jugiter predictarum festivitatum omnium, humiliter et devote accesserint, exhibentes ibidem subsidia caritatis; aliisque omnibus, qui fabrice vel ornamentis predicte ecclesie auxilia contulerint; de omnipotentis Dei clementia, sanctissime Marie Virginis pietate, beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, et sanctissimi Dominici confessoris ac Sanctorum meritis confidentes, licentia et assensu venerabilis Patris et Domini Ramberti dyocesani predicti loci, singuli (*b*) unum annum et XL dies de injunctis penitentiis, eis misericorditer in Domino indulgemus. Quapropter in hujus rei testimonium ac perpetuam certitudinem futurorum, has nostras presentes litteras inde fieri fecimus, et sigillorum nostrorum appensionibus communiri. Datum anno Domini M. CCC. III, secunda indictione, mense maii, tempore sanctissimi Domini Benedicti XI, Pontificatus sui anno primo. »

Sequuntur aliorum Episcoporum litteræ hujus tenoris :

« Nos Bartholomeus Dei ac Apostolicæ Sedis gratia episcopus Montis Corbini; Petrus episcopus Vultuariensis; frater Daniel Laquedomensis episcopus; Guido episcopus Venusensis; Bartholomeus episcopus Termulanus, et Petrus Bubensis episcopus, universis Christi fidelibus, ad quos littere presentes pervenerint, salutem et veram in Domino caritatem.

» Pie mentis affectio inter alia virtutum genera abere debet hoc proprium, quod adducat proximum ad salutem. Quare ex caritate debet fraterno amore diligere, sicque Dei dilectionem ostendere, ut vera caritas comprobetur. Quod cum debeat agi per quemlibet Compresbiterum, potius tamen hoc requiritur in Prelatis, quorum vita laudabilis facile trahitur per subditos in exemplum : quibus etiam Pontificii dignitas et potestas attribuunt posse plus ceteris debite relaxare potentiam largius ad salutem. Sane attendentes quod inter cetera opera caritatis, quibus salus mentis requiritur, Sanctorum reverentia, et devotio ac helemosina pauperum preeminentie locum habet, helemosina maxime cum discretione pauperibus distributa : et inter recipientium computa, congruum cogitemus prefatis Predicatoribus Fratribus exhiberi, qui seculo, ejusque sequela, ac seipsis abjectis, pro Christo obediente jugo colla propria subjecerunt, ipsius sequentes exemplum qui mundum contempsit in omnibus, ac usque ad mortem factus est obediens sponte pro nobis. Cupientes igitur universos Christi fideles ad viam salutis adducere, omnibus qui ad predictorum Fratrum ecclesiam in prescriptis festivitatibus et diebus, ac per octavas ipsarum jugiter, contriti et confessi accesserint, exibentes ibidem quomoda (*c*) pietatis, aliisque omnibus qui fabrice et ornamentis prefate ecclesie subsidia exhibuerint, de omnipotentis misericordia Dei, beatissime Marie Virginis pietate, gloriosorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, beati Dominici confessoris ac Sanctorum meritis confidentes, singuli annum unum et quadraginta dies, prout de jure pos-

(*a*) Legendum *Paschate*.

(*b*) Mirandum cur singuli annum unum et quadraginta dies indulgentiarum concedant, cum in laudato Concilio Lateranensi IV, cap. LXII, jam cautum esset anno 1215, quo illud habitum fuit, « ut cum dedicatur basilica, non » extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur. »

(*c*) Legendum *commoda*.

Digitized by Google

sumus, de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus : dummodo hujusmodi indulgentiis predicti loci Dyocesanus consenserit. Et in hujus rei testimonium presentes has nostras litteras cum nostrorum sigillorum fecimus appositione communiri. Datum anno Domini M. CCC. IIII, secunde indictionis, mense maii, tempore sanctissimi Domini Benedicti Pape XI, Pontificatus sui anno primo. »

Aliorum Episcoporum litteræ hujus tenoris sunt :

« Leo miseratione divina Vigiliensis episcopus; Frater Paulus episcopus Melfictensis; Rogerius episcopus Rapollanus, universis fidelibus Christianis presentes litteras audituris salutem in Christo omnium Salvatore.

» Vite perhennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam aciem coronat civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtutibus. Inter que illa esse pregrandia dignoscuntur, quibus ubique magestas (*a*) Altissimi, sed precipue in Sanctorum ecclesiis collaudetur, ac in suorum necessitatibus pauperum foveatur. Nos igitur ad ipsam gloriam promerendam, dare causam fidelibus cupientes, omnibus penitentibus confessis, qui predictam ecclesiam in prescriptis festivitatibus, et diebus, et per octavas ipsarum jugiter humiliter visitaverint, conferentes ibidem subsidia pietatis : omnibusque aliis, qui ad fabricam vel ornamenta prescripte Ecclesie manus extenderint adjutrices, de omnipotentis Dei misericordia, sanctissime Marie Virginis pietate, gloriosorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, ac beatissimi Dominici confessoris meritisque Sanctorum confisi, singuli singulas quadragenas de penitentiis injunctis eis misericorditer in Domino indulgemus. Indulgentias autem hujusmodi ibidem concedere Dyocesanus predicti loci suis patentibus litteris plene et libere nobis consensit. In cujus rei certitudinem firmiorem presentes litteras nostras inde fieri fecimus, sigillorum nostrorum appensionibus communitas. Datum anno Domini M. CCC. IIII, secunde indictionis mense maii, tempore sanctissimi Domini Benedicti Pape XI, Pontificatus sui anno primo. »

Afferri et aliæ possent ejusdem tenoris litteræ ab aliis Episcopis descriptæ; sed cum nihil habeant speciale, consulto omittimus, operæque pretium censemus litteras illas describere, quas post acceptas aliorum Episcoporum recitatas litteras ipse Rambertus Camerinensis Episcopus descripsit de concessione indulgentiarum favore memoratæ ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Mercato, quam Fratres Prædicatores sibi dedicari postulaverant. Sunt autem hujusmodi :

« Rambertus, divina gratia Camerinensis episcopus, Christi fidelibus universis nostras presentes litteras inspecturis, salutem et sinceram in Domino caritatem.

» Postquam a nostris extitit sanctis Patribus ordinatum, ut basilicis et altaribus, que in honorem Dei et sue beatissime Matris, ac Sanctorum ejus devotione fidelium construuntur, munus debeat consecrationis impertiri, ex ipsorum etiam pia provisione processit, ut Christi fideles, qui ad solempnia consecrationis hujusmodi convenirent, nec non in festo anniversario consecrationis ejusdem sive etiam alia quacumque devota et pia easdem basilicas et altaria visitarent, istud inde speciale beneficium reportarent, ut Sanctorum meritis, quorum patrocinia per devotionis condigne obsequia promerentur, illumque venerantur in ipsis quorum est gloria et retributio meritorum, auctoritate Pontificum, per quorum manus basilice hujusmodi et altaria consecrantur, gratuita eis concedatur indulgentia peccatorum. Cum itaque accedentibus ad ecclesiam Sancte-Marie de Mercato Predicatorum Fratrum de Sancto-Severino Camerinensis dyocesis nostre in die consecrationis ipsius, et in festo anniversario consecrationis ejusdem, festivitatibus Sanctorum omnibus in quorum nomine in prefata ecclesia altaria erecta fuerint, et in omnibus festivitatibus sanctissime Marie Virginis, beatissimi Dominici confessoris, beati Petri martyris, et diebus Dominicis Quadragesimæ omnibus, et in Pasquate Resurrectionis Dominice, ac per octavas predictarum festivitatum jugiter, et ibidem porrigentibus beneficia caritatis; aliisque omnibus qui fabrice vel ornamentis predicte ecclesie subsidia exibuerint, per prescriptos, nec non et multos alios venerabiles Patres, et dominos Archiepiscopos et Episcopos, plures peccatorum indul-

(*a*) Legendum *majestas*.

Digitized by Google

gentie fuerint concesse; Nos predicti loci Dyocesanus, cupientes ut ecclesia eadem dignis reverentiis frequentetur, et ut Religiosi Fratres et pauperes, qui, abjectis pro Christo spretisque mundanis omnibus et seipsis, ibidem divino se cultui manciparunt, possint commode substentari, prescriptis indulgentiis, aliisque hujusmodi omnibus consentimus, ratasque habentes eas omni jure quo possumus, ex nunc per presentes litteras approbamus. Et ut Christi fideles eo concurrant devotius ad eandem quo potiora spiritualia munera se ibi speraverint adipisci, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in predictis festivitatibus, et diebus, ac per octavas ipsarum jugiter prefatam ecclesiam visitaverint, largientes ibidem beneficia pietatis, omnibusque aliis qui ad fabricam vel ornamenta ipsius ecclesie manus extenderint adjutrices, de omnipotentis Dei misericordia, sanctissime Marie Virginis pietate, gloriosorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, et beatissimorum Venantii martyris, ac A (*a*)..... confessoris, quorum patrociniis ecclesia nostra tuetur, meritis confidentes, annum unum et XL dies de penitentiis injunctis, eis misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium et certitudinem perpetuam futurorum, nostras has litteras patentes inde fieri fecimus, et nostri sigilli appensione muniri. Datum Macereti anno Domini M. CCC. IIII, secunde indictionis, die XXIX julii, sacrosancta Romana Ecclesia per mortem Domini Benedicti Pape XI acefala (*b*) existente. »

Predictarum indulgentiarum summa est annorum duodecim et quadragenarum quinque propter (*c*) indulgentiam anni unius, et quadraginta Dyocesani predicti.

Sequuntur tandem sigilla ac nomina Episcoporum, qui memoratæ ecclesiæ indulgentias concessere, nempe : Sigillum Ramberti episcopi Camerinen. S. Fratris Pauli ep. Melficten. S. Petri ep. Bubensis. S. Leonis ep. Vigilensis. S. Guidonis ep. Venusensis. S. Roberti ep. Sancti-Angeli de Lombardis. S. Rogerii ep. Asculani. S. Fratris Bartholomei ep. Montis Corbini. S. Petri ep. Vulturarien. S. Fratris Danielis ep. Laquedomen. S. Rogerii ep. Rapollani. S. Stephani ep. Lavellensis. S. Sarraceni ep. Melfien. S. Fratris Placidi ep. Andreensis. S. Bartholomei ep. Termulani.

MONITUM.

Monumenta hæc manuscripta commodavit mihi vir clarissimus, sac. theol. magister Dominicani ordinis scriptor eximius, Frater Antoninus Bremond, servanturque in archivo conventus Sancti-Dominici civitatis Sancti-Severini apud Picenos; describi autem hic ipsa curavimus una cum erroribus qui in originali manuscripto habentur, sine ulla præsertim correctione vitiatæ orthographiæ, ut fidelitatem in describendis manuscriptis antiquis hisce litteris servaremus; apposuimus autem ad calcem notas quasdam ad tollendam nonnullorum verborum obscuritatem.

(*a*) Non addubito quin legi debeat, *ac Ausovini Episcopi, etc.;* fuit enim is Episcopus Camerinensis, uti videre est apud Ughellum in sua *Italia sacra.*

(*b*) Id est sine capite, obiit enim Perusii Benedictus die VII julii, anno 1314, Pontificatus I. Ecclesia autem ipsa consecrata est post illius mortem anno eodem et mense.

(*c*) Legendum *præter.*

Digitized by Google

APPENDIX,

In qua manuscripti Ordines ad fundandam ecclesiam, sive ad benedicendum et imponendum primarium lapidem pro ecclesia ædificanda referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod asservatur Romæ in Bibliotheca Angelica ordinis Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini.

Ordo ad ecclesiam fundandam per Episcopum, vel ipsius Capellanum, qui baculum cum cambuca secum habebit, incipiens a dextro angulo sanctuarii VII Psalmos spirituales trahens de angulo in angulum eam cambucam, dicens : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » Amen. » In singulis angulis ponens signatum lapidem cum cambuca sub quolibet angulo cum ista Antiphona : « Signum salutis pone, Do» mine Jesu Christe, in isto lapide, et non per» mittas introire Angelum percutientem in » æternum; » et est dicendum istud per omnes angulos cum Psalmo attinente. Tunc accipias quinque lapides eodem modo signatos, et quatuor lapides sub IV angulis altaris, eodem modo procedendo. Quintum vero ponet in medio altaris, cantando Psalmum *Quam dilecta tabernacula* totum cum *Gloria Patri.* Deinde cantatur Responsorium : « Domine Jesu Christe, ne de» spicias desiderium meum, sed in honorem » sanctæ Genetricis tuæ, vivificæ crucis, Apposto» lorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, » et omnium electorum tuorum, præpara in » hoc habitationem tuis aptam serviciis. ℣. Qui » de Virgine nasci pro salute humani generis, » et mortem subire dignatus es. Præpara. Glo» ria Patri. »

Sequitur Oratio. « Domine Deus, qui licet » cœlo et terra non capiaris, domum tamen tibi » in terra fieri jussisti, in qua nomen tuum ju» giter invocaretur; hunc locum, quæsumus, » B. Mariæ semper Virginis omniumque San» ctorum tuorum intercedentibus meritis, sere» no tuæ pietatis intuitu visita et vide; et illum » ad fabricandum elige, quem per infusionem » gratiæ cœlestis ab omni inquinamento purifica » purificatumque conserva; et qui dilecti tui » David devotionem, et filii sui Salomonis opera » complesti, tu famuli tui et in hoc opere ita » precamur vota perfice, ut illud te inspirante » incipiat, te adjuvante perficiat, suique laboris » præmium in terra consequatur viventium. » Effugiant ergo hinc jubente te, Domine, om» nes nequitiæ spirituales, et cum fraudibus suis » cuncta diaboli turma tua virtute depulsa. Re» surgat hic Ecclesiæ tuæ pura simplicitas, et » amabilis tibi innocentiæ candor; sicque hunc » locum per unigeniti tui Domini nostri Jesu » Christi dilectionem, coæterni tibi Spiritus Pa» racliti rore fœcunda gratissimo, ut quicumque » hic pro suis necessitatibus auribus tuæ beni» gnitatis ingesserit vota, votorum suorum con» sequatur effectum. Per eundem Dominum » nostrum. In unitate ejusdem Spiritus sancti » Deus per omnia secula seculorum. Amen. »

« Veni, sancte Spiritus, et emicte cœlitus lu» cis tuæ radium. Veni, Pater pauperum, veni, » dator munerum, veni, lumen cordium. Con» solator optime, dulcis hospes animæ, dulce » refrigerium. Illabore (*a*) requies, in extu (*b*) » temperies, et in fletu solatium. O lux beatis» sima, reple cordis intima tuorum fidelium. » Sine tuo numine nichil est illumine (*c*), nichil » est innoxium. Lava quod est sordidum, fove » quod est rigidum (*d*), sana quod est saucium. » Flecte quod est rigidum, riga quod est arri» dum (*e*), rege quod est devium. Da tuis fide» libus in te confidentibus sacrum septenarium. » Da virtutis meritum, da salutis exitum, da » perhenne gaudium. Amen. »

(*a*) Legendum *In labore.* — (*b*) *In æstu.* — (*c*) *In homine.* — (*d*) Frigidum. — (*e*) *Aridum.*

Digitized by Google

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Bibliotheca Vaticana exstat, num. 4744.

MONITUM.

Tametsi in nostro primo tomo Commentariorum in primam Romani Pontificalis partem, memoratum Pontificale Gulielmi Durandi citaverimus semper sine ulla auctoris mentione, quod nimirum auctoris nomen, cum ipsos scriberemus Commentarios, reperire minime licuisset; jam nunc nulli dubium est quin ipsum manuscriptum Pontificale Vaticanæ Bibliothecæ sub numero 4744 fœtus sit Gulielmi Durandi, quippe qui manifeste se prodit in Rubrica *De Ecclesiæ et Cœmeterii violati reconciliatione*, ut in Appendice nostra ad titulum VII videre est; ibi enim inter alia, hæc inquit : « In quibus casibus ecclesia reconcilianda sit, in *Rationali divinorum Officiorum* diximus, in prima parte, sub titulo *De ecclesiæ dedicatione.* » Cum ergo *Rationalis divinorum Officiorum* constet auctorem esse Gulielmum Durandum, aperte etiam liquet eumdem esse memorati Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ scriptorem. Unde non mirum videri debet si in hoc tomo ac sequenti manuscripti Ordines, quos in eodem Pontificali in Appendicibus describemus, Gulielmi Durandi nomine citentur.

De benedictione et impositione primarii lapidis in ecclesiæ fundatione Rubrica.

Nemo ecclesiam ædificet priusquam Episcopi judicio locus et atrium designetur; et quid ad luminaria, et quid ad rectoris et ministrorum stipendia sufficiat, quidque ad ecclesiæ dotem pertineat, diffiniatur; per eum, vel ejus auctoritate per Sacerdotem crux in loco figatur, et lapis primarius in fundamento ponatur. Primo igitur lignea crux in loco ubi debet esse altare, figatur. Sequenti vero die lapis in ecclesiæ fundatione ponendus benedici debet hoc modo. Nam Pontifex debet esse paratus amictu, alba, stola et pluviali albi coloris, mitra simplici, et baculo pastorali absque manipulo in loco ubi ecclesia est fundata, et ibi benedicat aquam, prout moris est fieri in Dominicis diebus. Require formam benedictionis salis et aquæ infra sub ecclesiæ dedicatione ad cartas XXXI, in prima aquæ benedictione. Quo facto aspergatur locus ubi est crux cum aqua benedicta, et cantetur hæc Antiphona : « Signum salutis pone, » Domine, in loco isto, et non permictas introire » Angelum percutientem. » Psalmus *Quam dilecta.* Et dicatur totus cum *Gloria Patri.* Et postea dicit Episcopus hanc Orationem : « Oremus. Domine Deus, qui licet cœlo et terra non » capiaris, domum tuam dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur, locum, » quæsumus, B. Mariæ semper Virginis, et » B. S. Martyris tui, *vel* Confessoris tui, ad talis, » *aut* talium, in cujus honorem ac nomen præsens fundabitur ecclesia, omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, visita, et per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento » purifica purificatumque conserva, et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria » nostra perficere digneris, fugiantque hinc » omnes nequitiæ spirituales. Per Dominum. » ℟. Amen. »

Post hæc benedicat lapidem, dicens : « ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc., » ut in Pontificali Romano.

Tunc aspergat lapidem aqua benedicta, et accepto (*e*) scultro, per singulas partes sculpat in eo signum crucis, dicens : « In nomine Pa ✠ tris, » et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen. Oremus. *Oratio.* Benedic, Domine, creaturam » istam lapidis, etc. »

Lapis autem taliter benedicendus ponitur in fundamento ecclesiæ fundandæ, hoc modo : Primo, Episcopo super faldistorio accumbente, dicitur Litania. Require supra, super ordinatione Subdiaconi ad cartas V, et terminatur cum Collecta. Oratio. « Actiones nostras, quæsumus, » Domine, aspirando præveni, etc. »

Deinde parato cemento, et cementario assistente, ipse Episcopus ponat ipsum primarium lapidem in fundamento, inchoans autem : « Mane surgens Jacob, etc. » Psalmus *Nisi Dominus ædificaverit domum*, cum *Gloria.* Require ista infra sub ecclesiæ dedicatione ad cartas XXXIX.

(*a*) *Cultro.*

Digitized by Google

« Oremus. *Oratio.* In fide Jesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento, etc. »

Et interim cementarius locat ipsum lapidem cum cemento. Postea Episcopus spargit super lapidem aquam benedictam, incipiens Antiphonam : « Asperges me, Domine, etc. » Psalmus *Miserere mei, Deus, etc.*, totus dicitur cum *Gloria Patri*, et repetatur Antiphona : « Asperges me, Domine, etc. »

Deinde Pontifex aspergat aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt; vel si non sunt aperta, circuit aspergendo universa loca ad fundamenta ecclesiæ designanda. Quod fiat hoc modo : Incipiens enim spargere, seu circuire, inchoat Antiphonam : « O quam metuendus est locus iste, etc. » Psalmus *Fundamenta ejus, etc.*, totus cum *Gloria Patri.* Et repetatur Antiphona : « O quam metuendus est. » Et sic aspergendo et cantando, procedit quasi usque ad tertiam partem fundamentorum, seu locorum designatorum, et ibi subsistit, dicens : « Oremus. » Et Dyaconus : « Flectamus genua. ℟. Levate. *Oratio.* Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam, etc. »

Deinde inchoat Antiphonam : « Pax æterna ab æterno, etc., » procedens similiter usque ad aliam tertiam partem fundamentorum, seu locorum designatorum, etiam ibi subsistens dicit Orationem : et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. *Oratio.* Omnipotentem Deum, fratres karissimi, etc. »

Deinde procedens ultra, inchoat Antiphonam: « Bene fundata est domus Domini supra firmam petram. » Psalmus *Lætatus sum, etc.*

Quibus finitis, et expleto circuitu, residens in loco ubi lapidem deposuit, dicit : « Oremus. » Et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. *Oratio.* Deus, qui ex omnium cohabitatione, etc. »

Subsequenter inchoat Ympnum « Veni, creator Spiritus. » Quo dicto, dicit : « Oremus. *Oratio.* Descendat, quæsumus, Domine, etc. Oremus. *Oratio.* Deus, qui in omni loco, etc. »

Hoc facto, Episcopus faciat exhortationem ad populum, si velit, et concedat indulgentiam; ultimo dat benedictionem, dicens : « Sit nomen Domini benedictum, etc. »

Hiis ita peractis, parat se ad celebrandum Missam, si velit; in qua, dicta prima Oratione de Sancto in cujus honore ecclesia fundatur, mox subjiciatur Oratio : « Oremus. Deus, qui ad ineffabilis affluentiam sacramenti, famulorum tuorum præparas voluntates : donis tuis sanctis corda nostra purifica; ut quod sancta est devotione tractandum, sinceris mentibus exequamur. Per Dominum. ℟. Amen. »

TITULUS II.

DE ECCLESIÆ DEDICATIONE SEU CONSECRATIONE.

I. Antiquissimus est Ecclesiæ mos ut finita sacrarum ædium constructione, ad illarum dedicationem, seu consecrationem deveniretur. Ante omnia autem adnotandum est, quod scite docent scriptores nostri, templorum consecrationem e veteri Testamento ad novum, et ab Apostolis ad successores emanasse, servatumque hunc ritum Ecclesiæ totius, Occidentis scilicet et Orientis consensu. Sunt qui Evaristo Papæ ejus originem adscribunt, sed multo certius est Apostolicum esse institutum, nisi dicamus cum viro eruditissimo Joanne cardinale Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XX, ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab antecessoribus acceperat. Certe in *Martyrologiis* S. Hieronymi et Rabani, kalendis augusti ita legitur : « Romæ dedicatio primæ ecclesiæ a B. Petro Apostolo constructa et consecrata. » Id quod expressius confirmat *Martyrologium* Notkeri his verbis : « Romæ statio ad S. Petrum ad Vincula, quam ecclesiam ipse primus in Europa construxit et consecravit. » Hinc capienda sunt illa S. Leonis Papæ verba in *Sermone de Machabæis*, quorum solemnem com-

Digitized by Google

memorationem kalendis augusti jam vel olim consuevit Ecclesia celebrare. Sic ergo inquit : « Gratias, dilectissimi, agamus Domino Deo no- » stro, quod quanta sit hujus diei solemnitas, » etiamsi ego taceam, conventus vester ostendit. » Tanto enim conspiranti studio et devoto animo » convenistis, ut festivitatis magnificentiam etsi » sermo non indicet, congregatio tamen ipsa » testetur. Et recte : duplex enim lætitiæ causa » est, in qua et natalem Ecclesiæ colimus, et » Martyrum passione gaudemus. » A S. Petri discipulo S. Materno plurimos in Belgio fuisse dedicatas ecclesias, testatur *Magnum Belgii Chronicon*. Atque, ut alia omittam testimonia, docent *Acta sanctæ Cæciliæ* inducias hanc virginem petiisse a Deo, ut domus sua in ecclesiam consecraretur.

II. Data Ecclesiæ pace, sicut augustius cœpere construi ecclesiæ, ita etiam dedicari cum magna rituum solemnitate. Votivum ac desideratum spectaculum erat, ut Eusebius loquitur lib. x *Historiæ*, cap. III, videre dedicationum festivitates per singulas urbes, et oratoriorum recens structorum consecrationes. Etsi enim unius duntaxat Episcopi mentionem faciant libri Rituales atque Pontificales, certum nihilominus est plures olim ad ecclesiarum dedicationem, præsertim vero insigniorum basilicarum, Pontifices convocatos, et ea occasione Synodos etiam celebratas fuisse. Templum, quod Hierosolymis sepulcro Servatoris nostri superstruxit Constantinus Magnus, a plena Episcoporum Synodo consecratum fuit, eamque Synodum Constantinum ipsum primo Tyrum, deinde Hierosolymam anno Christi 335 hunc in finem convocasse, testatur Eusebius, lib. IV *De vita Constantini*, capite XLIII; Socrates, lib. I *Historiæ*, cap. XXVIII; et Sozomenus, lib. II, cap. XXVI, ubi ita de ea re inquit : « Circa tricesimum annum imperii Con- » stantini, absoluta jam ecclesia Hierosolymis » in Calvariæ loco, quæ magnum Martyrium » appellatur, Marianus quidem non mediocri di- » gnitate præditus, imperatoris notarius, Tyrum » ingressus, Episcopis in Concilio congregatis » imperatoris porrexit epistolam, qua eos hor- » tabatur ut, confestim Hierosolyma profecti, » ecclesiam illic dedicarent. » Tradit Theodoretus, lib. I *Historiæ*, cap. XXXI, non unam, sed plures tunc ab Episcopis consecratas fuisse ecclesias : « Imperator, inquit, universum Con- » cilium relicta Tyro Æliam proficisci jusserat, » aliosque complures undequaque eo convenire » præceperat, ut basilicas ab ipso constructas » dedicarent. »

III. Testis præterea est memoratus Socrates lib. II, cap. VII, et alii scriptores prisci, quod cum templum Antiochenum, præ magnificentia *Dominicum aureum* appellatum, sub Constantino Magno inchoatum, tandem sub ejus filio Constantio esset absolutum, hujus celebritatis prætensa occasione, evocati fuere Episcopi totius Orientis etiam ex Thracia et Palæstina, conveneruntque ad diem designatum nonaginta Episcopi, ut auctor est S. Athanasius, qui ea occasione Synodum celebrarunt, eodem Athanasio teste dicente : « Antiochiæ novam Synodum » per causam encæniorum coegerunt. » Propterea hæc Synodus communiter a veteribus dicta fuit *Synodus in encæniis;* encænia quippe pro novæ ecclesiæ dedicatione sumi jam pridem usitatum fuit, uti fuse ostendit eruditus Ducange in suo *Glossario*, verbo *Encænia*. Porro de eo Concilio Antiochiæ habito anno 341, et de memorati Antiocheni templi dedicatione hæc habet laudatus Socrates : « Concilium Antiochiæ in » Syria curat congregari, prætextu quidem de- » dicandæ ecclesiæ, quam Augustorum Pater » Constantinus ædificare cœperat, post ejus au- » tem obitum Constantius filius, decimo post » anno quam facta fuerant fundamenta, absol- » verat : re ipsa vero ut Consubstantialis fidem » everteret ac profligaret. »

IV. Neque vero in Oriente solum, verum etiam in Occidente ad majorem dedicationis solemnitatem vicinos quoque episcopos evocari fuisse solitos, testis est S. Augustinus in Epistola CCLXIX ad Nobilium episcopum, qua se excusat quod ad dedicationem novæ fabricæ venire impediretur affecta sua valetudine : « Tanta est, ait, solemnitas, ad quam me affe- » ctus tuæ fraternitatis invitat, ut corpusculum » meum ad vos traheret voluntas, nisi teneret » infirmitas. » Et infra, quibusdam de hiemis rigore suaque senectute interpositis, Epistolam ita concludit : « Salutationem debitam reddo » meritis tuis : salutem vero meam commendo » precibus tuis, poscens et ipse a Domino ut » dedicationem tantæ fabricæ pacis prosperitas » prosequatur. » Luculentus ejusdem consuetudinis testis est S. Gaudentius Brixiensis an-

Digitized by Google

tistes S. Augustino coætaneus : in tractatu enim quem scripsit *De dedicatione basilicæ sanctorum* XL *Martyrum*, ita inquit : « Convenerunt » igitur sanctissimi Antistites et Apostolici viri » ad persolvendum beatissimis Patribus et præ» ceptoribus suis debitæ devotionis obsequium, » ut ubertate plenissima benedictionum spiri» tualium ditaremur. » Addi et his potest Venantius Fortunatus episcopus Pictavorum, qui floruit doctrina et sanctitate tempore Justini Junioris circa annum Christi 570; is namque, lib. III, carmine VI, ad Felicem episcopum *De dedicatione ecclesiæ* cecinit :

Convocat egregios sacra ad solemnia Patres.

V. Hæc eadem disciplina, ut plures Episcopi ad ecclesiæ dedicationem evocarentur eidemque adsisterent, mirifice ex priscis Synodis in Occidente habitis comprobatur. Ad eum profecto respiciunt morem Arausicana I Synodus anno Christi 441 celebrata, can. X, ubi legimus : « Si » sæcularium quicumque ædificaverit ecclesiam, » et alium magis quam eum in cujus territorio » ædificat, invitandum putaverit, tam ipse qui » contra constitutionem ac disciplinam gratifi» care vult, quam omnes Episcopi qui ad hu» jusmodi dedicationem invitantur, a conventu » abstinebunt. » Ubi nota plures invitari Episcopos ad basilicarum dedicationem. Id quod etiam expresse evincitur ex præfatione Concilii Arelatensis IV, anni 524, cujus verba hæc sunt : « Cum in voluntate Dei ad dedicationem basi» licæ Sanctæ-Mariæ in Arelatensi civitate Sa» cerdotes Domini convenissent, etc., » et ex præfatione Concilii Arausicani II, anni 524, ubi Patres ita inquiunt : « Cum ad dedicationem » basilicæ, quam illustrissimus præfectus et » patricius filius noster Liberius in Arausica » civitate fidelissima devotione construxit, Deo » propitiante, et ipso invitante convenisse» mus, etc. » Missa facio et alia Conciliorum loca, et scriptorum testimonia illustria, quæ nos docere possent, tum ante, cum post annum Christi millesimum, basilicarum dedicationibus complures Episcopos interfuisse.

VI. Inter dedicationes ecclesiarum a Synodis Episcoporum peractas, celeberrima omnium illa videtur, quæ hic omitti non debet, insignis basilicæ Sanctæ-Mariæ trans Tiberim, quam Angeli monitu Innocentius III Pontifex Maximus summa religione ac cæremonia in honorem Dei Genitricis, assistentibus sibi Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis, qui ad celebrandum IV Lateranense Concilium et XII œcumenicum convenerant, XVII kal. decembris consecravit; cujus rei memoriam quotannis summa celebritate ac solemni peculiari Officio a sacra Rituum Congregatione approbato, Canonici ejusdem sacrosanctæ basilicæ et Clerus die XV novembris quotannis recolunt.

VII. Meminit hujus dedicationis monitu Angeli factæ ab Innocentio III in ipso Concilio Lateranensi IV, anni 1215, anonymus auctor illius ævi in *Historia ecclesiæ Sanctæ-Mariæ trans Tiberim* apud Ughellum, tomo I *Italiæ sacræ*, ubi agit de Episcopis Prænestinis, num. XXXIV, sic inquiens : « Guido Paparonus a Clemente III » factus Presbyter Cardinalis Sanctæ-Mariæ » trans Tiberim, postea ab Innocentio III factus » Episcopus Prænestinus. Is ex domo Papare» scorum, et progenie Innocentii II descendens, » ecclesiam Sanctæ-Mariæ trans Tiberim fere » per triginta annos laudabiliter gubernavit; et » visione admonitus, Innocentio III fuit auctor » ut eam consecraret : quod ab illis Concilii » Lateranensis temporibus factum est. » Ubi nota ipsum Guidonem, licet creatum Episcopum Prænestinum, retinuisse titulum Sanctæ-Mariæ trans Tiberim. Dicit nonnulla de ipsa ecclesia eruditissimus Onuphrius Panvinius Eremitarum Sancti-Augustini ordinis scriptor in libro *De septem Urbis ecclesiis*, sed brevi longe plura de ejusdem ecclesiæ origine, dignitate ac variis scitu dignis, peculiari historia, studiosos Ecclesiasticæ antiquitatis docebit vir clarissimus, amicus noster Petrus Morettus memoratæ basilicæ canonicus.

VIII. Celeberrimum testimonium basilicæ hujus dedicationis ab Innocentio III Pontifice Maximo, et plenaria ejus Lateranensi IV Synodo celebratæ exhibet nobis in suis Apostolicis litteris Gregorius IX Pontifex Maximus, quas anno Pontificatus sui IV dedit Capitulo Sanctæ-Mariæ trans Tiberim, in quibus inter alia sic inquit : « Felicis recordationis I. (id est Innocentius) » Prædecessor noster ecclesiam vestram in ho» nore Dei Genitricis, assistentibus sibi Patriar» chis, Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, » et aliis Ecclesiarum Prælatis, qui convenerant

Digitized by Google

» ad Concilium generale, tempore ipsius Con-
» cilii, XVIII kalendas decembris solemniter
» consecravit. » Tum addit stationem se in eadem ecclesia constituere die consecrationis ejus, annumque unum de injuncta pœnitentia misericorderiter se relaxare « omnibus vere pœ-
» nitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam
» in die dedicationis ejusdem et usque ad octa-
» vas ipsius venerabiliter visitaverint. » Exstant integræ manuscriptæ hæ litteræ in Archivo secreto Vaticano, lib. III, fol. XV, num. XXV, editasque quantocius excipies a viro clarissimo Petro Moretto in sua memoratæ basilicæ *Historia.*

IX. Jam non solum ut spectatores et testes, quod forte existimabit aliquis Ecclesiasticæ historiæ ignarus, sed ut coadjutores et ministros ad hujusmodi ecclesiarum dedicationes convocatos fuisse Episcopos, liquido constat ex pervetusta quadam memoria et schedula apud Ughellum, tomo V *Italiæ sacræ,* pag. 760, ubi modus ac ritus describitur, quo Urbanus II ecclesiam Sancti-Juliani de Lepida seu Lepia, in districtu Veronensi, anno 1186, consecravit, *præsentibus et cooperantibus* multis S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis. Legimus quoque in *Actis* concilii Remensis sub Leone Papa IX, in quibus agitur de dedicatione insignis basilicæ archimonasterii Sancti-Remigii ab eodem Pontifice peracta, quod « Domnus Papa, convocatis Episcopis, intra
» dedicandi monasterii abdita, singulis singula
» ad consecrandum delegavit altaria : Remen-
» sem vero Archiepiscopum cum Lisojensi
» Episcopo certam circuitionem cum crucibus
» et Sanctorum reliquiis secundum Ecclesiasti-
» cum ordinem exterius constituit agere, ibique
» consecrationis officium adimplere; ipse vero
» cum sibi necessariis remanens interius, divini
» tabernaculi sanctificationem strenue diligen-
» terque exsequitur. »

X. Aliud ejusdem rei exemplum habemus quidem luculentissimum in dedicatione ecclesiæ Majoris-Monasterii Turonensis, celebrata ab Urbano II Pontifice Maximo, in qua Rodulphus Turonensis Antistes, qui jam decennio ejusdem monasterii Monachos persequebatur, jubente Papa, Sanctorum pignora sub Dominico altari propriis manibus collocavit, sanctasque reliquias una cum Hugone Lugdunensi archiepiscopo ex capella infirmorum, ubi pernoctarant, propriis adportavit humeris, et alphabetum Latinum descripsit; Rangerius vero ex Monacho memorati monasterii ob egregias virtutes factus Archiepiscopus Regiensis et Cardinalis, Græcum; cœmeterium autem ab eodem Rangerio et Brunone Signiensi episcopo sacratum est. In dedicatione denique ecclesiæ Sancti-Benedicti monasterii Casinensis a Desiderio abbate restauratæ, cui una cum Alexandro Papa II, uti habetur libro III *Chronici Casinensis,* cap. III, decem Archiepiscopi et quadraginta tres Episcopi interfuere, Papa quidem altaria duo, id est S. Benedicti et S. Joannis consecravit, altare vero beatæ Mariæ Joannes episcopus Tusculanus, altare S. Gregorii Hubaldus Savinensis, altare tandem sancti Nicolai Erasmus episcopus Segrinus.

XI. Quanquam vero et alia exempla afferri possent, quibus magis magisque eluceat Episcopos, qui ad ecclesiarum dedicationes evocabantur, non solum tanquam testes, verum etiam veluti consecrationis adjutores exstitisse, unus tamen ex illis principalis consecrator semper fuit, eratque is diœcesanus Episcopus; unde ex Concilii I Arausicani canone X, cautum fuit ut « si quis Episcoporum in alienæ civitatis terri-
» torio ecclesiam ædificare disponit, vel pro
» fundi sui negotio, aut Ecclesiastica utilitate,
» vel quacumque sua opportunitate, permissa
» licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum
» nefas est, non præsumat dedicationem, quæ
» illi omnimodis reservatur in cujus territorio
» ecclesia adsurgit. » Alia et ejusdem argumenti decreta legere est passim in priscis Synodis, inter quas Aurelianensis III can. XV hæc habet : « Episcopus in diœceses alienas ad alienos Cle-
» ricos ordinandos, vel consecranda altaria ir-
» ruere non debet : quod si fecerit, remotis his
» quos ordinaverit, altaris autem consecratione
» manente, transgressor canonum annua mis-
» sarum celebritate cessabit. » Ergo ad proprium Episcopum spectat ecclesias suæ diœcesis consecrare; unde Gregorius Turonensis episcopus in libro *De vitis Patrum*, cap. VIII, de se ipso inquit : « Factum est autem ut post dies pluri-
» mos ad benedicendam ecclesiam in parochia
» Paternacensi urbis Turonicæ invitaremur. »
Hoc jure capellam, a Conrado imperatore fundatam, in proprio fundo haud procul Colonia

Digitized by Google

ab Episcopo Coloniensi consecratam refert Otho, episcopus Frisingensis, lib. I *De gestis Friderici I*, cap. LXII.

XII. Verum si qua ecclesia in vacante diœcesi exstrueretur, tunc ex vicinis Episcopis unusquisque ad eam dedicandam invitari poterat; ita siquidem Rutenensi Ecclesia vacante infelicitate Gothici dominatus, Sidonius Apollinaris Arvernorum episcopus ad baptisterium sive ecclesiam baptismalem Rutenorum in Gallia dedicandum ab Elaphio fundatore invitatus fuit, teste eodem Sidonio qui, libro IV, epistola XV, ad ipsum Elaphium ita scribit : « Baptisterium, » quod olim fabricabamini, scribitis jam posse » consecrari. Ad quæ festa vos voti, nos mini» sterii, officii multos, fidei totos causa sollici» tat. » Qui fieri potuit ut ministerii cura Sidonio incumberet, cum is non esset Rutenorum Episcopus, ad quem hujusce ministerii consecratio spectabat, jam innui superius; et confirmari potest auctoritate ipsius Sidonii, lib. VII, epistola VI, in qua testatur tunc temporis Rutenorum ecclesiam sicut et alias plerasque suis fuisse viduatas Pastoribus, nec potuisse in eorum locum alios sufficere : « Tunc enim » Euvarigis Ariana vis sæviebat, ea propter » Sidonius baptisterium consecravit, eo quod » Rutenorum Episcopus mortuus esset, » ut scite observat eruditus Savaro in *Notis ad* ipsam *Sidonii Epistolam ad Elaphium missam.*

XIII. Ex dictis itaque liquet cujusvis diœceseos Episcopum fuisse legitimum ministrum dedicandi suas ecclesias in sua diœcesi fundatas. Consulendus enim erat antequam opus inchoaretur; venire debebat ad preces illic faciendas antequam fundamenta jacerentur, uti fuse ostendimus in Commentariis ad titulum I, et terminato ædificio ad ipsam ecclesiam dedicandam vel ipse Episcopus proprius, vel alius quispiam ipsius loco ac de ejus licentia, erat accersendus; adeo ut exempti quoque, quoad consecrationem ecclesiarum, confectionem chrismatis, ordinationem Clericorum, et alia quæ sunt ordinis Episcopalis, minime liberarentur a jurisdictione Episcopi diœcesani. Quod plane eruitur ex cap. *Veniens* XIX, *De præscriptionibus;* et novum ac insolens visum fuit in Gallia, ægre ferentibus hujus regni Episcopis, quod quidam S. R. E. Cardinalis, cui nomen Petrus, tametsi auctoritate Romani Pontificis specialiter munitus, ecclesiam a Fulcone comite Andegavensi in diœcesi Turonensi magnifice constructam, sine consensu Hugonis Turonensis archiepiscopi, in cujus diœcesi hæc nova basilica constructa erat, consecrare attentasset. Rem narrat Glaber Rodulphus, monachus, lib. II *Historiæ*, cap. IV, ubi etiam dicit quod eodem die quo hujus ecclesiæ per Legatum Pontificium consecratio peracta fuit, subito ac inopinato validissimo exorto vento fabrica tota corruerit : « Quod cum multi, » verba sunt memorati historici, « per regionem comperissent, nulli » venit in dubium, quoniam insolens præsum» ptionis audacia irritum constituisset votum, » simulque præsentibus, ac futuris quibusque, » ne huic simile agerent, evidens judicium » fuit. » Et statim subjungit : « Licet enim » Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem » Apostolicæ Sedis cæteris in orbe constitutis » reverentior habeatur, non tamen licet trans» gredi in aliquo canonici moderaminis te» norem. »

XIV. Si vera sunt quæ narrat Glaber, nobisque liceret judicia Dei investigare, corruit potius profecto ecclesia, quod Fulco, qui eam ædificaverat, res et mancipia matricis Ecclesiæ surripuisset, ac præterea, quod in contemptum Turonensis Archiepiscopi, qui ob eam causam ipsam ecclesiam consecrare distulit, quousque direptæ res Ecclesiæ matrici restituerentur, ipse Fulco copiosa argenti et auri assumpta pecunia Curiam Romanam corruperit, legatumque obtinuerit basilicæ suæ dedicandæ causa. Verum rem aliter gestam esse quam refert Glaber, nec Pontificem aliquid tentasse contra canones, nec Turonensi Archiepiscopo repugnante factam esse memoratæ ecclesiæ consecrationem, docent ipsius Joannis XVIII et Sergii IV diplomata, ex chartophylacio ejusdem abbatiæ descripta, et edita a clarissimis Sammarthanis Fratribus, tomo IV *Galliæ Christianæ*, pag. 150 et 151. Ex iis plane discimus Joannem oblatum a Falcone comite monasterium Belliloci, Sanctæ Trinitati et SS. Cherubim atque Seraphim memoriæ devotum, sub tuitione Romanæ Ecclesiæ suscepisse, interdixisseque omnibus Episcopis ne quam ibi jurisdictionem exercerent. Refert hujus diplomatis verba Natalis Alexander in *Historiæ* suæ *Ecclesiasticæ sæculum* XI et XII, cap. I, articulo I.

Digitized by Google

XV. Privilegii istius rescriptum commovit quidem quam maxime Hugonem archiepiscopum Turonensem. Qui Romam accedens, summissis precibus a Sergio IV, Joannis XVIII successore, petiit ut monasterii consecrationem sibi juxta canones et Justiniani legem permitteret. Sed repulsus fuit hac exceptione, quod Falconi liberum fuit, in fundo suo, propriaque hæreditate monasterium construenti, ipsius consecrationem Romanæ Ecclesiæ conferre, quia *cujus est hæreditas, ipsius et consecratio.* Quare Hugo, accepta e manibus Gregorii Silvæ Candidæ virgula, jus omne quod sibi competebat, in Romanam Ecclesiam transtulit. Sergius vero IV Petrum Viterbiensis Ecclesiæ episcopum in Gallias direxit, ecclesiam illam vice sua consecraturum. Testatur id quidem Petrus de Marca archiepiscopus Parisiensis, lib. IV, *De Concordia Sacerdotii et imperii,* cap. VIII, ubi hanc historiam refert, una cum verbis antiqui diplomatis Sergii IV. Peracta est autem consecratio anno 1010, ut testatur *Chronicon Turonense.*

XVI. Ex iis monumentis emendandus est cardinalis Baronius, qui historiam illam memorat ex Glabro ad Joannem illum pseudopontificem referente, qui, per factionem Crescentii schismate excitato adversus Gregorium V, Romanam Sedem invasit anno 996. Sed corrigendus præcipue Glaber, qui se juris ac veræ theologiæ haud satis peritum ostendit, cum Romanum Episcopum in aliorum Præsulum diœcesibus munia Episcopalia exercere non posse asserit, nisi ipsis permittentibus. Longe aliter et verius sensit S. Bernardus, lib. II *De consideratione,* ad Eugenium ita scribens : « Tu potestate Petrus, unctione Christus.... Sunt et » alii gregum pastores... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi universi » crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et » pastorum tu unus omnium Pastor. *Pasce oves* » *meas,* inquit. Quas ? illius vel illius populos » civitatis aut regionis certi regni ? Cui non » planum est non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. » Alia Glabro monacho opponi possent, sed ne ultra instituti nostri metas, quod est de ritibus pertractare, divagemur, hæc obiter dixisse sufficiat.

XVII. Cæterum videri Gallis non debuit novum et insolens quod Papa, pro sua in universam Ecclesiam potestate, possit aliorum Episcoporum basilicas dedicare, ipsisque etiam interdicere ne sine Apostolicæ Sedis permissu ecclesias in diœcesibus suis dedicent. Exstat profecto ea de re antiquissimum Gelasii Papæ constitutum, qui in Epistola IX ad Episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos, capite IV, edicit ut « basilicas noviter institutas, » non petitis ex more præceptionibus, dedicare » nemo audeat. » Et infra, cap. XXV, nonnullos redarguit qui, *absque præcepto Sedis Apostolicæ,* ecclesias vel oratoria sacrare præsumpserant. Rationem ejus instituti aperuit quidem in Vita ipsius Pontificis Luitprandus Ticinensis, sic inquiens : « Item arguit eos qui novas basilicas » sub defunctorum nomine absque præcepto » Sedis Apostolicæ præsumebant sacrare : quod » ideo facit, quia multi eo in tempore, etiam » in nomine infidelium defunctorum constructiones ædificabant, et sacris processionibus » audacter instituebant. » Legimus passim in *Epistolis* S. Gregorii, concessisse ipsum Episcopis hujusmodi facultatem ut in suis diœcesibus ecclesias dedicare possent. Ita siquidem lib. V, epistola XLV, scribens ad Leontium episcopum Ariminensem : « Basilicam, inquit, » beati Stephani martyris, quam fraternitas » vestra incendio asserit concrematam, quam » etiam nuper instauratam esse commemorat, » facultatem tribuimus dedicandi. »

XVIII. Sicut in Italia, ut putat Martenius ex laudatis Gelasii et Gregorii testimoniis, non potuere olim diœcesani Episcopi dedicare ecclesias, nisi impetrata prius a Summo Pontifice facultate, ita nec in aliis locis sine Metropolitæ sui licentia. Liquet hoc ex litteris Montani archiepiscopi Toletani ad Fratres territorii Valentini ; exstantque in calce II Concilii Toletani, anno Christi 531 habiti, ubi ita inquit : « Salubri ordinatione censuimus ut, si quando talis » necessitas incubuerit (consecrandi ecclesias), » litteris nos informare debeatis, et aut per nos, » aut eum qui nobis ex fratribus et Coepiscopis » nostris visus fuerit, et consecratio ecclesiarum, » Deo auspice, poterit celebrari. » Quicquid sit de hac disciplina, hodie hoc jure utimur, ut Episcopi quidem diœcesani, in quorum diœcesibus ecclesiæ construuntur, eas consecrare debeant. Concessit tamen Honorius III Pontifex

Digitized by Google

Maximus, suo diplomate, anno 1217, die VII decembris, Fratribus ordinis Prædicatorum, ut si humiliter ab ipsis requisiti diœcesani Episcopi ecclesias suas consecrare recusarent, possent iidem alios benevolos adire Episcopos, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentes, ut non modo in suis ecclesiis construendis lapidem primarium ponere valerent, sed et ecclesias constructas ac altaria dedicare, et cœmeteria benedicere possent. Refert diploma hujusmodi in suo novo *Bullario ordinis Prædicatorum*, tom. I, pag. 5, vir celeberrimus ac profundissimæ eruditionis, S. theologiæ magister, Antoninus Bremond, dudum mihi amicitia ac familiaritate conjunctissimus, qui etiam tomo II, pag. 661, aliud refert diploma Martini V editum die VII januarii, anno 1426, quo Priorissæ et Sororibus Ennetacensis monasterii in Suevia ordinis Sancti-Augustini, sub regula Fratrum Prædicatorum viventibus, facultatem largitus est ut ecclesiam suam, dum ad hoc apta fuerit, per quemcumque Antistitem, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentem, diœcesani loci vel alterius cujuscumque super hoc licentia minime requisita, consecrari facere possent, constitutionibus Apostolicis cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Sunt quidem hæc peculiaria privilegia, aliis etiam aliquando concessa. Verum et sacri canones et canonici juris consulti constanter mandant ac docent ecclesiarum consecrationem ac altarium ad Episcopos diœcesanos spectare. Vide Barbosam *De officio et potestate Episcopi*, parte II, allegatione XXVI, et alios passim scriptores.

XIX. Chorepiscopis et Presbyteris nefas esse consecrare ecclesias, non semel sacri canones ac Summi Pontifices edixerunt. S. Leo Magnus Pontifex Maximus abusum illum gravibus verbis reprehendit, quod quidam Germaniæ ac Galliæ Episcopi frequenter Chorepiscopos et Presbyteros destinabant ut basilicas consecrarent : « In divinis enim litteris, » inquit in Epistola sua LXXXVIII, « præcipiente Domino, » solus ipse unxit, qui utique summus Sacerdos » Dei erat, sicut scriptum est de eo : *Moyses et* » *Aaron in Sacerdotibus ejus* : ideoque id quod » tantum facere principibus Sacerdotum jussum » est, quorum typum Moyses et Aaron tenue- » runt, omnino decretum est ut Chorepiscopi » vel Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant » figuram, arripere non præsumant; nam » quamvis cum Episcopis plurima illis ministe- » riorum communis sit dispensatio quædam, » quædam tamen auctoritate veteris Legis, » quædam novæ etiam Ecclesiasticis regulis sibi » prohibita noverint, sicut Presbyterorum, et » Diaconorum, aut Virginum consecratio, sicut » constitutio altaris, ac benedictio vel unctio. » Idem constitutum fuit can. VII Concilii Toletani VIII, can. VII Concilii Hispalensis II, quin et apud ethnicos ipsos juris pontificii fuisse dedicationem templorum, late ostendit Gutherus *De vetere jure Pontificum*, cap XI, XII et XIII.

XX. Jure itaque ac merito Gregorius IX Pontifex Maximus in cap. *Aqua*, IX *De consecratione Ecclesiæ*, abusum in provincia Bracharensi repullulatum damnavit, constituitque non posse simplices Sacerdotes etiam de licentia Episcopi ecclesias reconciliare, « non obstante » consuetudine provinciæ Bracharensis, quæ » dicenda est potius corruptela, quia, licet Epi- » scopus committere valeat quæ jurisdictionis » existunt, quæ ordinis tamen Episcopalis sunt » non potest inferioris gradus Clericis deman- » dare. » Sed quæras : Quid, si Presbyter hoc facere sibi sumeret, valeretne iste actus haberi ratus, an deberet Episcopus novam aggredi consecrationem? Respondeo, cum hæc res Episcopo sit per leges Ecclesiasticas et ex consuetudine reservata, nullam de novo factam invenisse me in talibus casibus consecrationem; imo ex laudato cap. *Aqua*, quod mandantibus Episcopis super reconciliatione ecclesiæ factum est per Presbyteros simplices in provincia Bracharensi, misericorditer a se tolerari dicit memoratus Gregorius IX. Cæterum si Presbyter, ignorante Episcopo, vel in ipsius contemptum, ecclesiam consecraret, muneris sui abdicatione puniri illum edicit antiquum Concilium Bracharense I, habitum anno 563, can. XIX : « Si quis Pre- » sbyter, post hoc interdictum, ausus fuerit » chrisma benedicere, aut ecclesiam, aut alta- » rium consecrare, a suo officio deponatur : nam » et antiqui hoc canones vetuerunt. »

[Quod jure non licet simplici presbytero in consecrandis ecclesiis, id ex privilegio a Summis Pontificibus aliquando collatum est quibusdam Abbatibus. Recentius exemplum quod ad nos pervenerit ad Abbatem Campidonensem spectat, cui Benedictus XIV hanc facultatem tribuit lit-

Digitized by Google

teris Apostolicis 12 martii 1748. Antea simile jus Einsidlensi Abbati concesserat Paulus III, cujus privilegium est diei 19 decembris anni 1542, ad Ludovicum abbatem directum pro se et successoribus suis, *quamdiu hæreses obtinerent;* quod nova sanctione a Pio IV roboratum est, litteris Apostolicis sub anno 1562. Exstitit quoque eadem facultas penes Abbatem Novæ Corbeiæ, circa quam commota lis inter ipsum et Episcopum Paderbornensem tali privilegio contradicentem, in gratiam Abbatis tandem decisa est per sententiam sacræ Rotæ Romanæ, die 5 februarii 1745. Et hæc sufficiant quoad factum concessionis Apostolicæ, satis equidem raræ in hac materia dedicationis seu consecrationis ecclesiarum.]

XXI. Mos præterea fuit Ecclesiæ antiquus ut ipsa dedicationis ecclesiarum solemnitas communiter cum panegyrica oratione inchoaretur, continente potissimum gratiarum actionem ad Deum, et nonnunquam in laudes fundatoris, vel recens ædificatæ ecclesiæ gloriam excurrente. Hujusmodi est Eusebii Oratio, lib. x, cap. IV *De ædificatione ecclesiæ*, Paulino Tyriorum episcopo dicta. Nonnunquam plures in ea solemnitate recitatas fuisse orationes, testatur idem Eusebius, lib. x, cap. III, ubi de ecclesiarum dedicationibus tempore Constantini loquens: « Ecclesiarum, inquit, Antistites, quot» quot aderant, panegyricas habebant orationes, » et quantum quisque ingenio poterat, conven» tum laudibus extollere studebat. » Idem de Vita Constantini, lib. IV, cap. XLV, dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum enarrans, ad quam ipse imperator Episcopos in Synodo Tyri congregatos evocaverat, hæc habet : « Sacerdotes » Dei partim precationibus, partim sermonibus » ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi » imperatoris erga omnium Servatorem laudi» bus celebrabant, et martyrii magnificentiam » oratione persequebantur. Alii, sacris theolo» giæ dogmatibus ad præsentem celebritatem » accommodatis, spiritalem quamdam epulam » audientibus præbebant. Quidam sacrorum » voluminum lectiones interpretabantur, ar» canos et mysticos sensus in lucem proferen» tes. » Ipse etiam, cum huic solemnitati adesset, se hunc in modum perorasse inquit : « Ibi nos quoque, quibus majora quam pro » meritis nostris bona contigerant, variis ser» monibus publice habitis solemnitatem deco» ravimus, nunc regalis fabricæ decorem ac » magnificentiam scriptis enarrantes; nunc pro» pheticorum oraculorum sensus apte et ac» commodate ad præsentes figuras atque ima» gines interpretantes. »

XXII. De liberalitate Constantini Magni aliorumque principum, usuque solemnes epulas ac vestes pauperibus erogandi, itemque Episcopis ac Sacerdotibus donaria impertiendi, ubi ecclesiæ dedicabantur, egregia passim narrant historici Ecclesiastici. Porro quanta fuerit Constantini munificentia in dedicatione templi Hierosolymitani, diserte exponit Eusebius, lib. IV, cap. LV, his verbis : « Ex ipsa curia » delegati erant spectata probitate viri, qui im» peratoris sumptibus celebritatem hanc illustra» rint. Horum facile princeps fuit Marianus fide » et prudentia vel ipsi imperatori necessarius. » Hic, se imperatoris voluntati castissimum et » integerrimum ministrum præbens, cum gratia » quadam et suavi humanitate, tum splendidis » conviviis et lætis compotationibus cœtum » illum honorifice tractabat. » Addit pauperum nudis corporibus, et cæterorum, tum virorum, tum feminarum infinitæ pene multitudini in summa victus inopia, et reliquarum opportunitatum egestate positæ, prolixe et abundanter pecunias et vestes largitum fuisse. Quæ omnia in Antiochenæ etiam basilicæ encæniis fuisse a Constantio Augusto servata, docet Socrates, Sozomenus et alii. Hanc autem disciplinam sequioribus etiam sæculis religiose servatam, non modo constat ex Sidonio Apollinari Arvernorum episcopo, l. IV, epist. XV ad Elaphium, cui mandat ut epulum multiplex et capacissima lectisternia pararentur, et ex S. Avito Viennensi archiepiscopo, qui in Epistola XXV ad ipsum Sidonium ejus disciplinæ meminit; verum etiam ex S. Gregorio Magno, lib. I, epistola LIV, in qua Petro subdiacono, defensori patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, edicit ut certam pecuniam, annonam, vinum, et alia conferat pauperibus eroganda in dedicatione oratorii monasterii. De solemnibus epulis per tres dies continuos præcedentes et subsequentes ingenti multitudini exhibitis in dedicatione ecclesiæ Montis Casini, vide Leonem Ostiensem in ejusdem monasterii *Chronico*, lib. III, c. XXX.

XXIII. Magnificum profecto est quod eam in

Digitized by Google

rem de Kenulpho rege Merciorum refert Matthæus Westmonasteriensis ad annum 798. « Cum apud Winchelcumbam, inquit, eccle- » siam, quam fundaverat, fecit dedicari, ipsa » consecrationis die regem captivum (fuit is Ed- » brinthus rex Cantii I) ante altare manumit- » tens libertate donavit. In conventu tredecim » Episcoporum nullus largitatis passus est re- » pulsam, dum singuli refertis marsupiis abi- » bant. » Statimque adjungit : « Nam præter illa » xenia, quæ optimates susceperunt inæstima- » bilis pretii et numeri, in utensilibus, vestibus, » equis electissimis, omnibus qui agros non ha- » bebant, libram argenti, Presbyteris marcam » auri, monachis solidum unum, et postremo » multa universo populo erogavit, etc. » In consecratione tandem Radingensis ecclesiæ per triduum exhibitas epulas fuisse ab Henrico II, rege Anglorum, refert Robertus Montensis in *Supplemento* Sigiberti ad annum 1165.

XXIV. Defecit pedetentim ista principum et procerum pietas, at interim Episcopi dedicationis emolumentis noluerunt orbari. Gratiam conati sunt in debitum vertere, ut scite observat eruditus Lupus in canonem III Concilii II Tholosani, Victoris II Pontificis Maximi. Adversus istiusmodi exactiones varii olim editi fuerunt canones; Synodus Bracharensis II, can. V, ita statuit : « Quoties ab aliquo fidelium ad conse- » crandas ecclesias Episcopi invitantur, non » quasi ex debito munus aliquod a fundatore » requirant, sed si quidem aliquod ex suo voto » obtulerit. Si vero paupertas illum aut neces- » sitas retinent, nihil penitus exigatur ab illo. » Mendosam puto hanc lectionem, supplendamque idcirco ex habita sub Adriano II Synodo Wormatiensi, in qua cap. II legimus : « Si ali- » quid ex suo voto obtulerit, non respuatur. » Concilium Cabillonense II, can. XVI, pro dedicandis basilicis nihil accipiendum esse pronuntiat. Idipsum confirmat sub Ludovico Pio secunda Synodus Aquisgranensis, et aliæ tum in Gallia, tum alibi celebratæ Synodi. Etenim Joannes et Benedictus, Paschalis II per Galliam cardinales Legati, in primo suo Pictaviensi Concilio, cap. IV, statuerunt : « Nullus Episcopus » pro ecclesiarum dedicationibus munus acci- » piat. » Et Joannes cardinalis de Crema, Honorii II per Angliam legatus, in Londinensi Synodo constitutum voluit ut « in dedicationi- » bus ecclesiarum non cappa, non tapetes, non » manutergia, non baccilia, et nihil omnino » per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, » penitus exigatur. » Et in alia Synodo Londinensi, quæ exstat apud Rogerum Hovedenum, Richardus archiepiscopus Cantuariensis, postquam dixit : « Ne pro dedicatione quidquam » exigatur, » statim subjunxit : « Si quis hoc » fecerit, anathema sit. »

XXV. Sciendum tamen est quod cum Episcopus olim Vigiliensis Alexandrum III Papam consuleret, utrum pro ecclesiarum consecratione quicquam præter procurationem exigere deberet, respondit ille quod nihil potest vel debet præter ipsam procurationem exigere; uti habetur in cap. *Cum sit*, X *De simonia*. Ubi nota quod docet Lupus in secunda proœmiali dissertatione *De simoniæ crimine, et variis ad ipsum spectantibus*, cap. IX, ecclesiæ consecrationem esse quamdam visitationis speciem, cui juxta antiquos etiam canones debentur istius diei alimenta, quæ passim dicimus procurationes. Verum esse debent alimenta simplicia ac vere Episcopalia, non lauta et sumptuosa convivia, longe minus comessationes, quibus fidelis plebs scandalizetur, et pauperes rusticorum pagi ad miseriam redigantur. Ejusmodi procurationes in Petro Leonis pseudopapæ fautore, cardinali Romanæ Ecclesiæ et per varias provincias legato, insigniter depingit, ac in ipsas merito invehitur Arnulfus Lexoviensis episcopus, c. III. Summus fuit et de ea re abusus in Germania initio sæculi XVI, unde apud Adrianum VI quæstus fuit Nurembergensis Germanorum procerum conventus, Episcoporum suorum avaritiam ita suggillans : « Cum ecclesias ac templa » prætenuia quidem Deo dicant sacrantque » nonnulli suffraganeorum, subditos per se ut- » cumque egestate laborantes superfluis, mini- » meque necessariis sumptibus onerant; neque » hoc contenti, quin munera quoque, et illa » quidem immodica, a misera plebecula exi- » gant. »

XXVI. Puto equidem Episcoporum quorumdam ingluviem exactionesque importunas causam dedisse populis ut minime curarent suas dedicari ecclesias. Hinc non modo in oppidis vel insignibus, sed et in urbibus paucissimæ ecclesiæ dedicatæ conspiciuntur; adeo ut Benedictus XIII Pontifex Maximus, qui in dedicandis

Digitized by Google

templis indefessam navavit operam, consecravitque ecclesias plurimas, religiose statuerit in Romano Concilio anni 1725, tit. XVI, cap. I, ut cathedrales ecclesiæ et parochiales, cum majoribus saltem altaribus, intra annum in civitatibus, et in diœcesibus intra biennium post earum restaurationem, ab Episcopis consecrentur. Fuit Benedictus religionis et sacrorum Ecclesiæ rituum studiosissimus, cui idcirco in egregio ejus tumulo, in templo Sanctæ-Mariæ super Minervam, in sacello Sancti-Dominici erecto summa pietate S. R. E. Cardinalium, Angeli Mariæ Quirini, Nicolai Mariæ Lercari, Francisci Antonii Finy, et Alexandri Albani, itemque excellentissimi Gravinensium ducis, ac præsertim reverendissimi P. magistri generalis ord. Præd. F. Thomæ Ripoll, memoratus Eminentissimus Finy marmoream statuam virtutem Religionis exprimentem, grati animi monumentum, ac perpetuum sui studium erga venerandam ipsius Pontificis memoriam posuit.

XXVII. Hoc quidem fuit et olim veterum Romanorum Pontificum studium, ut ecclesias et altaria non modo Romæ, sed et aliis etiam in locis dedicarent. Ut enim alios sileam, de S. Leone III Papa hæc habet Epistola S. Ludgeri apud Surium in Vita S. Swiberti episcopi Verdensis, cap. IX, ad diem I martii : « Post decessum a Roma in Germaniam et Galliam, idem » S. Leo Papa, anno Dominicæ incarnationis » octingentesimo tertio, cum magna solemnitate » suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, » Episcoporum, et Prælatorum, ac Primatum, » ad imperatorem Carolum in Germaniam veniens, et ab eodem imperatore imperialiter » cum suis susceptus, inter multa pietatis suæ » opera, instantia ejusdem serenissimi imperatoris et regis, Aquisgrani in palatio dedicavit » ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans » eamdem ecclesiam multis indulgentiis. Deinde, humili petitione et instantia venerabilis » Patris Gerbaldi episcopi Leodiensis, consecravit ecclesias gloriosæ Virginis Mariæ, tam in » Tungris quam in Viseto ; et Coloniæ Agrippinæ, tam ad Sanctum-Martinum quam in » Capitolio altaria consecravit ; et multa alia » monasteria et altaria ac capellas per Alemanniam et Galliam consecravit, ubique multas » indulgentias conferendo. » Cæterum ne quis autumet levioris momenti esse præfatam Benedicti legem, opportunum duxi Concilii Londinensis anni 1237 sanctionem subjicere. Sic enim, c. I *De Ecclesiarum dedicatione,* inquit :

XXVIII. « Basilicarum dedicatio a veteri Testamento initium dignoscitur habuisse, et in novo est a sanctis Patribus observata : in quo est eo dignius et studiosius facienda, quo in illo tantum offerebantur hostiæ animalium mortuorum, in isto vero cœlestis hostia viva et vera, ipse scilicet unigenitus Dei Filius in altari offertur pro nobis manibus Sacerdotis. Quare statuerunt provide sancti Patres ne in aliis locis quam Deo dicatis, nisi necessitatis causa, celebraretur officium tam sublime. Porro quia vidimus per nos ipsos, et a plerisque audivimus, tam salubre ministerium contemni, vel saltem negligi a nonnullis, dum multas invenimus ecclesias, et etiam cathedrales, quæ, licet sint ab antiquo constructæ, nondum tamen sunt consecratæ oleo sanctificationis. Volentes huic periculosæ negligentiæ obviare, statuimus, et statuendo præcipimus, ut omnes ecclesiæ cathedrales, conventuales et parochiales, quæ perfectis parietibus sunt constructæ, infra biennium per diœcesanos Episcopos, ad quos pertinent, vel eorum auctoritate per alios consecrentur ; sicque infra simile tempus fiat de cætero construendis. Et ne tam salubre statutum transeat in contemptum, si loca hujusmodi non fuerint infra biennium a perfectionis tempore dedicata, a Missarum solemniis usque ad consecrationem manere statuimus interdicta, nisi aliqua rationabili causa excusentur. »

XXIX. Qualis fuerit canonis hujus effectus, addiscere licet ex iis quæ ad annum 1238 scripsit Matthæus Parisius : « Circa idem tempus, » inquit, dedicatæ sunt nobiles ecclesiæ conventuales, in diœcesi Linconiensi in Marisco, videlicet Ramesee, Burgi et Sautoree, a venerabili episcopo Linconiensi Roberto : ecclesia »Ramesee X kal. octobris, die scilicet S. Mauritii Sociorumque ejus, ecclesia de Burgo » IV kal. octobris, ecclesia de Sautoree eadem » septimana ; et multæ aliæ ecclesiæ per totam » Angliam secundum constitutionem Londini » per legatum Ottonem celebratam. » Audiendus est iterum laudatus Parisius ad annum 1239, ubi alias dedicatas fuisse ecclesias refert, sic dicens : « Circa idem tempus, scilicet V idus augusti, die videlicet S. Romani dedicata est

Digitized by Google

» ecclesia conventualis Abendunensis ab epi-
» scopo ejusdem loci diœcesano, scilicet Sari-
» sberiensi Roberto. Et eodem tempore dedicata
» est similiter ecclesia de Welles : et eodem
» tempore dedicatæ sunt ecclesiæ Eveshamensis,
» Glovernensis, Theukeburiensis, Wicumbe-
» riensis, Persorensis, Alencestrensis, et multæ
» aliæ per regnum Angliæ. » Plurimas ecclesias in ipsa Anglia circa idem tempus dedicatas, vide in Vitis XXIII Abbatum Sancti-Albani, apud ipsum Matthæum Parisium Anglicarum rerum scriptorem. Ex Synodo Wigorniensi anno 1240, cap. II, illud quoque mandatum est, ut « provi-
» deant Rectores Ecclesiarum, et Prælati, et
» Majores, quod paratæ sint ecclesiæ suæ ad de-
» dicandum non consecratæ, cum fuerint re-
» quisiti. »

XXX. Inter scriptores recentiores recte docet Carolus Guyetus, *Heorthologiæ* lib. I, cap. III, quæstione III, quod, licet legitimæ sint quæcumque dilationis causæ ad basilicas dedicandas, stant nihilominus sacri canones tum id enixius præcipientes, tum vero etiam sacrificari, ac missas aliis quam in Deo dedicatis locis celebrari, districte vetantes. Hujusmodi sunt canon *Sicut non alii*, canon *Missarum solemnia*, canon *Ecclesias*, canon *Hic ergo*, canon *Nullus Presbyter*, canon *Solemnitas*, *De consecratione*, distinctione I, quibus accedit textus in cap. *Si Ecclesia*, Extra, *De consecratione ecclesiæ*. Certe S. Athanasium criminati sunt Ariani, in hoc Lutheranis religiosiores, quod synaxin in ecclesia non consecrata celebrasset; qui tamen non ita se excusat quasi id utcumque liceret; verum quod propter angustiam aliarum ecclesiarum, et nimiam populi frequentiam, summa populi necessitas, et ingens periculi metus, eo renitente, facere coegisset; uti ipse Athanasius testatur in *Apologia* ad Constantium imperatorem. Cæterum, si vestes, vasa et personæ sacris ministeriis deputatæ benedici et consecrari debent, quanto magis ecclesia ipsa, in qua usus est illorum omnium et sacra omnia obeuntur?

XXXI. His etiam accedit quod Sacramenta, seu mysteria illa quæ per ecclesiæ dedicationem designantur, et emolumenta quæ orantibus inde proveniunt, cæteraque omnia quæ a S. Thoma, III parte, quæstione LXXXIII, articulo III, aliisque doctoribus tantopere commendantur, irrita sunt et inania, quamdiu sua deest ecclesiæ consecratio; ut non immerito ad ecclesiam non consecratam transferri possit quod de rege minime inuncto per visionem significatum est S. Udalrico episcopo Augustano, referente Baronio ad annum 912, quod quidem et nos retulimus tomo I hujus operis in Commentario tituli *De Benedictione et Coronatione regis*. Nimirum apparuit ei S. Petrus Apostolus gladium unum sine capulo, alium vero capulo munitum protendens, et hunc quidem regem inunctum, illum vero carentem unctione designare asserens. quo viso Henricum Germaniæ regem ungi detrectantem, eo tandem adduxit ut unctionem quamprimum susciperet.

XXXII. Restat ut varias causas consecrandarum ecclesiarum ex ipsius dedicationis ritu ac precibus summatim recenseamus, quas tum prisci Patres, tum alii scriptores fuse enarrant. Prima est ut dæmones effugentur; quod illustri exemplo probat S. Gregorius, lib. III *Diagolorum*, cap. XXX. Secunda, ut omnes, qui ibidem deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione consolationis divinæ beneficia consequantur : quæ omnia dignius exhibentur in locis Deo sacratis, in quibus etiam orationes facilius exaudiuntur; uti videre est lib. III *Regum*, cap. VIII. Tertia, tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in iis qui Sacramentum altaris suscipere debent : ex S. Thoma in laudata parte III, quæstione LXXXIII, articulo III, ad II. Quarta, ut quod in templis vel altaribus visibiliter colitur, nobis invisibiliter compleatur. Id quidem passim docent SS. Ecclesiæ Patres in plurimis quos de dedicatione ecclesiæ sermonibus ediderunt : « Quotiescumque, fratres charissimi, » inquit S. Augustinus in Sermone CCLII de tempore, « altaris vel templi festivitatem colimus, si fide-
» liter ac diligenter attendimus, et sancte ac
» juste vivimus, quicquid in templis manufactis
» agitur, totum in nobis spiritali ædificatione
» completur. » Egregie idipsum exponit S. Bernardus, Sermone I in dedicatione ecclesiæ, sic inquiens : « Quando domus ista per manus Pon-
» tificum dedicata est Domino, propter nos sine
» dubio factum est, non solum qui præsentes
» sumus, sed et quicumque usque in finem sæ-
» culi Domino sunt in hoc loco militaturi. »
Legendus est totus sermo, in quo idem Bernar-

Digitized by Google

dus totum hunc nostrum titulum illustrat, ac varios in eo ritus contentos non modo memorat, sed egregie etiam exponit. Sic autem ait : « In » nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, » quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. » Et si vultis scire, hæc utique sunt : aspersio, » inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. » Hæc quidem in hac visibili domo fecere Pon» tifices : hæc Christus assistens Pontifex futu» rorum bonorum invisibiliter quotidie opera» tur in nobis, etc. »

XXXIII. Scio denique Magdeburgenses hæreticos, *Centuria* IV, cap. VI, col. CDVII et sequentibus, tria præsertim in dedicationibus ecclesiarum reprehendere. Primo, quod ipsæ ecclesiæ a nobis cum ingenti lætitia et celebritate dedicentur; ortumque id esse insimulant ex κακοζηλία Judaismi, et introducere Judaismum ipsum in Ecclesiam. Secundo, quod tot cæremoniis in ipsa dedicatione utamur, quæ a magia et superstitione excusari nequeunt. Tertio, quod putemus templa esse loca sanctiora cæteris. Id quod etiam reprehendit Calvinus, lib. III *Institutionum*, cap. XX, numero III. Verum quam turpiter errent, abunde constat auctoritate veterum Patrum, et praxi antiquissima Ecclesiæ, quam etiam miracula comprobarunt; multa enim exempla apud historicos venerandæ antiquitatis exstant, quæ nos condocent dedicatas non semel cœlitus ecclesias opera Sanctorum, servatosque fuisse in hujusmodi dedicationibus omnes fere sacros ritus quos hodieque libri Pontificales præscribunt.

XXXIV. Celebre in primis ejus rei exemplum habemus quidem in Vita S. Heraclii episcopi Senonensis in Gallia, qui floruit initio sæculi VI; narrat etenim ejus Vitæ auctor apud Bollandianos ad diem XVIII junii, quod cum ad dedicandam ecclesiam una cum aliis Episcopis in orationibus pernoctarent, angelicas audierunt voces, et, facto mane, accedentes ad altare, viderint « in quatuor angulis medioque marmoris crucis » signacula decenter impressa, stupentesque » proinde non ausi sint ulterius consecrare lo» cum, quem cernebant cœlitus consecratum. » Idem hoc miraculum refert Andreas Saussaius in *Martyrologio Gallico* ad diem III junii, ubi agit de S. Theudechilde quæ ædificavit in honorem Apostolorum Principis cœnobium, « ad » cujus dedicationem cum ejus rogatu S. Hera» clius tunc præsul Senonensis profectus esset, » vicinarumque urbium Præsules ex condicto » adessent, in ecclesia pernoctantes, angelicas » dulcissime concrepantes audierunt voces ; fa» cto autem mane, dum respicerent altare, vi» derunt in quatuor angulis et in medio mar» moris signacula crucis decenter impressa. » Puto Apostolorum Principem dedicasse altare quod in ejus honorem ædificatum fuerat, cum constet ex sacris scriptoribus ipsum alias quoque ecclesias cœlitus dedicasse, quas in ejusdem sancti Apostoli Petri honorem fidelium pietas aliis in locis erexerat.

XXXV. Celeberrimum et notatu dignum est illud, quod ea in re, de dedicatione scilicet cujusdam ecclesiæ in honorem S. Petri in occidentali Londinensis civitatis parte erectæ, quam Petrus ipse cœlitus dedicavit, prolixe narrat Aelredus monachus Anglus in Vita S. Eduardi regis apud Surium die V januarii, ubi rem ita narrat : « Tempore quo rex Ethelbertus, qui regnavit in Cantia, prædicante beato Augustino, fidei sacramenta susceperat, nepos ejus Sebertus, qui orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Episcopo evangelizante suscepit. Hic Londoniis, quæ regni sui caput habebatur, intra muros ecclesiam beati Pauli fabricavit, et Episcopali honore Mellitum Episcopum instituens honoravit. Extra muros vero, in occidentali parte, in honorem beati Petri monasterium insigne fundavit, et multis possessionibus ditavit. Nocte autem dedicationem ejusdem ecclesiæ præcedente, piscatori cuidam Tamesis fluvii, qui idem monasterium præterfluit, ulteriori ripa, in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissa mercede, transponi se ab eodem et petiit et promeruit. Egressus autem de navicula, ecclesiam piscatore cernente ingreditur; et ecce subito lux cœlestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem convertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo civium supernorum ingredientium, melodiaque cœlestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat.

XXXVI. » Peractis autem omnibus quæ ad ecclesiæ dedicationem spectant, redit ad piscatorem piscium Piscator egregius hominum; quem dum divini luminis fulgore perterritum et alienatum pene sensibus reperisset, blanda consolatione reddit hominem sibi, animum rationi.

Digitized by Google

Ingredientes cymbam simul uterque piscator, ait Petrus : « Numquid pulmentarium non ha- » bes ? » Et ille : « Inconsultæ, inquit, lucis per- » fusione stupidus, et exspectatione tui detentus, » nihil cepi, sed promissam a te mercedem se- » curus exspectavi. » Ad hæc Apostolus ait : » Laxa nunc retia in capturam. » Paruit imperanti piscator, et mox implevit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant ejusdem generis pisces, præter unum miræ enormitatis esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus : « Hunc qui præ cæteris pretio et magni- » tudine præcellit, Mellito ex mea parte defer » piscem episcopo : pro nautica vero mercede » cætera tibi tolle. Hujus generis copia abunda- » bis in vita tua, et longo tempore post te pro- » genies tua : tantum ne ultra piscari audeatis » in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui » loquor tecum, qui cum meis concivibus con- » structam in meo nomine basilicam dedicavi, » Episcopalemque benedictionem meæ sanctifi- » cationis auctoritate præveni. Dic ergo Ponti- » fici quæ vidisti et audisti : tuoque sermoni » signa parietibus impressa testimonium perhi- » bebunt. Supersedeat igitur dedicatione : sup- » pleant, quod omisimus, Dominici corporis et » sanguinis sacrosancta mysteria : populumque » sermone erudiens, notificet omnibus hunc lo- » cum me crebro visitaturum ; hic me fidelium » votis et precibus affuturum ; sobrie vero, pie » et juste in hoc sæculo viventibus cœli januam » reseraturum. »

XXXVII. » His dictis, confestim ab oculis ejus disparuit. Mane autem facto, episcopo Mellito ad dedicandam ecclesiam procedenti, cum pisce piscator occurrit, et omnia quæ sibi mandata fuerant, pandit. Stupet Antistes, reseratisque ecclesiæ valvis, videt pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, et quasi recenti respersione cuncta madescere. Quod videns Episcopus una cum populo Deum benedicebat, et illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quæ sicuti a patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro eique servientibus decimas offerebat. Unus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tamdiu artis caruit beneficio donec confessus reatum, et ablatum restitueret, et promitteret correctionem. »

XXXVIII. Multa sunt in hac prolixa memorati scriptoris narratione, quæ veritatem facti ostendunt, quod et alii etiam scriptores referunt, inter quos Willelmus Malmesburiensis, libro II, *De Episcopis Londinensibus*, ubi de Mellito agit, expresse inquit creditum fuisse miculum, nec consecrationis mysterium repetitum, « quam perfectam monstrarent candelæ » per totam ecclesiam accensæ, cruces factæ, » nec minus aquæ aspersæ, et sacrati olei locis » debitis non frivola vestigia. » Tum ita concludit : « Cessit divino officio humana sedulitas, » pronuntiavitque voce prophetica momenti » magni futurum monasterium, in quo Aposto- » lus Pontificale exercuisset officium. » Si vera sunt quæ narrat auctor nomine Abdias Babylonius, qui unus ex discipulis Domini fuisse dicitur, jam tempore Apostolorum ecclesiæ summo Numini solemnibus ritibus dedicabantur. Ait enim lib. VIII *Historiæ Apostolicæ*, ubi agit de rebus per Indiam a B. Bartholomæo gestis, templum, in quo erat idolum Astaroth, purgatum ab ipso fuisse, et ab Angelo solemniter consecratum : « Apparuit Angelus Domini splen- » didus sicut sol, habens alas et per quatuor » angulos templi circumvolans, digito suo in » quadratis saxis sculpsit signum crucis, et » dixit : Hæc dicit Dominus, qui misit me : » Sicut omnes vos ab infirmitate vestra munda- » mini, ita mundavi templum hoc ab omni » sorde, et habitatore ejus, quem jussit Aposto- » lus Dei ire in locum desertum ab hominibus. » Præterea me jussit Dominus, quem videntes » nolite expavescere, ut quale signum ego scul- » psi in his saxis, tale vos digito vestro facia- » tis in frontibus vestris, et omnia mala fugient » a vobis. » Similia et vera exempla dedicatarum scilicet ecclesiarum opera Angelorum atque Sanctorum cum Christo in cœlo regnantium, complura invenies apud historicos Ecclesiasticos, qui etiam referunt Dionysianam in Gallia ecclesiam ab ipso Christo Domino, relictis etiam patentibus divinæ suæ virtutis et operationis vestigiis, fuisse dedicatam.

XXXIX. Hinc curiosa oritur quæstio, an ecclesiarum hujusmodi divina vel Sanctorum opera consecratarum fieri festum Dedicationis debeat? Respondet eruditus Carolus Guyetus in sua

Digitized by Google

Heortologia, sive *De festis propriis locorum et ecclesiarum*, lib. I, cap. III, quæstione V, celebrandum utique esse hujusmodi festum; quod probat ex usu nobilissimarum ecclesiarum, Aurelianensis et laudatæ Dionysianæ, quarum prima a S. Evurtio episcopo, super cujus caput sacra mysteria peragentis, apparente protinus nube candida, visa est manus ex eadem nube prorumpens, porrectis tribus digitis, tertio oblata benedicere, eoque signo mirabili, dedicatio ipsa perfecta ac consummata jure meritoque præsumitur; altera vero ab ipso Christo, relictis, ut dixi, patentibus divinæ suæ virtutis et operationis vestigiis. Cum itaque utriusque hujus ecclesiæ usus sit, ut quælibet dedicationem eo religiosius celebret, quo majori cum signorum ac gratiarum munere completa fuisse creditur, soluta videtur proposita quæstio.

§ I.

Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit.

COMMENTARIUS.

I. Quolibet die antiquitus indiscriminatim celebratas fuisse ecclesiarum dedicationes, docent nos varia in diversis temporibus scriptorum testimonia. Observat profecto Antonius Pagius in *Critica* Baroniana ad annum 335, numero I, dedicationem basilicæ Hierosolymitanæ, Constantini Magni jussu in plena Episcoporum Synodo peractam, in Sabbatum incidisse. Omnes enim scriptores in hoc consentiunt, quod idibus septembris, seu die XIII ejus mensis, qui isto anno secundum exactas regulas et methodum cyclicam cum Sabbato incurrit, facta sit. Unde infert Pagius nondum morem invaluisse ut ecclesiæ die Dominica dedicarentur. Certe altum est de ea re silentium tum in veteribus, tum in recentioribus libris Pontificalibus etiam longe post annum Christi millesimum exaratis; excepto manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi annorum quingentorum, et aliis quibusdam ejusdem circiter ætatis, in quibus idipsum totidem quidem verbis legitur quod in nostra hac Rubrica præscriptum est.

II. Etsi autem nihil in priscis Pontificalibus præscriptum inveniam, ut ecclesiæ dedicatio diebus Dominicis vel in Sanctorum solemnitatibus celebretur, ac præterea apud scriptores Ecclesiasticos, Matthæum Parisium, aliosque complures indifferenter habitæ basilicarum consecrationes reperiantur; celebris est nihilominus dispositio Concilii Cæsaraugustani, quod habitum fuit anno Christi 691. In ejus siquidem Concilii can. I qui inscribitur *Ut non liceat Episcopis citra diebus Dominicis consecrationes ecclesiarum exercere*, diserte Patres velut abusum atque præsumptionem illum refellunt morem, qui alicubi servabatur, dedicandi ecclesias aliis quam diebus Dominicis, ingenueque fatentur esse id contra omnem rationem et sanctorum Patrum sententiam. Verba canonis hæc sunt: « In sanctum et satis venerabile Concilium » residentibus nuntiatum est nobis, eo quod ali» qui Pontifices regulam veritatis prætermit» tentes, ecclesias quæ a fidelibus pia devotione » construuntur, extra diebus Dominicis conse» crent. Si ergo cum quisque nostrum morta» lium ad Sacerdotale promovetur officium, » nullatenus patimur ut in reliquis diebus, nisi » tantum Dominicis festivitatibus, ii qui honoris » digni habentur officio in ordine proficiantur » Ecclesiastico; quanto magis ut deificata sancta » templa, quæ ab hominibus fidelibus censen» tur honorificanda, sine diebus Dominicis per» hibeantur consecranda? » Tum ita statuunt: « Cujusque nos talium præsumptiones Pontifi» cum, non solum sanctorum Patrum cohibe» mur prohibere sententia, sed propria delibe» ratione censemus ut nullis penitus Pontificum, » in quibuscumque provinciis constitutis, amodo » liceat, præter certis diebus Dominicis, eccle» sias sanctas consecrare. »

III. Decet itaque quam maxime ut diebus Dominicis festivisque hujusmodi consecratio peragatur, ut populus, qui hisce diebus ad ecclesiam confluere solet, de sacris dedicationis ritibus erudiatur: etenim, ut cum S. Augustino, in *Sermone* CCLII *de tempore*, et alii Patres lo-

Digitized by Google

quuntur, « Quotiescumque altaris vel templi » festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter » attendimus, et sancte ac juste vivimus, quic- » quid in templis manufactis agitur, totum in » nobis spiritali ædificatione completur. » Vide S. Bernardum et S. Petrum Damiani, et alios tum veteres, cum recentiores in suis de ecclesiæ dedicatione sermonibus, in quibus ritus in ipsa adhibitos ad mores nostros aptari docent. Cæterum diebus etiam non festis posse ecclesias consecrari, expressum habemus auctoritate Innocentii III, qui in cap. *Tua*, II *De consecratione ecclesiæ*, ab Episcopo Compostellano consultus, ita rescripsit : « Inquisitioni tuæ taliter respon- » demus, quod in diœcesi tua licet tibi ecclesiis » dedicationem impendere tam diebus Dominicis » quam privatis. » Unde recte ait Rubrica nostri Pontificalis ecclesiarum dedicationem omni die de jure fieri posse.

IV. Posse quidem ecclesiam « consecrari » tam diebus festivis quam privatis, » docet etiam in suo opusculo XI, parte V, cap. I, S. Petrus Cælestinus, qui fuit Pontifex Maximus. Verum recte subjicit Rubrica nostri Pontificalis decentius in diebus Dominicis vel in Sanctorum solemnitatibus ecclesiæ consecrationem peragi; etenim præter rationem mox explicatam et præscriptum canonis I Concilii Cæsaraugustani superius recitati, ut aliquod ex innumeris monumentis dedicatarum ecclesiarum diebus Dominicis proferamus, auctor quidem *Chronici* Alexandrini, qui Theodosium Juniorem quindecennalia exhibuisse nos edocet, aperte ait Constantinopolitanam ecclesiam, quam Constantinus Magnus ædificarat, et postea Constantius ejus filius ad majorem amplitudinem perduxerat, cum anno quo S. Joannes Chrysostomus in exsilium actus conflagrasset, restitutam postmodum a Theodosio Juniore, ab Attico episcopo Constantinopolitano die Dominica anno 415 fuisse dedicatam, translatis ibidem reliquiis SS. Joseph filii Jacob, et Zachariæ patris Joannis Baptistæ. Verba *Chronici* hæc sunt : « Eodem anno dedicata est ecclesia magna » Constantinopoli mense gorpiæo, VI idus octo- » bris, die Dominico, translatæque sunt Con- » stantinopolim per scalam Chalcedonensem » reliquiæ Josephi fili Jacob, et Zachariæ patris » sancti Joannis Baptistæ mense gorpiæo, VI » nonas septembres, die Sabbati, gestantibus » pignora in duabus arculis Actio patriarcha » Constantinopolitano, et Mose Antaradeno » Phænicis episcopo, sedentibus ipsis in burri- » caliis quæ in magna ecclesia deposuerunt, » pompam præcedente Urso urbis præfecto cum » universo senatu. »

V. Verum recte observat Antonius Pagius in *Critica* Baroniana ad annum Christi 415, n. XXVIII, locum esse corruptum; *gorpiæus* enim non octobri, sed septembri nostro respondet, ideoque loco VI *idus octobris*, legendum *pridie idus septembris*, cum quo feria prima hoc anno concurrebat. Præterea loco *mense gorpiæo* VI *non. septembris*, legendum *mense hyperberetæo* VI *non. octobris*. Hyperberetæus enim octobri respondet, qui habet nonas VI, non vero mensis september ; et denique reliquiarum translationem dedicatio ecclesiæ præcedere debuit. Porro *burrichales*, seu *burici*, sunt equi breviores et admodum viles; quæ vox ab antiquioribus etiam usurpata retenta est in quibusdam Galliæ provinciis, sed tantum ad asellos significandos, quos vulgo *bourriques* appellant. Certe S. Paulinus in Epistola XXIX ad Severum, alias X, numero XII, asellos et buricos distinguit, aitque Melaniam seniorem ex Oriente Romam venisse *macro et viliore asellis burico sedentem*. De hac voce vide Carolum Ducange in *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*.

§ II.

Quando ecclesia fuerit dedicanda, debet Archidiaconus prænuntiare Clero et populo quibus est ecclesia consecranda, ut prius quam consecretur jejunent. Nam Pontifex consecrans, et qui petunt sibi ecclesiam consecrari, præcedenti die jejunare debent.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Exstat similis Rubrica iisdem verbis descripta in manuscripto codice Pontificali Gulielmi Durandi, qui in celeberrima Vaticanæ Bibliotheca asservatur, num. 4744, in quo etiam codice, quod jejunium spectat, ab Episcopo qui ecclesiam dedicaturus est, et ab iis qui illam sibi dedicari postulant, peragendo, hæc ratio subjicitur : « Si enim, ut beatus Leo in Epistola » ad Dioscorum, is qui Pontificem, Presbyterum » vel Diaconum benedicturus est, et hi qui » benedicuntur, jejunant, multo magis in tanta » et tam sancta solemnitate, tam consecrans » quam qui sibi petunt ecclesiam consecrari, » jejunare tenentur. » Epistola hæc sancti Leonis, cujus in laudato Pontificali fit mentio, est Epistola ejusdem Pontificis octogesima prima missa ad Dioscorum episcopum Alexandrinum, juxta editionem Lugdunensem anno 1622. Docet autem S. Leo in ea Epistola, cap. I, præter auctoritatem consuetudinis ex Apostolica doctrina manantis, etiam ex sacra Scriptura manifestari, his qui consecrandi sunt jejunis, et a jejunantibus sacram ordinationem conferendam.

II. Sane servatur hodie Romæ hæc praxis, ut sacrarum cæremoniarum magister, qui dedicationem est directurus alicujus ecclesiæ, Clerum ipsius admoneat Episcopumque consecratorem, ut, antequam ecclesia consecretur, jejunent. Et notanda sunt illa Pontificalis verba : « Nam » Pontifex consecrans, et qui petunt sibi eccle» siam consecrari, præcedenti die jejunare de» bent. » Quæ verba obligationem inducunt, minimeque jejunare negligentem a peccato excusant. Est enim memorata Pontificalis Rubrica ex illis quas præceptivas vocant. Hinc omnes nos Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis presbyteri de Urbe religiose jejunavimus die XXVII septembris elapsi anni 1738, quod die XXVIII, quæ fuit Dominica IV septembris, nostra ecclesia, venustiorem in formam a Fantino Romano sæculo elapso redacta, dedicanda erat. Porro de ipso pientissimo viro Fantino hæc legitur inscriptio supra portam interiorem ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis :

IN. HONOREM. D. HIERONYMI. ECCL. DOCT.
FANTINVS. RENTIVS. ROM.
TEMPLVM. HOC. IN. HANC. FORMAM. PERFECIT.
SACELLVM. MIRIFICE. CONSTRVXIT.
ET. FACIEM. TEMPLI. ÆDIFICAVIT.
ANNO. SAL. MDCLX.

Nonnulla de hac insigni ecclesia videri possunt apud nostrum Joannem Marangonum in Vita italice scripta servi Dei Bonsignorii Cacciaguerræ, qui fuit unus e primis Patribus qui Sancti-Hieronymi Charitatis domum, sanctitate, doctrina, variisque operibus editis illustrarunt.

[Quod superius declaravit Catalanus, sibi videri præceptivam nostri Pontificalis Rubricam in decernendo jejunium pridie dedicationis ecclesiæ, a sacra Rituum Congregatione confirmatum fuit. Die enim 19 julii anni 1780, ad quæsitum Mechliniense responsum fuit « hocce » jejunium esse strictæ obligationis pro Episcopo » consecrante, et pro iis tantum qui petunt sibi » ecclesiam consecrari. » Nuperrime decisio hæc iterata fuit, sub die 12 septembris 1840, in causa Camberiensi. Advertendum tamen est, ex verbis S. Congregationis, tale jejunium non locum afficere, sed personas tantum, scilicet eas ad quarum preces Episcopus ecclesiam dedicaturus est. Tandem, ex eadem auctoritate adjicimus dedicationis solemnitatem, si extra Dominicam vel festivam diem celebretur, nullo modo importare obligationem in populo abstinendi a servilibus operibus.]

§ III.

Sane sero ante diem dedicationis, Pontifex parat reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo cum tribus granis thuris;

Digitized by Google

ponit etiam in eo chartulam de pergameno scriptam sub hac forma : MDCCXXXVIII, *die N., mensis N.; Ego N. Episcopus N. consecravi ecclesiam et altare hoc in honorem sancti N., et reliquias sanctorum martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.* Sigillans ipsum vasculum diligenter, et illud in honesto et mundo loco, vel sub tentorio ante fores ecclesiæ consecrandæ parato ponens, et super ornatum feretrum decenter collocans, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus.

§ IV.

Celebrandæque sunt vigiliæ ante reliquias ipsas, et canendi Nocturni et Matutinæ laudes in honorem Sanctorum quorum reliquiæ sunt recondendæ : imagines vero, cruces et alia ipsa nocte remanent in ecclesia consecranda.

COMMENTARIUS.

I. Convocatis Episcopis ad novæ ecclesiæ dedicationem, ut superius fuse ostensum fuit, mos olim fuit ut, pridie ipsius ecclesiæ consecrationem, solemnes per totam noctem sub papilionibus aut in vicinis ecclesiis coram sacris reliquiis in consecranda basilica sequenti die recondendis, pie ac religiose agerentur. Id quidem late ostendit Martenius, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIII, num. VII; istiusmodi enim ritus non modo complures antiqui ac recentes libri Pontificales, sed et veteres Ecclesiæ Patres meminere. In Ordine antiquo Romano, in manuscripto Missali Gellonensi, in Pontificali manuscripto Egberti archiepiscopi Eboracensis nongentorum annorum, et in aliis permultis, primus quidem qui occurrit ritus est denuntiatio, cum sacræ reliquiæ sanctorum Martyrum ponendæ sunt, ab Episcopo facienda his verbis : « Dilectissimi Fratres, inter cætera » virtutum solemnia quæ ad gloriam pertinent » Christi Domini nostri, hoc quoque suis præ» stitit Martyribus, qui, pro nominis ejus con» fessione morte suscepta, cœlestia præmia » meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris » reliquiis collocatis, integritas sancti corporis » esse credatur. Et ideo commonemus dilectio» nem vestram, quoniam illa feria N. illo loco » N. reliquiæ sancti N. martyris collocandæ » sunt, ut vestram præsentiam nobis admonen» tibus non denegetis. »

II. In laudato manuscripto Pontificali Egberti archiepiscopi Eboracensis, post recitatam denuntiationem statim hæc Rubrica sequitur : « Inde vero, pridie quam consecretur ecclesia, » providendæ sunt reliquiæ ab Episcopo, et » ponendæ in tali loco, ut tota nocte cum hym» nis et laudibus atque luminaribus sint us» quequo exinde levandæ, et ad locum, ubi » condendæ sunt, deducantur. » Hunc ipsum ritum ita exprimit Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Cadurcensis, et duo codices manuscripti insignis Bibliothecæ Colbertinæ annorum octingentorum : « Ponuntur reliquiæ in feretro » compositæ in altera ecclesia pridie quam nova » ecclesia consecretur; et fiunt ibi vigiliæ in » ipsa nocte, in honore Sanctorum quorum » reliquiæ condendæ sunt. » Atque ut alios mittam de ea re libros Pontificales, auctor translationis S. Lifardi abbatis Mitiacensis, apud Bollandianos ad diem III mensis junii, ubi agit etiam de solemni dedicatione ecclesiæ Magdunensis, diserte ait, quod « necessitas inevitabilis » secundum tenorem canonum exigebat, » asportatum inde fuisse S. Abbatis corpus una cum aliis sacris reliquiis ad ecclesiam Sancti-Petri, ubi Clerici pernoctantes celebrarunt vigilias, et noctem illam plurimi duxerunt insomnem, ut deinde in ecclesia ipsa Magdunensi rite dedicata, una cum aliorum Sanctorum lipsanis, suis in locis competenter collocaretur.

Digitized by Google

III. De S. Heraclio episcopo Senonensi in Gallia, qui floruit circa annum Christi 522, narrat auctor ejus Vitæ apud Bollandianos ad diem XVIII junii, quod cum ad dedicandam ecclesiam una cum aliis Episcopis in orationibus pernoctarent, Angelicas audierint voces, et, facto mane accedentes ad altare, viderint « in quatuor angulis, medioque marmoris, crucis » signacula decenter impressa, stupentesque » deinde non ausi sint ulterius consecrare locum, » quem cernebant cœlitus consecratum. » Similia refert Andreas Saussaius in *Martyrologio Gallico* ad diem III junii, ubi agit de S. Theudechilde quam ait ædificasse in honorem Apostolorum Principis cœnobium, « ad cujus dedicationem, cum ejus rogatu S. Heraclius tunc » præsul Senonensis profectus esset, vicinarumque urbium Præsules ex condicto adessent, » in ecclesia pernoctantes, angelicas dulcissime » concrepantes audierunt voces; facto autem » mane, dum respicerent altare, viderunt in » quatuor angulis et in medio marmoris signacula crucis decenter impressa, atque sacro » oleo delibuta. » Ubi nota I. celebre exemplum dedicationis ecclesiæ cœlitus factæ, de qua re alia suo loco allata sunt exempla; II. ritum celebrandi vigilias et instandi orationibus antequam ecclesia dedicetur, nempe coram Sanctorum reliquiis.

IV. Quanta cum solemnitate et religione delatæ fuerint sacræ reliquiæ, et coram eisdem celebratæ vigiliæ anno 1196, in dedicatione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Flumine Ferentinæ diœcesis, cui Jordanus de Fossa-Nova S. R. E. cardinalis et alii multi Episcopi adfuerunt, ita refert manuscriptum Ceccani *Chronicon* apud Ughellum, tomo VII *Italiæ sacræ*, ubi agit de Episcopis Ferentinis, pag. 721 primæ editionis: « Officium sic incœptum est nono kalendas augusti. Post cœnam convenientibus Episcopis » cum Domino Cardinali, et cum maxima multitudine Clericorum et laicorum tam Campaniæ » quam maritimæ et aliarum provinciarum, » ad ecclesiam Sanctæ-Mariæ Fluminis, ordinata » est processio : in qua processione fuerunt » septem paria facularum accensa, viginti thuribula argentea, duodecim cruces argenteæ, » et quatuor cagæ cum reliquiis, quas reliquias » deportaverunt ad quatuor papiliones qui permanebant in cannapinis, extra circuitum ecclesiæ cantantes ℟. *Hæc est vera fraternitas.* » Et in unoquoque papilione septem lampades » erant ardentes, et sic in papilionibus vigilatæ » et custoditæ sunt reliquiæ a Clericis cantantibus, et laudantibus, et benedicentibus Dominum, et undique cantus et laus laicorum » virorum et mulierum per totam noctem non » defecit. » Similia exempla, quæ ritum spectant celebrandi vigilias et orandi coram sacris Sanctorum reliquiis, passim invenies apud scriptores Ecclesiasticos; nonnulla et de hoc ritu infra nos etiam attingemus.

[Mirandum est Rubricam adeo perspicuam ut illa quæ docet Nocturnos et Laudes in honorem Sanctorum quorum reliquiæ reponendæ sunt cantari debere, pluribus obscuram apparuisse et expositione indigentem. Nihil enim magis et antiquitati consentaneum et vocibus expressius desiderari potest. Fuerunt qui regulam ita interpretati sunt ut crederent ibi agi de Officio dedicationis; quos ad normam reduxit, scilicet ad celebrandum Officium de præfatis Sanctis, Rituum sacra Congregatio, in causis Gratianopolitana, 23 maii 1835, et Cenomanensi, 14 junii 1845.]

V. Sciendum præterea est vasculum ipsum, in quo, uti habetur in § III, reliquiæ ponendæ sunt, debere prius rite ab Episcopo benedici; estque hæc Romæ praxis quam in dedicatione nostræ ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis servatam vidimus : etsi enim nihil de hac re in § ipso III habeatur, debere nihilominus hunc ritum omnino servari, constabit ex iis quæ infra dicemus ad titulum XIX qui inscribitur *De benedictione capsarum pro reliquiis, et aliis sanctuariis includendis.* Porro una cum tribus granis thuris positæ fuerunt in vasculo reliquiæ SS. Vitalis et Primitivi, extractæ ex cœmeterio Sancti-Saturnini; suntque propria ipsorum Martyrum nomina; clausum enim ipsorum sepulcrum inventum fuit marmorea tabula, in qua nomina legebantur. Id quod etiam adnotavit Episcopus consecrator in chartula quam in vasculo posuit, cujus hæc sunt verba : *Anno Domini* 1738, *die* XXVIII *mensis septembris, Dominica* XVIII *post Pentecosten, ego Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini, archiepiscopus Philippensis, consecravi ecclesiam et altare hoc in honorem S. Hieronymi presbyteri, confessoris et Ecclesiæ doctoris, et reliquias SS. Vitalis et Primitivi*

Digitized by Google

martyrum, quorum corpora in uno eodemque loculo in cœmeterio Saturnini, via Salaria, clauso tabula marmorea eorum nominibus insculptis, ac vase vitreo sanguine resperso obsignata comperta fuerunt, in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi, quam ex nunc in Dominicam tertiam post kalendas septembris perpetuo transtuli, ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.

[Mos Ecclesiæ antiquus innuere videtur reliquias sub altari collocandas Martyrum esse debere, et sic in omnibus sæculis servatum est. Simul admisceri possunt sanctorum Confessorum et Virginum non martyrum reliquiæ, dummodo honor Martyribus asseratur. At quæri posset an admitti possunt ossa sanctorum Martyrum quorum nomina desiderantur, cum ex Rubrica nostra præceptum sit Episcopo sub nomine proprio designare Sanctos quorum ossa in vasculo includit, addendaque sint eorumdem nomina Litaniis Sanctorum quæ cantantur in functione dedicationis. Jam pridem dubium istud sacræ Rituum Congregationi propositum ab ipsa solutum est. Die 24 augusti 1630, respondit ad Episcopum Scardonensem tales innominatas reliquias posse adhiberi, dummodo sint authenticæ. Inutile forte non erit hic advertere reliquias sanctorum Martyrum quæ e Roma mandantur per orbem Christianum et quibus, cum deesset nomen proprium, aliud nomen impositum est ab iis cui competit, non accenseri posse innominatis reliquiis de quibus loquimur. Ista enim nominis impositio solemnis est, ac fit virtute mandatorum Sedis Apostolicæ, ita ut stricte prohibeatur cuilibet etiam Prælato dicta nomina in alia mutare; non amplius igitur variari possunt, sed in pergameno describenda, et in cantu Litaniarum, propriorum instar nominum, adhibenda sunt.]

VI. Sciendum quoque et illud est, duorum saltem Sanctorum reliquias in ipso vasculo pro consecrando altari includendas esse, ut nimirum verificari possit quod Sacerdos Missam celebraturus, ubi ad altare ascendit, ex præscripto Romani Missalis dicit : « Oramus te, Domine, per » merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ » hic sunt, etc. » Quæ verba an omitti debeant, si ex dispensatione Apostolica, vel ex incuria nullæ in altari positæ fuerunt reliquiæ, non una est auctorum sententia, cum alii affirment, alii vero pernegent, uti videre est apud virum clarissimum Cajetanum Merati clericum regularem in *Novis Observationibus et Additionibus ad Gavantum*, tomo I, pagina 397. Cæterum ut alia prosequamur, etsi possint Episcopi consecratores, ubi dedicant ecclesias, officium ejus anniversarium in aliud tempus ex juxta causa transferre, extra actum tamen consecrationis non possunt amplius tempus mutare, uti docet Gavantus, Guyetus, Merati et alii passim, afferuntque eam in rem sacræ Rituum Congregationis decreta.

VII. Qualis fuerit IV sæculo praxis Ecclesiæ circa ipsas vigilias, docet nos S. Ambrosius, qui in Epistola XXII ad Marcellinam sororem ita scribit de dedicatione basilicæ Ambrosianæ : « Quid » multa ? condivimus integra ad ordinem. Transtulimus vespere jam incumbente ad basilicam » Faustæ, ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio; » sequenti die, transtulimus ea in basilicam quam » appellant Ambrosianam. » Ubi nota pridie reliquias in altera ecclesia, ibi tota nocte actas vigilias, et sequenti die ad novam basilicam dedicandam translatas. Multa de ea re exempla legere est quidem apud S. Gregorium episcopum Turonensem; ut enim ipse narrat in lib. *De gloria Martyrum*, capite XXXIV, dedicaturus ecclesiam Sancti-Juliani, pridie ejusdem Sancti reliquias, incipiente nocte, in basilicam Sancti-Martini detulit, ubi « depositis super altarium » sacrosanctis reliquiis, vigilata nocte cum » grandi Psalterio, » sequenti die in prædictam ecclesiam transtulit. Idem in libro *De gloria Confessorum*, cap. XX, agens de dedicatione oratorii sui, sic inquit : « Concepit inspirante » divinæ pietatis instinctu animus, ut cellulam » valde elegantem, quam S. Euphronius ad » usum promptuarii habuerat, fideliter dedica- » rem : qua diligenter composita, et altari ex » more locato, ad basilicam sanctam vigiliis » noctem unam ducentes, mane vero venientes » ad cellulam, altare quod erexeram sanctifi- » cavimus : regressique ad basilicam, sanctas » ejus reliquias cum Saturnini Julianique mar- » tyrum, et etiam B. Illidii, exinde radiantibus » cereis crucibusque admovimus. »

VIII. Exstat de vigiliis in nocte habitis coram sacris reliquiis præcedente diem dedicationis,

Digitized by Google

et de istarum illatione celebre testimonium Rabani Mauri, auctoris IX sæculi, in lib. II *De institutione Clericorum*, cap. XLV, ubi ritus in dedicatione Ecclesiarum servari solitos, a veteri Testamento acceptos docet : « Quod in dedica» tione templi, inquit, in nocte præcedente » diem dedicationis, reliquiæ Sanctorum feretro » conditæ, in tentorio vigiliis custodiuntur, » quid aliud demonstrat quam quod arca tes» tamenti cum sanctis, quæ in ea erant, in ta» bernaculo Mosaico ante dedicationem templi » per excubias Levitarum servabatur ? » Addit et alia quæ opportuniori loco infra referemus. Porro hic illud notandum est, in dedicatione Ecclesiæ, præter reliquias quæ ibidem recondebantur, delata etiam fuisse sacra totius diœcesis lipsana, quæ tamen, finita dedicatione, iterum ad suas basilicas referebantur, uti addiscere licet ex Balderico Noviomensi, episcopo Tornacensi, lib. III *Chronici Cameracensis*, cap. XLIX, et ex Homereo in *Augusta Veromand.*, pag. 124, etc.

IX. Ergo non sine reliquiis Sanctorum ecclesiæ dedicabantur, ortusque is mos fuisse primum videtur in Romana Ecclesia, cæterarum omnium capite ac matre ; cum enim S. Ambrosius, ut ipse in Epistola sua XXII ad Marcellinam sororem scribit, Mediolani basilicam dedicare vellet, et multi uno ore interpellarent ut ritu Romano dedicaret, facturum se id quidem respondit, si reliquias inveniret. Reperit autem sacra sanctorum martyrum Gervasii et Protasii pignora, atque ita Romano more dedicavit. Verba S. Ambrosii hæc sunt : « Cum ergo basilicam » dedicare vellem, multi tanquam uno ore in» terpellare cœperunt, dicentes : Sicut Romanam » basilicam dedices. Respondi : Faciam, si » martyrum reliquias invenero. » Ubi nota, quod dixi, proprium Romanæ fuisse Ecclesiæ basilicas cum reliquiis dedicare, alioquin martyrum sacra pignora, ut suam ecclesiam Romano ritu consecraret, non requisisset laudatus S. Antistes. In aliis quoque Latinis ecclesiis receptum fuisse hunc morem Romanum, liquido constat ex S. Paulini Epistola XII, et ex Synodo Carthaginensi V, can. siquidem XIII, cui titulus est : *De basilicis quæ sine martyrum reliquiis dedicatæ sunt*, cautum est « ut altaria, quæ » passim per agros aut vias tanquam memoriæ » martyrum constituuntur, in quibus nullum » corpus aut reliquiæ martyrum conditæ pro» bantur ab Episcopis qui eisdem locis præsunt, » si fieri potest, evertantur. »

X. Eumdem quoque ritum inferendi sacras reliquias in basilicam dedicandam apud Græcos invaluisse, docere videntur Patres Concilii VII generalis, Nicæni II, can. VII, ubi Iconoclastas suggillantes, qui ecclesias sine reliquiis consecrabant, hunc in modum statuerunt : « Sicut » venerabilium imaginum cultum abstulerunt » ab Ecclesia, ita et alios quosdam mores dese» ruerunt, quos et oportet renovari, et secun» dum scriptam et non scriptam legislationem » obtineri. Quotquot ergo venerabilia templa » consecrata sunt absque sanctis reliquiis mar» tyrum, definimus in eis reliquiarum una cum » solita Oratione fieri positionem. » Addunt mox quod si a tempore constituti hujus canonis, « inventus fuerit Episcopus absque lipsanis con» secrare templum, deponatur, ut ille qui Eccle» siasticas traditiones transgreditur. » Ubi nota traditionem esse Ecclesiasticam, et profecto antiquam, cum sacris reliquiis ecclesias dedicare. Etenim de S. Zenone, Gazensi apud Palæstinos Episcopo, ita scribit Hermias Sozomenus, lib. VIII, cap. VIII : « Exstruxit ecclesiam, et altare in ea » erexit, martyrumque reliquias ibi reposuit. » Quibus addi potest id quod in Justiniano inquit Paulus Diaconus, *Historiæ miscellæ* lib. XVI, cap. XXIV : « Facta sunt encænia sanctorum » Apostolorum apud Constantinopolim, et re» condita sunt lipsana Andreæ, Lucæ ac Timo» thei Apostolorum, et transiit Menas episcopus » cum sanctis lipsanis, sedens in carruta aurea » imperatoria lapidibus insignita, tenens tres » thecas sanctorum Apostolorum, et ita encænia » celebravit. »

XI. Romæ et in ecclesiis Occidentalibus, una cum sacris sanctorum reliquiis tres corporis Christi portiones, et tres de incenso jam olim poni in altari consueverunt, ubi ecclesia dedicabatur. Quem quidem ritum in veteribus æque ac recentibus Ritualibus libris legere est. Pontificale manuscriptum Egberti Eboracensis archiepiscopi, qui initio sæculi VIII florebat, et Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos scriptum, in ordine recondendi reliquias secundum morem Romanæ Ecclesiæ hæc habent : « Deinde ponit Pontifex » tres portiones corporis Domini intus in con-

Digitized by Google

» fessione altaris, et tres de incenso, et reclu-
» duntur intus reliquiæ, etc. » Idipsum edicit Pontificalis codex Sanctæ-Mariæ Remensis ante annos octingentos, Noviomensis ejusdem ætatis, Bellovacensis Sancti-Luciani, et Lugdunensis Halinardi archiepiscopi annorum septingentorum, Salisburgensis annorum sexcentorum, Remensis Sancti-Remigii annorum quingentorum, *Rationale divinorum Officiorum* Gulielmi Durandi, lib. I, cap. VII, Noviomensis alter annorum quadringentorum. Quibus adde Concilium Celychitense in Anglia habitum anno 816, can. II, in quo de eo ritu hæc legimus : « Ubi
» ecclesia ædificatur, a propriæ diœcesis Epi-
» scopo sanctificetur : aqua per semetipsum
» benedicatur, spargatur, et ita per ordinem
» compleat, sicut in libro Ministeriali habetur.
» Postea Eucharistia, quæ ab Episcopo per idem
» ministerium consecratur, cum aliis reliquiis
» condatur in capsula, ac serventur in eadem
» basilica. Et si alias reliquias intimare non
» potest, tamen hoc maxime proficere potest,
» quia corpus et sanguis est Domini nostri Jesu
» Christi. »

XII. Viguisse hunc ritum in Ecclesia, saltem alicubi, tercentis circiter abhinc annis, profecto addiscimus ex Pontificali Ecclesiæ Lugdunensis, cujus character, teste Martenio, vix trecentos excedit annos. Ipsius autem omitti non debent verba, ut pote quæ non modo nobis Eucharistiæ inclusionem, ubi tamen sanctorum reliquiæ deerant, sed et alios etiam repræsentent ritus in duobus hisce nostri hodierni Romani Pontificalis §§ recitatos : « Sane, inquit, præcedente sero
» ante diem dedicationis, Pontifex paret reli-
» quias in altari consecrando includendas, po-
» nens eas in decenti et mundo vasculo vitreo,
» vel æneo, vel alio, cum tribus granis thuris,
» vel, deficientibus reliquiis, ponet ibi corpus
» Domini. Ponit ibi etiam chartam de curio,
» scriptam de grossa littera, continentem cujus-
» modi reliquiæ sunt ibi inclusæ, et in cujus
» Sancti honorem et nomen ecclesia ipsa et
» altare dedicantur, nomen consecratoris, et
» indulgentiam quam in anniversario dedica-
» tionis die concedit, annum quoque, mensem
» et diem quibus dedicatur, sigillans ipsum
» vasculum diligenter. » Similia habentur in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi episcopi Mimatensis, quod usui fuit Joannis Sairebruche Catalaunensis episcopi, cujus character, eodem Martenio teste, vix attingit tercentos annos. Porro ipse Durandus, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. VII, num. XXIII, docet faciendam quidem altaris consecrationem cum Christi Domini corpore, ubi reliquiæ haberi non possunt. Id quod etiam tradit manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, his verbis : « Deficientibus reliquiis, ponat
» corpus Domini. »

XIII. Forte occasionem dedit huic praxi ponendi Christi Domini corpus in altari quod dedicabatur, celebris locus Optati Milevitani qui, libro VI *Contra Parmenianum* definiens quid sit altare, ita inquit : « Quid est altare, nisi
» sedes corporis et sanguinis Domini? » itemque illud S. Joannis Chrysostomi testimonium, *Homilia* XX *in Epistolam II ad Corinthios*, ubi ita ait : « Altare quidem lapis natura est, sanctum
» autem fit, quoniam Christi corpus accipit. » Quibus addi potest et hoc Hesychii effatum, lib. II *In Leviticum* : « Altare est locus sanctus :
» ibi enim Sanctus sanctorum requiescit. » Vide et quæ de hoc ritu ac praxi includendi Christi Domini corpus in altari, dicemus infra in Commentario, § LIV.

XIV. Est et antiquus usus concedendi indulgentias in dedicatione ecclesiæ. De Leone Papa III scribit S. Ludgerus in quadam Epistola, ubi narrat vitam S. Switberti episcopi Verdensis, apud Surium ad diem I martii, quod ubi anno 803 varias ecclesias et altaria per Germaniam et Galliam consecrabat, « ubique multas
» indulgentias conferebat. » Celebris tamen præ cæteris et plena fuit indulgentiarum gratia ab Alexandro II impertita in dedicatione ecclesiæ Casinensis, nempe tam iis quos tunc præsentes esse contigerat, quam omnibus qui per octo continuos dies eo conventuri essent, « confes-
» sorum peccatorum absolutione concessa ; » uti habetur lib. III *Chronici Casinensis*, capite XXXI. De Urbano II, anno Christi 1098, Andegavum profecto, inquit Fulco comes, tom. X, pag. 396 : « Tunc in Septuagesima dedicata est ecclesia
» Sancti-Nicolai ab ipso Papa, qui edicto jussit
» ut in eodem termino quo dedicationem fece-
» rat, indictum publicum celebraretur unoquo-
» que anno apud Sanctum-Nicolaum, et septima
» pars pœnitentiarum populo convenienti ad
» illam celebritatem dimitteretur. »

Digitized by Google

XV. Episcopos etiam jam dudum, non solum dierum aliquot, aut annorum, sed etiam plenas indulgentias concessisse, ubi ecclesias dedicabant, testis est Innocentius III in Concilio Lateranensi IV, can. LXII, in quo alias statuit « ut, » cum consecratur basilica, non extendatur in» dulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive » a pluribus Episcopis dedicetur; ac demum in » anniversario dedicationis tempore quadraginta » dies de injunctis indulta remissio non exce» dat. » Est mos antiquus; etenim de Rotrodo Rotomagensi archiepiscopo, Beccensis monasterii ecclesiam dedicante cum multis Episcopis, scribit auctor *Chronici* ejusdem monasterii ad an. 1178 : « Archiepiscopus largitus est qua» draginta dies indulgentiarum omnibus vere » pœnitentibus et confessis, qui prædictam ec» clesiam visitaverint in anniversario ipsius de» dicationis. »

XVI. Neque vero dubium est quin aliqui Episcopi, ante Innocentium III Papam, in dedicatione ecclesiarum plenariam indulgentiam elargirentur. Siquidem in dedicatione ecclesiæ Sancti-Benedicti Paderbornensis, « per salutarem » confessionis pœnitentiam, generalem absolu» tionis Episcopus tribuit indulgentiam, pro» ponens eis in sermone ad exemplum pœni» tentiæ, et vitam pœnitentium, et pauperum » voluntarie; ut legere est in Vita S. Meinverci episcopi, cap. XXXIII, apud Surium ad diem V junii. Vide, si lubet, indulgentias quas Pontius Arelatensis episcopus, circa annum Christi millesimum, in dedicatione ecclesiæ Montis-Majoris concessit, tomo VI *Spicilegii* Dacheriani, pag. 428, ubi multa notatu digna leguntur; et eas quas Raiambadus in consecratione Sanctæ-Mariæ de Correno impertivit, ibidem, pag. 441: quæ quidem indulgentiæ eos potissimum spectabant, qui in gratiam ecclesiarum opem suam aliquo modo contulerant.

XVII. Etsi autem in Concilio Lateranensi IV, quod habitum est anno 1215, cap. LXII, cautum fuerit ne indulgentia in dedicatione ecclesiæ concessa ultra annum extenderetur, et quadraginta dies in ipsius dedicationis anniversario, non videtur tamen illud decretum statim obtinuisse, cum apud Matthæum Parisium ad annum 1240 legamus, in dedicatione ecclesiæ Sancti-Pauli Londini ab episcopo ejusdem urbis Rogero celebrata, præsente rege ac multis Episcopis et magnatibus, concessam fuisse indulgentiam *quatuordecim annorum;* quam ait confirmatam fuisse ab Apostolicæ Sedis Legato, et ab omnibus Episcopis qui erant præsentes. Adduci possent et alia exempla : quibus tamen omissis, pro certo illud haberi debet, plenam sive plurium annorum indulgentiam Romano Pontifici reservari, ut nec Legatis a suo latere Cardinalibus eam potestatem summus ipse Romanus Pontifex concedere soleat. Hinc Pileum Sanctæ-Praxedis cardinalem, Urbani VI in Anglia legatum, quod biennales ac triennales daret indulgentias, omnibus fuisse stupori et de attentato suspectum, ad annum 1381 Thomas Walsinghamus scribit.

XVIII. Exstat in *Bullario* Dominicano, tom. II, pag. 86, Constitutio Benedicti XI, qua indulgentias ratas habet novasque concedit ecclesiæ Patavinæ Sancti-Augustini, quam ipse una cum aliis Episcopis anno Domini 1303, dum in minoribus erat, consecravit. Ait in ea Constitutione Pontifex indulgentias ipsas in dedicatione prædictæ ecclesiæ concessas quidem fuisse non modo a se præcipuo ecclesiæ Consecratore, sed et ab aliis Episcopis qui dedicationi interfuerunt : « Nos ad eamdem ecclesiam specialem affectio» nem habentes, et cupientes quod ipsa congruis » honoribus frequentetur, omnes hujusmodi » indulgentiarum concessiones a nobis et eisdem » Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ut » præmittitur, factas, ratas et gratas habentes, » eas auctoritate Apostolica confirmamus, et » præsentis scripti patrocinio communimus, etc. » Vide in hanc Constitutionem Notas eruditissimi auctoris, S. theologiæ magistri, Antonii Bremond ordinis Prædicatorum, qui summo labore Constitutiones sui Ordinis omnes collegit, notisque eximiis illustravit, atque in VIII tomos digessit.

XIX. Neque vero solum Episcopi qui consecrationi ecclesiarum intererant, sed absentes quoque consueverunt jam olim indulgentias suas concedere; rogabat siquidem ipsos litteris suis proprius Antistes, qui aliquam in sua diœcesi ecclesiam erat dedicaturus, ut indulgentias, quas jure poterant, in ea occasione elargirentur, quibus induci fideles valerent ad grata subsidia eleemosynarum ecclesiæ ipsi præstanda. Procurabant autem ut plurimum hasce proprii Antistitis litteras religiosi viri, easque ad varios

Digitized by Google

Episcopos deferebant, a quibus memoratas indulgentias impetrabant. Hinc rogantibus Dominicanis Fratribus Sancti-Severini in Piceno dedicari sibi ecclesiam Sanctæ-Mariæ de Mercato, encyclicam exhibuit illis epistolam Rambertus Camerinensis episcopus, sub cujus jurisdictione erat tunc temporis prædicta civitas Sancti-Severini. Ipsa Ramberti epistola sicut et aliæ variorum Episcoporum litteræ relatæ a nobis fuerunt ad calcem tituli I, ibique eas videre curiosus poterit lector.

XX. Et ne ab ipsa Sancti-Severini civitate discedamus, docent nos manuscriptæ *Memoriæ* amici nostri P. Bernardi Gentilii ejusdem civitatis patricii, ac nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis presbyteri, tomo I, quod in dedicatione ecclesiæ Sancti-Salvatoris, quæ hodie est Fratrum Capuccinorum, peracta a Rambotto Vicomanno Camerinensi episcopo Dominica III mensis maii, anno 1289, Nicolaus IV, Pontifex Maximus, et quadraginta et unus variarum Ecclesiarum Præsules indulgentias suas elargiti sunt. Quod quidem Rambottus ipse litteris suis testatus est, quas ea de re scripsit die VII aprilis, pontificatus Bonifacii VIII anno V. Meminit hujus dedicationis in Ordine divini Officii, quem quotannis typis committit vir clarissimus Dionysius Pieragostini episcopus Sancti-Severini, in Dominica III mensis maii.

XXI. Observandum in iis litteris est, non modo in ipsa ecclesiæ dedicatione et in die anniversario dedicationis concessas fuisse indulgentias, verum etiam in aliis insignioribus anni festivitatibus : qui ritus passim occurrit in multis indulgentiarum concessionibus occasione dedicationis ecclesiarum apud Ughellum in sua *Italia sacra,* et apud alios complures scriptores Ecclesiasticos. Est vero notatu dignum quod de hujusmodi indulgentiarum concessionibus legitur in consecratione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ Virginis ordinis Fratrum Minorum Conventualium civitatis Sancti-Severini apud Picenos : concessæ enim a sexdecim Episcopis fuerunt annuatim quadraginta dies indulgentiæ non modo pro consecratione dictæ ecclesiæ, sed et pro singulis duodecim crucibus consecrationis ipsius, ac pro Sanctorum singulis reliquiis quæ in ejusdem ecclesiæ altari collocatæ fuerunt. Verba concessionis hæc sunt : « Nos autem » Christi fideles quasi per præmia salubriter ad » merita invitemus, de omnipotentis Dei mise- » ricordia, et beatorum Apostolorum Petri et » Pauli ejus auctoritate confisi, omnibus vere » pœnitentibus et confessis, qui ad eamdem » ecclesiam in festo ipsius beatæ Mariæ Virginis » causa devotionis accesserint, annuatim qua- » draginta dies pro consecratione dictæ ecclesiæ, » et pro singulis crucibus consecrationis duode- » cim ipsius, ac pro Sanctorum singulis reliquiis » quæ in ejusdem ecclesiæ ponentur altari..... » de injuncta sibi pœnitentia misericorditer re- » laxamus. » Misit nuper ad nos copiam ipsarum litterarum existentium in archivo conventus Sancti-Francisci PP. Minorum Conventualium civitatis Sancti-Severini in Piceno, præclarissimus ejusdem civitatis episcopus Dionysius Pieragostini, de litteraria republica et disciplina Ecclesiastica optime meritus. Consecrata fuit ipsa ecclesia anno 1668, et inter sexdecim Episcopos qui præfatas indulgentias concessere, unus fuit Lucas Gentilius, tum episcopus Nucerinus, postea S. R. E. cardinalis.

XXII. Quoniam vero præclarissimi hujus Episcopi mentio incidit, justum est ut aliqua de ipso dicamus : est enim is unus ex iis plurimis qui Antonii Xaverii Gentilii S. R. E. cardinalis amplissimi, ac Mæcenatis optimi, cui tota litteraria respublica ac nos præsertim devincti plurimum sumus, nobilissimam gentem illustravit, ac Romanæ Ecclesiæ utilitati eximiæ fuit. Ergo fuit is Lucas patricius Camers, genere, doctrina ac dignitate clarissimus, Nucerinorum primum Antistes ab Urbano V creatus anno 1363, XII kal. augusti. Tum in Umbria Sedis Apostolicæ Legatus, sua prudentia atque dexteritate populos Umbros intestinis odiis laborantes ad fœdus stabile pacis perduxit. Ab Urbano VI inter Cardinales ascitus, grassante in Ecclesia Orthodoxa impio Roberti schismate, plurimum unus ipse Cardinalium collegio ac memorato Pontifici adjumento fuit. Testatur id quidem Ciacconius in Urbano VI, et Raynaldus ad annum 1378. In eo autem Ciacconius fallitur, quod hunc Lucam episcopum Lucerinum fuisse affirmat, ubi enim Nuceriam legere debuit; littera N in L mutata, Luceriam scripsit, ut scite observat Ughellus in sua *Italia sacra*, tom. I, de Nucerinis Episcopis, num. XXXI. Quanta fuerit viri hujus doctrina ac probitas

Digitized by Google

morum, docent nos antiqui versus in ejus tumulo scripti, qui exstat in cathedrali Sancti-Venantii Camerini ecclesia, ubi sepultus fuit, licet Perusiæ decesserit anno 1389 :

Hic jacet insignis Lucas rutilante galero,
Tam celeber juris doctor, quam cultor, et omnis
Præcipuum exemplum virtutis, regula morum.

Supra Juliam portam ejusdem Camerinæ civitatis in petra exarati hi exstant versus, quos etiam in sua *Italia sacra* loco laudato describit Ughellus :

Sedis Apostolicæ Lucæ monumenta, notate,
Andreas patruo fecit; quo justior alter
Haud fuit Hesperiæ, toto nec doctior orbe.

XXIII. Exemplum præstantissimum hujus Lucæ Eminentissimi S. Romanæ Ecclesiæ cardinalis, cernere hodie est in ejus gentili memorato Antonio Xaverio S. R. E. cardinali, de cujus eximiis perspicacissimi ingenii ac excelsi animi dotibus fuse disserunt eruditissimi homines, qui etiam de ejus laudibus peculiarem librum typis mandarunt anno 1731. Nos in ipso amplissimo principe hoc quidem præsertim miramur, quod, etsi innumeris pene Apostolicæ Sedis negotiis præfectus sit, evolvendis quoque diversarum scientiarum voluminibus operam suam impendat, unusque ex paucis est in quibus et spes, et ratio studiorum ac bonarum artium posita esse videatur.

XXIV. Sed ut eo revertamur unde digressi paulum sumus, fuisse insuper antiquissimam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut, in ecclesiæ et altaris dedicatione, epocha consecrationis scripto consignata reponatur cum reliquiis Sanctorum ad perennem rei memoriam ab Episcopo consecrante sub mensa altaris, aperte ostendit vir sacræ atque Ecclesiasticæ antiquitatis indagator eximius Franciscus Blanchinus Veronensis, suis egregiis operibus toti reipublicæ litterariæ notus, in Præfatione ad Vitas Romanorum Pontificum Anastasio Bibliothecario attributas, num. 35, et in Notis historicis ad ipsum Anastasium in Vita S. Damasi, quem ait auctor *libri Pontificalis* fecisse « basilicas duas, » unam juxta theatrum sancto Laurentio, et » aliam via Ardeatina. » Porro consecrationem basilicæ Sancti-Laurentii per Damasum ejusdem basilicæ conditorem peractam, hisce in antiqua marmorea tabella incisis litteris probat laudatus Blanchinus :

T. I. X. N. EGO. DAMASI
VS. VRB. ROME EPS. AN
C. DOMV̄ CŌSECRAVI.
N. R. Q. S. M. S. PA. S. PE.

Quas litteras recte admodum ita exponendas censet memoratus auctor : *Titulus in Christi nomine. Ego Damasius urbis Romæ Episcopus hanc domum consecravi nona regione dedicatam, septembri mense. S. Paulus. S. Petrus.* Damasi et Damasii nomen promiscue sumptum fuisse pro arbitrio varie pronuntiantium, sive pro imperitia quadratarii in marmoribus, et amanuensium ac librariorum in codicibus, tum in hoc lapide observat Blanchinus, tum in vetustis libris lectionariis basilicæ Liberianæ intra Urbem, et Ocriculensis ecclesiæ in Sabinis. Addit et alia scitu digna pro explicatione hujus lapidis, quæ apud eumdem videri possunt in laudato tomo III, pag. 34, col. II, ubi etiam tradit in parte adversa tabellæ hujus marmoreæ insculpta esse Sanctorum nomina quorum reliquiæ de more fuerunt sub altaris mensa reconditæ in ejusdem ecclesiæ consecratione. Verba hæc sunt :

hic reQVIESCIT. CAPVT.
SCTI. CRESCENTINI. M.
ET. RELIQUIE. S̄ SVPERANT

Id est, *hic requiescit caput sancti Crescentini Martyris, et reliquiæ sancti Superantii.* Illud autem mirum videre debet, quod memoratus Blanchinus, tomo I, in Præfatione ad ipsum Anastasium, numero XXXV, alio modo primam inscriptionem describit ac in tomo III retulit. Quicquid sit de hac sua ipsius varietate, qui hanc marmoream tabellam titularem dedicationis ecclesiæ, et signaculum sacrarum reliquiarum quas Damasus Papa collocabat sub altari basilicæ dedicatæ, confert cum syngrapha membranacea ab Episcopo ecclesiam consecrante de more includenda cum sacris lipsanis sub mensa altaris, videt profecto ritum a majoribus institutum in hac sancta Romana Ecclesia ad ætatem nostram constantissime retineri.

XXV. Illud denique, ut alias omittam, in Wigorniensi Synodo anni 1240, cap. II, cautum lego ut « annus et dedicationis dies ecclesia- » rum quæ consecratæ fuerint, et altarium, et » a quo consecratæ fuerint, superscribantur al- » taribus evidenter. » Hunc morem nostro hoc

Digitized by Google

tempore tenuit quidem sanctæ memoriæ Benedictus XIII, ubi altaria sola dedicavit, uti videre est tum Romæ, tum alibi in altaribus fere innumeris a se rite ac religiose consecratis. Ubi enim ecclesias dedicavit, non in fronte quidem superioris tabulæ altaris, sed peculiari marmoreo lapide ejus rei memoria inscripta legitur.

§ V.

Parantur etiam in ecclesia quæ ad dedicationem ipsius ecclesiæ et altaris sunt necessaria, videlicet sanctum chrisma in vasculo et ampulla; oleum sanctum catechumenorum etiam in vasculo et ampulla; duæ libræ thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas cum cineribus pro quantitate ecclesiæ; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa ad extergendum mensam altaris, quoties expedierit; coopertura linea cerata, ad mensuram altaris, pro quolibet altari consecrando; quinque cruces parvæ etiam pro quolibet altari consecrando, factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum; et thuris vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; calx, arena, sive tegula trita ad faciendum cæmentum pro liniendo sepulcro reliquiarum, et junctura mensæ altaris cum stipite; cæmentarius, qui hoc agat; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem quocumque ierit; vasa cum aqua ad abluendas manus Pontificis, et medulla panis ac mantilia pro extergendis manibus; duæ libræ bombycis pro extergendis crucibus unctis, quæ fiunt in parietibus ecclesiæ et stipite altaris; duo vasa cum aqua benedicenda, unum extra ecclesiam, et aliud intus in presbyterio; tobaleæ novæ mundæ, et vasa atque ornamenta ad cultum Dei, et ecclesiæ, et altaris, postquam consecrata fuerint, pertinentia, benedicenda. Item depingantur in parietibus ecclesiæ intrinsecus per circuitum duodecim cruces circa decem palmos super terram, videlicet tres pro quolibet ex quatuor parietibus; et ad caput cujuslibet crucis figatur unus clavus, cui affigatur una candela unius unciæ; scala super quam ascendens Pontifex possit attingere ipsas duodecim cruces. Fontes ecclesiæ, in quibus conservatur aqua benedicta, vacui sint et bene mundi, et provideatur quod ecclesia possit exterius libere circumiri.

COMMENTARIUS.

I. Paucis hic me expediam : ex inferius enim dicendis profecto constabit cuncta quæ in hoc § præparari mandantur, ad consecrationem ecclesiæ et altaris requiri. In plerisque Pontificalibus vix istarum rerum enumerationem reperies, excepto manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, uti in Appendice videre est. In historiis complurium dedicationum, hoc unum dicitur, ut non, nisi paratis quæ necessaria sunt, ad dedicationem deveniatur. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis pauca tantum innuit, etsi in decursu ritus alios etiam adhiberi mandet : « In primis, inquit, erunt » præparata in ecclesia quæque necessaria, id » est, ysopus, vas cum aqua, vinum, sal et ci» nis, et illuminentur XII, super uncinos fer» reos XII ad hoc ibi deputatos, candelæ intrin» secus per circuitum. » Vide in Appendice, ubi hunc Ordinem Pontificalem ad ecclesiam dedicandam, juxta nostrum in hoc opere usitatum morem, una cum aliis integrum referemus.

Digitized by Google

[Dolendum est auctorem tantæ eruditionis hic non speciatim quælibet ad consecrationem præparanda propriis Commentariis perstrictim illustrare non judicasse : pauca enim prælibat inferius, licet occasio se præbeat cuncta ad plenum tractandi. Nobis non est in hisce adnotatiunculis vices ejus supplere; unum tantum proferemus, de crucibus scilicet quæ duodecim depingi ad parietes necesse est. Expleta consecratione eas non decet evelli aut deleri, siquidem honoris signum et sanctitatis præconium sunt quibus extollitur ecclesia consecrata supra illas quæ simplici benedictione donatæ sunt. Quapropter decisum fuit a S. Rituum Congregatione, ad quæsitum Januense, die 18 februarii 1696, dictas cruces « omnino perpetuis futu- » ris temporibus remanere debere. »]

§ VI.

Pontifex mane, in suo habitu quotidiano, veniens ad ecclesiam, ordinat in ecclesia consecranda quæ ordinanda sunt; et ejus jussu accenduntur præmissæ duodecim candelæ, et faldistorium ornatum ponitur supra tapete in medio ecclesiæ; et mox Pontifex exit ecclesiam, cunctis inde exire jussis, uno tantum Diacono, amictu, alba, cingulo et stola albi coloris parato, remanente, et ecclesiæ fores clauduntur.

COMMENTARIUS.

I. Repetendum et hic quidem censeo sacros ecclesiæ ritus, pro varietate ecclesiarum ac temporum, non semper eosdem fuisse. De illuminatione duodecim candelarum omnes fere libri Pontificales, veteres æque ac recentiores, conveniunt. In libro *Sacramentorum S. Gregorii* Papæ ab Hugone Menardo edito, ac Notis illustrato, ita quidem incipit Ordo ad ecclesiam dedicandam : « Primitus enim antequam Pontifex » introeat ecclesiam, inluminentur duodecim » candelæ per circuitum ecclesiæ. Et induant se » vestimentis sacris, etc. » In Ordine antiquo Romano primum fiebat ab Episcopo ad populum denuntiatio sacrarum reliquiarum : postea veniebat Episcopus una cum Clero indutus vestimentis sacris ad tentorium, in quo ad Sanctorum reliquias in præterita nocte factæ fuerant vigiliæ : tum recitatis Litaniis, et exorcizatis ac benedictis sale et aqua, elevabantur sacræ reliquiæ in feretro cum honore summo; antequam autem introiret ecclesiam Pontifex, recludebatur in ipsa ecclesia Diaconus, et duodecim candelæ accendebantur per circuitum ejus, stante Episcopo una cum Clero præ ecclesiæ foribus, et incipiente psallendo Antiphonam « Attollite » portas, principes, vestras, etc. »

II. Pontificale manuscriptum Egberti Eboracensis archiepiscopi ritum ipsum ita describit : « Primitus enim docet ut Episcopus et cæteri » Ministri Ecclesiæ induant se vestimentis sa- » cris, cum quibus divinum mysterium adim- » plere debent, et venientes ante ostium eccle- » siæ quæ dedicanda est, inluminentur duodecim » candelæ, et ponantur deforis per circuitum » ecclesiæ. Postea Collecta *Actiones nostras, etc.* » Antiphona *Zacchæe, festinans descende.* Inci- » piunt Litaniæ : *Kyrie, eleison*, III. *Christe,* » *eleison*, III. *Christe, audi nos. Sancta Maria.* » *Sancte Michael, etc.* Ingrediens vero unus ex » Diaconibus infra ecclesiam, et claudens ostium, » stans ante ipsum, cæteri omnes præ foribus » remaneant, etc. » Paulo aliter Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos scriptum, ritum ipsum enarrat, dum « post Antiphonam *Zacchæe, festi-* » *nans, etc.*, et Collectam *Actiones nostras, etc.*, » et aliam, *Deus, qui nos Pastores in populo* » *vocare voluisti, præsta, quæsumus, ut hoc* » *quod humano ore dicimus, intus oculis esse* » *valeamus* », illuminantur candelæ, dicitur Li- » tania, sequuntur quatuor aliæ Orationes; » iisque finitis, ingreditur unus ex Diaconibus » ecclesiam, et clauso ostio ante ipsum, cæteris » omnibus præ foribus remanentibus, et tunc » quidem Pontifex accedens ad ostium ecclesiæ, » incipit Antiphonam *Attollite portas, principes,* » *vestras, etc.* »

III. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Ca-

Digitized by Google

durcensis, et duobus codicibus Bibliothecæ Colbertinæ annorum octingentorum, ponuntur primum reliquiæ in feretro compositæ in altera ecclesia pridie quam nova ecclesia consecretur, actisque ibidem vigiliis, die sequenti is Pontifex ad ecclesiam novam, quæ sacranda est, cum aliquibus ministris, id est, Diacono, Acolytho vel Mansionario, seu cum his qui ei necessarii fuerint, et ordinat in ea quæ ordinanda sunt, et illuminantur ipsius jussu duodecim candelæ per circuitum ecclesiæ, et emittuntur foras omnes, et clauditur ostium. Interim Pontifex cum sacro Ecclesiastico cœtu pergit ad ecclesiam, ubi pridie fuerunt sacræ reliquiæ positæ, ibique facit Litaniam. Idipsum præscribit codex Ratoldi abbatis, qui tamen monet ut, illuminatis jussu Episcopi duodecim candelis, et expulsis omnibus foras ecclesiam, « solus Archidiaconus, clauso » ostio, ibi maneat. » Ex præscripto aliorum Pontificalium, et testimonio Gulielmi Durandi, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. VI, num. VI : « Omnibus de ecclesia ejectis, solo » Diacono ibi remanente recluso, Episcopus » cum Clero ante fores ecclesiæ aquam non sine » sale benedicit; interim intrinsecus ardent duo- » decim luminaria ante duodecim cruces in ec- » clesiæ parietibus depictas. » Ubi nota varietatem aliorum Pontificalium, juxta quorum præscriptum illuminabantur quidem duodecim candelæ, sed positæ erant deforis per circuitum ecclesiæ; etsi aliter constet ex antiquis scriptoribus mox citandis.

IV. Per duodecim hasce candelas, docent passim prisci auctores duodecim Apostolos significari, etsi etiam Patriarchas exprimi velit Rabanus Maurus, lib. II *De institutione Clericorum*, capite XLV : « Quod vero duodecim lucernæ » intus juxta parietes templi ponuntur, duode- » narium numerum exprimit Apostolorum et » Patriarcharum, quem etiam Joannes Aposto- » lus in Apocalypsi commemorat in ædificio » cœlestis Hierusalem esse insignem. » Ivo Carnotensis episcopus in *Sermone de sacramentis dedicationis* ita ritum ipsum explicat : « Interim autem in circuitu dedicandæ ecclesiæ » duodecim sunt accensa luminaria, quibus » significatur quod commendanda sit lucens et » ardens Apostolorum doctrina. » Statimque hæc addit : « Sic cum templum a Salomone » constructum, Domino jubente, fuisset dedica- » tum, duodecim duces eadem munera detule- » runt, sed ea singulis diebus obtulerunt : hoc » significante Spiritu sancto, quod in Ecclesiæ » ædificatione doctrina Apostolica, unanimis et » concors esset prædicanda, et tamen quæque » gens suum prædicatorem sortitura. »

V. Eadem fere legere est, paucis immutatis verbis, apud Remigium Antissiodorensem monachum, quem putant auctorem tractatus cujusdam *De dedicatione ecclesiæ*, cap. I inscripto *Quid significent duodecim candelæ*, in quo tamen et alia adjungit quæ hunc ritum explicant. Postquam ergo is auctor scripsit, in eo quod omnes eadem munera obtulerunt, præfiguratum quidem fuisse quod Apostolis doctrina et concors in Ecclesiæ ædificatione concurreret, sanctificationemque ejus non schismatum diversitas, sed potius unica confessio veritatis adornaret; sic statim subjicit : « Ista sunt et si- » gna Spiritus sancti fonte irrigata, quorum » fructus est ad usum, sicut in Ezechiele et in » Apocalypsi legitur, et folia ejus ad medicinam, » et per singulos menses afferentia primitiva » sua, in quorum figura, antequam Pontifex » basilicam consecraturus ingrediatur, duode- » cim candelæ in circuitu accenduntur. Ipsi » sunt enim, quibus veritas dicit : *Vos estis lux* » *mundi*. Itemque exhortans eos ad prædicatio- » nis verbum fidelibus suis erogandum : *Nemo*, » inquit, *accendit lucernam, et in abscondito* » *ponit, neque sub modio, sed super candelabrum,* » *ut qui ingrediuntur, lumen videant*. Isti sunt » qui, ut alios mentis alacritate docerent et » verbo splendere, prius linguas acceperunt » igneas, ut insinuarentur, et amore fervere, » et verbo lucere. Dum ergo in circuitu domus » dicandæ duodena fulgent lumina, demon- » stratur quod in ea prædicanda sit lucens et » ardens Apostolica doctrina. »

VI. Etiam apud Græcos in dedicatione ecclesiæ accendi consuevisse lucernarum multitudinem, docet Isaacius Habertus in Pontificale Ecclesiæ Græcæ, observatione I ad ritum reconciliandæ ecclesiæ, probatque ex Codino in *Originibus* sub finem, ubi de Theodora Augusta inquit : « Imperatrix ex serico funiculos contexuit, ma- » gna fide et labore, et, argenteis candelabris » multa luminaria habentibus suspensis, templi » encænia et dedicationem fecit, antequam eccle- » sia magna dedicaretur. » Convenit quoque et in

Digitized by Google

hoc ritus Græcus cum ritu Latino, quod in Ecclesia etiam Orientali initio dedicationis « laicus quilibet foras ejicitur, » adinstar Romanæ Ecclesiæ, in qua solus unus Diaconus templo consecrando sub initio remanet, rationemque affert Simeon episcopus Thessalonicensis, sic dicens : « Sanctus debet esse qui » intus reperitur, sicut et sacra est quæ sancti- » ficatur domus. »

§ VII.

Tunc Pontifex cum Clero et populo accedit ad locum ubi pridie reliquiæ positæ fuerunt, et ibi incipit et dicit voce submissa cum Clericis septem Psalmos cum Antiphona *Ne reminiscaris,* sine Litaniis, induens interim amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum Pastoralem in manu sinistra. Alter quoque Diaconus paratus similiter amictu, alba, cingulo et stola albi coloris; Subdiaconus etiam amictum, albam et cingulum indutus; Acolythi et alii ministri superpelliceis parati adsint. Septem Psalmis expletis, redit Pontifex cum ministris ante fores ecclesiæ consecrandæ, et parato ibi alio super tapete faldistorio, Pontifex deposito baculo Pastorali et stans sine mitra inchoat, et Schola prosequitur, Antiphonam toni I : *Adesto, Deus unus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* Deinde dicit, stans eodem modo :

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ VIII.

Qua dicta, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium ibidem præparatum, et Cantores incipiunt Litanias, et eas prosequuntur usque ibi : *Ab omni malo libera nos, Domine*, exclusive.

COMMENTARIUS.

I. Litanias in dedicatione ecclesiæ recitandas, omnes fere libri Pontificales docent, in quibus tamen, sicut nec in ipsis recentioribus inveni ritum septem Psalmos, quos Pœnitentiales vocant, dicendi. Ordo vetus Romanus initio quidem dedicationis ecclesiæ præscribit ut « pri- » mum veniat Episcopus, indutus vestimentis » sacris, similiter et Clerus ad tentorium, in » quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis » fuerunt, fiantque ibi Litaniæ. » Iis finitis, ex ipso Romano Ordine dicebat Episcopus hanc Orationem ante tentorium : « Aufer a nobis, » quæsumus, Domine, iniquitates nostras, ut » ad Sancta sanctorum puris mereamur menti- » bus introire. Per. » Tum alia post ingressum tentorii Oratio sequebatur hunc in modum : « Fac nos, Domine, Sanctorum tuorum tibi » specialiter dicata membra contingere, quorum » cupimus patrocinia incessanter habere. Per. » Ordini Romano consentit manuscriptus codex B. Mariæ Remensis, et manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum ; sed nulla in iis de Litaniis mentio.

II. Ex manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos cautum est ut Episcopus faciat Litaniam, « et » cum hac Litania Sanctorum implorans suffra- » gium, ter circumeat ipsam, quæ dedicanda

Digitized by Google

» est, ecclesiam. » Pontificale manuscriptum Halinardi archiepiscopi Lugdunensis, ante annos sexcentos, Litaniam ait dicendam postquam Episcopus tres in liminari ecclesiæ percussiones, tresque ecclesiam ipsam ingressus cum baculo in pavimento cruces fecerit : « Tunc intra os» tium ecclesiæ incipit Clerus Litaniam. Strata » ante altare tapetia, prosternant se Pontifex, » Sacerdotes et Levitæ, et orent usque dum di» catur *Agnus Dei.* » Consentit huic ritui quoad Litaniam manuscriptum Pontificale Cameracense ante annos quingentos manu exaratum : præscribit tamen initio dedicationis exorcizandum ac benedicendum sal et aquam.

III. Denique in dedicationibus ecclesiarum Pontificem consecratorem aliosque Episcopos assistentes cappa olim seu pluviali usos fuisse, docet nos Lantfrancus episcopus Cantuariensis. Cum enim Joannes Abrincensis episcopus, deinde metropolita Rothomagensis, libellum quem scripsit de Sacerdotalibus ornamentis, maxime vero de stola et casula, et utriusque in Ecclesia usu, ad ipsum Lantfrancum transmisisset ut de ipso libello judicium suum diceret; is commendans primum quæ de stola sacra in eo tractatu scripserat, minime tamen ferenda sibi et doctis quibusque quæ de casulæ usu enarraret, ingenue pronuntiavit, ipsumque Joannem arguit quod scriptum reliquisset Episcopum ad dedicandam ecclesiam procedentem casula debere esse indutum, cum alias ubique locorum Episcopi, cappis induti usque ad celebrationem Missæ, dedicationes ecclesiarum celebrarent : « Quicquid de stola, inquit, Sanctitas vestra » scripsit, multum mihi placuit, nec unquam » displicuit. Sed quod subjunxit quia ad dedi» candam ecclesiam Episcopus processurus » sacris vestibus, ex institutione Episcopalis or» dinis, debeat esse indutus; atque in expositione » ipsarum sacrarum vestium, casulam posuit, » valde stupui; quia tale aliquid me nunquam » vidisse meminisse non potui : diversos enim » diversarum provinciarum Præsules ecclesias » dedicare sæpe conspexi, omnibusque quæ ab » eis facta sunt, quantum potui, curam adhibui; » qui, etsi in nonnullis dissimilia egerint, om» nes tamen cappis induti usque ad celebratio» nem Missæ debita servitia sine casula exple» verunt. Denique S. Leo (utique IX) Romanæ » Sedis summus Antistes Romericensem, me » præsente, ecclesiam dedicavit, cunctaque quæ » ante Missam fieri ordo depoposcerat, sine ca» sula consummavit. » Ubi nota obiter I. titulum Sanctitatis, sæculo Christi XI quo floruit Lantfrancus, quibusvis Episcopis tradi consuevisse; II. morem non eo sæculo inductum, sed ubique locorum viguisse, ut cappis induti Episcopi usque ad celebrationem Missæ, dedicationes ecclesiarum, ut hodieque fit, celebrarent.

IV. Albi coloris vestibus, pretiosis mitris ac baculis Pontificiis usos fuisse Episcopos, ubi ecclesias dedicabant, docet nos Sugerius Sancti-Dionysii abbas in libro *De consecratione* præfatæ *ecclesiæ Sancti-Dionysii*, cum apparatum Pontificalem gestatum refert ab Episcopis dedicatoribus, Samsone Remensi, Hugone Rothomagensi, Guidone Senonensi, Theobaldo Cantuariensi, metropolitis : Godefrido Carnotensi, Josleno Suessionensi, Simone Noviomensi, Elia Aurelianensi, Odone Belvacensi, Hugone Antissiodorensi, Alviso Atrebatensi, Guidone Catalaunensi, Algaro Constantiensi, Rotroco Ebroicensi, Milone Tevanensi, et Petro Silvanectensi, episcopis: « Igitur summo mane, inquit, Archiepiscopi, » Episcopi de propriis hospitiis, cum Archidia» conis, Abbatibus et aliis honestis personis ad » ecclesiam accedentes, episcopaliter se compo» nebant, et ad dolium pro consecratione aqua» rum superius inter sanctorum Martyrum se» pulturas, et sancti Salvatoris altare, satis » decenter, satis venerabiliter assistebant. Vide» res, et qui aderant non sine magna devotione » videbant tot tantorum choream Pontificum » vestibus albis decoram, mitris Pontificalibus » circinatis aurifrisiis pretiosis admodum coro» natam, Pastorales virgas manibus tenere, cir» cumcirca dolium ambire, nomen Domini » exorcizando invocare : tam gloriosos et ad» mirabiles viros æterni Sponsi nuptias tam pie » celebrare, ut potius chorus cœlestis quam ter» renus, opus divinum quam humanum tam regi » quam assistenti nobilitati videretur apparere. »

V. Possent et alia afferri veterum scriptorum loca, sed hæc sufficere possunt, quibus etiam egregie ritus illustratur benedicendi aquam, de qua sequens § loquitur. Non omittendum interim hoc loco est, ea quæ in duobus hisce §§ habentur omnino consentire cum manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, cujus integrum Ordinem in Appendice referemus.

Digitized by Google

§ IX.

Tunc surgens Pontifex ab accubitu, et stans cum mitra benedicit ibidem aquam et sal, prout supra habetur (pag. 22). Expleta aquæ benedictione, Pontifex stans sine mitra aspergit se et circumstantes cum illa, inchoans, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

COMMENTARIUS.

I. De exorcismo et benedictione salis et aquæ locuti fuimus supra, tit. I, in Commentario § II, ubi egimus de ritu quo primum ecclesia fundari incipit; quod vero ipsius ecclesiæ dedicationem spectat, antiquissima est consuetudo ut basilica dedicanda aquæ exorcizatæ seu benedictæ aspersione sanctificetur, quemadmodum constat ex pervetustis libris Pontificalibus et praxi antiquorum Patrum, qui ipsam non modo in dedicandis ecclesiis adhibuerunt, sed ejus etiam ritus mysteria enarrarunt. Ivo Carnotensis episcopus in *Sermone de sacramentis dedicationis* de ea re hæc habet : « Ædificato itaque templo, et » quasi in unius lapidis formam cæmento con» stringente redacto, ut templum Dei nomen et » honorem habere mereatur, ad commendan» dum Baptismi sacramentum per quod in eo» dem templo novi populi creandi sunt, ipsum » templum primum suo modo et suo ordine » baptizamus, et deinceps multiplici sacramen» torum sanctitate dedicamus. » Vocabantur olim sacramenta non solum septem illa a Christo Domino instituta, quæ sunt vasa gratiæ sanctificantis, sed etiam quivis ritus qui ad aliqualem sanctificationem spectant, quæ vulgo sacramentalia appellantur. Consule S. Augustinum in *Epistola* CXVIII *ad Januarium*, et S. Petrum Damianum qui in *Sermone* LXIX, primo autem in dedicatione ecclesiæ, inquit : « Sextum est sacramentum dedicationis eccle» siæ. Dici vix potest quanta sit in hoc loco » sacramentorum varietas. »

II. Sed audiamus iterum Ivonem, qui de ipsa aqua in ecclesiæ dedicatione benedicenda hæc subdit : « Primo itaque aquam benedicimus, » cui et sal admiscetur : aqua etenim pœniten» tiæ figuram gerit, quæ velut aqua peccatorum » maculas abluit, quam tunc benedicimus, cum » virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venien» tibus prædicamus. Unde et Petrus quibusdam » corde compunctis in *Actibus Apostolorum* » dicit : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unus» quisque vestrum.* Cui admiscetur sal, id est » evangelica doctrina, fluxa auditorum corda » suavi mordacitate constringens, et ad conser» vandam vitæ novitatem sapienter componens.» Consentit Ivoni Gulielmus Durandus episcopus Mimatensis, lib. I sui *Rationalis*, cap. VI, ubi ita inquit : « Primo itaque dicendum est de » aquæ benedictione, super quo dicit Dominus : » *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu » sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* » Aqua enim, quæ lavandis corporibus idonea » est, tantam divinitus virtutem accipere me» ruit, quod sicut corpora lavat a sordibus, ita » et animas mundat a peccatis. Manifestum » quidem est quod hæc aqua, cujus aspersione » ecclesia consecratur, baptismum significat, » quia quodammodo ipsa ecclesia baptizatur; » ipsa vero ecclesia illam utique Ecclesiam de» signat quæ in ea continetur, scilicet fidelium » multitudinem. » Dices : Cur huic aquæ sal admiscetur, cum Christus Dominus de baptismo loquens, nullam de sale fecerit mentionem? Huic quæsito respondet idem Durandus, docens, allatis variis Scripturæ locis, sal in divino eloquio pro sapientia accipi, quæ condimentum omnium virtutum est, sicut sal omnium ciborum. Tum ita concludit : « Hinc ergo est quod » nullus baptizatur prius quam sale cibetur, » etiam infantes, ut quod actu habere non pos» sunt, habeant saltem significatione sacramenti, » nec sine sale benedicetur aqua. »

III. Ergo in dedicatione ecclesiæ rite per Episcopum consecrantem aqua benedicitur; etsi observatum aliquando constet, ubi Urbanus III dedicavit ecclesiam Sancti-Juliani de Lepida in districtu Veronensi anno 1186, « præsentibus

Digitized by Google

» et cooperantibus » compluribus Cardinalibus et Prælatis, Jonatham Concordiensem episcopum, et Aldomarium episcopum Xantonensem fecisse « aquam sanctam cum aqua et sale, et » ivisse per tres vices deforis ecclesiam, etc. » Cæterum etsi de aqua benedicta multa narret in sua *Hydragiologia* Marcus Antonius Marsilius Columna archiepiscopus Salernitanus, aliique scriptores passim agentes de ritibus, celebre illud profecto est, quod de S. Joanne Hagustaldensis Ecclesiæ primum, deinde Eboracensis episcopo, qui floruit anno 721, refert Beda lib. v *Historiæ Anglorum,* cap. iv, aqua nimirum benedicta in dedicatione ecclesiæ cujusdam comitis, a memorato sanctissimo Antistite illico sanatam fuisse ipsius comitis conjugem, quam gravis morbus pene consumpserat. De S. Dunstano archiepiscopo Cantuariensi narrat in ejus Vita Osbertus monachus, cap. vii, quod cum invitatus aliquando fuisset ad dedicandam ecclesiam cujusdam principis, et aqua ad ministerium dedicationis defuisset, « ad vocem viri, » quam per naturam non habuit, per gratiam » Dei arida rupes aquam profudit : quæ de » eadem rupe usque hodie manans, ac saluti- » ferum fidelibus poculum præbens, Dunstani » nomen celebre facit. » De alterius aquæ benedictione una cum vino, hyssopo et cinere, vide infra. Vide et quæ in fine Commentarii præcedentis diximus de apparatu ac ritu quo plurimi Præsules insignis ecclesiæ Sancti-Dionysii dedicatores aquam primo benedixerunt.

§ X.

Qua incœpta, imposita sibi mitra, stans ante fores ecclesiæ, præcedentibus ipsum duobus Acolythis cum candelis accensis, incipit circuire ad manum dexteram procedens cum Clero et populo, et aspergens cum ista aqua forinsecus parietes ecclesiæ in superiori parte eorum, et cœmeterium, dicens semper : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* Interim finita dicta Antiphona, Schola cantat Responsorium toni ii : *Fundata est domus Domini super verticem montium, et exaltata est super omnes colles, et venient ad eam omnes gentes.* ℣ *Et dicent : Gloria tibi, Domine.* ℣. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* ℣ *Et dicent.*

§ XI.

Expleto circuitu, Pontifex perveniens ante ostium, stans ibidem versus ad ostium, depositis aspersorio et mitra, dicit : *Oremus.* Et Ministri, seu Diaconus : *Flectamus genua.* Subdiaconus : ℟. *Levate.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris; adesto supplicationibus nostris, et hujus domus cujus es fundator, esto protector; nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtute Spiritus sancti operante, fiat hic semper purum servitium et devota libertas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Benedicta et mista aqua cum sale pariter benedicto, et incœpta antiquissima Antiphona *Asperges me, etc.*, desumpta ex Davidis Psalmo l, stans ante fores ecclesiæ Pontifex, incipit circuire ecclesiam murosque ipsius aspergit. Quem quidem ritum ter ecclesiam circumeundi, in antiquis Pontificalibus et apud priscos scriptores legere est; inter quos Ivo Carnotensis episcopus, postquam enarravit cur aquæ benedictæ sal admiscetur, istiusmodi cæremoniam circumeundi exterius templum ita explicat in celebri laudato *Sermone de sacramentis dedicationis :* « Ista

Digitized by Google

» aqua ad quamdam baptismi imaginem gy-
» rando ecclesiam tunc exterius adspergimus;
» quia ubi more baptizatorum non potest fieri
» trina mersio, necesse est ut, qua possumus
» sacramenti similitudine, trina fiat adspersio.
» Unam enim habet hanc significationem trina
» mersio et trina adspersio, quia quicquid cogi-
» tatione, locutione et actione committitur, to-
» tum salutari fonte diluitur. »

II. Hæc verba Ivonis satis indicant complures cæremonias in consecratione templi materialis esse adhibitas ad similitudinem eorum quæ in spiritualis templi, scilicet animæ, dedicatione per baptismum adhibentur; eo quod a priscis SS. Patribus, uti alibi ostensum est, dedicatio templi materialis repræsentaretur ut figura dedicationis templi spiritualis. Huic verisimiliter originem debent ritus signandi ipsos ecclesiæ parietes duodecim crucibus eosque oleo sancto liniendi, ut sicut in spirituali dedicatione baptizandus crucis signaculo et oleo signatur, ita hic spiritualis dedicationis figura repræsentetur. Similiter, ut neophytis sal datur ex prisco Ecclesiæ ritu, quæ hodieque, ubi infantes baptizantur, religiose servatur; ita et in dedicatione templi sal adhibetur. Quin et ipsa duplicis alphabeti in ipso templi pavimento delineatio ex ritu baptismi derivata videtur : « Quid autem (ait laudatus » Ivo) per alphabetum, nisi initia et rudimenta » doctrinæ sacræ intelligi convenit? » Et paulo post : « Scribit etiam Pontifex quasi alphabeti » ordinem, cum docet fidei simplicitatem. » Ut consequenter in dedicatione templi materialis fiat per alphabeti descriptionem, quod in dedicatione seu consecratione spiritualis agitur per instructionem et catechizationem neophytorum in primis fidei et religionis elementis, ut scite observat Van-Espen, *Juris Ecclesiastici universi* parte II, tit. XVI, cap. III.

III. Sed ut eo revertamur unde discessimus, quamvis trini solum circuitus, non vero trinæ adspersionis cum aqua benedicta, in quibusdam Pontificalibus mentio fiat, expresse tamen de utroque ritu loquitur non modo vetus Ordo Romanus et laudatus Ivo Carnotensis episcopus, sed et manuscriptus codex B. Mariæ Remensis ante annos octingentos et alii plerique sequioris ævi libri Pontificales, in quibus tamen varietas reperitur circa Antiphonas et Orationes dicendas in unoquoque circuitu, et aquæ benedictæ aspersione. Enim vero, ut alios omittam libros *Sacramentorum*, vetus Ordo Romanus ritum ita describit post peractam scilicet salis et aquæ benedictionem : « Tunc elevent ipsas reliquias » in feretro cum honore et laudibus, cum cruce, » et thuribulis, ac luminaribus, et exeant psal- » lendo istam Antiphonam : *Surgite, Sancti, de* » *mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem* » *benedicite, et nos homines peccatores in pace* » *custodite*. Antiphona : *Cum jucunditate exi-* » *bitis, et cum gaudio deducemini, nam et mon-* » *tes, et colles exsilient, exspectantes vos cum* » *gaudio. Alleluia* : donec perveniant ad ostium » ecclesiæ. » Idipsum præscribunt et alii non pauci libri Pontificales antequam Episcopus ter ecclesiam exterius circumeat, eamque ter aqua benedicta aspergat.

IV. Admonet vetus ipse Ordo Romanus, cui alii Rituales codices consentiunt, quod nos alias innuimus, ut primitus, antequam introeat Pontifex ecclesiam, Diaconus recludatur in ipsa, et illuminentur duodecim candelæ per circuitum ejus, stante Episcopo una cum reliquo Clero præ foribus ecclesiæ, et imponente psallendo Antiphonam hanc : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales;* et Psalmum XXIII *Domini est terra, et plenitudo ejus.* Tum vero præscribit « ut circumeant ecclesiam, » eamdem Antiphonam per singulos versus re- » petentes usque dum Pontifex primo aqua be- » nedicta aspergat forinsecus parietes ecclesiæ. » Statimque hæc subjicit : « Tum veniens ante » ostium dicat *Oremus*. Et Diaconus : *Flecta-* » *mus genua*. Postea : *Levate*. Sequatur Oratio : » *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni* » *loco, etc.,* » ut supra in nostro Romano Pontificali.

V. Variis precibus dedicari solitas olim ecclesias, addiscere licet ex sancto Augustino, *Sermone* CCCXXXVI et CCCXXXVII, ubi etiam recenset Psalmum XXIX. De variis aspersionibus in ipsa ecclesiarum dedicatione adhibitis meminit quidem Beda lib. V *Historiæ Anglorum*, cap. IV. Quid autem trina aspersio aquæ benedictæ denotet, triplexque circuitus quem Episcopus aspergendo facit, pluribus mysticis interpretationibus docet Gulielmus Durandus in suo *Rationali divinorum Officiorum*, lib. I, cap. VI, num. XI et duobus sequentibus. Porro sacras etiam reliquias a Sacerdotibus per circuitum

Digitized by Google

latas fuisse, ubi Pontifex, ter circumiens ecclesiam, muros exterius aqua benedicta aspergebat, non modo innuit, sed ipsam etiam cæremoniam egregie explicat Rabanus Maurus lib. II *De institutione Clericorum*, cap. XLV, his verbis : « Quod vero Pontifex simul cum Sacerdotibus » feretrum portantibus, et omni Clero ac cætero » populo Laudes et Litanias canendo, antequam » ingrediatur in templum, ter foris illud cir- » cumit, quid aliud significat quam quod in » adventu Domini et Sanctorum ejus, qui fit » per invocationem nominis ejus, sicut ipse » dixit : *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in* » *nomine meo, in medio eorum sum,* omnis » superbia et virtus diaboli, si qua in domo » latitaverat, corruat et dissipetur, et quod » secundum Prophetam (Isaiæ II) *exaltabitur* » *Dominus solus in die illa, et vocabitur dein-* » *ceps nomen loci illius, Dominus ibidem.* Legi- » mus etiam in Jesu Nave (id est Josue, cap. VI) » quod Sacerdotes et Levitæ, atque universus » Israel, simul cum arca Domini circumierint » arcam Jericho, et Sacerdotibus clangentibus » buccinis, et conclamante universo populo, » subito corruerint muri civitatis : quod utique » significat ad vocem prædicationis et laudis » Domini, post Salvatoris adventum, superbiam » mundanam corruisse, et regnum diaboli de- » structnm esse. »

VI. Sciendum denique nullibi me reperisse in Pontificalibus manuscriptis ante annos quingentos, quod dicitur in § X, ut Episcopus, scilicet cum aspergit aqua benedicta exteriores templi parietes, dicat : « In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, » et Spiritus ✠ sancti. » In Pontificali quidem Cameracensi annorum quingentorum, ubi Episcopus ante fores ecclesiæ sal et aquam benedixit, recedit ab ostio ecclesiæ, ipsamque circumiens, benedicendo et spargendo aquam, cum Clero et populo cantat Responsorium : « Si Do- » minus meus fuerit mecum, etc. » Ex Pontificalibus tandem manuscriptis libris Apamiensi et Constantinopolitano, post benedictionem salis et aquæ, Episcopus circuit ipsam ecclesiam cum Clero et populo, spargitque aquam benedictam; Schola vero cantat « ℟. Fundata est domus Do- » mini. ℣. Venientes autem. » Finito autem circuitu, stans ante ostium Pontifex, dicit « Oremus. » Et Diaconus : « Flectamus genua. » Post paululum : « Levate. » Quibus omnibus ea succedit Oratio, et quidem ab Episcopo recitanda : *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, etc.*, ut supra in § XI descripta habetur.

[Sed quid agendum quando ita constituta est ecclesia, ut nullatenus circumiri possit? quod aliquando accidit propter conjunctum montem, vel contiguos parietes cujusdam ædificii sacri vel profani, quod in ædificanda ecclesia vitari non potuit. Indubium est eos qui de illa construenda cogitant curare debere ne tale præjudicium functioni sacræ inferatur, sed si in tam incongruis conditionibus erecta sit ecclesia, sæpius petita a S. Rituum Congregatione licentia consecrationem, hoc non obstante, peragendi, et ab eadem concessa, demonstrat non ita facile prætermittendum hunc ritum circuitionis, ac si inter indifferentes reputaretur. Exstat harum dispensationum memoria in causis Savonen. 30 septembris 1596, Cortonen. 17 julii 1604, Asten. 24 septembris 1605, et 27 septembris 1608, Senen. 12 junii 1628, Lugdunen. 22 augusti 1654, Lancianen. 13 junii 1682, et Lauretana, 13 augusti 1701. His in diversis casibus, constanter intimatum fuit a sacro Senatu ecclesiam debere circumdari ab ea parte quæ circumdari potest, et in omnibus Episcopum regulis Pontificalis, quantum liceret, adstringi.]

§ XII.

Quo dicto, Pontifex accepta mitra et baculo Pastorali, ad ostium ecclesiæ appropinquans, percutit illud semel cum inferiori parte ejusdem baculi Pastoralis super liminare, dicens intelligibili voce : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* Diaconus intus existens dicit alta voce : *Quis est iste Rex gloriæ?* Pontifex respondet : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Ritus quo Pontifex ter ecclesiam circumiens, ter superliminare illius cum inferiori parte baculi sui percutit, in omnibus vel antiquissimis Pontificalibus libris reperitur. Fuse illum quidem describit vetus Ordo Romanus eodem fere modo, Versiculis atque Orationibus, quæ in nostro hoc § et pluribus sequentibus habentur. *Sacramentarium S. Gregorii* paucis se expedit verbis, dum ita inquit : « Induant se » vestimentis sacris, et cum venerint ad ostium » ecclesiæ, percutiat Pontifex ter super liminare » de cambutta sua, dicens ante portam Anti- » phonam : *Tollite portas, principes, vestras.* » Et canant ipsum Psalmum totum ante ostium. » Et aperto ostio, etc. » Cambutta seu cambuta est virga Pastoralis Episcoporum, de eaque voc· consulendus est Carolus Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario,* ubi pluribus allatis veterum scriptorum locis, cambuttam baculum Pastoralem Episcoporum scilicet ac Abbatum significare ostendit.

II. Fusius eum ritum enarrat Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi ante annos nongentos in quo ita legimus : « Ingrediens » vero unus ex Diaconibus infra ecclesiam, et » claudens ostium, stans ante ipsum, cæteri » omnes præ foribus remaneant. Pontifex ac- » cedens ad ostium ecclesiæ, percutiens ter » superliminare de cambuta sua aut baculo, » dicens : *Tollite portas, principes, vestras, et* » *elevamini, portæ æternales, et introibit Rex* » *gloriæ.* Respondeat ille minister infra stans : » *Quis est iste Rex gloriæ?* Et iterum dicat » Episcopus : *Tollite portas, principes, vestras,* » ut supra. Et minister de intus : *Quis est iste* » *Rex gloriæ?* Iterum tertio percutiat Episcopus » super ostium, et dicat : *Tollite portas, prin-* » *cipes, vestras,* ut supra. Et minister deintus » respondeat : *Quis est iste Rex gloriæ?* Et » respondebunt omnes : *Dominus virtutum ipse* » *est Rex gloriæ.* Inde vero percutiat Episcopus » ostium ecclesiæ, et canendo incipiat Antipho- » nam : *Tollite portas, principes, vestras, et* » *elevamini, portæ æternales.* Et statim aperia- » tur ostium, etc. »

III. Multo fusius idipsum exprimitur in Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, ejusdem fere ætatis, cujus verba hæc sunt : « Pontifex, accedens ad ostium ecclesiæ, incipiat » Antiphonam *Attollite portas, etc.* Et iterum » circumeat ecclesiam versificando Psalmum, » usquequo veniat ad ostium, percutiensque in » primis ter cum virga ipsum ostium, dicat di- » recte : *Tollite portas, etc.* Episcopus secundo » circumeat ecclesiam psallendo versus ejusdem » Psalmi, qui supersunt cum Antiphona supra- » dicta, quoadusque veniat ad ostium, quod » prius, percutiensque iterum ipsum ostium, » dicat directe, ut supra : *Tollite portas, etc.* » Et Minister respondeat : *Quis est iste?* Item » tertio circumeat ecclesiam psallendo quod » superest ejusdem Psalmi cum Antiphona su- » pradicta. Quo Psalmo expleto cum Antiphona, » stans ante ostium, tertio percutiat ipsum » ostium, dicatque directe sine sono : *Tollite* » *portas, etc.* Et Diaconus respondeat : *Quis est* » *iste?* Tunc omnis Clerus Episcopo respondeat, » dicens : *Dominus virtutum ipse est Rex glo-* » *riæ.* Et statim Diaconus aperiet ostium, etc. »

IV. Fusissime haud dubie eumdem ritum describit codex Pontificalis B. Mariæ Remensis ante annos octingentos exaratus, consonatque cum Ordine antiquo Romano, et consequenter fere cum nostro Romano Pontificali : præscribit enim ut cum Pontifex ecclesiam circumit, aquam spargat benedictam, et Diacono dicente « Fle- » ctamus genua, » paulo post recitet Episcopus Orationes in nostro Pontificali descriptas, in §§ sequentibus. Pontificale manuscriptum Halinardi archiepiscopi Lugdunensis ante annos sexcentos scriptum, mandat quidem ut ubi tertia vice respondit Diaconus « Quis est iste Rex » gloriæ, » tunc quasi triumphator dicat Pontifex : « Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ; » aperiatque ostium « quasi cum violentia » canendo Antiphonam : « Tollite portas, principes, » vestras, » cum Psalmo, « Domini est terra : » quem cantandum edicit, « usque in finem abs- » que *Gloria.* » Sunt et alii complures libri Pontificales, quos longum esset recensere, in quibus idem ritus, semper tamen cum aliqua varietate, describitur.

V. Verum quicquid sit de ea varietate, antiquissima est cæremonia circumeundi ecclesiam

Digitized by Google

et percutiendi cum baculo superliminare, sive, ut quidam libri Pontificales inquiunt, ostium ecclesiæ, eamque cæremoniam ita explicat Ivo episcopus Carnutensis in toties laudato *Sermone de sacramentis dedicationis* : « Ad singulos, in» quit, circuitus accedit Pontifex ad ostium » basilicæ, Clero et populo subsequente, et per» cutit superliminare virga Pastorali, cantando » Antiphonam : *Tollite portas, principes, vestras,* » *et elevamini, portæ æternales.* Virga enim Pa» storalis potestas intelligitur Sacerdotalis, quam » Dominus discipulis suis contulit, quando eos » ad prædicationem mittens, nihil eos in via » ferre, nisi virgam tantum, permisit. Qua virga » sancti Sacerdotes, et solantur humiles, et » terrent superbos, et feriunt impœnitentes. » Et infra post allata varia divinæ Scripturæ loca, quibus datam a Christo Præsulibus potestatem adstruit, hæc subdit : « Unde et post trinam » percussionem ostium aperitur, quia Sacerdoti » potestatem suam digne conservanti pars ad» versa resistere non potest, etc. »

VI. Porro, ut paucis plura, quæ in hoc et duobus §§ continentur, explicem, auctore Durando, trina in superliminari ostii percussio signat triplex jus quod Christus habet in Ecclesia sua, propter quod ei aperiri debet. Est enim sua creatione, redemptione et glorificationis promissione. Rursus, per triplicem percussionem januæ cum virga Pastorali, prædicatio Evangelica intelligitur. Quid enim virga, nisi sermo divinus, juxta illud Isaiæ XI : « Percutiet » terram virga, » id est sermone, « oris sui. » Virga igitur januam percutere, est aures audientium prædicationis voce pulsare; aures enim portæ sunt per quas ad corda audientium sanctæ prædicationis verba introducimus; unde in Psalmo legimus : « Qui exaltas me de portis, » ut annuntiem omnes laudes tuas in portis » filiæ Sion. » Portæ filiæ Sion sunt profecto ex quorumdam interpretatione aures et auditus fidelium. Tertio triplex cum virga percussio et januarum apertio significat quod per prædicationem Pastorum infideles venient ad fidei consensum. Per illam enim portæ justitiæ aperiuntur, et illam ingressi fidem confitentur; quamobrem in Psalmo dicitur : « Aperite mihi » portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor » Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt » per eam. » Percutit igitur Episcopus in superliminari, scilicet orationis, dicens : « Attol» lite portas, » id est dæmones, seu potius homines, auferte ignorantias vestras a cordibus vestris. Interrogatio Diaconi inclusi respondentis in personam populi : « Quis est iste Rex glo» riæ ? » est ignorantia populi nescientis quis est ille qui debet intrare : apertio ostii evacuatio est peccati. Recte ergo Episcopus ter percutit, quia numerus iste notissimus et sacratissimus est; et in omni dedicatione Episcopus ter januas percutere debet, quia sine invocatione Trinitatis nullum fit in ecclesia sacramentum. Trina vero proclamatio, « Attollite » portas, principes, vestras, etc., » triplicem Christi potestatem significat, videlicet, quam habet in cœlo, in terra, in inferno; unde in Hymno Ascensionis dicitur :

Ut trina rerum machina
Cœlestium, terrestrium,
Et inferorum condita
Flectat genu jam subdita.

VII. Hæc quidem docet Durandus, quæ longe fusius enarrantur etiam in tractatu *De dedicatione Ecclesiæ,* qui exstat in codice Sancti-Audoeni Rothomagensis ante annos sexcentos exarato, quemque, ex stylo et modo loquendi, fœtum Remigii Antissiodorensis monachi esse autumat vir clarissimus Edmundus Martenius, qui ipsum tractatum descripsit inseruitque libro II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIII, post allatos varios manuscriptos Ordines ad dedicandam ecclesiam.

§ XIII.

Deinde Pontifex, deposito baculo Pastorali et accepto aspersorio, iterum circuit ecclesiam cum Clero et populo, incipiens ad eamdem manum dexteram, aspergendo parietes juxta fundamentum ipsorum et Cœmeterium, dicens semper : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* Interim Schola cantat Responsorium toni VIII : *Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Venientium*

Digitized by Google

in loco isto ℣ *Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ.* ℣. *Domine, si conversus fuerit populus tuus, et egerit pœnitentiam, veniensque oraverit in loco isto.* ℣ *Exaudi.* Expleto circuitu, Pontifex perveniens ante ostium, stans ibidem, versus ad illud, depositis aspersorio et mitra, dicit : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, duos ex diverso venientes, ex circumcisione et præputio, parietes, duosque greges ovium sub uno eodemque Pastore unisti; da famulis tuis per hæc nostræ devotionis officia, indissolubile vinculum charitatis, ut nulla divisione mentium, nullaque perversitatis varietate sequestrentur, quos sub unius regimine pastoris unus grex continet, uniusque te custode ovilis septa concludunt. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

De trino circuitu ecclesiæ cum aquæ benedictæ aspersione plura jam diximus in Commentario superiori. Hic illud nobis notandum est, quæ in hac Rubrica descripta sunt, exstare quidem in Ordine antiquo Romano cum eisdem Orationibus et ritu aquam benedictam spargendi; in eo autem præfatus Ordo variat, quod Episcopus quidem circumeat ipsam ecclesiam cum Clero, aquam spargendo, cantando tamen Responsorium : « In circuitu tuo, Domine, lu» men est quod nunquam deficiet; ubi con» stituisti lucidissimas mansiones, ibi requie» scunt animæ Sanctorum. » Tum mandat hunc Versiculum recitari : « Magnus Dominus et lau» dabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte » sancto ejus; » deinde repeti : « Ibi requie» scunt; » postea vero dicto a Diacono : « Fle» ctamus genua, » cum responsione, « Levate, » sequi Orationem : « Omnipotens sempiterne » Deus, qui per Filium tuum, etc. » Qui ritus habetur etiam in manuscripto Pontificali codice Sanctæ-Mariæ Remensis ante annos octingentos exarato, in Pontificali manuscripto Cameracensi annorum quingentorum et aliis quibusdam. Liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* nullam de Versiculis, Responsoriis et Orationibus hisce mentionem facit; solum edicit ut, « cum venerint ad ostium ecclesiæ, » percutiat « Pontifex ter superliminare de cambutta sua, » dicens ante portam Antiphonam : *Tollite por» tas, principes, vestras*, et canant ipsum Psal» mum totum ante ostium. » Una cum manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod exstat in Vaticana Bibliotheca, Rubricæ nostri § XIII consentire videntur duo manuscripta Pontificalia, Apamiense et Constantinopolitanum, in quibus præscriptum est ut « postquam dixit » Episcopus : *Dominus fortis et potens, Dominus » potens in prælio*, recedens ab ostio, iterum » circumeat ecclesiam cum Clero et populo, et » Clerus cantet : ℟. *Benedic, Domine.* ℣. *Audi, » Domine.* ℟. *Domine, si conversus fuerit.* ℣. *Si » peccaverit.* Tunc iterum veniens ante ostium » dicat : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus ge» nua. Levate.* Oratio. *Omnipotens sempiterne » Deus, qui per Filium tuum, lapidem an» gularem, etc.* »

§ XIV.

Tum acceptis mitra et baculo Pastorali, appropinquans iterum ad ostium, percutit secundo cum eodem baculo Pastorali superliminare, dicens simili voce ut prius : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* Diaconus intus existens dicit : *Quis est iste Rex gloriæ?* Pontifex respondet : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Deinde deposito baculo

Digitized by Google

Pastorali, et accepto aspersorio, circuit tertio ecclesiam cum Clero et populo, incipiens ad sinistram manum, proceditque aspergens exterius cum eadem aqua parietes in media parte eorum, id est circa altitudinem faciei suæ, et Cœmeterium, dicens semper : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* Interim Schola cantat Responsorium toni II : *Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis.* ℣ *Conserva domum istam immaculatam in æternum, Domine.* ℣. *Tu elegisti, Domine, domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo.* ℣ *Conserva.* Expleto cantu et circuitu, cum Pontifex pervenerit ante ostium, stans ibidem versus ad illud, depositis aspersorio et mitra, dicit : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur : quæsumus immensam clementiam tuam, ut quicquid modo visitaturi sumus, visites; et quicquid benedicturi sumus, benedicas: sitque ad nostrum humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Consentiunt fere et huic Rubricæ laudata manuscripta Pontificalia, Apamiense et Constantinopolitanum; præscribunt etenim ut, dicta Oratione *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium tuum, lapidem angularem, etc.* Episcopus accedens percutiat secundo superliminare, et dicat : « Tollite portas, etc., » Diacono autem » interrogante : « Quis est iste Rex gloriæ ? » respondeat idem Pontifex : « Dominus for- » tis, etc., » deinde vero tertio circumeat ecclesiam, aquam spargendo, et cantando : ℟. *Tu, Domine universorum.* ℣. *Tu elegisti :* tum ante ostium, dicat *Oremus.* Diaconus vero : *Flectamus genua. Levate.* Ille autem eam Orationem recitet : *Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis, etc.* Quæ Oratio in multis exstat Pontificalibus manuscriptis, in Cameracensi annorum quingentorum, in manuscripto codice Sanctæ-Mariæ Remensis annorum octingentorum, et in Ordine antiquo Romano, in quo tamen aliud Responsorium aliusque Versiculus habetur, ut ibidem videre est.

§ XV.

Tum acceptis mitra et baculo Pastorali, appropinquans tertio ad ostium ecclesiæ, percutit iterum superliminare cum eodem baculo Pastorali, dicens : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* Diaconus intus existens dicit : *Quis est iste Rex gloriæ?* Pontifex et universus Clerus respondet : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Adjicientes : *Aperite. Aperite. Aperite.* Pontifex facit crucem super liminare in ostio cum inferiori parte baculi Pastoralis, dicens : *Ecce cru✠cis signum, fugiant phantasmata cuncta.*

COMMENTARIUS.

I. Recitata Oratione *Omnipotens et misericors Deus, etc.*, in § superiori descripta, mandat quidem vetus Ordo Romanus ut Episcopus, « tunc » accedens ad ostium, percutiat tertio superli- » minare ecclesiæ, ac repetat prædictum Ver- » sum : *Tollite portas, principes, vestras.* Et

Digitized by Google

» Diaconus : *Quis est iste Rex gloriæ?* Et re-
» spondeat Pontifex : *Dominus virtutum ipse*
» *est Rex gloriæ;* adjiciens : *Aperi.* » De facienda cruce, cum inferiori parte baculi Pastoralis, super liminare in ostio ecclesiæ a Pontifice dicente : *Ecce cru ✠ cis signum, etc.*, prout habetur in hoc nostro præsenti §, nec verbum quidem in ipso antiquo Romano Ordine, et in aliis vetustioris recentiorisque ævi libris Pontificalibus a Martenio relatis. Porro ex manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum, postquam tertia vice dixit Pontifex : *Tollite portas, principes, vestras, etc.*, et Diaconus iterum interrogavit : *Quis est iste Rex gloriæ?* « tunc, quasi
» triumphator, inquit Pontifex : *Dominus vir-*
» *tutum ipse est Rex gloriæ.* Tunc aperit ostium
» quasi cum violentia canendo Antiphonam :
» *Tollite portas, principes, vestras*, cum Psalmo:
» *Domini est terra*, quem cantent usque in fi-
» nem absque *Gloria.* » Mox subdit laudatum Pontificale : « Aperto ostio intrant omnes. » Et statim : « Tunc Pontifex facit crucem in pavi-
» mento cum cambuta dicens : *Pax huic domui.*
» Tunc Pontifex progrediens cunctis, faciat ite-
» rum crucem, dicens : *Crux pellat hostem.*
» Progrediens iterum faciat crucem, dicendo :
» *Crux Christi triumphat.* » Consentit codex Ratoldi, ubi ita legimus : « Et aperto ostio, in-
» trans dicat ter : *Pax huic domui. Crux pellat*
» *hostem. Crux Christi triumphat.* »

II. Itaque ex hisce Pontificalibus post apertionem ostii, faciebat Episcopus crucem cum baculo in pavimento ecclesiæ, quamvis de eo ritu nihil in aliis Pontificalibus legerim ; excepto manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod asservatur in Vaticana Bibliotheca, num. 4744, in quo idem ritus, in hoc § nostro descriptus, totidem fere verbis refertur, ut videre est in Appendice.

§ XVI.

Et aperto ostio intrat ecclesiam solus cum Ministris, Clericis et Choro, et cæmentariis qui collocare et linire debent lapidem super sepulcrum reliquiarum, et mensam altaris, si est remota, aut separata a stipite, dimisso ab extra Clero et populo, et clauso ecclesiæ ostio post eos. Ingressus autem Pontifex ecclesiam, dicat intelligibili voce : *Pax huic domui.* Et Diaconus, qui est intus, respondet : *In introitu vestro.* Et omnes dicant : *Amen.* Tum Schola sive Cantores cantant Antiphonam toni v : *Pax æterna ab æterno huic domui, pax perennis; Verbum Patris sit pax huic domui, pacem pius Consolator huic præstet domui.* Qua finita, cantent etiam sequentem Antiphonam toni VIII : *Zachæe, festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hodie huic domui salus facta est. Alleluia.*

COMMENTARIUS.

I. Ritum aperiendæ ecclesiæ, ubi illa dedicabatur, fuisse etiam a Græcis usitatum, docet nos Theodorus Balsamon in can. XXXI sextæ Synodi, et in canonem VII Synodi septimæ. Aperto autem ostio intrat Pontifex cum Clero et populo, dicens : *Pax huic domui :* et quidem ter, ex testimonio Ivonis Carnotensis episcopi, qui, in celebri suo *Sermone de sacramentis dedicationis*, non modo ejus ritus meminit, sed et hanc mysticam ejusdem rationem assignat : « Quia Christus mundum ingrediens per assum-
» ptionem carnis nostræ, parietem inimicitiarum
» peccatis nostris erectum destruxit; et pacem
» inter Deum et hominem, inter terrestria et
» cœlestia, sui adventus meditatione reforma-
» vit. » Tum sic statim concludit : « Pontifex
» ergo ecclesiam ingrediens, *Pax huic domui*
» clamat; quia sancti doctores hoc intendunt,
» ut populus, qui a Deo discordaverat per pec-
» cata, ei reconciliaretur per bonorum operum
» exercitia. »

II. Sed audiamus, quæso, Remigium Antissiodorensem monachum, qui labente sæculo IX floruit : prolixius enim eum ritum, longe ante

Digitized by Google

laudatum Ivonem, hoc modo enarrat : « Aperto » vero ostio, intrat Pontifex dicens cum Clero » et populo ter : *Pax huic domui.* Quia Domi- » nus ingrediens mundum, genus humanum » per carnis suæ assumptionem Domino recon- » ciliavit, pacemque illam, quam discordia per » peccatum desciverat, ipse adventus sui mise- » ratione descivit. Hinc est enim quod Angeli » eo nato clamaverunt : *Gloria in excelsis Deo,* » *et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* » Hinc est quod ipse Princeps Sacerdotum præ- » dicatoribus, quos Ecclesiæ præficiebat, præ- » cepit, dicens : *Intrantes autem domum,* » *salutate eam, dicentes : Pax huic domui.* Sed » et ipse ingressus domum Zachæi, dixit : *Quia* » *hodie pax huic domui facta est, eo quod et ipse* » *filius sit Abrahæ.* Idemque post resurrectio- » nem apparens discipulis suis, ait : *Pax vobis.* » Pontifex ergo ecclesiam ingrediens, *Pax huic* » *domui* clamat, quia sancti doctores ad hoc » satagunt ut populus, qui a Domino discorda- » verat per peccata, ei reconciliaretur per bo- » norum operum exercitia. Hoc Paulus agit » pene per omnes epistolas suas, scribendo ad » discipulos : *Gratia vobis, et pax multiplicetur.* » Clamat autem ter, ut Patris, et Filii, et Spiri- » tus sancti, quorum una est divinitas, sit re- » conciliationis æqua parilitas. Unus est enim » Dominus, una fides, unum baptisma. In his » reconciliationem et pacem ad Deum per Do- » minum nostrum Jesum Christum meruimus, » dicente Apostolo, quia pacificavit per sangui- » nem suum, non solum quæ in cœlis, sed etiam » quæ in terra sunt in ipso. »

III. Denique, ut paucis plura concludam cum Gulielmo Durando, lib. I *Rationalis,* c. VI, ostio aperto, intrat Episcopus, ad notandum quod, si debito utatur officio suo, nil ei resistere potest, juxta illud : « Domine, quis resistet » potentatui tuo ? » Ingreditur autem cum duobus aut tribus ; ut in ore duorum vel trium testium stet omne consecrationis verbum ; vel, quod paucis præsentibus Dominus se transfigurans, pro Ecclesia oravit. Porro vetus Ordo Romanus ait, ostio aperto, ingredi ecclesiam Episcopum cum ministris duobus vel tribus, et cum Mansionario et Acolytho ; ad ea autem Episcopi verba « Pax huic domui, » responderi « Amen ; » et statim ipsum ecclesiæ ostium iterum claudi. Ex manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi ante annos nongentos, postquam quarta vice dixit Episcopus : « Tollite » portas, etc., » statim aperiebatur ostium, Schola vero, Psalmum « Domini est terra, etc., » cum ipsa Antiphona ante ostium foris recitabat ; eaque expleta, dicebat Episcopus : « Dominus » vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Do- » mum tuam, quæsumus, Domine, clementer » ingredere, et in tuorum tibi cordibus fidelium » perpetuam constitue mansionem, ut cujus » ædificatione subsistit, hujus fiat habitatione » præclara. » Tum ingrediebantur omnes in ecclesiam, dicebantque Antiphonam : « Pax huic » domui, et omnibus habitantibus in ea, pax » ingredientibus et regredientibus. Alleluia. »

IV. Rursus ex eodem manuscripto Pontificali procedebant omnes una cum Episcopo ad medium solum ecclesiæ, ubi Episcopus, dicto a Diacono « Flectamus genua, » et post paululum, « Levate, » istam Orationem pronuntiabat : « Deus, qui invisibiliter omnia contines, et » tamen pro salute generis humani signa tuæ » potentiæ visibiliter ostendis ; templum hoc » majestate tuæ inhabitationis illustra ; ut om- » nes quicumque huc deprecaturi convenerint, » ex quacumque ad te tribulatione clamaverint, » consolationis tuæ beneficia consequantur. » Per Dominum. » Exstat hæc Oratio in lib. *Sacramentorum S. Gregorii* et quidem prima inter Orationes ad Missas in dedicatione ecclesiæ. Recitatæ Orationi succedebat Antiphona : « Be- » nedic, Domine, domum istam, et omnes ha- » bitantes in ea, quia tu, Domine, dixisti : Pax » huic domui. Benedic, Domine, timentes te » pusillis cum majoribus. Benedicti vos a Do- » mino, qui fecit cœlum et terram. » Tandem dicto iterum « Flectamus genua, » hæc alia Oratio recitabatur, et quidem ab Episcopo, juxta manuscriptum Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos : « Tabernaculum hoc ingredere, quæsumus, om- » nipotens sempiterne Deus, ut famulos famu- » lasque tuos congregatos ad honorem et laudem » B. Mariæ sacræ Virginis, et *ill.* benedic. Et » sicut benedicere dignatus es domus Patriar- » charum, Abraham, Isaac et Jacob, pusillis » cum magnis ; ita benedicere et sanctificare » eos easque dignare. Per. » Cæterum quot sunt Pontificalia, tot et ritus diversi inveniuntur. Pontificale quidem Cameracense in hoc

Digitized by Google

nostræ Rubricæ consonat, quod ingredienti Episcopo ecclesiam, et dicenti « Pax huic do- » mui, » respondere jubentur omnes : « In » introitu vestro. » In Pontificalibus Apamiensi et Constantinopolitano additur « Amen. »

§ XVII.

Hæc dum cantantur, Pontifex procedit usque ad medium ecclesiæ, ubi faldistorium paratum est; et expletis prædictis Antiphonis, depositis baculo, et mitra, flexis ibi genibus, versus ad altare majus inchoat, Schola prosequente, Hymnum : *Veni, creator Spiritus, Mentes tuorum visita, Imple superna gratia Quæ tu creasti pectora.* Finito primo versu, surgit Pontifex, et stans usque ad finem sine mitra. *Qui diceris Paraclitus, etc.* Interim unus ex Ministris spargit cinerem per pavimentum ecclesiæ in modum crucis, faciendo ex eo lineas duas, quamlibet latitudinis fere unius palmi, unam ab angulo ecclesiæ ad sinistram manum per principalem portam intrantis, ad angulum transversum illius, id est dexterum intrantis, ad caput ecclesiæ; et aliam ab angulo ecclesiæ ad dexteram manum intrantis, ad angulum transversum illius, id est sinistrum ipsius, ad caput ecclesiæ : vel si ecclesia sit magna, fieri possunt loco primæ lineæ, viginti quatuor areolæ æquali spatio distantes ex cinere, et loco secundæ, viginti tres.

COMMENTARIUS.

Hymnum *Veni, creator Spiritus*, ab Episcopo dicendum statim ac ecclesiam intravit, præscriptum est quidem ex manuscripto Pontificali Cameracensi annorum quingentorum. « Aperto, inquit, ostio, et intrante Episcopo in » ecclesia, dicat : *Pax huic domui.* Et respon- » deant omnes : *In introitu vestro.* Ingressusque » Episcopus incipiat : *Veni, creator Spiritus.* » Nostro ritui consentire videtur manuscriptum Gulielmi Durandi Pontificale, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur, ex cujus præscripto, dum cantatur Antiphona *Zachæe, festinans descende, etc.*, Pontifex procedit usque ad medium ecclesiæ : expletaque ipsa Antiphona, inchoat ibi flexis genibus, Schola prosequente, Hymnum *Veni, creator Spiritus, etc.* Ex eodem manuscripto Pontificali cautum est ut, dum Hymnus et Litania cantantur, aliaque dicuntur et fiunt, unus ex Ministris aspergat cinerem per pavimentum ecclesiæ in modum crucis, faciendo duas ex ea lineas, latitudinis vero unius palmi, ducens unam de sinistro angulo orientali ad dextrum occidentalem; et aliam de dextro angulo orientali ad sinistrum occidentalem. Idipsum præscribit Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis, faciendam scilicet aspersionem cineris ab uno ex ministris per pavimentum in modum crucis juxta ritum jam descriptum, dum Litania et Oratio *Prævéniat nos, quæsumus, Domine, etc.*, dicuntur. De auctore Hymni, *Veni, creator Spiritus, etc.*, vide quæ diximus tomo I hujus operis in Commentario ad § XI tituli XII.

§ XVIII.

Finito Hymno, Pontifex accepta mitra accumbit super faldistorium, et Schola iterum incipit et prosequitur Litanias, ut supra; in quibus suo loco nominetur bis Sanctus ille in cujus honore et nomine ecclesia vel altare dedicatur, et illi quorum reliquiæ in eo includuntur. Postquam autem dictum fuerit : *Ut omnibus fidelibus, etc.*, ℟. *Te rogamus, audi nos,* Pontifex ab accubitu surgit, et baculum Pasto-

Digitized by Google

ralem in sinistra tenens, dicit in eodem tono : *Ut locum istum visitare digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos*. Secundo dicit : *Ut in eo Angelorum custodiam deputare digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos*. Deinde dexteram in altum extendens, producit communiter super ecclesiam et altare consecrandum ter successive signum crucis, dicens primo : *Ut ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda bene✠dicere digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos*. Secundo dicit : *Ut ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda bene-✠dicere et sancti✠ficare digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos*. Tertio dicit : *Ut ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda bene-✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos*.

COMMENTARIUS.

I. Ritus dicendæ Litaniæ in dedicatione ecclesiæ statim ac in ipsam ecclesiam Episcopus intravit, in omnibus libris Pontificalibus præscriptus legitur. S. Gregorius in suo *Sacramentorum* libro ita de ea re inquit : « Aperto ostio, » intrantes dicant : *Pax huic domui*. Deinde in- » cipiat Clerus Litaniam; et cum venerint Sa- » cerdotes vel Levitæ ante altare, prosternant » se super stramenta cum Pontifice, usque dum » dicatur : *Agnus Dei*. » Ex præscripto Ordinis antiqui Romani aliorumque pervetustorum Pontificalium, bis dicebatur Litania, primo ad initium dedicationis; secundo ubi Episcopus templum ingressus est. Quomodo hac secunda vice Litania diceretur, ita præscribit laudatus Ordo Romanus : « Ostio aperto, intrans (Episco- » pus) ecclesiam cum Ministris duobus vel tri- » bus, et cum Mansionario et Acolytho, dicat : » *Pax huic domui*. Respondent omnes : *Amen*. » Et clauditur ostium ecclesiæ. Deinde incipiat » Clerus foris Litaniam, Sacerdotibus feretrum » tenentibus, usque dum consecretur altare, et » omnia instrumenta altaris sanctificet. Et cum » venerit Pontifex ante altare, prosternat se cum » Ministris super stramenta, et fiat ibi Litania, » usque dum dicat Schola : *Agnus Dei. Kyrie*, » *eleison. Christe, eleison. Christe, audi nos*, » cum plena Litania, sicut supra scriptum est, » illorum Sanctorum nominibus simul nomina- » tis, quorum honore dedicanda est ecclesia, vel » quorum reliquiæ illic sunt recludendæ. Et in- » ter hæc agenda versus iste subinferendus est : » *Ut domum istam ad honorem nominis tui, re-* » *galem aulam tibi Domino Deo nostro benedi-* » *cere et consecrare digneris, Te rogamus, audi* » *nos*. »

II. Mentionem de hac secunda Litania faciunt antiquissimi libri Pontificales, Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicanus monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos scripti. In quorum primo ita legimus : « Deinde incipit » Clerus Litaniam. Et cum venerit ante altare » Pontifex, et Sacerdotes, et Levitæ prosternunt » se super stramenta usque dum dicant *Agnus* » *Dei*. » Eadem verba legere est in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*. Stramenta sunt tapetes qui substernuntur, a *sternendo*. Hinc S. Benedictus in sua *Regula*, cap. LI, dixit stramenta lectorum : « Stramenta lectorum, inquit, » sufficiant matta, sagum, læna et capitale. » Cæterum Litaniæ formula, ex laudato Egberti archiepiscopi Pontificali, hæc est : « Kyrie, » eleison. Christe, eleison. Domine, miserere. » Christe, miserere. Miserere nobis, pie Rex, » Domine Jesu Christe. Christe, audi nos, III. » Sancta Maria, ora. S. Michael. S. Gabriel. » Omnis chorus Angelorum. S. Petre. S. Paule. » S. Andrea. Omnis chorus Apostolorum. » S. Stephane. S. Line. S. Clete. Omnis chorus » Martyrum. S. Hilarii. S. Martine. S. Silve- » ster. Omnis chorus Confessorum. S. Perpetua. » S. Felicitas. S. Agatha. Omnis chorus Virgi- » num. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Domine, » miserere. Miserere nobis. Christe, audi nos, III. » Ab inimicis nostris defende nos, Christe. Do- » lorem cordis nostri benignus vide. Afflictio- » nem nostram respice clemens. Peccata populi » tui pius indulge. Orationes nostras exaudi,

Digitized by Google

» Christe. Hic et in perpetuum nos custodire » digneris, Christe. Fili Dei vivi, miserere no» bis. Agnus Dei. Exaudi nos, Christe. Exaudi, » exaudi nos, Christe. Christe, audi nos, III. » Kyrie, eleison. Christe, eleison. »

III. Pro varietate Pontificalium variæ et Litaniæ fuerunt, quarum dicendarum profecto antiquus est in dedicatione ecclesiæ ritus, quem ita explicat auctor qui floruit labente IX Christi sæculo, Remigius Antissiodorensis monachus, in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. II. « Quod » vero, inquit, intrante Pontifice ecclesiam, » Clerus cum Litania, Sacerdotes et Levitæ » prostrati in terram, ad Dominum clamant pro » sanctificatione ipsius domus, hoc est quod et » Dominus ante passionem egit per discipulos, » et pro cunctis, qui post sequuntur, fidelibus, » Patrem exorans dicendo : *Pater, sanctifica » eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Non pro » his autem rogo tantum, sed pro eis qui cre» dituri sunt per verbum eorum in me.* Sed et » Apostoli in Epistolis suis discipulis scribunt, » orare se sine intermissione ad Dominum pro » ipsis, et memoriam facere eorum in orationi» bus, etc. » Idipsum totidem fere verbis legere est apud Ivonem Carnotensem episcopum in *Sermone de sacramentis dedicationis;* contractius autem apud Gulielmum Durandum Mimatensem antistitem, lib. I *Rationalis*, cap. VI. « Cum dicitur Litania, prostratus orat pro san» ctificatione domus; nam et Christus humilia» tus ante passionem pro discipulis ejus credi» turis omnibus orabat, dicens: *Pater, sanctifica » eos in nomine tuo.* » Et paulo post : « Clerus » orans, et Litaniam concinens, Apostolos re» præsentat, qui pro Ecclesiæ et animarum » sanctificatione ad Deum intercedebant. »

IV. Notanda modo sunt verba nostræ Rubricæ aientis ut, in Litaniis, *suo loco nominetur his Sanctus ille in cujus honore et nomine ecclesia vel altare dedicatur, et illi quorum reliquiæ in eo includuntur.* Etsi enim hæretici perpetuo adlatrent nefas esse Sanctis ecclesias erigi aut dedicari, solide nihilominus ostendit cardinalis Bellarminus, lib. III *De cultu Sanctorum*, cap. IV, num. LVII, ex Conciliis et veterum Patrum testimoniis, sacras ædes non solum Deo, sed et Sanctis recte ædificari ac dedicari. Certe Concilium Gangrense, in Epistola ad Episcopos Armeniæ, damnat inter alia Eustathium, quod basilicas sanctorum Martyrum contemneret. Concilium Carthaginense V, can. XIV, Ecclesiæ veterem disciplinam profecto confirmat, dum vetat ne ædes ulli Martyri ædificentur, nisi ibi sit, aut corpus, aut aliquæ ejus reliquiæ; aut ibi Martyr habitaverit; aut certe in eo loco passus sit. Dedicatas Principi Apostolorum et aliis Sanctis Romæ basilicas a S. Silvestro Papa ejusque successoribus tum IV, tum sæculis insequentibus, docet passim auctor *Libri Pontificalis.* Sed et S. Ambrosius, libro I, epistola V ad Felicem episcopum Comensem, diserte ejus ritus meminit dedicandi ecclesiam in honore et nomine Sanctorum : « Ortus, inquit, est sermo de basi» lica quam condidit. Apostolorum nomine de» dicanda. » Et S. Gaudentius Brixiensis episcopus, ac S. Ambrosii æqualis, in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, de eodem ritu hæc scribit : « Ut venerandas Sanctorum reliquias habere» mus, Deus noster tribuit; deinde ut hanc ho» nori eorum fundare basilicam valeremus, ipse » largitus est. »

V. Cæterum non Sanctis, sed in honore et nomine Sanctorum basilicas erigimus dedicamusque, ut eorum patrociniis in nostris necessitatibus adjuvemur, et una ecclesia ab alia distinguatur, ut docet Canisius *De B. Virgine* lib. V, cap. XIII; nam alias certa est sententia S. Augustini, qui libro VIII *De Civitate Dei*, cap. XXVII, rem ita mirifice explicat : « Nec ta» men nos eisdem Martyribus templa, sacerdo» tia, sacra et sacrificia constituimus ; quoniam » non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Ho» noramus sane memorias eorum tanquam » sanctorum hominum Dei, qui usque ad mor» tem suorum corporum pro veritate certa» runt, etc. » Et paulo post : « Quæcumque » igitur adhibentur religiosorum obsequia in » Martyrum locis, ornamenta sunt memoria» rum, non sacra, vel sacrificia mortuorum tan» quam deorum. » Quod itaque ecclesiæ passim Martyrum aliorumque Sanctorum nomine dedicentur, id eo sensu fieri intelligendum est, ut non Sanctis ipsis primario, sed Deo in memoriam ipsorum, hoc est in gratiarum actionem pro collata ipsis a Deo gloria, et ut ibi Deus oretur per eorum intercessionem, consecrentur. Quæ ratio cum ecclesiis omnibus æque conveniat, manifeste sequitur et illud quod docet vir clarissimus Carolus Guyetus in sua *Heortologia*,

Digitized by Google

lib. I, cap. VI, quæstione III, « Deum absolute » sumptum idoneum haud esse titulum, qui » ecclesiæ alicui specialiter imponatur. »

VI. Enodanda hic superest celebris quæstio, de qua olim Vido episcopus Virdunensis consuluit Abbatem nescio quem monasterii Sancti-Germani, anno Christi circiter 906, cur nempe in orbe Christiano tunc temporis non ædificentur aut dedicentur ecclesiæ in memoria vel nomine Patriarcharum, vel Prophetarum, cæterorumque Sanctorum qui Domini et Salvatoris adventum præcesserunt, sicut in beatorum Apostolorum et Martyrum, seu cæterorum Sanctorum fieri solet. Respondet Abbas eam posse reddi rationem, « quia perrari sunt, ex antiquis » Patribus, quorum natalitii dies memoriæ tra» diti sunt; » ob invidiam scilicet Judæorum, qui ipsorum dies transitus martyriive callide ac impie occultarunt. Addit id etiam contingere, quod « eorum reliquias, aut impossibile, aut » difficile est reperire, sine quibus templa ædi» ficari aut consecrari moris non est. » Exstant hujus Abbatis litteræ ad ipsum Vidonem episcopum Virdunensem, tomo III *Spicilegii* Dacheriani, pag. 370 ultimæ editionis.

VII. Verum profecto labi videtur auctor; plurimi siquidem Sancti veteris Testamenti in priscis *Martyrologiis* expresso nomine recensentur; multasque de facto ecclesias sub eorum nomine exstructas dedicatasque jam ante annum Christi millesimum, tum alibi, tum præsertim in celebri urbe Venetiarum liquido constat. Jeremiæ ecclesiam a Constantino Magno ædificatam super ipsammet foveam in quam is Propheta detrusus fuit: Michææ, ad ejus sepulcrum; Eliæ, a Basilio imperatore; Samueli, a Justiniano, ex probatis auctoribus refert cardinalis Baronius. Machabæis martyribus Antiochiæ, in illa videlicet civitate quæ regis ipsius persecutoris nomine vocitatur, erectum templum, « ut simul » sonaret, et nomen persecutoris, et memoria » coronatoris, » docet S. Augustinus *Sermone* CIX *de diversis*. Nihil itaque vetat veteris Testamenti Patriarchis, Prophetis ac Sanctis erigi ac dedicari ecclesias, cum et ipsi æque sancti sint ac alii; eisdemque cultus publici partes aliæ omnes, perinde atque aliis ab ecclesia hodieque deferantur. Cæterum non est necesse ut Sanctorum reliquiis, in quorum honore ecclesiæ dedicantur, opus sit, cum constet dedicatas priscis sæculis basilicas in honore Angelorum, quorum nullæ reliquiæ exstare possunt, cum meri spiritus sint.

VIII. Dicet quispiam : Quomodo Eliæ prophetæ dedicari templa et altaria potuerunt, cum is, sicut et Enoch, ut ex Scriptura colligitur et docent Patres, adhuc in vivis sit ? Respondeo verum id quidem esse, nempe S. Prophetam nec esse nunc beatum, nec clare Dei visione frui : non posse autem negari quin gaudeat privilegiis Beatorum. Nam Tertullianus *De resurrectione carnis*, capite LVIII, ita de Elia inquit : « Elias et Enoch nondum resurrectione dispun» cti, quia nec morte functi; quo tamen de orbe » translati, et hoc ipso jam æternitatis candi» dati, ab omni vitio et ab omni damno, ab om» ni injuria et contumelia immunitatem carnis » ediscunt. » Dorotheus quoque in *Synopsi*, hæc de Elia scribit : « Qui humi jacebat, instar spi» ritus cum Angelis in cœlis agit. » Et omissis ea de re compluribus aliorum locis, Abulensis quidem in lib. IV *Regum*, II, quæstione XXIV, sic ait : « Elias et Enoch assumpti sunt ad statum tam » perfectum, ut jam potius sint cœlestes quam » humani viri. » Vide plura apud Salmanticenses Carmelitas discalceatos, tomo V *Cursus theologiæ moralis*, tractatu XXI, cap. IX, puncto III, § III, ubi fuse ostendunt S. Eliam licite invocari et ab omnibus orari posse ; ipsique licite idcirco construi templa et altaria potuisse.

IX. Non omittendum denique, quod secundo loco dicit Episcopus, ita orans, templum dedicaturus, « ut in eo Angelorum custodiam deputare » digneris, etc. » Angelos tam veteris quam novi Testamenti templis præsidere, ad eorumque custodiam deputari, pro comperto habemus. Commemorat siquidem S. Hieronymus in c. LII Isaiæ, et in cap. XI Ezechielis, itemque in Epistola XVII, ex Josepho *De bello Judaico*, lib. VI, cap. XII, auditam jam prius quam illud devastaretur in templo Hierosolymitano vocem Angelorum, qui in urbis præsidio erant : « Abeamus » ex his sedibus. » Sancti Patres priscique auctores nil tam frequentius docent quam nostris ecclesiis præesse Angelos, probantque ex illo Apostoli loco in Epistola I ad Corinthios, cap. XI, ubi ait debere mulierem *potestatem*, id est velamen, *supra caput habere propter Angelos*. Hinc Origenes, *Homilia* XXIII *in Lucam* : « Quia » præsentes, inquit, sunt Angeli in ecclesia....

Digitized by Google

» propterea orantibus feminis præcipitur ut habeant velamen super caput propter Angelos. » S. Hieronymus explicans eumdem Apostoli locum, Angelos vocat *ecclesiis præsidentes*. Idem addiscimus ex Patribus Græcis, inter quos S. Chrysostomus in *Sermone de Ascensione Domini*, de Ecclesia verba faciens, ait : « Non enim » in hoc theatro Martyres tantum præsunt, sed » Angelorum præsentia locus decoratur ; nam » et Angeli præsunt. » Angelos ecclesiæ præsides appellat S. Gregorius Nazianzenus in *Oratione* XXXII, ad finem, in præsentia centum quinquaginta Episcoporum habita. Quod autem non modo unaquæque ecclesia, sed et quodlibet etiam altare Angeli custodia decoretur ac muniatur, fuse ostendit amicus noster Joannes Marangonus in libro italice scripto *De SS. Angelis Custodibus*, lectione VII, numero VI.

§ XIX.

Quo facto, deposito baculo Pastorali, iterum accumbit super faldistorium, Schola Litanias resumente et perficiente : quibus finitis, ab accubitu surgit, deposita mitra, et stans ibidem versus ad altare majus, dicit intelligibili voce : *Oremus*. Et Ministri : *Flectamus genua*. ℟. *Levate*.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua, et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen*.

Alia Oratio. OREMUS.

Magnificare, Domine Deus noster, in Sanctis tuis, et hoc in templo tibi ædificato appare, ut qui cuncta in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate lauderis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. Finita Litania, præscribit S. Gregorius in libro *Sacramentorum*, itemque auctor Ordinis antiqui Romani, Pontificale Egberti Eboracensis et Anglicanum monasterii Gemmeticensis aliaque complura, « ut cum surrexerit Pontifex » ab oratione, veniens ante altare non dicat » *Dominus vobiscum*, sed tantum excelsa voce, » *Oremus*; et Diaconus, *Flectamus genua*. Postea, *Levate*; et deinde sequatur Oratio *Magnificare*, etc. » De ea Oratione, *Præveniat nos, quæsumus, Domine, etc.*, quæ prima est in hoc nostro §, altum in omnibus Pontificalibus vel quingentorum annorum silentium. Quod autem postquam finita Litania surrexit Pontifex, sine salutatione « Dominus vobiscum, » Orationes suas fundit, eam reddit rationem Durandus : « Cum ecclesia, inquit, nondum sit quasi baptizata, et quia catechumeni » tantum non sunt digni ut eis fiat applausus, » cum nondum sint sanctificati, est tamen pro » eis orandum. »

II. Paulo fusius rem ita explicat Ivo episcopus Carnotensis in toties laudato *Sermone de sacramentis dedicationis ecclesiæ*, ubi postquam locum Pauli in Epistola I ad Timotheum, cap. II, retulit, obsecrantis primum omnium fieri orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, etc., hunc in modum concludit : « Pontifex ergo dum in novam ecclesiam, eam sanctificaturus, ingreditur, et statim » ad orationem se confert, Apostoli vocem complet, qui primum omnium pro omnibus hominibus orationem fierit monet; et ita adhuc » eorum typum tenet, qui rudem populum » docere incipiunt. Inde est quod surgens ab » oratione, nondum salutat populum, dicendo » *Dominus vobiscum*; sed tantum ad orationem » cunctos hortatur, quia novellus populus ad » eam dignitatem pervenit, ut Sacerdotis salutatione dignus videatur. » Similia longe ante Ivonem docuit Remigius Antissiodorensis monachus, qui et ipse etiam concludit : « Orandum

Digitized by Google

» est ergo pro talibus, qui necdum initiati sunt, » non tamen salutandi sunt, quia non est eis » vel consentiendum, vel adulandum, quia ipsis » prædicatoribus Dominus dicit ut euntes ad » prædicandum neminem salutent in via. »

III. Orat denique in altera Oratione Episcopus Deum, ut in eo appareat templo quod ipse dedicat; videturque alludere ad ea quæ in dedicatione templi Salomonis acciderunt. Legimus siquidem libro III *Regum*, cap. VIII, quod in ipsa dedicatione implevisset *gloria Domini domum Domini*. Id quod expressius legitur lib. II *Paralipomenon*, cap. VII, ubi ita legimus: *Cumque complevisset Salomon, fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas, et majestas Domini implevit domum. Nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum, etc.*

IV. Rursus miratus est Salomon lib. II *Paralipomenon*, cap. VI, Dei dignationem et bonitatem, quod non modo singulari sua protectione, sed et præsentia, quæ alias ubique est, inhabitare templum a se ædificatum voluerit: *Ergone credibile est*, inquit, *ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?* Quid autem dixisset, si Deum vidisset corporaliter præsentem in sancta Eucharistia, quæ in templis Christianorum servatur? « Ecclesia est locus Angelorum, locus » Archangelorum, regnum Dei, ipsum cœlum: » quod si non credis, aspice ad hanc mensam.» Verba sunt S. Joannis Chrysostomi, *Homilia* XXXVI *in* I *Pauli Epistolam ad Corinthios*. Quare sicut merito censetur Christus valde honorasse nuptias in Cana Galilææ, quia in persona illis adesse voluit; sic etiam et multo magis honoravit Christianorum templa, quibus in Eucharistia usque ad consummationem sæculi præsens esse voluit. Quid autem hoc aliud est, quam e templo facere cœlum. Ubi enim Deus est, ibi ejus aula et cœlum est.

V. Dicet forte quispiam: Eccur in plurimis locis veteris Testamenti dicitur Deus habitare in templo, cum S. Stephanus in lib. *Actuum Apostolorum*, cap. VII, et Apostolus ibidem, XVII, diserte affirment quod excelsus Deus in manufactis non habitet templis? Respondeo Deum esse quidem in templo, non quasi inclusum, qui sua immensitate ubique est; neque ut indignus, quia infinita est bonitas, et seipso beatissimus; eoque sensu tum Stephanus, tum Paulus recte docent Deum in manufactis templis non habitare. Est ergo in templo non solum naturæ suæ immensitate, qua ubique est, sed singulari etiam quadam et efficaci præsentia, assistentia, providentia, opitulatione, benignitate, ac præcipue precum exauditione. Quo pertinet illa pollicitatio Domini de templo loquentis lib. II *Paralipomenon*, cap. VII: *Elegi, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.*

VI. In argumentum ac testimonium divinæ apparitionis et inhabitationis in templo, cum Salomonis templum dedicaretur, legimus lib. III *Regum*, cap. VIII, quod *nebula implevit domum Domini*. Simile quidpiam suo tempore consecratæ Ecclesiæ evenisse narrat S. Gregorius lib. III *Dialogorum*, cap. XXX, ubi et refert dæmonem specie suis e consecrato templo fugatum.

§ XX.

Finitis Orationibus, Schola incipit et prosequitur Antiphonam toni VI: *O quam metuendus est locus iste. Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.* Canticum Zachariæ, Lucæ I: *Benedictus Dominus Deus, Israel: * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.* Repetitur tota Antiphona. *Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.* Repetitur Antiphona, ut prius. *Sicut locutus est per os Sanctorum, * qui a sæculo sunt Prophetarum ejus.* Repetitur iterum Antiphona, ut prius. *Salutem ex inimicis nostris: * et de manu omnium qui oderunt nos.* Iterum repetitur Antiphona. *Ad faciendam misericordiam cum patribus no-*

Digitized by Google

stris : * *et memorari testamenti sui sancti.* Repetitur Antiphona. *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum :* * *daturum se nobis.* Repetitur iterum Antiphona. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati :* * *serviamus illi.* Iterum Antiphona repetitur. *In sanctitate et justitia coram ipso :* * *omnibus diebus nostris.* Repetitur, ut prius, Antiphona. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis :* * *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Antiphona repetitur, ut prius. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus :* * *in remissionem peccatorum eorum.* Repetitur, ut prius, Antiphona. *Per viscera misericordiæ Dei nostri :* * *in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Antiphona repetitur, ut prius. *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent :* * *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Repetitur, ut prius, Antiphona. *Gloria Patri, et Filio,* * *et Spiritui sancto.* Ut prius Antiphona repetitur. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper,* * *et in sæcula sæculorum. Amen.* Tandem iterum Antiphona repetitur.

COMMENTARIUS.

I. Mandat quidem vetus Ordo Romanus, manuscriptus liber Pontificalis insignis Ecclesiæ Barensis, qui in celebri Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini de Urbe asservatur, itemque alii complures Pontificales manuscripti codices jubent ut, dum Episcopus in pavimento ecclesiæ alphabetum græcum ac latinum scribit, juxta ritum in § sequenti enarrandum, interim qui cum ipso Episcopo sunt, cantent Antiphonam *O quam metuendus est locus iste, etc.*, et Psalmum *Benedictus Dominus Deus Israel*, sed absque ulla primi versiculi ad singulos versus repetitione, uti in nostro hoc § præscribitur. Cui cæteroqui fere concinit manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur, aliaque nonnulla in quibus ita legimus : « Interim ergo cantat Schola Antiphonam *O quam* » *metuendus est, etc.* Psalmus, *Benedictus* » *Dominus Deus Israel*, totus dicatur sine *Glo-* » *ria Patri.* Et per singulos versus dicatur » præmissa Antiphona, et quamdiu opus fuerit, » repetatur. » Ubi nota I. repetendam Antiphonam quamdiu opus fuerit, quia, scilicet ex præscripto Pontificalis Gulielmi Durandi et aliorum plurium, ipsa Antiphona cum Psalmo canebatur a Clericis assistentibus, seu a Schola Cantorum, dum Episcopus alphabeta scribebat; II. non debuisse ex Pontificali Gulielmi Durandi dici in fine laudati Psalmi *Gloria Patri*, cum alias hunc etiam versiculum dicendum nostra hæc Rubrica præcipiat.

II. De Cantico ipso *Benedictus*, quod desumptum est ex Evangelio Lucæ, cap. I, illud adnotandum obiter est quod docet Joannes Grancolas in *Breviarium Romanum*, cap. XXXIII, morem recitandi Canticum ipsum ad Laudes a S. Benedicto profectum esse. Dum illud cantatur, stant omnes, uti fit ad Evangelium in Missa. Est enim pars textus sacri Evangelii, uti scite docet Joannes Belethus in *Explicatione divinorum Officiorum*, cap. XL. Vide opusculum nostrum *De codice sancti Evangelii, atque servatis, etc.*, cap. XXIII, quod ita inscribitur : *De standi ritu ad tria Evangelii cantica, ac toto divini Officii tempore juxta veterem Ecclesiæ morem.* Tria Cantica ex Evangelio desumpta sunt : *Benedictus* ad Laudes, *Magnificat* ad Vesperas, et ad Completorium *Nunc dimittis.*

§ XXI.

Interim, dum præmissa cantantur, Pontifex, acceptis mitra et baculo Pastorali, incipiens ab angulo ecclesiæ ad sinistram intrantis, prout supra lineæ factæ sunt, cum extremitate baculi Pastoralis scribit super cineres alphabetum græcum, ita distinctis litteris ut totum spatium occupent, his videlicet. Deinde simili modo,

Digitized by Google

incipiens ab angulo ecclesiæ ad dexteram intrantis, scribit alphabetum latinum super cineres, distinctis litteris, his videlicet:



COMMENTARIUS.

I. Exstat tum in antiquis, cum in recentioris ævi manuscriptis Pontificalibus ritus, ut Episcopus super cinerem conspersum in pavimento ecclesiæ, alphabetum cum baculo Pastorali describat. S. Gregorius in libro *Sacramentorum* ita de re inquit : « Deinde (id est post dictam » Orationem *Magnificare*, etc.) incipiat Ponti- » fex de sinistro angulo ab Oriente scribens per » pavimentum cum cambutta sua, A, B, C, » usque ad dextrum angulum Occidentis ; inci- » piens iterum similiter a dextro angulo Orien- » tis, A, B, C, scribit usque in sinistrum » angulum Occidentis basilicæ. » Ubi nota duplici tantum alphabeti latini fieri a S. Gregorio mentionem, ac præterea in manuscriptis Pontificalibus Egberti Eboracensis, Anglicano monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos, Cadurcensi annorum octingentorum, Lugdunensi Halinardi archiepiscopi ante annos sexcentos, et aliis. E contra Pontificale Remense Sancti-Remigii tempore Caroli Magni scriptum, duplex græcum præscribere alphabetum videdetur. Græce et latine consuevisse alphabetum istud describi, constat ex Ordine antiquo Ro-

Digitized by Google

mano, in quo ritus sic enarratur : « Deinde » incipiat Pontifex de sinistro angulo ecclesiæ » ab Oriente scribere per pavimentum cum » cambutta sua totum alphabetum Græcum us- » que in dextrum angulum Occidentalem : » ΑΒΓΔΕΖΗΘΙΚΛΜΝΞΟΠΡΣΤΥΦΧΨΩ. » Incipiensque similiter iterum de dextro an- » gulo, alphabetum scribat latinum, usque in » sinistrum angulum Occidentalem : A B C D » E F G H I K L M N O P Q R S T U V X » Y Z. »

II. Itaque etsi olim, uti constat ex libro *Sacramentorum sancti Gregorii* aliisque antiquis Pontificalibus, tres tantum litteræ A, B, C, in dedicatione ecclesiæ describerentur, obtinuit nihilominus postea ut duo integra alphabeta, græcum et latinum, id est omnia elementa tum græca, tum latina, in pavimento ecclesiæ cum baculo ab Episcopo depingerentur. Licet autem in hodiernis alphabetis græcis viginti quatuor litteras habeamus, constat in antiquis non minus fuisse ac viginti septem. Cæterum quamvis Durandus duo tantum alphabeta memoret, græcum scilicet et latinum, dicatque etiam non scribi hebraicum, « quia Judæi re- » cesserunt a fide ; » negari tamen haudquaquam potest quin Episcopi olim nonnulli alphabetum quoque hebraicum adjecerint; ut testatur Hugo Menardus in *Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, citans *Sermonem* manuscriptum cujusdam anonymi scriptoris, *de ecclesiæ dedicatione*, ubi hanc rationem etiam reddit : « Verumtamen quia » Ecclesiastica doctrina hebraico, græco lati- » noque sermone utitur maxime, ideo a quibus- » dam Episcopis tria hæc alphabeta conscri- » buntur. » Certe de ipso ritu hæc generatim scribit S. Petrus Damiani in *Sermone* suo LXIX, primo *in dedicatione ecclesiæ :* « Alphabeta ex » transverso quadrangula ratione describit. » Quæ quidem intelligi debent secundum hodiernum usum de alphabetis græco et latino, nam in eo *Sermone* remittit lectorem ad quemdam, « qui Carnotensi præsedit Ecclesiæ, » id est Ivonem, non Fulbertum, ut male putavit Constantinus Cajetanus in *Nota* ad illum Damiani locum : « Ivo autem in *Sermone* quem scripsit » *de sacramentis dedicationis,* duo tantum Al- » phabeta memorat, græcum et latinum. »

III. Olim, cum plures Episcopi, non modo ut testes, sed ut coadjutores ministri dedicationibus ecclesiarum interessent, illum aliquando servatum ritum reperio, ut unus græcum, alter vero alphabetum latinum in pavimento scriberet. Id quidem constat in dedicatione Majoris-Monasterii Turonensis ab Urbano II Pontifice Maximo celebrata, in qua Rodulphus episcopus Turonensis, qui jam decennio memorati monasterii Monachos persequebatur, jubente Urbano, Sanctorum pignora sub Dominico altari propriis manibus collocavit, sanctasque reliquias una cum Hugone Lugdunensi archiepiscopo ex capella infirmorum, ubi pernoctarant, propriis adportavit humeris : insuper vero alphabetum latinum, Rangerius autem, ex Monacho ejusdem monasterii ob egregias virtutes factus Archiepiscopus Regiensis et Cardinalis, græcum descripsit. Narrat hæc auctor anonymus in libro *De gestis Abbatum* ejusdem monasterii. Porro hunc ritum duplicis alphabeti, una cum aliis sacris ritibus qui in dedicationibus ecclesiarum fiunt, servatum constat ab Apostolorum Principe, ubi ecclesiam cœlitus dedicavit, quam in ejus honorem Mellitus episcopus Londinensis in occidentali civitatis parte construxerat. Rem fuse narrat Willelmus Malmesburiensis lib. II *De Episcopis Londinensibus*, et Aelredus monachus Anglus in Vita S. Eduardi regis Anglorum, ubi ait quod cum Mellitus ad dedicandam ipsam ecclesiam mane procederet, « reseratis » ecclesiæ valvis, vidit pavimentum utriusque » alphabeti inscriptione signatum, parietem bis » senis in locis sanctificationis oleo linitum, » totidem cereorum reliquias duodenis crucibus » inhærere, et quasi recenti respersione adhuc » cuncta madescere. »

IV. Plura quæ istiusmodi alphabeta spectant, egregie explicat Remigius Antissiodorensis monachus in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, ex quo totum suum sermonem laudatus Ivo desumpsit. Sed antequam ipsorum verba allegentur, repetendum et hic opportune videtur, quod superius dictum est, plerasque cæremonias in consecratione templi materialis, ad similitudinem eorum fuisse adhibitas quæ in spiritualis templi, scilicet animæ, dedicatione per baptismum adhibentur, quia scilicet a priscis Patribus, Augustino et aliis, dedicatio templi materialis repræsentatur ut figura dedicationis templi spiritualis. Hinc et ipsa duplicis alphabeti in ipso

Digitized by Google

templi pavimento delineatio ex ritu baptismi derivata videtur : « Quid autem per alphabetum, » aiunt Remigius et Ivo, nisi initia et rudimenta » doctrinæ sacræ intelligi convenit ? Unde et » Paulus Hebræis exprobrans dicit : *Etenim* » *cum deberetis magistri esse propter tempus,* » *rursum indigetis ut vos instruamini quæ* » *sint elementa mundi, et exordia sermonum* » *Dei.* Scribit ergo Pontifex alphabeti ordinem, » cum fidei docet simplicitatem, et dicit cum » Paulo Apostolo : *Lac vobis potum dedi, non* » *escam : nondum enim poteratis, sed nec adhuc* » *quidem potestis.* Sicut enim parvulorum eru- » ditioni congruit primum litterarum elemen- » ta cognoscere, deinde ad syllabas, ac post » verba paulatim ad sententiarum cognitionem » pervenire ; sic quidem gradus sunt intellectus » in familia sanctæ Ecclesiæ, quorum primus » est eorum qui simpliciter viventes, adhuc ta- » men ad robur doctrinæ proficientes, quasi » primis elementis contenti sunt. » Ubi nota, quod superius dixi, consequenter fieri in dedicatione templi materialis per alphabeti descriptionem, quod in dedicatione seu consecratione templi spiritualis, id est animæ, per baptismum agitur, per instructionem seu catechizationem neophytorum in primis fidei et Christianæ religionis elementis.

V. Sed attendamus, quæso, quomodo vel olim ipsa elementa, ubi ecclesiæ dedicabantur, in pavimento scribi deberent ; non enim passim, sed distincto ordine ab angulo sinistro orientali usque ad dextrum angulum occidentalem scribebantur. Sciendum autem hoc primum est, quod post Remigium et Ivonem docet Durandus, scripturam ex græcis et latinis litteris in modum crucis factam, repræsentare nobis conjunctionem seu unionem in fide utriusque populi, Judæi videlicet et Gentilis per crucem Christi factam. Quod autem ab angulo sinistro orientali in angulum occidentalem dextrum prior versus desinit, iterumque ab orientali dextro revertitur in angulum occidentalem sinistrum, duplici figuræ adgaudet ; quarum prima est, quia, ut inquit post Remigium Ivo, « in tali schemate » crux figuratur, ut doctrinæ Evangelicæ, qua » simplices imbuendi sunt, mors Christi princi- » paliter inseratur. » Quod vero ab angulo sinistro orientali scribere incipit usque in occidentalem, docent populum Judaicum intelligi, ex quo ortus est Dominus. Pervenit autem usque in occidentalem angulum, dum Episcopus alphabetum scribit ; « quia cum Dominus noster » a Judæis ortus sit, mors tamen ejus a genti- » bus est suscepta. » Cæterum cum idem versus ab angulo orientali dextro revertitur ad angulum occidentalem sinistrum, hoc significare videtur, quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet. Utriusque ergo populi collectionem duo versus isti significant, in unam tamen crucis compagem. Atque hinc est, ut scite notant laudati auctores, quod Jacob, cum filiis Joseph benediceret, cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum super caput Ephraim minoris, sinistram autem super caput Manasse majoris posuit ; significans, quia populus dexter quondam in sinistrum reverteretur, sinisterque in dextrum. Tandem neque ab re agitur, ut ipsa scriptura cum baculo Pastorali peragatur ; indicat enim quod iste transitus de Judæis ad gentes, et ea denuo conversio, quæ in fine sæculi consummanda est, per officium Sacerdotum perficietur : « Cambuta, seu bacu- » lus, quo alphabetum scribitur, inquit Duran- » dus, monstrat Apostolorum doctrinam, vel » doctorum mysterium quo facta est conversio » gentilium. »

[Nescimus quo pacto apud nos invaluerit hodiernis diebus nova et inaudita alphabetorum interpretatio, asserens ab iis significari unionem utriusque Ecclesiæ, *Græcæ*, ut aiunt, *et Latinæ*. De tali sensu veteres penitus tacuere, quod sane invictum præjudicium affert recenti huic explicationi. Quod si in seipsa ponderetur, major adhuc exsurgit angustia. Quis enim nescit ab octo ferme sæculis Græcam Ecclesiam a Latina schismate luctuoso divelli ? Numquid sacri ritus falsum unquam exprimere solent ? Et quænam esset catholici populi ædificatio sub cujus oculis talis ludus apponeretur ? An Ecclesia unquam sub immutabili rituum sigillo includere consuevit facta contingentia, ut sunt talis vel talis christiani orbis provinciæ orthodoxia et in vera fide constantia ? Defecit a veritate ecclesia illa quæ græco sermone utitur ; non igitur servandum esset rupti fœderis signum quod deinceps scandalum fideli populo afferre posset. Hoc tamen æquum et justum visum est quibusdam peritis nostri temporis qui, de investigandis sacrorum rituum originibus nullatenus curantes,

Digitized by Google

cuncta ex proprio cerebro educunt, infusa quasi scientia gaudentes. Hos monemus ut propriæ memores famæ paululum de rebus Ecclesiasticis degustent. Ediscant, verbi gratia, aliquid de linguis sacris quæ tanto in honore apud Ecclesiam fuerunt; tunc forte melius capient quare duo alphabeta, græcum scilicet et latinum, in pavimento describantur, et quando noverint aliquoties hebraicum etiam alphabetum in hoc ritu adhibitum fuisse, mysterium verbi divini scripti tandem intelligant, et unionem Ecclesiæ cum synagoga non credant indicari per hebraicarum litterarum accessionem.]

VI. Explicato jam alphabeti ritu, quanquam, dum illud in pavimento scribitur, nihil ab Episcopo dicatur ex nostro Romano hodierno Pontificali et ex aliis etiam plurimis, ex manuscripto Pontificali tamen Anglicano monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos exarato, statim ac Episcopus a sinistro angulo orientali usque in occidentalem dextrum scripsit, hanc Antiphonam dicebat : « Fundamentum aliud nemo » potest ponere præter illud denique quod po» situm est a Christo Domino ; » cum Psalmo LXXXVI *Fundamenta ejus*. Peracta autem scriptura a dextro angulo orientali usque in sinistrum occidentalem, canebat istam Antiphonam : « Hæc aula accipiat a Deo gratiam, benedictio» nem, et misericordiam a Christo Jesu. » Psalmum vero XLVII *Magnus Dominus*. Juxta præscriptum manuscripti codicis B. Mariæ Remensis ante annos octingentos, et manuscripti Pontificalis Cameracensis ante annos quingentos, atque Pontificalium Apamiensis et Constantinopolitani, dum Episcopus alphabetum scriberet, qui cum eo erant, cantabant : *O quam metuendus est locus iste, etc.*, cum Cantico *Benedictus Dominus Deus Israel*, cum *Gloria Patri*. Idem dicit vetus Ordo Romanus, cujus verba hæc sunt : « Interim cantant, qui cum eo sunt, » Antiphonam : *O quam metuendus est locus* » *iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei,* » *et porta cœli.* Psalm. *Benedictus Dominus* » *Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptio*» *nem plebis suæ*, usque in finem, si necesse » sit, cum *Gloria Patri.* »

§ XXII.

Post hæc Pontifex cum mitra accedit versus altare majus consecrandum, et distans ab illo spatio congruenti, depositis baculo et mitra, genuflexus, competenti voce dicit : *Deus, in adjutorium meum intende.* Quo dicto, Pontifice surgente, Chorus respondet : *Domine, ad adjuvandum me festina.* Tum Pontifex stans sine mitra in eodem loco, dicit : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Chorus respondet : *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen,* sine *Alleluia* Et id eisdem modo et loco, secundo et tertio fit, voce semper altius elevata.

COMMENTARIUS.

I. Quanquam non eisdem verbis, eodem tamen sensu legere est hanc Rubricam in antiquissimis Pontificalibus. S. Gregorius in libro *Sacramentorum*, postquam præscripsit alphabeti descriptionem, hæc statim subdit : « Deinde » veniens ante altare dicat : *Deus, in adjutorium* » *meum intende ; Domine, ad adjuvandum me* » *festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui* » *sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et sem*» *per, et in sæcula sæculorum. Amen ;* absque » *Alleluia.* » Breviter ritum ipsum describit vetus Ordo Romanus, postquam scilicet descripto in pavimento ecclesiæ alphabeto tum græco, tum latino, dicta est Antiphona *O quam metuendus est, etc.*, et Psalmus, sive potius Canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Israel, etc.*, sic enim inquit : « Deinde veniens ante » altare Episcopus dicat : *Deus, in adjutorium* » *meum intende*, cum *Gloria*, absque *Alleluia.* » Eadem hæc verba legere est in manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicano monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos, in codice B. Mariæ Remensis annorum octingentorum, et Pontificali Ecclesiæ

Digitized by Google

Noviomensis ejusdem ætatis, in Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis, ante annos sexcentos, Cameracensi annorum quingentorum et aliis compluribus; a quibus tamen in eo discrepat nostra Rubrica, quia in recitatis huc usque libris Pontificalibus nulla sit Chori mentio Episcopo respondentis, dum ille dicit *Deus, in adjutorium meum intende;* et *Gloria Patri, etc.* Rursus differt et in hoc etiam Rubrica nostra a laudatis Pontificalibus, in quibus una vice tantum dicebatur ab Episcopo *Deus, in adjutorium meum intende, etc.*, cum alias ter dicendum in hoc præsenti § præscribatur.

II. At non modo antiquus est ritus ut Episcopus, post descriptum alphabetum, accedat ad altare et dicat *Deus, in adjutorium meum intende*, cum *Gloria Patri*, absque *Alleluia*, sed nec sui est expers mysterii, ut scite observat Remigius monachus Antissiodorensis, et Ivo Carnotensis episcopus in *Sermone de sacramentis dedicationis*, in quo ita ipsum ritum explicat : « Dehinc Pontifex ad altiora conscendit; et stans » ante altare, Deum sibi in adjutorium invocat, » veluti jam incipiens operari. Nam præterita » quasi quædam proœmia fuerunt. Dicit ergo » *Deus, in adjutorium meum intende, etc.*, abs » que *Alleluia*. Hæc enim vox est in hac vita » laborantium, et contra hostes visibiles et invi» sibiles colluctantium, et ideo Deum in suum » adjutorium invocantium. Necdum tamen lau» dibus Dei *Alleluia* adjungunt, quia adhuc in » laboribus et sudoribus se esse conspiciunt. » *Alleluia* enim non hujus temporis laudes, sed » æternæ vitæ gloriam significat; unde mos » inolevit ut in diebus Septuagesimæ ante Pas» cha *Alleluia* non cantetur, quia sunt dies luctus » et pœnitentiæ. » Tum ita concludit : « Pontifex » ergo, qui cum subditorum imperitia et con» tradictione adhuc certat, adjutorium quidem » Dei postulat; *Alleluia* nondum cum eis ple» niter cantat, de quorum salute nondum ple» niter sperat. »

III. Late hæc eadem observat Remigius Antissiodorensis monachus in toties laudato opusculo, *De dedicatione ecclesiæ*, capite IV, in quo etiam alia adjungit, explicandi ejus ritus gratia, quo Episcopus ad altare accedens dicit *Deus, in adjutorium meum intende, etc.*, absque *Alleluia*. Sed audire præstat Gulielmum Durandum, lib. I *Rationalis*, cap. VI, ubi notat quidem accedere Pontificem ad altare, ibique stantem incipere *Deus in adjutorium, etc.*, quia tunc demum incipit quod est in hoc officio principale. Addit dici versum *Gloria Patri, etc.*, quia hæc benedictio fit ad exhibendam gloriam Trinitati. Observat autem, capite VI, ibidem, omitti tunc temporis ab Episcopo *Alleluia*, quia hæc dedicatio significat baptizandos qui, percepta fide, ad pugnam se præparant, et quia adhuc sunt inter suspiria et certamina constituti, ideo non dici *Alleluia;* qui enim baptizati non sunt, laudibus Angelorum digni non sunt. Ita ille, ex quo confirmatur, quod non semel superius dictum fuit, plerasque cæremonias in consecratione templi materialis esse adhibitas, quæ in spiritualis templi, animæ scilicet dedicatione per baptismum adhibentur; eo quod a Patribus dedicatio templi materialis repræsentatur ut figura dedicationis templi spiritualis.

§ XXIII.

Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra et baculo Pastorali in sinistra, benedicit aliam aquam cum sale, cinere et vino, incipiens absolute exorcismum salis : *Exorcizo te creatura salis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui Apostolis suis ait :* Vos estis sal terræ; *et per Apostolum dicit :* Sermo vester in gratia sale sit conditus; *ut sanctificeris ad consecrationem hujus ecclesiæ et altaris, ad expellendas omnes dæmonum tentationes; et omnibus, qui ex te sumpserint, sis animæ et corporis tutamentum, sanitas, protectio, et confirmatio salutis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* ℟. *Amen.* Deinde depositis baculo et mitra dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Digitized by Google

OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, qui hanc gratiam cœlitus sali tribuere dignatus es, ut ex illo possint universa condiri quæ hominibus ad escam procreasti, bene✠dic hanc creaturam salis, ad effugandum inimicum; et ei salubrem medicinam immitte, ut proficiat sumentibus ad animæ et corporis sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Præter exorcismum et benedictionem salis et aquæ, de quibus alibi factus est sermo, benedici enim solet aqua initio dedicationis ecclesiæ, ut ea ad benedicendum exteriores ecclesiæ parietes in trino circuitu Episcopus utatur, fieri solet ab ipso Episcopo, ex præscripto vetustissimorum ac recentiorum omnium pene Pontificalium, alia aquæ benedictio cum sale, cinere et vino, postquam scilicet ecclesiam ingressus, Deum ad dedicandam ipsam ecclesiam invocavit : « Post hæc, » inquit Remigius Antissiodorensis monachus in toties laudato tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, « benedicitur aqua cum » commixtione salis et cineris. Aquam quidem » significare populum, testatur Apocalypsis » Joannis dicendo : *Aqua enim populi sunt.* » Sal autem doctrina verbi divini ; unde in Lege » præcipitur ut in omni sacrificio sal offeratur, » dicente Legislatore : *In omni sacrificio offe-* » *res sal; nec auferes sal fœderis Domini Dei* » *tui de sacrificio ejus.* Quod est aperto dicere : » Omnia quæ Deo offerre volueris opera, au- » ctoritate condiantur divina. Nec aliquid Deo » putes gratum, quod non fuerit illius lege » sancitum. Cinis autem significat consumma- » tionem Dominicæ passionis, quam significabat » cinis vitulæ illius quæ mactari jussa est in » Lege ad expiationem populi. Cinis namque » vitulæ rubeæ caro est Salvatoris, rubra per » sanguinem crucis, et exusta igne tribulatio- » nis. » Describit et hæc totidem pene verbis Ivo episcopus Carnotensis in *Sermone de sacramentis dedicationis*, ubi, post memoratum Remigium Antissiodorensem monachum, sic deinde concludit : « Aqua ergo benedicitur, ut » sanctificetur. Sal cum cinere miscetur, cum » populus, ut sanctificari possit, divina sapien- » tia et fide Dominicæ passionis instruitur. » Plura de ista commixtione aquæ, salis, cineris et vini, suis locis infra opportunius enarrabimus.

II. Notandum illud est in præsenti, pro diversitate Pontificalium, diversas fuisse istiusmodi exorcismorum ac benedictionum formulas. In *Sacramentorum* libro *S. Gregorii*, prius fit exorcismus et benedictio aquæ quam salis sub diversa aliquantum verborum formula a recitata in hoc nostro §. In Pontificali Egberti Eboracensis et Anglicano monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos scriptis, et aliis nonnullis, in quibus nulla alia facta est, initio dedicationis, salis et aquæ benedictio, statim ac Episcopus dicit *Deus, in adjutorium meum intende, etc.*, cum *Gloria*, absque *Alleluia*, benedicit sal et aquam dicendo hanc Orationem : « Exorcizo » te, creatura salis, in nomine Dei Patris omni- » potentis, et in caritate Jesu Christi Domini » nostri, et in virtute Spiritus sancti. Exorcizo » te per Deum verum, per Deum qui te ad tu- » telam generis humani procreavit, et populo » venienti ad credulitatem per servos suos con- » secrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine » Deus noster, ut hæc creatura aliis in nomine » Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad » effugandum inimicum : quem tu, Domine, » sanctificando sanctifices, et benedicendo be- » nedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta » medicina permanens in visceribus eorum, in » nomine Domini nostri Jesu Christi, qui ven- » turus est judicare vivos et mortuos, et sæculum » per ignem. » Tum sequitur exorcismus salis ejusque benedictio, deinde vero exorcismus aquæ, sub iis tamen verborum formulis quæ initio tituli I, § II et III, descriptæ sunt.

III. In Ordine antiquo Romano varias invenio istiusmodi formulas, et quidem a nostri hodierni Pontificalis diversas. Videntur autem nostris

Digitized by Google

consentire formulis codex manuscriptus B. Mariæ Remensis et Pontificale Ecclesiæ Noviomensis ante annos octingentos exarati; licet in istis contractior sit benedictio salis, nempe : « Domine, Deus omnipotens, benedic hanc » creaturam salis ad effugandum inimicum, et » ei salubrem medicinam immitte, ut ad animæ » et corporis se sumentium proficiat sanitatem. » Per. » Alias hic referre formulas supervacaneum est; profecto illud animadvertisse interest, antiquissimum esse Ecclesiæ ritum exorcizandi ac benedicendi sal et aquam, iisque cinerem et vinum immiscendi, ut infra dicetur allatis variis antiquorum manuscriptorum Pontificalium testimoniis.

§ XXIV.

Tum assumpta mitra et baculo Pastorali in sinistra, dicit absolute exorcismum aquæ : *Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠sancti, ut repellas diabolum a termino justorum, ne sit in umbraculis hujus ecclesiæ et altaris. Et tu, Domine Jesu Christe, infunde Spiritum sanctum in hanc ecclesiam tuam et altare, ut proficiat ad sanitatem corporum animarumque adorantium te, et magnificetur nomen tuum in gentibus; et increduli corde convertantur ad te, et non habeant alium Deum, præter te Dominum solum, qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* ℟. *Amen.* Deinde, depositis baculo et mitra, dicit : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum, qui, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, elementum hoc aquæ in salutem humani generis esse voluisti, te supplices deprecamur, ut, exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis aspectu sancti✠fices; atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis adveniat, et mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. In Ordine antiquo Romano sicut duplex aquæ exorcismus, ita et duplex exstat ejusdem aquæ benedictio; priori exorcismo et benedictioni recitatæ in hoc § formulæ consonant; posteriori vero formulæ illæ consentiunt, quæ habentur superius in § III tituli I, *De benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda.* Præscriptum nostræ hujus Rubricæ, una cum formulis ad exorcizandum et benedicendum aquam, legitur passim in priscis æque ac recentioribus manuscriptis Pontificalibus, etsi in aliquibus variatio observetur. Porro etsi de ista aqua nonnulla diximus in Commentario § XXIII, alia nihilominus explicanda inferius reservavimus; ea itaque a curioso lectore consulenda.

II. Utrum Apostoli, vel publica auctoritate fultus successor eorum aliquis, aqua benedicta altaria consecranda lustrari præceperit, etsi non ita certum sit, haud tamen improbandum argumentum est Evaristum Papam, qui et aquæ benedicendæ memoriam in Ecclesia renovavit, et basilicas omnes cum Missa consecrari voluit, hujusmodi consecrationem non sine aqua lustrali peragendam esse sanxerit, ut complures gravissimi auctores autumant. Certe illud

Digitized by Google

compertum est, ante sancti Gregorii tempora, morem de quo loquimur, in Ecclesia jam fuisse receptum; cum Joannes Diaconus in memorati Pontificis Vita, lib. I, cap. XXXVII, referat ipsum Augustino præcepisse ne in Anglorum gente fana destrueret, sed sanctis aquis respersa in basilicas dedicaret : « Aqua benedicta, » scribit ille lib. IX, epistola LXXI, « fiat, et in eisdem fanis asperga- » tur, altaria construantur, reliquiæ ponantur. »

III. Etiam Græcos aqua benedicta uti consuevisse in dedicando altari, ex eorum *Euchologio* constat. Unde vero Latini frigida, Græci calida aqua in altari benedicendo, ex aquæ calidæ in eorum Liturgia usu rationem addiscere licet; quem usum mirifice exponit S. Germanus Constantinopolitanus episcopus in sua *Rerum Ecclesiasticarum consideratione et mystica contemplatione*. Floruit is S. Antistes temporibus Gregorii II Papæ, et Leonis Isaurici imperatoris hæretici, initio sæculi VIII. Cæterum audiendus est Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, qui de aquæ tepidæ benedictione, et ritu infundendi illam in dedicando altari ita inquit : « Baptismi ritum oculis subjicit : cum enim » Jesum, petram lapidemque angularem voca- » tum, mensa repræsentet, quæ baptismatis » ejus sunt, suscipit ipsa, gemina ratione : sen- » sibili et intellectuali; ut abluta nempe redda- » tur munda, et munditie simul cum spiritu » excepta, per aquam consecretur; ipsa namque » spiritus organum est; unde et in ea conse- » cranda, aqua tepida profertur. Pontifici dein- » de peniculus traditur, eoque benedicto, tres » in illa signat cruces, terque aqua tepida effusa » in sanctæ Trinitatis memoriam, Antimensiis » sacrata mensa abstergitur. » Ita ille. Ex *Euchologio*, ubi Episcopus hujusmodi aquam benedicit, capite inclinato sic precatur : « Domine » Deus noster, qui per salutarem tuum adven- » tum Jordanis fluenta sanctificasti, ipse nunc » Spiritus tui sancti gratiam mitte, et aquam » istam ad consecrationem et consummationem » altaris tui benedic. Quia benedictus es in sæ- » cula sæculorum. Amen. »

IV. De aquæ benedictæ origine atque multiplici ejus virtute jam alibi dictum est. Aquæ consecrationem nobis a sanctis Apostolis fuisse traditam, luculenter asserit S. Basilius in libro *De Spiritu sancto*, cap. XXVII. Ejus consecrandæ ritum atque ordinem legere est apud pervetustum auctorem *Apostolicarum Constitutionum*, lib. VIII, ubi effectus et vim ipsius aquæ jam consecratæ addiscimus in ea Oratione quam ipse auctor loco laudato describit : « Tribue, Do- » mine, inquit, ei vim sanandi, et depellendi » morbum, fugandi dæmones; idque per Chri- » stum spem nostram. » Hanc virtutem aquæ benedictæ inesse docent nos passim *Acta Sanctorum*. Georgius episcopus Alexandrinus in Vita S. Joannis Chrysostomi apud Surium die XXVII januarii, testatum nobis reliquit eum aqua ab Episcopo benedicta, semel atque iterum febre, dyssenteria, aliisque diuturnis morbis affectos curasse. Tandem, ut alia exempla omittam, quibus magnos codices implere possemus, Theodoretus, lib. V *Historiæ*, cap. XXI, et Nicephorus, libro XII, cap. XXVII, commemorant Marcellum Apameæ aqua benedicta dæmonem fugasse, qui eversionem delubri Jovis impediebat. Sed et S. Epiphanius, *Hæresi* XXX, memoriæ prodidit de Josepho quodam comite Christiano, quod cum vellet templum Sancti-Adriani instaurare in honorem Christi, ac Judæi præstigiis et machinationibus suis opus impedirent, quominus calcem per ignem conficere posset, ipse singulas fornaces aqua benedicta resperserit, et præter opinionem incantamenta dissolverit, et ignis eruperit, et turbæ, clamore edito : *Unus Deus, qui auxiliatur Christianis*, secesserint.

§ XXV.

Tum stans sine mitra, dicit super cineres. — BENEDICTIO CINERUM. ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus; et

Digitized by Google

mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui bene✠dicat et sancti✠ficet hos cineres, ut sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ante conspectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus; et præsta per invocationem sanctissimi nominis tui ut quicumque eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis de cinere in dedicatione Ecclesiæ adhibendo ac miscendo cum aqua benedicta mentionem faciant liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, vetus Ordo Romanus, et fere cuncti recentiores libri Pontificales, nullam tamen referunt benedicendi cineris formulam, quam alias legere est in manuscripto Pontificali Egberti Eboracencis archiepiscopi, et Anglicano monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos exaratis, atque Barensi, Apamiensi et Constantinopolitano annorum circiter quingentorum, in quibus notandum est in eo variari benedictionis formulam ab hodierno Romano Pontificali, quod in iis *parce metuentibus* legatur, non vero *pœnitentibus;* et ubi in Pontificali Romano infra ad Orationem habetur *præsta, quæsumus*, in laudatis Eboracensi, Anglicano, Apamiensi et Constantinopolitano legitur *et præsta;* quæ quidem sunt mutationes parvi momenti, uti omnibus notum est.

II. De ritu benedicendi cineres initio Quadragesimæ, eosque aspergendi super fidelium capita ex prisco Ecclesiæ instituto, dicemus infra in Commentariis ad titulum II tomi III hujus operis. Notanda hic ea sunt præsentis Orationis verba, quibus Deum orat Episcopus *ut quicumque eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant.* Benedictionis cinerum veterem usum ac salutares ejus utilitates egregie explicat nobis in *Concilio* suo *Mediolanensi* V *provinciali* S. Carolus, in eo titulo qui inscribitur *Quæ ad sacramentalia et ad sacramenta generatim pertinent;* ubi ita inquit: « Sacrorum » cinerum usus in Ecclesia Dei antiquissimus » est; ac non solum ad significandam, sed ad » excitandam etiam pœnitentiam introductus. » Quare Episcopus, Parochus et Concionator, » die Dominico, qui feriam aspersionis cine- » rum proxime præcedit, populorum salutares » ejus utilitates doceat, quas in eorum benedic- » tione multis orationibus Ecclesia petit. »

III. Pergit S. Antistes sacrorum rituum peritissimus, et ait has quidem præter cæteras esse sacrorum cinerum utilitates: I. ut fideles, qui sacro cinere asperguntur, ad intimam cordis humilitatem adjuventur; II. ut in eos benedictio cœlestis descendat, qua adjuti, vere intimeque toto animo peccata doleant: hoc mente secum reputantes, ob hominis peccatum, terram maledictam fuisse, nosque omnes in cinerem ac terram redituros; III. ut detur corporis valetudo ad pœnitentiam peccatorum peragendam; IV. ut anima divino auxilio protegatur; V. ut a Deo impetremus quæ ad illius voluntatem petimus; VI. ut constanti animo in bene agendo perseveremus.

§ XXVI.

Tum Pontifex accipit sal, et miscet cineri in modum crucis dicens: *Commixtio salis et cineris pariter fiat, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.* Deinde accipiens pugillum de mixtura salis et cinerum in modum crucis ter immittit in aquam, qualibet vice dicens: *Commixtio salis, cineris et aquæ pariter fiat, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Sal cineri, utrumque vero ter in modum crucis immittendum in aquam, præscribunt non modo recentiores, sed et antiquissimi libri Pontificales. Liber *Sacramentorum sancti Gregorii Papæ*, post exorcismum et benedictionem aquæ ac salis, sic inquit : « Et miscetur sal et cinis, fa» ciensque ter inde crucem super ipsam aquam, » dicat hanc Orationem : « Æterne omnipotens » Deus, qui nobis a te conditam creaturam » aquæ in fide distinxisti ; ut liquorem simpli» cem ad lavacrum, salsam soliditatem præberes » ad condimentum ; quatenus et sordida possent » ablui, et fatua imbui ; quo et noxa tolleretur » originalis, et corrigeretur error ad viam salu» tis : te officii nostri functione immeriti depre» camur, ut hæc salis et aquæ in tuo nomine » facta permixtio, clementiæ tuæ sanctificetur » obtutu. Quodque mysterialiter baptismo com» modum, culpæ traduci inimicum, sapientiæ » aptum, errori præstas adversum, sancti Spiri» tus tui sanctitate reddas sanctificatum ; nec » ullo contagio reddatur immundum, quod tua » fieri credimus majestate beatum. Sed ita per » te præbeat plenum sanctificationis effectum, » ut ubicumque, invocato nomine tuo, fuerit » manu emissum, vel quolibet modo adsum» ptum, expulsis et explosis omnibus insidiis » contrariæ potestatis, et cuncta dæmonum ma» chinamenta ex eodem loco fugata deficiant, et » sanctorum Angelorum custodia semper inibi » mansura consistat. Per. »

II. Præscribit hanc ipsam quidem Orationem dicendam, « Æterne omnipotens Deus, etc., » eamdemque Rubricam manuscriptum Pontificale Halinardi archiepiscopi Lugdunensis ante annos sexcentos, et Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Cadurcensis annorum circiter octingentorum, sed in hoc cautum illud est, ut dum sal et cinis in aquam ter in modum crucis immittitur, sanctissima Trinitas invocetur : « Et mis» cetur, inquit, sal et cinis ; deinde facit super » aquam crucem, ter de sale cum cinere mixto, » accipiens exinde per singulas vices quantum » pugillus capere potest, sanctam invocans Tri» nitatem, et dicit hanc Orationem : *Æterne » omnipotens Deus, etc.* » Vetus Ordo Romanus et manuscriptum Pontificale Apamiense et Constantinopolitanum præscribunt ut, ubi miscetur sal et cinis, faciat Episcopus ter inde crucem super aquam, et dicat : « Hæc commixtio salis » et cineris cum aqua benedicta, sit sanctificata » ad consecrationem hujus ecclesiæ et altaris, » in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » ℟. Amen. » Tum statim addunt dicendam hanc Orationem : *Deus, invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, etc.*, quam legere est supra in § IV tit. I. Codex B. Mariæ Remensis, Pontificale Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum et Cameracense ante annos quingentos scriptum, hoc quidem mandant, ut misceatur sal et cinis, et faciat inde Episcopus ter crucem super aquam, et dicat : « Exorcizo te, » creatura aquæ, per Deum vivum, etc. »

III. Denique, ut aliqua de mystico enarrati ritus sensu dicamus, aqua significari quidem populum, testatur Apocalypsis, cap. XVII, dicens : *Aquæ multæ, populi multi ;* sale autem denotari doctrinam Verbi divini, docet post Remigium monachum Antissiodorensem Ivo Carnotensis episcopus, eruuntque ex cap. II libri *Levitici*, ubi ita præceptum legitur : *In omni sacrificio offeres sal ; nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio ejus.* Quod idem est ac si diceret, ut inquiunt præfati auctores : Omnia quæ Deo offerre volueris opera, auctoritate condiantur divina : nec aliquod Deo putes gratum, quod non fuerit illius lege sancitum. Cæterum quod cinerem spectat, significat consummationem Dominicæ passionis, quam significabat cinis vitulæ illius quæ mactari jussa est in Lege. Cinis namque vitulæ rubeæ caro est Salvatoris, rubra per sanguinem crucis, et exusta igne tribulationis. Hinc ad cinerem vitulæ veteris Legis alludens Apostolus in Epistola ad Hebræos, cap. IX, de Salvatore inquit : *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis ; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ?*

IV. Ergo, ut scite concludit pervetustus auctor Remigius, aqua benedicitur, et ut sanctifi-

Digitized by Google

cari possit, sal ei cum cinere miscetur, cum populi per Pontificis officium, ut sanctificari possint, et Verbo Dei imbuuntur, et qualiter Christo tanquam capiti corpus per ejus passionem conjungantur et sanctificentur, sufficienter instruuntur. Fit autem ter crux super aquam ex sale et cinere, cum docentur populi sanctæ Trinitati gratias referre pro sua eruditione atque redemptione. Sive, ut docet Ivo Carnotensis, « fit crux ter super aquam ex sale » et cinere, cum fidei divinitatis et passionis fi- » des additur Trinitatis. » Variæ mysticæ significationes aquæ benedictæ, cui sal et cinis immiscetur ad dedicandæ ecclesiæ usum, legi possunt apud Gulielmum Durandum lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. VII, num. VII et seqq.

§ XXVII.

Deinde, stans sine mitra, dicit super vinum. BENEDICTIO VINI. ℟. *Domine, exaud orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, quique es vitis vera, multiplica super nos misericordiam tuam; et bene✠dicere ac sancti✠ficare digneris hanc creaturam vini, ut ubicumque fusum fuerit, vel aspersum, divinæ id benedictionis tuæ opulentia repleatur et sanctificetur. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XXVIII.

Deinde mittit in modum crucis vinum in aquam ipsam, dicens : *Commixtio vini, salis, cineris et aquæ pariter fiat, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠sancti.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, et dator gratiæ spiritualis ac largitor æternæ salutis, emitte Spiritum sanctum tuum super hoc vinum, cum aqua, sale et cinere mixtum, ut armatum cœlestis defensione virtutis, ad consecrationem hujus ecclesiæ et altaris tui proficiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Vinum adhibitum in consecratione ecclesiæ, mixtum cum aqua, sale et cinere jam benedictis, liquido constat ex libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ :* « Deinde, inquit, » miscetur vinum cum aqua, et dicit hanc Ora- » tionem : *Oremus. Creator et conservator hu- » mani generis, etc.* » Est ipsa Oratio in § XXVIII descripta, cum aliqua tamen variatione verborum. Idem quod *S. Gregorii Sacramentarium* præscribit manuscriptum Pontificale Egberti archiepiscopi Eboracensis, et Anglicanum monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos, itemque Pontificale Ecclesiæ Cadurcensis annorum octingentorum, Pontificale Halinardi ar-

Digitized by Google

chiepiscopi Lugdunensis annorum circiter sexcentorum. Verum in Anglicano statim post Orationem « Deus, creator et conservator, etc., » hæc alia sequitur Oratio, quæ ad vini commixtionem jam factam cum aqua alludit : « Domine » Deus, rex universorum, cœlestium et terre- » strium creaturarum, qui de cœlo descendisti, » et per mysteriorum tuorum arcana Ecclesiæ » tuæ iter ad cœlos ascendi præbuisti, quique » inter cætera cœlestium terribilia mysteriorum » miracula etiam ex proprio latere undam san- » guinis et aquæ ob animarum nostrarum me- » delam profluxisse permisisti : concede, quæ- » sumus, ut sacrosancta sanguinis tui mixtura » in vino cum unda sanguinis, cœlesti benedi- » ctione ecclesia tua consecretur, et ad nostræ » operationis confirmationem consecrata per- » maneat. Per Dominum nostrum, etc. »

II. Juxta Ordinem antiquum Romanum, cui consonat manuscriptum Apamiense atque Constantinopolitanum Pontificale, cum Episcopus ponit vinum in ipsam aquam, dicit : « Fiat com- » mixtio aquæ et vini ad consecrationem hujus » ecclesiæ et altaris, in nomine Patris, et Filii, » et Spiritus sancti. ℟. Amen. » Tum sequitur hæc Oratio, quam Ordo ipse Romanus *Præfationem aquæ cum vino mixtæ* appellat : « Deum » omnipotentem, Fratres charissimi, in cujus » domo mansiones multæ sunt, supplices de- » precemur ut habitaculum istud benedicere et » custodire dignetur per aspersionem hujus » aquæ cum vino mixtæ, ut tenebras ab eo re- » pellat et lumen infundat : nullam sævienti » adversario tribuat potestatem ; sed propria sit » domus Dei, ut nullam in ea inimicus habeat » licentiam nocendi. » Legitur et hæc Oratio, cum vinum in aquam ponitur, nulla habita mentione illius formulæ Ordinis antiqui Romani et aliorum Pontificalium, id est : « Fiat com- » mixtio aquæ et vini, etc. ; » legitur, inquam, in manuscripto codice B. Mariæ Remensis annorum octingentorum, in Pontificali manuscripto Ecclesiæ Noviomensis, ejusdem ætatis, Cameracensi annorum quingentorum et aliis; in quibus, sicut et in antiquo ipso Romano Ordine, sequitur deinde « Benedictio aquæ cum vino » mixtæ : *Omnipotens sempiterne Deus, creator* » *et conservator humani generis, etc.*, » ut supra, § XXVIII.

III. Plura de mystico ritus enarrati sensu videri quidem possunt apud Durandum, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. VII. Satius hic tamen puto mysticam interpretationem describere pervetusti auctoris Remigii monachi Antissiodorensis, qui floruit sæculo IX, teste Bellarmino in opusculo *De scriptoribus Ecclesiasticis*. Huic itaque mixturæ, ut docet Remigius, et post eum Ivo episcopus Carnotensis, additur vinum cum aqua; quæ duo geminam in Domino Jesu Christo præferunt naturam in una persona. Aqua enim humanitatem, vinum vero significat divinitatem. Dum ergo mixturæ superiori miscetur vinum cum aqua, insinuatur, quia populus per os prædicatoris instrui debet quod Dominus noster et Salvator Deus est et homo, et quanquam vinum mixtum sit aqua, non tamen ejus divinitas est conversa in humanitatem, aut humanitas in divinitatem, sed manentibus in integritate naturis, divinitas assumpsit humanitatem, unam personam efficiens, non naturarum proprietatem commutans.

IV. Sunt etiam alia nonnulla quæ, ut scribit S. Petrus Damiani in *Sermone* LXXII, quarto autem *in dedicatione ecclesiæ*, « in ecclesiarum » consecrationibus certi causa mysterii ratio- » nabiliter adhibentur ; sicut est vinum, hysso- » pum, sal, cineres, pulveres, fragmen rubei » lapidis. » Tum singulas res hasce explicans, ita inquit : « Porro sicut aqua vetus Testamen- » tum, sic et vinum significat Evangelium. » Quod Dominus tunc expressit, cum aquam » in vinum in nuptiali constitutus solemnitate » mutavit. Et sicut liquores illi simul in con- » secratione miscentur ecclesiæ, sic procul du- » bio dignum est ut utraque lex jugiter nostro » versetur in corde. Sal etiam simul immittitur, » ut insipidus veteris legis sapor, Evangelicæ » intelligentiæ sale conditus esse doceatur. » Et paucis interjectis : « Hyssopus autem, in- » quit, qui pectoris arcana purificat, fidem » designat, de qua nimirum dicit Apostolus : » *Fide purificans corda eorum*. In cinere vero » significatur humilitas, per quam scilicet Abra- » ham colloquens Deo ait : *Loquar ad Domi-* » *num meum, cum sim pulvis et cinis*. Per spe- » ciem vero rubei fragminis fervor innuitur » charitatis. Hinc est quod Adam dicitur terra » rubra ; videlicet, ut in vocabulo primi homi- » nis homo discat quatenus, quia terra est,

Digitized by Google

» humiliter vivat, et quia ruber dicitur, a fer-
» vore charitatis geminæ non tepescat. »

V. Etsi autem vino separatim minime utatur Latina Ecclesia in dedicatione altarium, sed admixto cum aqua aliisque adjunctis; apud Græcos quidem, ut in eorum *Euchologio* habetur, « accipit Pontifex bocale vino plenum, » terque ex eo in crucis modum mensæ super- » infundens, dicit : *Asperges me hyssopo, et* » *mundabor : lavabis me et super nivem dealba-* » *bor*. Hoc dicto subjungit Psalmi reliqua, etc.» Purum simplexque vinum non esse apud Græcos ubi altare dedicant, sed fragrans valde, docet quidem Simeon Thessalonicensis episcopus, additque aquam rosaceam, de qua *Euchologium* silet, cum vino post primam ablutionem esse infundendam. Cujus ritus etiam rationem reddit: « Postquam abstersa fuerit mensa, vi- » num odoratum et aqua rosacea producitur : » et hæc sunt divino unguento prævia, in se- » pulturæ Christi honorem simul, et signum » quod altare hoc odoratum, propter gratiam » vinum, et ad exemplum Melchisedech, vi- » vificum offeret Deo. »

VI. Sciendum denique est verba illa, quibus, in priori Oratione in § XXVII descripta, dicitur Christus in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisse, desumpta esse ex Evangelio S. Joannis, cap. II, ubi primum hoc Christi miraculum luculenter narratur. Quantum ad alia quæ in eadem Oratione statim sequuntur verba, quibus nempe Christus dicitur esse vitis vera, desumpta sunt quidem ex eodem Evangelio S. Joannis, cap. XV. Quem locum expendens S. Augustinus, *Tractatu* LXXX *in Joannem*, ita inquit : « Quid ergo est, *ego sum vitis vera?* » Numquid ut adderet *vera*, hoc ad eam vitem » retulit, unde ista similitudo translata est? » Sic enim dicitur *vitis* per similitudinem, non » per proprietatem, quemadmodum dicitur *ovis*, » *agnus*, *leo*, *petra*, *lapis angularis*, et cætera » hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex » quibus ducuntur istæ similitudines, non pro- » prietates. Sed cum dicit : *Ego sum vitis vera*, » ab illa se utique discernit cui dicitur : *Quo-* » *modo conversa es in amaritudinem, vitis alie-* » *na?* Nam quo pacto est vitis vera, quæ expe- » ctata est, ut faceret uvam, fecit autem spinas?

§ XXIX.

Tum Pontifex, assumpta mitra, dicit absolute super aquam prædictam : *Sancti-✠ficare, per verbum Dei, unda cœlestis; sancti✠ficare, aqua calcata Christi vestigiis; quæ montibus pressa non clauderis; quæ scopulis illisa non frangeris; quæ terris diffusa non deficis. Tu sustines aridam, tu portas montium pondera, nec demergeris; tu cœlorum vertice contineris; tu circumfusa per totum, lavas omnia, nec lavaris. Tu fugientibus populis Hebræorum in molem durata constricta es : tu rursum salsis resoluta vorticibus, Nili accolas perdis, et hostilem globum freto sæviente persequeris : una eademque es salus fidelibus, et ultio criminosis. Te per Moysen percussa rupes evomuit, neque abdita cautibus latere potuisti, cum majestatis imperio jussa prodires; tu gestata nubibus imbre jucundo arva fecundas. Per te aridis æstu corporibus dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam potus infunditur : tu intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem, aut succum fertilem præstas, ne siccatis exinanita visceribus solemnes neget terra proventus : per te initium, per te finis exsultat; vel potius ex Deo est, tuum ut terminum nesciamus; aut tuorum, omnipotens Deus, cujus virtutum non nescii, dum aquarum merita promimus, operum insignia prædicamus. Tu benedictionis auctor, tu salutis origo : te suppliciter deprecamur, ac quæsumus, ut imbrem gratiæ tuæ super hanc domum cum abundantia tuæ bene✠dictionis infundas; bona omnia largiaris; prospera tribuas; adversa repellas; malorum facinorum dæmonem destruas;*

Digitized by Google

Angelum lucis amicum, bonorum provisorem defensoremque constituas. Domum in tuo nomine cœptam, te adjutore perfectam, bene✠dictio tua in longum mansuram confirmet. Tuum hæc fundamenta præsidium, culmina tegumentum, ostia introitum, penetralia mereantur accessum; sit per illustrationem vultus tui utilitas hominum, stabilitas parietum. Tum Pontifex accedit ad ostium ecclesiæ, et cum extremitate baculi Pastoralis facit crucem in parte superiori, et aliam in parte inferiori intrinsecus. Quo facto, deposito baculo, stans ibidem prosequitur, dicens : *Sit positis crux invicta liminibus; utrique postes gratiæ tuæ inscriptione signentur, ac per multitudinem propitiationis tuæ visitatoribus domus sit pax cum abundantia, sobrietas cum modestia, redundantia cum misericordia. Inquietudo omnis et calamitas omnis recedant. Inopia, pestis, morbus, languor incursusque malorum spirituum tua semper visitatione discedant; ut tua fusa in hoc loco visitationis gratia, extensos ejus terminos et atria circumacta percurrat; sitque per cunctos ejus angulos ac recessus hujus gurgitis purificatio per lavacrum; ut semper hic lætitia quietis, gratia hospitalitatis, abundantia frugis, reverentia religionis, copiaque sit salutis. Et, ubi invocatur sanctum nomen tuum, bonorum omnium succedat copia; malorum tentamenta procul effugiant, et mereamur habere nobiscum Angelum pacis, castitatis, charitatis ac veritatis, qui semper ab omnibus malis nos custodiat, protegat et defendat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

§ XXX.

Deinde redit ad dictum locum, ubi aquam benedixit, stans ibidem versus ad altare majus, mitram in capite tenens, dicit : *Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, in cujus domo mansiones multæ sunt, supplices deprecemur ut habitaculum istud bene✠dicere et custodire dignetur, per aspersionem hujus aquæ cum vino, sale et cinere mixtæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Prolixam Orationem in § XXIX descriptam legere est quidem integram post aquæ exorcismum in libro *Sacramentorum sancti Gregorii*, in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Cadurcensis, et duobus codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, num. 428 et 2585, annorum circiter octingentorum, absque tamen intermedia Rubrica, qua in laudato § præscribitur Episcopo ut ubi ea verba protulit : *Sit per illustrationem vultus tui utilitas hominum, stabilitas parietum*, accedat ad ostium ecclesiæ, et cum extremitate baculi Pastoralis faciat crucem in parte superiori, et aliam in parte inferiori intrinsecus. In plerisque Pontificalibus sive antiquis, sive recentioribus, omnino ea Oratio desideratur : exstat tamen in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, cum eadem Rubrica intermedia. Porro ea Orationis verba : *Per te aridis æstu corporibus, etc.*, usque ad illa : *Aut tuorum, omnipotens Deus, etc.*, sumpta sunt ex S. Ambrosio, lib. X *in Lucam*, capite XXII, sed ibi fusius, hic vero contractius; ut

Digitized by Google

scite ante nos observavit vir clarissimus Hugo Menardus in *Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 191.

II. Sed præstat audire Ambrosium, qui in laudato loco ita aquam commendat : « Nam de » aqua quid loquar? Super aquam, ante ipsos » mundi natales, sanctus, ut legis, Spiritus fe» rebatur. O aqua, quæ humano aspersum san» guine, ut præsentium lavacrorum figura præ» cederet, orbem terrarum lavisti! O aqua, quæ » sacramentum Christi esse meruisti; quæ la» vas omnia, nec lavaris! Tu incipis prima, tu » comples perfecta mysteria. A te principium, » a te finis; vel potius tu facis ut finem nescia» mus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, et » pereuntia situ viscera, asperso sale, in mul» tam servantur ætatem. Per te arentibus æstu » corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad » vitam, suavis ad voluptatem potus infunditur. » Tu nomen Prophetis et Apostolis, tu nomen » Salvatori dedisti. Illi nubes cœli, illi sal mun» di, iste fons vitæ est. Quæ montibus pressa » non clauderis, quæ scopulis illisa non fran» geris, quæ terris infusa non deficis, sed in» timis scaturiens venis, aut spiritum inclusa » vitalem inhalas, aut succum diffusa fertilem » præstas, aut rigatum superfusa commodum » subministras, ne siccatis exanimata vitalibus, » solemnes neget terra proventus. Omnium » elementorum substantia, cœlum, aer, mare » et terra te reddunt. Te, Prophetico percussa » tactu, ut sitientium rigares corda populorum, » vomuit petra : te, cum de latere Salvatoris » erumperes, percussores viderunt, et credi» derunt; et ideo regenerationis nostræ de tri» bus una es testibus. Tres enim testes sunt, » aqua, sanguis et spiritus. Aqua ad lavacrum, » sanguis ad pretium, spiritus ad resurrectio» nem. »

III. Huc usque S. Ambrosius, qui etiam verba illa, quibus dicit tres esse testes, aquam, sanguinem et spiritum, accepit ex Epistola I Joannis, cap. v. Cæterum in nostra hac Oratione in § XXIX descripta, et ex variis divinæ Scripturæ locis conflata, illud hoc etiam loco adnotandum censeo, quod alibi dictum est. Orat enim Episcopus Deum ut in templo, quod ipse dedicat, *Angelum lucis amicum, bonorum provisorem defensoremque constituat.* Hoc ut ostenderet Salomon, uti habetur lib. III *Regum*, cap. VI, fecit in templo suo duos Cherubinos ex lignis olivarum, eosque purissimo circumvestivit auro. Sed omissa hac figura sanctos Angelos in templo versari, satis nos docet exemplum Angelorum e Judaico templo emigrantium, quod paulo ante eversionem ipsius templi contigit, ut testatur S. Hieronymus in capite LII Isaiæ, et XI Ezechielis, ex Josepho, liber VII *De bello Judaico*, capite XII, ubi ita ait : « Apertis repente januis templi, et sponte » reseratis, quas multi homines claudere vix » poterant, ex adytis templi auditæ voces An» gelorum et cœlestium virtutum, quæ ibi » prius in præsidio erant : Transmigremus ex » his ædibus. »

IV. Jam vero si in Judaico templo commorati sunt Angeli, quanto magis in Christianorum ecclesiis, quæ modis omnibus sanctiores sunt, sedem suam ac domicilium fixerint? « Quia præsentes sunt Angeli in ecclesia, in » illa duntaxat quæ meretur et Christi est, » propterea orantibus feminis præcipitur ut » habeant velamen super caput propter Ange» los. » Verba sunt Origenis, *Homilia* XXIII *in Lucam*. Idem docent et alii Patres, inter quos S. Maximus, qui fuit Ecclesiæ martyr clarissimus, anno 660, in libro *De Ecclesiastica mystagogia*, cap. XXV, exhortatur fideles ut « assidui in sancta sint ecclesia Dei propter » Angelos, qui in ea permanent, et eos qui in» grediuntur, semper describunt, et Deo ape» riunt, et pro eis orationes faciunt, maxime » autem tempore sanctæ synaxis. » Longe fusius eamdem rem ostendit S. Bernardus, *Sermone* IV *in dedicatione ecclesiæ*, ubi inter alia inquit : « Ibi sanctorum Spirituum indefessa » noscitur custodia vigilare. » Vide alios Patres superius a nobis adductos in Commentario § XVIII, ex quibus omnibus illud quidem addiscere licet, cum in templo præsertim versamur, sanctorum Angelorum præsentiam afferre nobis multum devotionis ac religionis debere.

V. Quod aliam Orationem spectat in § XXX scriptam, exstat quidem in Ordine antiquo Romano, sed paulo prolixior, appellaturque *Præfatio aquæ cum vino mixtæ*. Dicitur autem ea Oratio ex præscripto ipsius Romani Ordinis, postquam Episcopus posuit vinum in aquam, et dixit : « Fiat commixtio aquæ et vini ad » consecrationem hujus ecclesiæ et altaris, in

Digitized by Google

» nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Tum statim sequitur ipsa Præfatio aquæ cum vino mixtæ his verbis : « Deum omnipoten- » tem, Fratres charissimi, in cujus domo man- » siones multæ sunt, supplices deprecemur ut » habitaculum istud benedicere et custodire » dignetur per aspersionem hujus aquæ cum » vino mixtæ, ut tenebras ab eo repellat et lu- » men infundat : nullam sævienti adversario » tribuat potestatem ; sed propria sit domus » Dei, ut nullam in ea inimicus habeat licen- » tiam nocendi. » Confer istam Præfationem cum illa Oratione quæ in § xxx descripta est, et videbis non modo verborum mutationem, sed et notabile additamentum in fine ipsius Orationis. Meminere ejusdem Præfationis sive Orationis manuscriptus codex B. Mariæ Remensis ante annos octingentos, itemque manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Noviomensis ejusdem ætatis, et Cameracense ante annos quingentos, dicendamque illam præscribunt, cum Episcopus ponit vinum in ipsam aquam. Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur, tam quoad Rubricam quam quoad Orationem cum nostro hoc Romano Pontificali consonat. Ubi enim nostrum hodiernum Romanum Pontificale post medium primæ Orationis, inquit : *Tum Pontifex accedit ad ostium*, etc., Vaticanum Gulielmi Durandi hæc habet : « Hic » accedens ad ostium ecclesiæ, faciat crucem » cum cambucha in limine superiori et infe- » riori, dicens ibidem in pristino tono : *Sit* » *positis crux invicta liminibus*, etc., » ut in Appendice videre est.

§ XXXI.

Post hæc Pontifex procedit ad altare cum mitra, et ibidem inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni IV.

CONSECRATIO ALTARIS.

Advertendum quod si plura altaria in eadem ecclesia tunc fuerint consecranda, Pontifex eosdem actus et cæremonias facit, sub eisdem verbis, in singulis altaribus successive, sicut facit in primo altari. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Psalmus XLII : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta :* * *ab homine iniquo et doloso erue me.* Repetitur tota Antiphona prædicta, si necesse fuerit. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea :* * *quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Iterum repetitur Antiphona. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam :* * *ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Antiphona tota repetitur. *Et introibo ad altare Dei :* * *ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Iterum Antiphona repetitur. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus :* * *quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* Repetitur, ut prius, Antiphona. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi :* * *salutare vultus mei, et Deus meus.* Et non dicitur *Gloria Patri*, sed Antiphona prædicta repetitur.

COMMENTARIUS.

I. Præter Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi, quod in Bibliotheca Vaticana exstat, numero 4744, annorum quingentorum, et alia nonnulla ejusdem circiter ætatis, nullum aliud profecto inveni Pontificale antiquius, quod præscribat ut Episcopus, cum primum accedit ad consecrandum altare, dicat Antiphonam *Introibo ad altare Dei, etc.*, et Psalmum memoratum XLII. Non negaverim tamen quin ex præscripto, non modo priscorum Pontificalium, sed et libri *Sa-*

Digitized by Google

cramentorum S. *Gregorii Papæ*, recitanda sit ipsa Antiphona *Introibo ad altare Dei*, cum Psalmo eodem; sed post alias recitatas Orationes et adhibitos ritus. Consonat nihilominus fere per omnia nostræ Rubricæ laudatum Bibliothecæ Vaticanæ Pontificale, in quo ita legimus in Rubrica *De consecratione altaris :* « Ingrediens itaque Pontifex ad aram, sive tabulam » altaris, inchoat Antiphonam, et Schola prosequitur, *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui* » *lætificat juventutem meam.* Psalmus *Judica* » *me, Deus, etc.*, totus dicitur sine *Gloria Patri.* » Et si necesse fuerit, Antiphona per singulos » versus repetatur. »

II. Etsi autem ex nostra hac Rubrica, si plura in eadem ecclesia consecranda sint altaria, Episcopus, qui unum consecrat, et alia debet successive consecrare; innumera tamen afferri possent exempla quæ nos condocent, ubi plures dedicationibus ecclesiarum interfuere Episcopi, nonnullos ex iis aliqua altaria consecrasse. Testatur id quidem Leo Marsicanus, lib. III *Chronici Casinensis*, cap. III, ubi agitur de dedicatione ecclesiæ Sancti-Benedicti a Desiderio abbate restauratæ, et ab Alexandro Papa II peracta. In ea quippe, cui interfuere Archiepiscopi decem et Episcopi quadraginta tres, Summus Pontifex altaria duo, sancti scilicet Benedicti et S. Joannis, consecravit; altare B. Mariæ, Joannes episcopus Tusculanus; altare B. Gregorii, Hubaldus Savinensis; altare vero S. Nicolai, Erasmus episcopus Segninus. In dedicatione etiam Uticensis basilicæ, teste Orderico Vitali, lib. X *Historiæ* ad annum 1099 : « Gislebertus » Luxoviensis episcopus consecravit principa» lem aram in honore S. Genitricis Mariæ, et » S. Petri Apostolorum Principis, ac S. Ebrulfi » confessoris; et Gislebertus Ebroicensis, altare » ad austrum in honore omnium Apostolorum » Principis; Serlo autem, aram in honore » omnium Martyrum. »

III. Afferri possent et ejus rei innumera pene exempla, quæ passim ab antiquis scriptoribus referuntur, verum illustrius profecto illud videtur, quod in Supplemento ad librum Sugerii abbatis de consecratione ecclesiæ Sancti-Dionysii narratur tomo I *Analectorum* viri clarissimi Joannis Mabillonii; ex quo addiscimus, in ipsa insignis ecclesiæ Sancti-Dionysii dedicatione, viginti quatuor aras a viginti quatuor Episcopis, quorum nomina cuique assignat altari, consecratas fuisse : « Qui omnes, inquit, tam festive, » tam solemniter, tam diversi, tam concorditer, » tam propinqui, tam hilariter ipsam altarium » consecratione missarum solemnem celebra» tionem superius inferiusque peragebant, ut » ex ipsa sui consonantia et cohærente harmo» niæ grata melodia, potius angelicus quam hu» manus concentus æstimaretur. » Hunc etiam spectat ritum, quod refert Matthæus Paris ad annum 1251, ubi ait, in dedicatione ecclesiæ de Hales constructæ a comite Richardo ob votum quod in mari fecerat, suborta tempestate, quando a Gasconia rediit, tredecim Episcopos adfuisse, omnesque die Dominica, qua dedicatio celebrata est, Missam celebrasse, unumquemque ad suum altare, Linconensem vero ad aram principem, sive ad majus altare.

IV. Ex *Chronico* manuscripto Ceccani apud Ughellum, tomo VII *Italiæ sacræ*, ubi agitur de consecratione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Flumine Ferentinæ diœcesis, celebrata anno 1196, per Jordanum de Fossa Nova S. R. E. cardinalem aliosque Episcopos, altare majus, quod erat in medio ecclesiæ situm, consecratum fuit a Bernardo episcopo Ferentino, assistentibus et cooperantibus ei Jordano cardinale et Joanne Anagnino episcopo, in honorem gloriosæ Virginis Deiparæ; positæque fuerunt reliquiæ de ligno crucis, de vestimento B. Mariæ, itemque reliquiæ Petri Apostoli, Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, aliæque, quæ in Appendice videri possunt, ubi laudatum *Chronicon* describemus. Eadem ipsa hora S. Pauli Apostoli altare consecratum fuit ab Oddone Verulano episcopo cum reliquiis aliorum Sanctorum; altare S. Quirici, a Thaddæo Alatrino episcopo cum variis Sanctorum reliquiis. Addit eadem ipsa hora consecratam fuisse ecclesiam Sancti-Matthæi Apostoli, quæ erat prope memoratam Sanctæ-Mariæ de Flumine ecclesiam, a Petro episcopo Signino, assistente ei et cooperante Tedelgario Terracinensi episcopo. An iidem deinde Episcopi in altaribus quæ consecraverant, Missam celebrarint, non ausim affirmare; puto equidem in iisdem celebrasse.

V. Denique hoc nostro ævo servatum hunc ritum Romæ aspeximus, ut in dedicatione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ in Dominica, vulgo *la Navicella*, peracta a Benedicto XIII Pontifice Maxi-

Digitized by Google

mo; in qua consecratione dum ipse ecclesiam a se instauratam et pristino decori restitutam, et altare majus dedicabat, duo Cardinales Episcopi eodem tempore duo lateralia altaria, unum in honorem gloriosæ Domini nostri Jesu Christi transfigurationis; alterum ad memoriam sacri ejusdem Redemptoris nostri baptismatis consecrabant. In cujus rei memoriam exstat in eadem ecclesia inscriptio.

[Hic non immorandum nobis est in quæstionibus quæ spectant altaris consecrationem; siquidem de ipsa agetur specialiter quando Pontificale nostrum ritus exponet qui adhibendi sunt in dedicatione altaris quæ fit sine consecratione ecclesiæ. Id tamen addemus doctissimis nostri auctoris adnotationibus de necessitate consecrationis altaris in ipsa ecclesiæ dedicatione, quod licet unum sine altero legitime perfici nequeat, invalidam altaris consecrationem non impedire quin ecclesia valide dedicetur. Ita responsum fuit a sacra Rituum Congregatione, die 17 junii 1843, ad quæsitum Episcopi Fanensis. Insuper, notandum est altare consecrandum, in actu dedicationis ecclesiæ, esse altare majus, non autem aliud; majus enim altare principale est, et si hoc tantum sit in ecclesia, sufficit; alia vero sunt accessoria, pro quibus datur consecratio distincta, sine ecclesiæ consecratione, Hæc solutio pro seipsa habet decisionem sacræ Rituum Congregationis, in causa quadam Urbis, die 19 septembris 1665.]

§ XXXII.

Incœpta prima Antiphona, Pontifex retenta mitra, stans ante altare, intingit pollicem dexteræ manus in aqua benedicta, ultimo per eum benedicta, et cum eo et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens : *Sancti✠ficetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam sancti N., in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa : *Sancti✠ficetur hoc altare, etc.* Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris, id est ubi legitur Evangelium; secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ; tertiam in dextera anteriori; quartam in sinistra posteriori tertiæ transversa, in hunc modum.



COMMENTARIUS.

I. Sunt quidam libri Pontificales, ut Anglicanus monasterii Gemmeticensis ante annos nongentos scriptus, codex Ratoldi Abbatis et alii, in quibus ritui in nostra hac Rubrica

Digitized by Google

descripto præmissum legitur, ut Episcopus « mittat Chrisma *in aquam benedictam*, et con- » dat de ipsa aqua calcem, et faciat maldam » unde recludere debet ipsas reliquias. » Puto legendum *maltam*, quæ idem est ac cæmentum. Tum subdunt laudati libri Pontificales : « De- » inde faciat crucem cum digito suo cum ipsa » aqua in dextram partem per quatuor cornua » altaris. » Hoc ipsum legitur in multis Pontificalibus, ut in illo Egberti Eboracensis archiepiscopi, annorum nongentorum, et in alio Halinardi archiepiscopi Lugdunensis ante annos sexcentos scripto ; et demum, ut alia omittam, in *Sacramentario S. Gregorii Papæ*, in quo ita legimus : « Inde faciat crucem de digito suo cum » ipsa aqua in dextera parte per quatuor cor- » nua altaris, etc. »

II. Verum enim vero in omnibus fere antiquis recentibusque codicibus præscriptum invenio ut, antequam fiant cruces in quatuor cornibus altaris, crux primum fiat de eadem aqua in ipso medio altaris. Vetus quidem Ordo Romanus, cui fere nostra hæc Rubrica consonat, de ea re sic inquit : « Tunc ingrediens Episcopus ad al- » tare, primo cum pollice suo de ipsa aqua » sancta faciat crucem in medio altaris, dicens : » *Sanctificetur hoc altare, in nomine Patris,* » *et Filii, et Spiritus sancti.* Responsio. *Amen.* » *Pax tecum.* Responsio. *Et cum spiritu tuo,* » Deinde in dextera parte, et in sinistra per » quatuor cornua altaris, eadem repetens quæ » supra, videlicet : *Sanctificetur hoc altare.* » Ritus quoque faciendi prius crucem in medio altaris, expressus habetur in manuscripto codice B. Mariæ Remensis ante annos octingentos, in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Noviomensis, ejusdem fere ætatis, in Pontificali Cameracensi, et in aliis multis; in quibus tamen nulla fit mentio de iis verbis : « Sanctificetur hoc alta- » re, etc., » sed tantum dicitur ut « ingrediens » Episcopus ad altare, primo cum pollice de » ipsa sancta aqua faciat crucem in medio alta- » ris; deinde in dextra parte, tum in sinistra per » quatuor cornua altaris, canendo Antiphonam » *Asperges*, cum Psalmo *Miserere, etc.* »

III. Aliquantulum consentire nostræ Rubricæ videntur Pontificale Apamiense et Constantinopolitanum; præscribunt siquidem ut Episcopus crucem in medio altaris faciat, dicens : « San- » ctificetur hoc altare, etc., » juxta formulam laudati Romani Ordinis, nulla habita mentione de ea repetenda formula, cum deinde in dextra parte et in sinistra crucem facit per quatuor cornua altaris. Sane in manuscripto Gulielmi Durandi codice, qui asservatur in Vaticana Bibliotheca, annorum quingentorum, Rubrica similis nostræ exstat, uti in Appendice videre est.

IV. Quid autem denotet tum crux in medio altaris, tum quatuor illæ a Pontifice in quatuor cornibus ejusdem altaris impressæ, mysticas hasce rationes assignat Durandus, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. VII; ait nempe crucem in medio altaris significare passionem quam Christus in medio terræ subiit, et per quam operatus est salutem in medio terræ, id est in Jerusalem ; quatuor vero cruces in quatuor altaris cornibus repræsentare I. quadruplicem charitatem quam hi qui ad altare accedunt, habere debent, scilicet, ut diligant Deum, seipsos, amicos et inimicos ; II. quod Christus per crucem quatuor mundi partes salvavit; III. quod quatuor modis crucem Domini portare debemus, scilicet in corde per meditationem, in ore per confessionem, in corpore per carnis mortificationem, in facie per assiduam impressionem.

V. Apud vetustum sæculi IX scriptorem Remigium monachum Antissiodorensem, ejusque descriptorem Ivonem Carnotensem, qui sæculo XI floruit, ubi sacramentum dedicationis explicant, nulla quidem fit ritus mentio de facienda cruce in medio altaris, cum alias de quatuor crucibus imprimendis per quatuor cornua altaris non modo luculentum ferant testimonium, sed ritum etiam hunc in modum egregie exponant : « Post hæc tingit Sacerdos » digitum in aqua, et facit crucem per quatuor » cornua altaris. Altare namque Ecclesiæ figu- » ram præfert : quod per quatuor cornua di- » stenditur, quia per quatuor mundi cardines » dilatatur; sicut olim Abrahæ repromissum » est a Domino : *Dilataberis ad Orientem et* » *Occidentem, Septentrionem et Meridiem.* Et » bene de aqua crux fit super altare per qua- » tuor cornua, ut demonstretur omnem eccle- » siam mundandam esse a sordibus peccatorum » per lavacrum aquæ et per crucis passionem. » Addit mox laudatus Remigius bene per quatuor cornua fieri cruces, ut demonstretur nullum

Digitized by Google

excipiendum a salvatione; sed, sicut dicit Apostolus in Epistola ad Galatas, cap. III, in Christo Jesu non esse Judæum, neque Græcum; non servum, neque liberum; non masculum, neque feminam; sed omnes in Christo nos unum esse.

§ XXXIII.

Quo facto et finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Singulare illud propitiatorium in altare crucis pro nobis redimendis oblatum, in cujus præfiguratione patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portæ cœli desuper aperiretur oraculum; supplices tibi, Domine, preces fundimus, ut lapidis hujus expolitam materiam, supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ ditari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Si manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, quod asservatur in Vaticana Bibliotheca, num. 4744, annorum circiter quingentorum, et alia quædam ejusdem ætatis excipias, nullum profecto exstat antiquius Pontificale vel scriptor, qui vel longe post annum Christi millesimum floruit, ritum memoret, ut nempe, postquam Episcopus de aqua benedicta cum sale, cinere et vino crucem in medio altaris et per quatuor ejus cornua digito suo impressit, Orationem illam, *Singulare illud propitiatorium, etc.*, in præsenti § descriptam recitet. Verum non addubito quin ea Oratio sit antiquissima, et ad benedicendum tabulas altaris usitata, uti videre est in manuscripto Missali Gellonensi et in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, in quibus ea Oratio legitur, scatetque non paucis erroribus. Habetur etiam in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Cadurcensis, et duobus codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, num. 428 et 2585, annorum circiter octingentorum, secundum quorum præscriptum ab Episcopo dicebatur, cum ad altare accedebat, et, quemadmodum infra suo loco explicabitur, fundebat quod remansit de aqua benedicta ad basim altaris per circuitum. Sciendum autem variare eam Orationem tantisper a nostra in hoc § recitata; nam in primis ita incipit : « Singulare illud propi» tiatorium, quod se in altari crucis nobis » obtulit immolandum, in cujus præfigura» tione, etc. » Deinde ubi in nostra dicitur : *Ut lapidis hujus, etc.*, in ea legitur : « Ut me» talli hujus, etc. »

§ XXXIV.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam et stipitem de aqua prædicta cum aspersorio de herba hyssopi facto, hoc modo. Stans enim ante medium altaris, inchoat Antiphonam toni VII, et Schola prosequitur :

I. *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus L *Miserere mei, Deus,* * *secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum,* * *dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea,* * *et a peccato meo munda me.* Interim Pontifex, accepta mitra, circuit altare, illudque aspergit, et redit ad locum ante medium altaris unde discesserat. Finitis dictis versibus, Pontifex, ibidem stans cum mitra, inchoat secundo ut prius Antiphonam :

Digitized by Google

II. *Asperges me,* et Schola prosequitur, *Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco;* * *et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci :* * *ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum;* * *et in peccatis concepit me mater mea.* Interim Pontifex circuit secundo, aspergitque, et redit, ut prius; finitis versibus, stans, ut supra, Pontifex cum mitra inchoat tertio Antiphonam :

III. *Asperges me,* et Schola prosequitur, *Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Ecce enim veritatem dilexisti :* * *incerta, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Asperges me hyssopo, et mundabor;* * *lavabis me, et super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam;* * *et exsultabunt ossa humiliata.* Interim Pontifex circuit tertio, aspergitque, et redit ut prius; et finitis versibus prædictis, stans cum mitra, ut supra, inchoat quarto Antiphonam :

IV. *Asperges me,* et Schola prosequitur, *Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Averte faciem tuam a peccatis meis :* * *et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus :* * *et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua;* * *et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Et interim Pontifex circuit quarto, aspergitque, et redit, ut prius; et finitis versibus prædictis, stans cum mitra in capite, inchoat quinto, stans ut supra, Antiphonam :

V. *Asperges me,* et Schola prosequitur, *Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Redde mihi lætitiam salutaris tui,* * *et spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas;* * *et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ;* * *et exsultabit lingua mea justitiam tuam.* Interim Pontifex circuit quinto, aspergitque, et redit, ut prius; et finitis versibus prædictis, stans cum mitra, ut supra, inchoat sexto Antiphonam :

VI. *Asperges me,* et Schola prosequitur, *Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Domine, labia mea aperies :* * *et os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique :* * *holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus :* * *cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Interim Pontifex circuit sexto, aspergitque, et redit, ut prius; et finitis dictis versibus, stans cum mitra, ut supra, inchoat septimo Antiphonam :

VII. *Asperges me,* et Schola prosequitur, *Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion :* * *ut ædificentur muri Jerusalem. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta :* * *tunc imponent super altare tuum vitulos.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Interim Pontifex circuit septimo, aspergitque, et redit ut supra.

COMMENTARIUS.

I. Ritum prolixe in § præsenti descriptum, ut scilicet Pontifex septies altare circumeat, illudque cum hyssopo aspergat septem vicibus, canendo Antiphonam *Asperges me, Domine,*

Digitized by Google

hyssopo, et mundabor, cum Psalmo ipso *Miserere mei, Deus, etc.*, omnes prisci ac recentiores libri Pontificale memorant; liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* hæc de ea re habet: « Inde veniens ante altare, cum hyssopo asper- » git ipsum altare septem vicibus, canendo An- » tiphonam *Asperges me, Domine, hyssopo, et* » *mundabor*, cum ipso Psalmo, nempe *Miserere* » *mei, Deus*, » uti habetur in omnibus Pontificalibus et in antiquo Romano Ordine. Septem vicibus faciendum esse hunc circuitum ab Episcopo, aspergendo altare cum hyssopo, et canendo memoratam Antiphonam et Psalmum, in omnibus pene Pontificalibus sancitum est, excepto Pontificali Noviomensis Ecclesiæ annorum octingentorum, et Pontificali Ecclesiæ Cameracensis annorum quingentorum, in quibus dicitur ut Episcopus, postquam cum pollice de aqua benedicta fecit crucem in medio altaris et per quatuor ejus cornua, canendo Antiphonam *Asperges me, Domine, etc.*, et Psalmum *Miserere mei, Deus* (de quo ritu superius dictum est), « cum ipso Psalmo circumeat tribus vicibus » ipsam mensam, et aspergat cum hyssopo, » canendo eamdem Antiphonam. » Faciunt de hac Antiphona et Psalmo mentionem omnes libri Pontificales; puto autem aliam aliquando consuevisse alicubi cantari Antiphonam; testatur etenim Gulielmus Durandus, lib. I, cap. VII, numero XV, dum septies altare Pontifex circuit, cantari tunc hunc versiculum : « Invenerunt » me vigiles, qui circuibant civitatem. »

II. In manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, post Antiphonam *Asperges me, Domine, etc.*, et Psalmum *Miserere mei, Deus*, sequitur Oratio quam Episcopus hunc in modum recitabat : « Pateant ad hoc » altare aures misericordiæ tuæ, quæsumus, » Domine, precibus supplicantium, et ut peten- » tibus desiderata concedas, fac tibi eos placita » postulare. Per. » Longe prolixior est illa Oratio, seu benedictio, quam Episcopus, post septenum altaris circuitum, super ipsum altare fundebat, dicens : « Domine sancte, Pater cle- » mens, cujus nec initium, nec finis advertitur, » qui tantus es quantus esse voluisti, scilicet » sanctus atque mirabilis; Deus, quem elementa » non capiunt, te benedicimus; te supplices » deprecamur ut sit tibi altare hoc sicut illud » quod Abel, salutaris mysterii sacramentum » in passione præcursor jugulatus a fratre, novo » sanguine imbuit et sacravit. Sit tibi, Domine, » altare hoc sicut illud quod Abraham pater » noster, quia videre te meruit, fabricavit, in » quo sacerdos Melchisedech sacrificii formam » triumphalis expressit. Sit tibi, Domine, altare » hoc sicut illud in quo Abraham seminarium » fidei nostræ, Isaac filium suum, dum tibi toto » corde credidit, imposuit : in quo salutaris » mysterii sacramentum Dominicæ passionis » ostensum est, dum offertur filius, et agnus » occiditur. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut » illud quod Isaac, puteum profundæ puritatis » inveniens, Abundantiæ ei nomen imponens, » tuæ majestati dicavit. Sit tibi, Domine, altare » hoc sicut ille lapis quem Jacob subtexit capiti » suo, et ascendentes et descendentes Angelos » per scalæ mysterium, somno revelante, co- » gnovit. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut » illud quod Moyses, susceptis mandatis tuis, in » præfiguratione Apostolica, duodecim lapidum » constructione firmavit. Sit tibi, Domine, al- » tare hoc sicut illud quod Moyses septem die- » rum purificatione mundavit, et cœlesti tuo » alloquio Sanctum vocavit, sicut locutus es ad » Moysen, dicens : *Si quis tetigerit altare hoc,* » *sanctificatus habeatur.* In hoc ergo altare » juguletur luxuria omnisque libido feriatur, » offeratur pro turturibus sacrificium castitatis; » pro pullis columbarum, innocentiæ sacrifi- » cium. Per. »

III. Hactenus prolixa benedictio quæ super altare, ex præscripto Anglicani Pontificalis monasterii Gemmeticensis, post septenum circuitum ab Episcopo recitabatur. Quid autem circuitus ipse et aspersiones septem altaris denotent fuse docet Gulielmus Durandus, lib. I, cap. VII. Verum, ut explicationem sequamur antiqui auctoris, Remigii Antissiodorensis monachi, in celebri tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. V, septenario numero plenitudo significatur Spiritus sancti, testante Isaia qui de Domino ait, cap. XI : *Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis : et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Ut ergo demonstretur quia Spiritus sanctus baptizatis tribuitur, jure septem vicibus altare sanctificata aqua respergitur. Hyssopus autem, cum quo eadem aqua spargitur, ut cum Remigio

Digitized by Google

notat ejus compilator Ivo Carnotensis episcopus, herba est humilis, quæ radicibus saxorum dicitur penetrare duritiam, et interioribus peccatoris medetur incommodis; cujus etiam aspergine immunditiæ delebantur in lege; significabat autem humilitatem Christi, quæ duritiam nostræ obstinationis confringit, passionesque atque immunditias interiores curare novit: « Aqua » ergo, » conclusio est præfatorum scriptorum, « cum hyssopo aspergitur, cum baptismus » Christi passione sanctificatus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare spargendo eamdem » aquam, ut significet doctores non debere » otio indulgere, sed eorum semper, quos Domino initiaverint, curam gerere, et eorum » mundationi operam dare, et ut Dominus mittat Angelum suum in circuitu eorum, et » eripiat eos, continuatim orare.» Hinc illud iterum iterumque addiscimus, quod superius prænotatum fuit, a priscis quidem Patribus dedicationem templi materialis repræsentari ut figuram templi spiritualis.

IV. Dignum denique est ut huic loco inseratur Nicolai Cabasilæ explicatio ex libro v *De vita in Christo*, ubi ritum consecrationis altaris describens, ita loquitur: « Hoc facto, aqua lustrali mensam abstergit. Quoniam enim hominem, dominum omnium quæ visu percipiuntur, communis tyrannus in servitutem » redegit, postea in omnia sensibilia, seu in » palatium, rege prostrato, irruit et invasit. » Quamobrem assumpta inde materia in unoquoque mysterio, quodam purgativo adversus » maligni vires opus est; sicut et aquam quæ » initiatorem necesse est baptizare, Sacerdos » ubi precibus ab omni diabolica malignitate » purgavit, sic demum carmen rituale et initiatorium pronuntiat. Eadem ratione mensam » prius aquis malorum depultricibus abluit, et » simul modum demonstrat quo ad bonum sit » currendum, quod est declinare prius a malo. » Itaque et super malis hominibus cantatum » Psalmum in hac expiatione recitat: *Asperges » me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Et post hoc Deo gratias » agit, eum veneratur, quod in omnibus consecrationibus facit. » Atque hæc est ratio cur altare aqua benedicta prius expietur, in aliisque rebus benedicendis adhibeatur; quia scilicet stygius humani generis hostis omnia hominum usui, sive communi, sive sacro, destinata contaminare viribus totis suis in hominum perniciem adnititur.

§ XXXV.

Subsequenter circuit ter ecclesiam interius, tantum aspergendo parietes ejus cum prædicta aqua benedicta, hoc modo. Finitis dictis versibus, et septimo circuitu per Pontificem, ut supra, facto, Schola cantat Antiphonam toni I: *Hæc est domus Domini firmiter ædificata: bene fundata est supra firmam petram.* Psalmus CXXI *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, etc.*, et dicitur totus; sed in fine non dicitur *Gloria Patri.* Interim incœpta Antiphona prædicta, Pontifex cum mitra, incipiens retro altare majus, procedit ad dexteram partem, circuiens intrinsecus ecclesiam et parietes illius, aspergit eam a parte inferiori juxta terram, rediens usque ad locum retro altare unde discessit: quo facto ac finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Schola cantat Antiphonam toni VII: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Psalmus LXVII *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, etc.*, et non dicitur *Gloria Patri.* Interim Pontifex secundo per eamdem viam circuiens, aspergit parietes ecclesiæ in medio, id est, circa altitudinem faciei suæ, rediens usque ad locum unde discessit; quo facto ac finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Schola cantat Antiphonam toni VIII: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Psalmus XC *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, etc.*, et non dicitur *Gloria Patri.* Interim

Digitized by Google

Pontifex tertio circuit ecclesiam, incipiens a sinistra parte; et aspergit parietes illius altius quam secundo, rediens ad locum unde discessit. Quo facto, adhuc mitram in capite tenens, aspergit cum prædicta aqua pavimentum ecclesiæ per medium, incipiens ante altare usque ad portam principalem, deinde per transversum, de uno pariete ad alium. Interim Schola cantat tres sequentes Antiphonas cum suis versiculis : *Domus mea, domus orationis vocabitur.* ℣. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te,* ton. VI sine *Gloria Patri.* Alia Antiphona : *Domine, dilexi decorem domus tuæ,* ℣. *Et locum habitationis gloriæ tuæ,* ton. V sine *Gloria Patri.* Alia Antiphona : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli,* ton. VII.

COMMENTARIUS.

I. Septenario circuitu altaris expleto juxta ritum in § superiori explicatum, circuit subsequenter Episcopus ter ipsam ecclesiam interius, aspergens tantum parietes ejus cum prædicta aqua sanctificata; et quidem ex præscripto libri *Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* Ordinis antiqui Romani, et omnium tum priscorum, tum recentium variarum Ecclesiarum Pontificalium, in quibus magna est varietas circa Antiphonas et Psalmos dicendos. Multos in basilicæ dedicatione cantari olim consuevisse Psalmos, liquido constat ex Epistola XVI S. Paulini, qui quosdam profert qui tamen non exstant in Ordine antiquo Romano, vel in aliis Pontificalibus libris : « Fatemur, inquit, venerandæ pietati » tuæ..... ita exultasse spiritum nostrum in Deo » salutari nostro, ut tanquam in præsenti dedi- » cationum cœtibus interessemus, et illa de » Psalmis Propheticis gaudii verba cantaremus : » *Exultate Deo adjutori nostro : sumite Psal-* » *mum, et date tympanum. Tollite hostias, et* » *introite in atria Domini, adorate Dominum* » *in aula sancta ejus.* Vel illud ejusdem Pro- » phetæ : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu,* » *et arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui* » *induantur justitiam, et sancti tui exultent.* » Ita ille.

II. Ut autem magis magisque pateat ritus ejus varietas, liber *Sacramentorum S. Gregorii* alios quidem Psalmos cum aliis Antiphonis recenset, ac habentur in Ordine antiquo Romano, in quo post septenum altaris circuitum ita legimus : « Deinde circumeat ipsam ecclesiam tri- » bus vicibus aqua conspergendo parietes, » incipiens a dextra parte orientis usque dum » redeat in orientem. Et primo circuitu cantatur » eadem Antiphona *Asperges me, Domine,* » *hyssopo,* cum Psalmo *Miserere mei, Deus.* » Deinde canitur alia Antiphona : *Similabo* » *eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam* » *supra petram.* Psalmus *Exurgat Deus, et* » *dissipentur inimici ejus.* Secundo autem cir- » cuitu canitur Antiphona ista : *Tu, Domine* » *universorum, qui nullam habes indigentiam,* » *voluisti templum tuum fieri in nobis, conserva* » *domum istam immaculatam in æternum, Do-* » *mine,* cum versu *Tu, Domine, cui humilium* » *semper et mansuetorum placuit deprecatio.* » Tertio vero circuitu Antiphona : *Hæc est do-* » *mus Domini firmiter ædificata : bene fundata* » *est supra firmam petram.* Psalmus *Qui habi-* » *tat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei* » *cœli commorabitur.* »

III. Descripto hactenus ritui consentit quidem non modo vetus Ordo Romanus, sed et alii libri Pontificales : a quibus tamen, ut alios omittam, longe dissentit Anglicanus monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, in quo post descriptum septenum altaris circuitum hæc statim legimus : « Et vadat in cir- » cuitu altaris spargendo, deinde in dextera » parte per parietes ecclesiæ usque dum veniat » ante altare ; deinde Antiphona : *Sanctificavit* » *Dominus tabernaculum suum, et hæc est do-* » *mus Dei, in qua invocetur nomen ejus, de quo* » *scriptum est : erit nomen meum ibi, dicit Do-* » *minus.* Psalmus *Deus noster refugium.* Quo » peracto, sequatur Oratio : *Hic benedictionem* » *tuam, Domine, populus fidelis ad honorem et* » *laudem nominis tui veniens accipiat, qua cor-* » *pore salvetur et mente; hic gratam tibi sem-* » *per exhibeat servitutem, et propitiationis tuæ*

Digitized by Google

» *beneficia jugiter inveniat. Per.* Alia Oratio : » *Solus et ineffabilis supernorum Rex, Domine* » *Deus, auxiliare, quæsumus, Ecclesiæ tuæ,* » *ut quicumque hic ad laudem et exaltationem* » *nominis tui conveniunt, sacræ devotionis pro-* » *ficiant incrementis, et tuo munere semper gu-* » *bernentur, et ad redemptionis æternæ perti-* » *neant, te ducente, consortium. Per Dominum.* » Spargat iterum tribus vicibus desuper in cir- » cuitu altaris vel ecclesiæ deintus cum Anti- » phona : *In dedicatione hujus templi laudate* » *Deum, omnes militiæ cœlorum, et omnis terra* » *laudet nomen Domini, quia exaltatum est no-* » *men ejus solius.* Deinde spargat extra ecclesiam » cum omni Schola, spargendo ter per parietes » in circuitu et desuper, cantando : *Qui habitat* » *in adjutorio Altissimi, in protectione, etc.* »

IV. Est et sua varietas in aliis sequioris ævi et variarum Ecclesiarum Pontificalibus, ut videre est apud Martenium, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIII, et in nostra ad hunc titulum Appendice. Porro, ut aliqua de præsentis nostri ritus significatione dicamus, cur nempe Pontifex ter interius ecclesiam circumeat, parietes sanctificata aqua aspergens, et canens memoratas in nostra hac Rubrica Antiphonas quasdam et Psalmos; circuit quidem totam ecclesiam Episcopus et adspergit parietes illius, ut demonstret se omnem curam impendere omni ætati et omni sexui. Facit hoc idem secundo et tertio, ut ostendat eos qui baptizantur, non solum esse mundandos a peccato cogitationis, sed etiam locutionis et operis. Canitur autem interim Psalmus *Exsurgat Deus*, cum Antiphona, ut viribus destituantur qui sacramentis fidei adversantur. Cantatur etiam Psalmus *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, ut denotetur nullum posse protegi a Deo, nisi eum qui, de viribus suis nihil præsumens, Dei adjutorium semper imploraverit. Docent hæc quidem Remigius monachus Antissiodorensis et Ivo episcopus Carnotensis. Durandus autem tradit interius circui ecclesiam ad notandum quod exterior ablutio sine interiore nil prodest; circui autem, quoniam, ut præmissum est, aspersio illa significat aspersionem et mundationem baptismi, quæ datur beneficio sanctissimæ Trinitatis, juxta illud Christi Domini præscriptum, Matthæi cap. XXVIII : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quia vero ecclesia non potest in aqua immergi, sicut immergitur baptizandus, ideo ter aspergi eam aqua, inquit memoratus Durandus, quasi loco trinæ immersionis.

§ XXXVI.

Dictis Antiphonis prædictis, et aspersione, ut præmittitur, facta, Pontifex stans cum mitra in medio ecclesiæ versus ad altare majus inchoat, et Schola prosequitur, Antiphonam toni VII : *Vidit Jacob scalam : summitas ejus cœlos tangebat, et descendentes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.* Dum cantatur Antiphona prædicta, Pontifex, stans cum mitra in medio ecclesiæ, aspergit aquam per pavimentum versus Orientem, Occidentem, Aquilonem et Austrum.

COMMENTARIUS.

I. Longe aliter hæc Rubrica describitur in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, in Ordine antiquo Romano, Pontificali Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum, Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter quingentorum, Cameracensi annorum septingentorum, Apamiensi et Constantinopolitano, juxta quorum præscriptum « aspergit Epis- » copus per medium ecclesiæ in longum et la- » tum, faciens crucem super omne pavimentum, » canendo Antiphonam : *Domus mea, domus ora-* » *tionis vocabitur*, cum versu : *Narrabo nomen* » *tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo* » *te*, et cum *Gloria Patri.* » Ex manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, annorum circiter mille, cautum est ut Pontifex « vadat de ipso altari spargendo per » medium ecclesiæ in longum et latum, simi- » liter crucem faciendo, sive per omne pavi- » mentum, de ipsa aqua. Antiphona : *Funda-*

Digitized by Google

» *mentum templi hujus sapientiæ tuæ fundavit* » *Deus, in quo Domino cœli conlaudant Angeli: si* » *ruant venti, et pluant flumina, non possunt ea* » *movere unquam; fundata enim erat supra firmam petram.* » Legitur idem profecto ritus in manuscripto Pontificali codice Anglicano monasterii Gemmeticensis, ejusdem ætatis, qui tamen hanc dicendam mandat Antiphonam : « Exurgat Deus ad nostræ famulatus obsequium, et in » loco sancto ejus fiat benedictionis augmentum. Benedictus es in templo sancto gloriæ » tuæ, quod ædificatum est ad laudem et gloriam nominis tui, Domine. » Deinde Psalmum seu Canticum *Benedicite, omnia opera Domini, Domino*. In Pontificali tandem Ecclesiæ Cadurcensis annorum octingentorum etiam Episcopus incipit Antiphonam *Domus mea, domus orationis vocabitur*, cum versu *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, et *Gloria;* et stans in medio ecclesiæ, spargit aquam ad Orientem, ad Occidentem, ad Aquilonem et ad Austrum, et contra cameram ecclesiæ, et super pavimentum.

II. Fuit præterea et olim ritus ut, cum Episcopus hanc aspersionem aquæ sanctificatæ per pavimentum ecclesiæ faceret, Ministros suos mitteret, qui extrinsecus ecclesiæ parietes, una voce psallentes cum his qui interius canebant, aqua ipsa conspergerent. Legitur id quidem in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, in Pontificali Ecclesiæ Cadurcensis et in aliis multis, in quibus videtur tamen fieri consuevisse hunc Ministrorum exteriorem circuitum, cum Episcopus ter interius ecclesiæ parietes circuibat. Imo ex manuscripto Pontificali Anglicani monasterii Gemmeticensis et ex codice Ratoldi abbatis, Episcopus, post expletum trinum interius ecclesiæ circuitum, pergebat « extra ecclesiam cum omni Schola, spargendo ter per » parietes in circuitu et desuper cantando : *Qui* » *habitat in adjutorio Altissimi, in protectione, etc.* »

III. Cæterum Remigius monachus Antissiodorensis, in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. v, ad ritum alludens in libro *Sacramentorum S. Gregorii* descriptum, sic inquit : « In » eo vero quod mittit Pontifex Ministros qui in » circuitu basilicæ psallant et aspergant, ipse » autem per mediam ecclesiam vadit spargendo, in utraque parte faciens crucem, apertum » dat indicium quia Pontifex adjutores sibi » debet adsciscere, qui ecclesiæ excubias adjuvent custodire. » Tum, allatis exemplis Moysis qui ad populi necessitates septuaginta Presbyteros elegit, et Christi Domini qui, post duodecim Apostolorum electionem, septuaginta duos misit ad explendam prædicationem, hæc statim subjicit quæ præsentem Rubricam nostram egregie explicant : « Ipse tamen nullo modo » securitati, aut corpori aliquatenus debet indulgere, sed per mediam ecclesiam conspicuus incedere, omnibus exemplo suo informare, omnibus sacramenta crucis ac mentis » Domini tam voce quam opere ingerere, dicendo cum Apostolo: *Semper mortificationem* » *Christi circumferentes in corporibus vestris,* » *ut vita Jesu manifestetur in vobis.* » Alludit profecto auctor ad eum ritum, quem omnes pene libri Pontificales recensent, ut nempe Episcopus aspergat aquam sanctificatam in medium ecclesiæ, in longum et latum, faciat crucem super pavimentum. Olim quippe basilicas signo crucis adhibito dedicari certum est ex *Sermone* LXXV sancti Augustini *de diversis*.

IV. Nequaquam denique mirum videri debet, si in nostra hac Rubrica, cui cæteroqui Pontificale manuscriptum Vaticanum Gulielmi Durandi consentit, annorum quingentorum, alia describatur Antiphona ac habetur in antiquis Pontificalibus, ex quorum quidem præscripto, quemadmodum superius dictum est, cum Episcopus aspergit per medium ecclesiæ, in longum et latum, facit crucem super omne pavimentum, canendo Antiphonam : *Domus mea, domus orationis vocabitur*, cum versu *Narrabo nomen tuum fratribus meis, etc.* Ea siquidem Antiphona, cum ipso versu *Narrabo nomen tuum, etc.*, juxta ordinem laudati Vaticani Pontificalis et nostri hodierni Pontificalis Romani, descripta jam fuit in § superiori, nimirum XXV, in fine. Porro secundum veteres Rituales libros cantat Episcopus eam hoc loco Antiphonam, « ut scilicet talem ecclesiam Dei præparet, quæ » non sit spelunca latronum, sed domus orationis, id est, non fures et latrones dæmones in » corporibus peccatoribusque sibi subjectorum » exerceant dominatum, sed potius se tales » præparent, ut sive manducent, sive bibant, » sive aliud quid faciant, in gloriam Domini » faciant, et benedicant Dominum in omni » tempore, et semper laus Dei in ore eorum,

Digitized by Google

» qualiter versum subsequentem libera possit » voce cantare : *Narrabo nomen tuum fratri-* » *bus meis, in medio ecclesiæ laudabo te :* imi- » tans Dominum qui resurgens a mortuis dixit » mulieribus : *Ite, dicite fratribus meis ut eant* » *in Galilæam.* » Docet hæc inter alios Remigius Antissiodorensis monachus in toties laudato opusculo *De dedicatione ecclesiæ,* cap. v.

§ XXXVII.

Finita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio ecclesiæ conversus ad portam principalem, dicit competenti voce : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Deus, qui loca nomini tuo dedicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam; ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc Oratio non modo in recentibus, sed et in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, atque in antiquis omnibus Pontificalibus libris, eodem quidem ritu dicenda quod in hac præsenti nostra Rubrica præscribitur. Ad eam utique alludit laudatus Remigius monachus, cum post Orationem ipsam, in fine Commentarii superioris ex parte descriptam, ita inquit : « Hæc autem tunc bene agit Pontifex, cum » omen quod bona deliberatione inchoat, per » divinam invocationem et orationem, ut con- » summare possit, impetrat. » Tum sequitur : « Unde his peractis, ad orationem se confert » Pontifex, petens ut omnes qui in eamdem » domum venerint, orationes suas exauditas » gaudeant. » Ut ostendat scilicet Pontifex se omnium subditorum curam cum Paulo Apostolo gerere, et eorum memoriam se in orationibus suis frequentare, ut scite post Remigium tradit Ivo Carnotensis episcopus in *Sermone de sacramentis dedicationis.* Sane post recitatam Orationem, *Deus, qui loca nomini tuo, etc.*, in codice Ratoldi abbatis hæc sequuntur : « Et tunc » incenso boni odoris infumat totam ecclesiam, » et stans in medio dicat Antiphonam : *Domus* » *mea, domus orationis*; versus *Narrabo nomen* » *tuum,* cum *Gloria.* » Sed de hac Antiphona et versu abunde jam diximus.

II. Cum autem, ut initio Orationis dicitur, Deus sit qui loca nomini suo dedicanda sanctificat, ipsum sane templum, quia Deo dedicatum, sanctum, honorabile et cœlesti virtute præditum est. Salomone templum sanctificante, Deus illud quoque sanctificavit, uti Deus ipse testatur libro III *Regum*, cap. IX, ita inquiens : *Exaudivi orationem tuam, et sanctificavi domum hanc, quam ædificasti.* Quanta sit nostrarum ecclesiarum sanctitas, fuse explicant sancti Patres in suis *De dedicatione ecclesiæ Homiliis.* S. Bernardus, ut alios omittam, *Sermone* IV *in dedicatione ecclesiæ* habito hæc habet : « Quid enim parietes ejus sanctos dicere » vereamur, quos manus sacratæ Pontificum » tantis sanctificavere mysteriis? Ex tunc quo- » que, et deinceps sanctarum inibi lectionum » resultare frequentia, sanctarum orationum » devota murmurare susurria, sanctarum reli- » quiarum honorari beata præsentia, sanctorum » spirituum indefessa noscitur custodia vigi- » lare. » Quocirca recte ait Propheta in Psalmo XCII : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Quasi dicat : Convenit, Domine, et dignum est, ut omnes domum tuam semper ut sanctam venerentur et in honore habeant : et qui in eadem sancta tua domo versantur, sancti ipsi et puri sint.

§ XXXVIII.

Tum ibidem stans adhuc conversus ut prius, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate. Deus sanctificationum, omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur; Deus, qui cœlestia simul et terrena complecteris; servans*

Digitized by Google

misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, exaudi preces servorum tuorum; ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte: hanc quoque basilicam in honorem sanctæ et victoriosissimæ Crucis, et memoriam sancti tui N. sacris mysteriis institutam, clementissimus dedi✠ca, miseratus illu-✠stra, proprio splendore clari✠fica, omnemque hominem venientem adorare te in hoc loco placatus admitte, propitius respicere dignare, et propter nomen tuum magnum, et manum tuam fortem, et brachium tuum excelsum, in hoc tabernaculo tuo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva; ut semper felices, semperque in tua religione lætantes, constanter in sanctæ Trinitatis confessione, fide Catholica perseverent. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

Legere et est hanc Orationem statim post aliam in § superiori recitatam eodem quidem quo hic describitur ritu, tam in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* quam in Ordine antiquo Romano et cæteris pene omnibus Pontificalibus libris, in quibus ita legimus: « Iterum dicit: » *Oremus*. Et Diaconus: *Flectamus genua*. Po- » stea dicit: *Levate*. Et sequitur Oratio: *Deus* » *sanctificationum*, *etc.* » Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Cameracensis, et duo alia, Apamiensis scilicet Ecclesiæ et Constantinopolitanæ, profecto mandant ut Episcopus « iterum dicat excelsa voce: *Oremus*. Et Diaco- » nus: *Flectamus genua*, *etc.*; tum vero sequa- » tur ipsa Oratio: *Deus sanctificationum*, *etc.* » Cui quidem Orationi ex manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum hæc præmittuntur: « Dominus vobiscum. ℟. Et cum spi- » ritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Do- » minum. Gratias agamus Domino Deo nostro. » ℟. Dignum et justum est. Vere dignum et » justum est, æquum et salutare, nos tibi semper » et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater » omnipotens, æterne. » Tum immediate sequitur: *Deus sanctificationum*, *etc.* Porro dixi exstare hanc Orationem in omnibus pene Pontificalibus; nonnulla etenim legi, et inter alia Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, in quo memorata Oratio desideratur. In plurimis nihilominus non modo exstat, sed etiam appellatur *Oratio in consecratione basilicæ*, ut videre est in Ordine antiquo Romano et in aliis passim. Videtur autem ex parte desumpta Oratio hæc ex cap. VI libri II *Paralipomenon*, in quo prolixa Oratio describitur, qua Salomon Deum rogat ut orantium in eo templo, quod ipse summa pietate atque impensa ædificarat, exaudiat.

§ XXXIX.

Deinde stans adhuc conversus ut prius ibidem, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem: ℣. *Per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. ℣. *Sursum corda*. ℟. *Habemus ad Dominum*. ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro*. ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, adesto precibus nostris, adesto sacramentis, adesto etiam piis famulorum tuorum laboribus, nobisque misericordiam tuam poscentibus. Descendat quoque in hanc ecclesiam tuam, quam sub invocatione sancti nominis tui, in honorem sanctæ Crucis, in qua coæternus tibi Filius tuus Dominus noster Jesus Christus pro redemptione mundi pati dignatus est, et memoriam sancti tu N. nos*

Digitized by Google

indigni consecramus, Spiritus sanctus tuus, septiformis gratiæ ubertate redundans, ut quotiescumque in hac domo tua sanctum nomen tuum fuerit invocatum, eorum qui te invocaverint, a te pio Domino preces exaudiantur. O beata et sancta Trinitas, quæ omnia purificas, omnia mundas et omnia perornas! O beata majestas Dei, quæ cuncta imples, cuncta contines, cuncta disponis! O beata et sancta manus Dei, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas! O Sancte sanctorum Deus, tuam clementiam humillima devotione deposcimus ut hanc ecclesiam tuam, per nostræ humilitatis famulatum, in honorem sanctæ et victoriosissimæ Crucis, et memoriam sancti tui N. puri✠ficare, bene✠dicere, et sancti✠ficare perpetua sanctificationis tuæ ubertate digneris. Hic quoque Sacerdotes sacrificia tibi laudis offerant. Hic fideles populi vota persolvant. Hic peccatorum onera solvantur, fidelesque lapsi reparentur. In hac ergo, quæsumus, Domine, domo tua, Spiritus sancti gratia ægroti sanentur, infirmi recuperentur, claudi curentur, leprosi mundentur, cæci illuminentur, dæmonia ejiciantur. Cunctorum hic debilium incommoda, te, Domine, annuente, pellantur, omniumque vincula peccatorum absolvantur; ut omnes qui hoc templum beneficia juste deprecaturi ingrediuntur, cuncta se impetrasse lætentur; ut concessa misericordia quam precantur, perpetuo miserationis tuæ munere glorientur. Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit. *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Deest hæc Præfatio in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, deest in manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum, deest in Pontificali manuscripto Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum; habetur nihilominus in antiquo Romano Ordine, in Pontificalibus Egberti Eboracensis archiepiscopi et Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, et in aliis passim cum prisci cum recentioris ævi, in quibus etiam appellatur *Præfatio in medio ecclesiæ;* eoque nomine etiam dicitur in codice Ratoldi abbatis, quia scilicet, ut vel ex ipsis verbis aperte constat, in medio ecclesiæ ab Episcopo diceretur. Vetus Ordo Romanus mandat ut Episcopus excelsa voce hanc Præfationem recitet, et quidem usque ad finem, cum nullam de eo ritu faciat mentionem ut submissa voce dicat ipsius Præfationis conclusionem, nempe : *Per eumdem Dominum, etc.*

II. Multa autem in ipsa Præfatione sunt quæ fideles urgent ad exhibendam sacris templis venerationem; tum quia ibi Sacerdotes sacrificia offerunt: tum etiam quia ibi populi ipsi fideles vota persolvunt; peccatorum ibi onera solvuntur, reparantur lapsi, sanantur ægroti, dæmonia ejiciuntur, aliæque id genus gratiæ obtinentur, de quibus supervacaneum est hic fusius disserere, cum nihil frequentius quam hæc omnia nobis inculcent sacri oratores, absque ullo plane fructu. An non templa ipsa atque altaria minoris reverentiæ quidam habent, quam cujuslibet minimi ac municipalis judicii domum? Id quidem Jeremias sui temporis Salvianus deplorabat, lib. III *De vero judicio et providentia Dei*, ubi inter alia inquit : « Novum monstri » genus est; eadem pene omnes jugiter faciunt, » quæ fecisse se plangunt. Et qui intrant Eccle- » siasticam domum ut mala antiqua defleant, » exeunt, et quid dico *exeunt?* in ipsis pene » hæc orationibus suis ac supplicationibus mo- » liuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud » corda agunt; et dum verbis præterita mala

Digitized by Google

» plangunt, sensu futura meditantur; ac si ora-
» tio eorum rixa est magis criminum quam ex-
» oratrix, ut vere illa in eis Scripturæ maledictio
» compleatur : ut de oratione ipsa exeant con-
» demnati, et oratio eorum fiat in peccatum. »

III. Docet præterea zelantissimus scriptor, ex iis quæ sequebantur, potuisse facile agnosci quid in templo hujusmodi homines cogitassent. Sic enim ait : « Siquidem consummatis solem-
» nibus sacris, statim ad consuetudinaria om-
» nium studia discurrunt, alii scilicet ut furen-
» tur, alii ut inebrientur, alii ut latrocinentur;
» ut evidenter appareat hoc eos esse meditatos,
» dum intra templum sunt, quod, postquam
» egressi fuerint, exsequuntur. » Hæc et longe plura in laudato libro Salvianus. Fateri autem nostro hoc ævo cogimur longe graviora in nostris ecclesiis a recentioribus Christianis perpetrari, quæ quidem pudet hoc loco describere.

§ XL.

Præfatione finita, Pontifex, accepta mitra, procedit ante altare, et ibi cum præmissa aqua benedicta facit maltam seu cæmentum quod mox, deposita mitra, stans ibidem benedicit, dicens : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Summe Deus, qui summa, et media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sancti✠fica, et bene✠dic has creaturas calcis et sabuli. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XLI.

Cæmentum benedictum reservatur, sed residuum aquæ benedictæ funditur ad basim sive pedem stipitis altaris per circuitum.

COMMENTARIUS.

I. Expleta Præfatione, juxta præscriptum libri *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, itemque manuscriptorum Pontificalium Egberti archiepiscopi Eboracensis et Anglicani monasterii Gemmeticensis, et aliorum fere omnium, incipiebat Episcopus Antiphonam : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam;* canebatque ipsam cum Psalmo *Judica me, Deus, etc.* Tum ante altare ibat, fundebatque « quod remansit de ipsa aqua ad basim al-
» taris. » Juxta ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis, cui consentit manuscriptum Gulielmi Durandi Pontificale circiter annorum quingentorum, cum primum Pontifex ad altare procedit, inchoat ibidem, Schola prosequente, Antiphonam *Introibo ad altare Dei, etc.*, ut videre est in § XXXI hujus tituli.

II. De ritu faciendi maltam seu cæmentum etsi nullam mentionem faciat liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, et alii nonnulli Pontificales libri, diserte tamen loquitur antiquus Ordo Romanus, ubi ita inquit : « Hac expleta, »
id est Præfatione de qua in § superiori dictum est, « eat ante altare (Episcopus), dicente Schola
» Antiphonam : *Introibo ad altare Dei, etc.*,
» et Psalmum *Judica me, Deus.* Tunc faciat
» maltam de calce et tegula cum ipsa aqua be-
» nedicta, ad occludendas Sanctorum reliquias
» in loco altaris, et reservetur ad tempus, et
» postea ipsam aquam, quæ remanet, fundat ad
» basim altaris, et a Diaconibus et Presbyteris
» extergatur altare de linteo. » Idipsum legitur in manuscripto codice B. Mariæ Remensis annorum octingentorum, in Pontificali manuscripto Ecclesiæ Noviomensis ejusdem ævi, et in aliis multis.

III. Totum fere hunc ritum egregie describit ac explicat post Remigium Antissiodorensem monachum Ivo episcopus Carnotensis : « Com-
» pleta, inquit, expiatione, et cantibus, et ora-

Digitized by Google

» tionibus, atque omnibus quæ superius dicta » sunt, convertitur Pontifex ad altare, incipiens » Antiphonam : *Introibo ad altare Dei, ad* » *Deum qui lætificat juventutem meam;* et cum » Psalmo cantando vadit ante altare, et fundit » quod remansit de aqua purificationis ad basim » altaris. » Quid significet aqua ista, ex qua purificatur ecclesia, jam superius dictum est, doctrinam scilicet Ecclesiasticam, quæ maxime continetur in sacra eruditione verbi quæ significatur per sal, et in prædicatione mortis Salvatoris et redemptionis nostræ, quæ significatur per cineres, atque in commendatione geminæ ipsius naturæ, divinæ et humanæ, quæ significatur per aquæ vinique admixtionem.

IV. His jam prænotatis fit malta seu cæmentum de calce et tegula, ad occludendas Sanctorum reliquias in loco altaris, ut inquit vetus Ordo Romanus. Fundit autem Episcopus quod remansit de aqua purificationis ad basim altaris, quia, ut aiunt laudati scriptores, quod ipse nequit, Domino humiliter committit, purgationem scilicet subditorum, cui ipse tanquam homo cooperari et collaborare potest : interior autem et perfecta mundatio solius Dei est, quod, in Lege veteris Testamenti, sanguis hostiarum, sicut jussum erat, vel in cornibus altaris ponebatur, vel ex aliquibus hostiis digito Sacerdotis contra Dominum septies spargebatur; et quod reliquum erat, ad basim altaris fundebatur. Sacerdotum enim est, quicquid possunt, ad utilitatem gregis sibi commissi laborare; quod autem vires suas excedit, Domino devotissime commendare. Quam formam ipse primus Pastorum Dominus et Salvator noster impressam eis reliquit, cum passioni appropinquans, Patri dixit, Joannis cap. XVII : *Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Sic et Paulus in articulo vitæ præsentis, quasi ad basim altaris aquam fundens, discipulos Domino commendabat, dicens : *Et nunc commendo vos Domino, et verbo gratiæ ejus, etc.*, ut legere est in Actibus Apostolorum, cap. XX : quod etiam innuit Antiphona ipsa ; dicit enim se introiturum ad altare Dei, id est ad altare quod significatur per istud visibile, ad quod non penetrat oculus carnis, sed pura intentio mentis ; et hoc est quod subsequitur : *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

V. Neque vacat mysterio, quod postea, ut præscribunt superius memorati libri Pontificales, extergitur altare linteo. Linum namque, ut scite exponunt præfati auctores, de terra oritur et magno labore ad candorem perducitur; sic et caro Salvatoris nostri de terra orta est, ut pote de beata Maria Virgine ; sed variis tribulationibus exercita pervenit ad candorem gloriamque resurrectionis. Extergitur ergo altare de linteo, cum tribulationes sanctæ Ecclesiæ inter pressuras mundiales liniuntur Salvatoris exemplo. Doctor itaque quasi linteo altare detergit, cum imitationem Dominicæ passionis auditorum mentibus imprimit, dicens cum Apostolorum Principe in Epistola sua I, cap. II : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Dum ergo Doctor talia facit, quasi altare madidum labore humanitatis abstergit linteo Dominicæ imitationis.

VI. Scio hæc a pseudo-criticis irrideri, sed ea retuli quæ scriptores eximii, tum ante, tum paulo post annum Christi millesimum docuerunt. Fuit sane Remigius vir sua ætate doctissimus habitus, floruitque circa annum Domini octingentesimum nonagesimum, ut testatur Bellarminus in libro *De scriptoribus Ecclesiasticis.* De Ivone autem Carnotensi episcopo celeberrimum est S. Petri Damiani testimonium in *Sermone* suo LXIX, primo autem *in dedicatione ecclesiæ,* ubi alludens ad sacramenta ipsius dedicationis egregie a laudato Ivone explicata, hæc scribit : « Quis hujus abyssi caliginem ser» monis claritate possit illuminare ? Attigisse» mus tamen quantulumcumque, nisi nostris » temporibus quidam, qui Carnotensi præsedit » Ecclesiæ, vivacissimo mentis igne lucidius om» nia declarasset. Ad illum igitur plenissimum » fontem sitientem mittimus, ubi plenissimam » hauriat veritatem. » Hunc porro Episcopum Carnotensem, de quo loquitur S. Petrus Damiani, esse Ivonem Carnotensem qui scripsit *Sermonem de sacramentis dedicationis*, quem videre est una cum aliis auctoribus, qui de divinis Officiis scripserunt, Coloniæ editis, anno Domini 1568. cura Melchioris Hittorpii, quique æqualis est ipsi Petro Damiani; uterque enim floruit sub Henrico IV imperatore, et Gregorio VII Pontifice Maximo, sapientissime docet Hugo Menardus in librum *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 193. Hallucinatur itaque Constantinus Cajetanus, et alii qui arbitrati sunt Epi-

Digitized by Google

scopum Carnotensem, de quo loquitur S. Petrus Damiani, esse Fulbertum; cum nihil omnino is scripserit de ecclesiæ dedicatione, ne quidem in Epistola ad Deodatum, ut quidam perperam tradunt. Liquet enim ex ipsa Epistola nihil aliud in ea agi quam tria, quæ necessaria sunt ad profectum Christianæ religionis. Quod denique spectat Orationem ad benedicendum maltam seu cæmentum, præter Pontificale manuscriptum Durandi, quod exstat in Vaticana Bibliotheca, num. 4744, in nullo alio eam reperi.

§ XLII.

Pontifex deinde procedit processionaliter cum cruce et Clero ad locum in quo reliquiæ nocte præterita conservatæ fuerunt; et defertur chrisma usque ad fores ecclesiæ; sed priusquam locum ipsum ingrediatur, stans ab extra, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Aufer a nobis, quæsumus, Domine, cunctas iniquitates nostras; ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Si librum *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* spectemus, itemque Ordinem antiquum Romanum, atque complures alios Pontificales codices, postquam Episcopus fudit quod remanserat de ipsa aqua benedicta ab basim altaris, offerebat mox incensum, mittebatque oleum super altare, in medio crucem faciens, aliosque servabat ritus quos, post laudatum Remigium Antissiodorensem, scite explicant Ivo Carnotensis episcopus et Gulielmus Durandus Mimatensis antistes, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, capite VII. Ex manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum, non nisi post benedictionem linteaminum, vasorum aliorumque ornamentorum quæ ad cultum Dei pertinent, procedebat Episcopus cum Clero « ad locum in quo reliquiæ » nocte præterita cum vigiliis fuerant custoditæ, » Et facta Litania, dicebat Pontifex hanc Ora- » tionem : *Aufer a nobis Domine, etc.* » Quem ritum legere est in Pontificali Cadurcensi annorum octingentorum, Noviomensi ejusdem ævi, in Ordine antiquo Romano et in aliis plurimis.

II. Sane consonat nostro hodierno Romano Pontificali Pontificale manuscriptum Vaticanum Gulielmi Durandi, et duo alia pariter manuscripta, Apamiense et Constantinopolitanum, in quibus præscriptum legitur ut, postquam Pontifex fecit maltam extersitque mensam mundo linteo, « vadat cum Clero et populo ad illum » locum in quo reliquiæ præterita nocte cum » vigiliis fuerunt; sed antequam ingrediatur » Episcopus tentorium, dicat hanc Orationem : » *Aufer a nobis, etc.* » Est antiqua Oratio quam etiam ab Episcopo dicendam, ubi ad eum locum pervenit, in quo vigiliæ coram sacris reliquiis nocte præterita actæ fuerunt, expresse mandat inter alia Pontificale manuscriptum Anglicanum monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, et alia nonnulla.

III. Solemnem ad eum locum consuevisse fieri processionem ad asportandas in ecclesia sacras ipsas reliquias, ut in altari collocarentur, compertum habemus ex memorato Pontificali Anglicano : « Finita Oratione, inquit, elevent » Sacerdotes ipsas reliquias cum feretro, et por- » tent eas ad ecclesiam cum honore dignissimo, » cum crucibus, et thuribulis, atque candela- » bris, et luminibus multis, etc. » Idipsum legere est in aliis plurimis manuscriptis Pontificalibus, in eo titulo qui inscribitur *Incipit Ordo quomodo in Romana Ecclesia reliquiæ condantur.* Pontificale Egberti archiepiscopi Eboracensis, qui floruit initio sæculi VIII, manuscriptus codex beatæ Mariæ Remensis, et alii complures manuscripti codices Pontificales a viro clarissimo Edmundo Martenio editi, id quidem præscribunt.

Digitized by Google

§ XLIII.

Deinde Pontifice, accepta mitra, locum ipsum cum Presbyteris et Clero ingrediente, Schola cantat Antiphonas sequentes : *O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti! amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocumque ierit*, toni VII. Alia Antiphona toni VIII : *Movete vos, Sancti Dei, de mansionibus vestris, ad loca festinate, quæ vobis parata sunt.* Alia Antiphona toni III : *Ecce populus custodiens judicium et faciens veritatem, in te speraverunt, Domine, usque in æternum.* Alia Antiphona toni VIII : *Via Sanctorum facta est recta, et iter eorum præparatum est.* Psalmus XCIV : *Venite, exsultemus Domino, etc.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Vel, si magis placet, omissis omnibus præmissis Antiphonis cum Psalmo, Schola cantat Responsorium de illo Sancto cujus sunt ipsæ reliquiæ. Interim Pontifex manet stans juxta reliquias. Finitis autem Antiphonis cum Psalmo, vel Responsorio prædicto, Pontifex stans ibidem coram reliquiis, detecto capite, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Fac nos, quæsumus, Domine, Sanctorum tuorum tibi specialiter dedicata membra digne contingere, quorum patrocinia cupimus incessanter habere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Variant libri Pontificales circa Antiphonas hasce canendas a Schola cantorum, ubi Pontifex locum ipsum una cum Presbyteris et Clero ingrediebatur. Fere huic nostræ Rubricæ consonat Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur, in quo ita legimus : « Deinde locum ipsum ingresso, » Schola ibi cantat Antiphonas : *O quam gloriosum est regnum, etc. Movete vos, etc. Ecce populus, etc. Via Sanctorum recta facta est, etc. Venite, exultemus Domino* totus dicitur » sine *Gloria Patri.* Vel Schola similiter cantet » aliquid Responsorium de illo Sancto cujus » fuerint reliquiæ ipsæ. Iis dictis, dicit Pontifex : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua.* » *Levate.* Oratio. *Fac nos, quæsumus, Domine, Sanctorum tuorum, etc.* »

II. In hac Oratione observare est, quod docent SS. Ecclesiæ Patres, contactu scilicet sacrarum reliquiarum, benedictionem quamdam ac aliquam sanctificationis societatem a Christianis hominibus reportari. Sic enim ait S. Basilius *in Psalmum* CXV : « Qui contingit ossa Martyris, quamdam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente. » S. Joannes Chrysostomus, in *Homilia de SS. Juventio et Maximo*, postquam eos laudavit qui corpora illa inhumata relicta pie rapuerunt etiam cum periculo vitæ suæ, ita deinde subjungit : « Idcirco sæpius eos invisamus, tumulos adoremus, » magnaque fide reliquias eorum contingamus, » ut inde benedictionem aliquam assequamur. » Quibus adde S. Gregorium Nyssenum, qui in *Oratione in Theodorum Martyrem* hæc habet : « Ipsas attingere reliquias, si quando aliqua » ejusmodi prospere fortuna contingat ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, » et optandum, ac summarum precum donum, » sciunt experti et ejus desiderii compotes facti. » Longe plura de sacris Sanctorum reliquiis, eorumque cultu ac virtute, dicemus infra in Commentariis ad titulum XIX, qui est *De benedictione capsarum pro reliquiis, et aliis sanctuariis includendis.* Nonnulla etiam sparsim de eadem re alibi disseremus.

Digitized by Google

§ XLIV.

Tum Pontifex, accepta mitra, imponit incensum in thuribulo, et fit processio hoc ordine. Procedunt duo Ceroferarii cum luminaribus, deinde crux, tum Clerus cantans Antiphonas subsequentes; post hos, Sacerdotes portantes feretrum cum reliquiis, et juxta eos Thuriferarius continuo reliquias ipsas incensans, et immediate ante reliquias ipsas præcedant aliqua intortitia; deinde Pontifex paratus cum suis ministris. Processione igitur locum ipsum exeunte, Pontifex inchoat primam Antiphonam, Schola ipsam et omnes alias sequentes prosequente : *Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini : nam et montes, et colles exsilient, exspectantes vos cum gaudio, Alleluia,* toni VIII. Alia Antiphona toni VII : *Surgite, Sancti Dei, de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, et nos homines peccatores in pace custodite.* Alia Antiphona toni VIII : *Ambulate, Sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini; ædificata est enim vobis ecclesia, ubi populus adorare debet majestatem Domini.* Alia Antiphona toni VIII : *Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Eis igitur ad ecclesiæ consecrandæ fores pervenientibus, priusquam ingrediantur, dimissa ante fores ecclesiæ Schola Antiphonas prædictas cantante, Pontifex, præcedentibus ipsum duobus Ceroferariis, cruce, Thuriferario, et Sacerdotibus feretrum reliquiarum portantibus, circuit ecclesiam cum ipsis reliquiis, populo sequente et clamante : *Kyrie, eleison.*

COMMENTARIUS.

I. Librum *De processionibus Ecclesiasticis*, in quo earum institutio, significatio, ordo et ritus, ex sacris Scripturis, Conciliis et variorum auctorum scriptis explicantur, edidit quidem Jacobus Eveillon canonicus Ecclesiæ Andegavensis. Is itaque consulendus, cum egregie totum sacræ processionis apparatum in opusculo laudato describat. Verum ne videamur rem omnino præterire, primus quidem ritus in processione servandus, est prælatio crucis, qua palam contestamur salutem omnem, meritaque omnia, et commoda spiritualia per passionem Christi obtinuisse. De processione contra Arianos a S. Joanne Chrysostomo Constantinopoli instituta agens Nicephorus lib. XIII *Historiæ*, cap. VII, non modo ejus ritus meminit, sed etiam moris gestandi cereos accensos et cantandi Hymnos : « Processionem, inquit, cruces argenteæ cereos » incensos habentes præibant, Eudoxia impera- » toris conjuge impensas ad eam rem præbente, » quæ hoc Brusoni cubiculi sui præfecto in- » junxit, ut Hymnorum cantus procuraret, et » ad eum usum quamplurimum lucernarum » pararet. » Vide plura apud Joannem Busæum in opusculo *De statibus hominum*, titulo *Processionis sacræ status*, cap. IV. Cæterum de usu thuris in Ecclesia, dixi nonnulla in opere *De codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. XIII, dicamque alia inferius. Gestari autem thuribulum in processione jam olim consuevisse, docet S. Gregorius Turonensis in *Vitis Patrum*, ubi agit de S. Lupicino : « Dispositis in itinere Psal- » lentium turmis cum crucibus, cereis, atque » odore fragrantis thymiamatis. »

II. Quod spectat ritum processionis in deportatione sacrarum reliquiarum in ecclesiam dedicandam, præclarissima exstant de ea re testimonia in antiquis Pontificalibus libris, inter quos vetus Ordo Romanus, post benedictam variam ecclesiæ supellectilem et peractam bapti-

Digitized by Google

sterii dedicationem, ita inquit : « Deinde vadant » ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte » cum vigiliis fuerunt, et ibi mutet Pontifex, si » voluerit, vestimenta sua, et præparet se ad » Missam vestimentis aliis solemnibus. Deinde » redeat ad ostium ecclesiæ, ubi Litaniæ vel » Laudes circa feretrum celebrantur, et dicat » præ foribus hanc Orationem, signans ostium » ecclesiæ : *Deus, qui sacrandorum tibi auctor » es munerum, effunde super hanc orationis do- » mum benedictionem tuam, ut ab omnibus hic » invocantibus nomen tuum, defensionis tuæ » auxilium sentiatur. Per.* »

III. Pergit mox præfatus Ordo Romanus, multaque dicit quibus ritus in hac Rubrica nostra descriptus quam maxime illustratur : « Et » tunc, ait, portantes feretrum magno honore » cum reliquiis simul et crucibus, et luminari- » bus, circumeant ecclesiam, sequente Clero » has Antiphonas vel Responsoria psallendo, et » populo cum mulieribus et parvulis *Kyrie, » eleison* decantante. Antiphona : *Ambulate, » Sancti Dei, ad locum destinatum, qui vobis » præparatus est ab origine mundi.* Antiphona : *Plateæ Jerusalem gaudebunt, et omnes vi- » cini ejus canticum lætitiæ dicent.* Antiphona : » *Custodit Dominus animas Sanctorum suorum, » de manu peccatoris liberabit eas. Lux orta est » justis, et rectis corde lætitia.* Antiphona : *In » sanctis gloriosus es, Deus noster, quis similis » tibi ? Sanctimonium tuum, Domine, quod » præparaverunt manus tuæ, Domine, Domine, » qui regnas in æternum, et in sæculum, et ad- » huc.* Antiphona : *Ambulate, Sancti Dei, in- » gredimini in civitatem Domini, ædificata est » enim vobis ecclesia nova, ubi populus adorare » debeat majestatem Domini.* Antiphona : *San- » ctificavi Jerusalem, dicit Dominus, et dabo » Sanctis meis regnum, et tabernaculum ele- » ctum, quæ præparavi in odorem unguenti. » Alleluia, alleluia.* Responsorium : *Sancti tui, » Domine.* Versus : *Quoniam percussit petram.* » Responsorium : *Tradiderunt corpora sua.* » Versus : *Isti sunt qui venerunt.* Responso- » rium : *Sancti mei.* Versus : *Venite, benedicti.* » Responsorium : *Exultabunt Sancti.* Versus : » *Epulentur.* Responsorium : *Fulgebunt Justi.* » Versus : *Justi autem.* »

IV. Hasce vel similes Antiphonas legere est in aliis libris Pontificalibus, quos longum esset hic recensere ; pro varietate etenim Ecclesiarum, non modo variæ Antiphonæ dicebantur, sed etiam varii ritus servati fuerunt. Certe de ipsa translatione reliquiarum, ac de memoratis Antiphonis in ea occasione dici solitis, præclarissimum est Remigii monachi Antissiodorensis testimonium in celebri illo tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, capite VIII, in quo inter alia et hæc habet : « Eleventur autem cum magno ho- » nore et cantibus divinis, quia ministri illi, » qui animarum ductores et rectores sunt, valde » congaudent eorum dignitati, quod vident in » supernis sibi conjungi. Cantant autem : *Am- » bulate, Sancti Dei, ingredimini in civitatem » Domini*, id est in cœlestem Jerusalem. Unde » dicit Apostolus : *Quæ autem sursum est Jeru- » salem, libera est, quæ est mater nostra.* Quod » autem subsequuntur : *Ædificata est vobis » ecclesia nova;* ipsa est eademque Ecclesia, » quæ et civitas, quam Apostolus Ecclesiam pri- » mitivam nominat. Cantantur etiam diversæ » Antiphonæ eidem sensui congruentes, tripu- » dium scilicet, et exultationem imitantes ange- » licarum Virtutum, quæ exeuntes de corpore, » comitantur usquequo pro meritis sibi in de- » bitis mansionibus recipiantur, etc. »

V. Denique ex Rabano Mauro episcopo Moguntino, qui sæculo IX floruit, plura addiscere licet circa deportationem sacrarum reliquiarum in ecclesiam dedicandam, ac ritus in ipsa solemni deportatione in sua saltem ecclesia aliquando servatos. Is itaque, lib. II *De institutione Clericorum*, cap. XLV, docet primo ritum ipsum, ut sacræ reliquiæ de tentorio ad basilicam per Sacerdotes deferrentur, a veteri quidem Testamento suam originem ducere : « Quod in tem- » pore dedicationis, inquit, multitudine undique » convocata, feretrum cum reliquiis Sanctorum » per Sacerdotes de tentorio ad templum defer- » tur, quid aliud intimat quam quod liber *Pa- » ralipomenon* narrat, quod venerunt omnes » viri Israel ad regem Salomonem in die so- » lemni, et portaverunt Levitæ arcam fœderis » Domini cum omni apparatu tabernaculi, et » intulerunt eam Sacerdotes in locum suum, » id est ad oraculum templi in Sancta sancto- » rum ? » Habes hoc testimonium lib. II *Paralipomenon*, cap. V. Docet autem secundo memoratus auctor, antequam Pontifex ecclesiam ingrederetur, simul cum Sacerdotibus feretrum

Digitized by Google

sacrum portantibus, et omni Clero ac populo laudes et litanias canendo, ter ipsam ecclesiam circuisse; ut nimirum significaret, in adventu Domini et Sanctorum ejus, qui fit per invocationem nominis ejus, sicut ipse dixit, Matthæi cap. XVIII : *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum*, omnem superbiam et virtutem diaboli, si qua in domo latitaverat, corruere et dissipari. Id quod etiam probat ex cap. VI libri *Josue*, ubi legimus quod Sacerdotes et Levitæ, atque universus Israel simul cum arca Domini circumierint urbem Jericho, et Sacerdotibus clangentibus buccinis, et conclamante universo populo, subito corruerint muri civitatis : « Quod utique significat, ut in» quit Rabanus, ad vocem prædicationis et lau» dis Domini, post Salvatoris adventum, super» biam mundanam corruisse, et regnum diaboli » destructum esse. »

VI. Apud Ughellum, tomo V *Italiæ sacræ*, editionis Venetæ pag. 807, ubi agit de episcopis Veronensibus, refertur ex pervetusta quadam memoria et schedula modus ac ritus quo ecclesiam Sancti-Juliani de Lepida, seu Lepia, in districtu Veronensi, anno Christi 1186, Urbanus III Pontifex Maximus consecravit, præsentibus et cooperantibus multis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis; in ea siquidem dedicatione Jonathas Concordiensis antistes, et Aldemarus Xantonensis episcopus « venerunt » ad pavionem (id est papilionem, seu tento» rium) ubi erant reliquiæ B. Mariæ Virginis, » et S. Juliani, et multorum aliorum Sancto» rum, et portaverunt prædictas reliquias cum » magna reverentia ad supradictam ecclesiam. » Ubi nota delatas fuisse in ea dedicatione sacras reliquias ab ipsis Episcopis. Id quod et aliis plurimis exemplis comprobari posset, quæ legere est apud S. Gregorium Turonensem in sua *Historia*, et apud Bollandianos in *Vitis Sanctorum;* ubi scilicet plures Episcopi consecrationi aderant; nam alias ex manuscripto Pontificali Barensi et aliis plurimis, Presbyteri reliquias portabant « cum honore et laudibus, cum cruce, » et thuribulis, ac luminaribus, etc. » Ex manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, etiam Presbyteri sacrum feretrum gestabant, uti in Appendice videre est. Juxta ritum Græcorum, ut *Euchologium* docet in Ordine et Officio in dedicatione templi, Pontifex ipse « cum » sancto Disco reliquias super caput elevat, et » præcedentibus Sacerdotibus, Pontificibus, » Clero et populo progrediuntur, modulumque » dicunt Cantores, etc. » Cur in sacro Disco repositas capite supposito deportet Pontifex reliquias, dicemus infra in Appendice, in Notis ad ipsum Ordinem.

VII. Nefas tandem esset ea silentio præterire quæ de hoc nostro præsenti ritu legitur in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*. Præscribit enim ut finita ea Oratione, *Fac nos, Domine, Sanctorum tuorum, etc.*, ad finem § XLIII recitata, eleventur sacræ reliquiæ cum feretro, et cum magno honore cum crucibus, et thuribulis, et candelabris, multisque luminaribus. Ubi nota ritum hunc esse omnino antiquum, licet in codice Ratoldi nulla mentio luminarium fiat, et in Ordine antiquo Romano nihil de thuribulis habeatur. Certe præclarissimam pompam in inferendis in sacram basilicam Sanctorum reliquiis videre est apud S. Gregorium Turonensem, in libro *De gloria Confessorum*, cap. XX : « Regressique, inquit, ad basilicam, sanctas ejus » reliquias cum Saturnini Julianique Martyrum, » vel etiam B. Illidii, exinde solemniter radian» tibus cereis crucibusque admovimus. » Notandum hic quod observat Hugo Menardus : primo, agi in eo loco de oratorii dedicatione; secundo, non solum cereos, sed etiam cruces radiantes appellari. Nam olim, in publicis processionibus, ipsis crucibus cerei accensi imponebantur, ut clarum est ex eodem Gregorii libro laudato, cap. LXXIX : « Accensisque super cruces cereis » atque ceroferalibus, dant voces in canticis, cir» cumeunt urbem cum vicis. » Idque ex institutione S. Joannis Chrysostomi, teste Socrate, libro VI *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. VIII, ubi ita inquit : « Cruces enim argenteæ excogitatæ » sunt ab eo, quibus lucernæ cereæ imponeban» tur. » Porro nec omittendum, ex laudato *Sacramentorum* libro *sancti Gregorii Papæ*, dum elevantur sacræ reliquiæ, præscribi quidem ut hæ Antiphonæ decantentur : I. *Ambulate, Sancti Dei*. II. *De Hierusalem*. III. *Ecce populus*. IV. *Cum jucunditate*.

Digitized by Google

§ XLV.

Quo facto, Pontifex, sedens cum mitra in faldistorio, ante fores ecclesiæ ad id parato, brevi sermone populum alloquitur : *Quanta, Fratres charissimi, ecclesiis et Deo dicatis locis habenda sit reverentia, canones, et leges, et universalis religiosus fidelium cultus declarat. Nullibi enim quam in sacris basilicis Domino offerri sacrificium debet. Præcipiente siquidem Domino per Moysen, tabernaculum cum mensa, atque altari, et æreis vasis, utensilibusque consecratum est ad divinum cultum explendum : ipsum quoque tabernaculum non solum sacrasse, sed oleo quoque linivisse legimus. In ipso autem tabernaculo non alii quam sancti Sacerdotes et Levitæ vestibus sacris ornati sacramenta tractabant, et pro populo oblationes offerebant. Postmodum tam reges Hebræorum suum templum, quam Romani Christiani principes basilicas a se constructas summa in veneratione habuerunt; immunesque ab omni vulgari strepitu et negotio esse voluerunt, ut domus orationis ad aliud nullum commercium atque usum accommodaretur. Eamque privilegii et immunitatis prærogativam habere voluerunt, ut si quis temerarie sacrilegas manus apposuisset, gravissimis suppliciis afficeretur. Non enim justum visum est domum Dei altissimi temerariis præsumptionibus expositam esse, nec latronum, juxta verbum veritatis, speluncam esse. Locus est salutis, portus naufragantibus, ad quem de tempestatibus anchora jacitur. Hanc beneficia petituri adeunt, et justæ eorum preces exaudiuntur. Capitalium criminum rei ad hanc fugientes, impunitatem facti, implorantibus Sacerdotibus, accipiunt. Magna ergo veneratione sacratas Domino basilicas adeatis, Fratres charissimi, mundique facinoribus Domino oblationes cordis vestri offeratis. De quibus basilicis hæc una est, cui N. et N. Summi Pontifices privilegia concesserunt, quam vos ædificari fecistis* (vel *N. ædificari fecit*), *et nobis humiliter supplicastis* (vel *supplicavit*) *ut eam consecrare dignaremur. Nos autem vestris* (vel *suis*) *honestis supplicationibus inclinati, eam in honorem omnipotentis Dei, B. Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, ac memoriam sancti N. dedicamus, et in ejus altari reliquias sanctorum N. et N., Deo propitio, poni decrevimus, et in altari N.* (vel *in loco N.*) *sunt Corpora* (vel *reliquiæ*) *sanctorum N. et N. quæ* (vel *quas*) *qui devote visitaverit, indulgentiam N. per N. concessam obtinebit. Vos insuper moneo, Fratres charissimi, ut decimas, quæ sunt divina tributa, integre ecclesiis et Sacerdotibus persolvatis. Has sibi Dominus ad universalis dominii signum reservavit. Audite sanctum Augustinum :* Decimæ tributa sunt egentium animarum. Quod si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse? De militia, de negotio, de artificio redde decimas. Cum enim decimas dando, et terrena, et cœlestia possis præmia promereri, quare pro

Digitized by Google

avaritia duplici benedictione defraudaris? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi quod non vis dare Sacerdoti; et hoc tollit fiscus quod non accipit Christus. « Re- » vertimini ad me, inquit Dominus apud Prophetam, et revertar ad vos. Et dixistis : » In quo revertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis : In » quo configimus te? In decimis et in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, » et me vos configitis, gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus » in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus. Si non aperuero vobis » cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, et incre- » pabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ : nec erit » sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes » gentes : eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. » *Evitanda est itaque Domini indignatio, solvendæ decimæ, et tributa divina persolvenda; nec pro temporali commodo amittenda sunt secutura bona, quæ exspectantur. Memores ergo hæc accipite, Fratres charissimi, et intellecta pro desiderio complete, ut æterna pro temporalibus accipere beneficia mereamini.*

COMMENTARIUS.

I. Ordine antiquo Romano, Pontificali codice manuscripto B. Mariæ Remensis annorum octingentorum ac aliis plerisque cautum est ut, postquam Episcopus cum sacrosanctis reliquiis circuit ecclesiam, « cum redierit iterum ad » ostium ecclesiæ, facto silentio, habeat verbum » ad populum de honore Ecclesiastico, et de » decimis, et de dedicatione; » sive, ut ait laudatus Ordo Romanus, et Pontificale Barense, Apamiense atque Constantinopolitanum : « ac » de anniversaria ipsius ecclesiæ dedicatione. » Addunt hi etiam libri Pontificales, ut Episcopus « annuntiet tam Clero quam populo, in cujus » honore constructa et dedicata sit ecclesia. » Sermonis habiti ad populum a S. R. E. cardinali Jordano de Fossa-Nova post asportatas a papilionibus reliquias in ecclesiam Sanctæ-Mariæ Fluminis dedicandam, meminit quidem manuscriptum Ceccani *Chronicon* apud Ughellum, tom. VII *Italiæ sacræ,* ubi agit de Episcopis Ferentinis : « Euntes ad papiliones tulerunt » inde reliquias, et portaverunt eas in ecclesia » Sanctæ-Mariæ, precibus omnium Episcopo- » rum. Dominus Cardinalis locutus est tam » bene et tam subtiliter, quod omnes, qui heri » et nudius tertius eum agnoverant, incredibili » admiratione mirati sunt. » Sane prolixum hunc sermonem in § præsenti descriptum in nullo adhuc legi Pontificali, præter edita vel longe ante Clementem VIII, et manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi quod in Vaticana Bibliotheca asservatur.

II. Illud quidem constat, conflatum esse hunc sermonem ex variis divinæ Scripturæ locis, et sacris canonibus quos legere est in Decreto Gratiani, ut mox ostendemus. Ait autem in eo sermone Episcopus, primo, ecclesiis et Deo dicatis locis quanta habenda sit reverentia, canones, et leges, et universalem religiosum fidelium cultum declarare : nullibi enim quam in sacris basilicis Domino offerri sacrificium debet. Quod quidem patet ex canone X et aliis, *De consecratione*, distinctione I, in qua etiam canon I, Felici IV Pontifici Maximo adscriptus, ea docet quæ ad initium hujus sermonis habentur.

III. Ait secundo Episcopus tam reges Hebræorum suum templum, quam Romanos Christianos principes basilicas a se constructas summa in veneratione habuisse, immunesque ab omni vulgari strepitu et negotio esse voluisse, ut domus orationis ad aliud nullum commercium atque usum accommodaretur. De Hebræorum regibus multa exstant ea de re in veteri Testamento loca. Quod Christianos spectat principes, constat ipsos, cum domum Dei ingrediebantur, hanc isti loco reverentiam exhi-

Digitized by Google

buisse, ut non solum arma sua et stipatores foris relinquerent, sed ipsum quoque diadema deponerent, minime se decere existimantes cum regali ornatu in conspectu Regis regum prodire, vel videri armis et custodibus corporis indigere sub pacato Principis pacis tecto constitutos.

IV. Luculentissimi hujus consuetudinis testes profecto sunt S. Joannes Chrysostomus et Theodosius Junior imperator, qui ex ipsa argumentum sumunt improbandi ac tollendi quorumdam abusus, qui in ecclesiam cum armis suis confugiebant : « Imperator locum ingressurus, scutum, parmam aut clypeum a se » projicit; contra, tu ingressurus, fustes arripis » et clavos? Ille tesseras imperii foris dimittit, » tu tesseras bellicæ impressionis huc intulisti?» Verba sunt memorati Chrysostomi in celebri sua *Oratione* post reditum ab exsilio. Theodosius autem in quodam edicto, quod exstat in calce Concilii Ephesini apud Labbæum, tomo III *Conciliorum*, pag. 1751 et seqq. editionis Venetæ, ita inquit : « Ferrea autem vel alterius generis » arma ad defensionem comparata ne confu» gientes habeant, neve intra sanctam ecclesiam » inferant omnino prohibemus. » Et paulo post : « Etenim fas non est sanctissimis templis aliisve » ecclesiæ locis, ex nimia sollicitudine, discor» diæ ac bellorum materiam inferre. Sufficiat » profugis istis Dei auxilium, cui et arma, et » leges, et ipsa etiam regia majestas subjecta » est. » Tum illo argumento utitur : « Nam et » nos, qui semper jure imperii armis circum» damur, quosque sine armatis stipatoribus esse » non convenit, Dei templum ingressuri, foris » arma relinquimus, et ipsum etiam diadema » deponimus; et quo submissioris imperii spe» ciem præferimus, eo magis imperii nobis » majestas promittitur. »

V. Eamdem consuetudinem posterioribus etiam sæculis servatam, testatur Leo Grammaticus in Vita Michaelis imperatoris, ubi tanquam rem insolentem indecentemque in ipso observat quod, cum veniret ad portas regias, coronam haud deponeret suam, quemadmodum imperatores facere tunc soliti essent : « Ad re» gias autem usque portas progressus impera» tor, diadema, prout imperatores solent, non » deposuit, sed ad sanctas usque fores cum eo » penetravit. » Portæ regiæ per allusionem ad nomen basilicæ dictæ videntur, ut quæ regium Dei palatium, domum ac templum ejus denotent : quanquam forte alia ratio huic appellationi inter recentiores Græcos adsignari potest, qui portam regiam vocaverint, quod reges ipsorum coronam suam hic deponere solerent, antequam ulterius in ecclesiam progrederentur. Id quod non obscure indicat laudatus Leonis Grammatici locus in Vita Michaelis imperatoris. Cæterum Julianus ipse, Christianæ religionis desertor, consuetudinis illius rationem habuit, quemadmodum Sozomenus, lib. V *Historiæ*, cap. XVI, ex Epistola ipsius ad Arsacium Pontificem Galatiæ data recte observat; ubi inter cætera, in quibus gentiles suos Christianos imitari cupit, hoc est, ut cum templa deorum adierint, nullus apparitorum cum armis eos præcedat : « Cum templa, inquit, deorum ad» ierint, intra vestibulum duntaxat occurrat » flamen : intrantes vero nullus apparitorum » præcedat, etc. »

VI. Movere quidem ad cultum templis exhibendum potissimum debent paganorum et infidelium exempla, ut bene notat Roterus, zelantissimus inquisitor Tholosanus, in egregia ac acri *Oratione contra deambulantes ac obloquentes in ecclesia*, parerg. II, num. LXXXII, qui circa idola lignea ac lapidea summa ducuntur veneratione. Mahumetani siquidem ipsi ita delubra sua venerantur, ut non modo criminis sit quædam inibi negotia pertractare, sed nec tussitare aut expuere liceat; unde et ea nudis omnino plantis discoopertoque capite ingrediuntur : ex quo non irrationabiliter inferre possumus cum laudato erudito theologo Rotero de Ecclesia Tholosana, ob obsequia ei præstita, dum Lutheri et Calvini hæresis grassaretur, optime merito, tot tantasque victorias quas Turcæ de Christianis, in hoc potissimum anno 1738 quo hæc scribimus, reportarunt, venerationi ab ipsis in mosquæis exhibitæ tribuendas esse, æquumque esse ut qui nomine Christiano insigniti locis sacris tantam injuriam inferunt, eisdem spolientur a Barbaris; qui, quamvis infideles, propria templa egregie colunt, sacrumque Dei nomen, quod jugiter a fidelibus plurimis blasphematur, non nisi inclinato capite pronuntiant.

VII. Quoniam autem de cultu sacris templis exhibendo sermo incidit, profecto exigit loci sacri reverentia ut studiose invigilent omnes præ-

Digitized by Google

positi ne canes ecclesiam ingrediantur: hoc enim valde indecorum est, et cultui ecclesiæ debito repugnat quam maxime; tum quia, teste Josepho, si qui canes per templum Hierosolymitanum transirent, omnes omnino occidebantur; tum quia nec schismatici, nec ipsi Turcæ oblationes aut preces ullas faciunt, si adsint hujusmodi bestiæ; tum quia sacra Scriptura ex Christi ore apud Matthæum, capite xv, dicens: *Nolite Sanctum dare canibus*, variorum criminum, ac etiam principaliorum, qualia sunt hæresis, schisma, idololatria, impudicitia, vindicta, et his similia, horrorem fidelibus incutere volens, eadem canibus ut pote furibundis ac immundis animalibus comparat; tum quia S. Joannes in Apocalypsi, cap. xxii, loquens de templo cœlesti, cujus symbolum templum terrenum est, aperte inquit: *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* Sunt etenim omnes isti, et divinæ Majestati, et locis ejus sacris injuriosi. His adde quod, cum certum sit multa indecora ac etiam inhonesta, ex quibus non minima mala ut plurimum eveniunt, per hæc animalia fieri; constetque insuper canum latratibus ac strepitu, et præsentium preces, et ipsius Sacerdotis oblationem offerentis animum perturbari; haud dubie nemo pius has immunditias et spurcitias in ecclesia grato feret animo; eo vel maxime quod nullus, ne rusticanus quidem in tugurio suo admitteret.

VIII. Deplorant hunc quidem abusum non modo Episcopi in suis Conciliis, sed et varii scriptores sacri, inter quos Tobias Corona barnabita in opere *De sacris templis*, parte i, cap. xxxvii, et eruditus Jacobus Lafon dominicanus, pag. 437 et 438, ubi explicat doctrinam moralem de sacramentis, ita demum concludens: « Non ferenda ergo quorumdam nobilium » prava consuetudo, qui, canum venaticorum » multitudine circumdati, templum Domini, » sacrum, vel divina Officia audituri, audaci » supercilio ingrediuntur; quasi vero ecclesia » non sacer locus, aut terra sancta, sed stabu» lum habenda foret. » Tum auctor Gallus pravos quorumdam Gallorum mores suggillans, ita inquit: « His annumeres, si lubeat, domi» cellas illas quæ, quadam fascinatione obcæ» catæ, catellos quosdam, quos et Melitanos » vocant, inter brachia ad sanctuarium usque » impudenter deferunt; quibus totaliter intentæ, » de audiendo sacro cum debita attentione mi» nime curant. » Idipsum et nos de Italis nostris dicere possumus, quippe qui coacti non semel fuimus e confessionali sede surgere, catulosque una cum dominis suis ab ecclesia ejicere.

IX. Si veteres Ecclesiæ Græcæ abusus inspiciamus, dici nequit quanta injuria sacra templa afficerent; unde coacta fuit vi Synodus canone lxxvi edicere: « Quod non oportet intra sacros » ambitus cauponariam officinam, vel ciborum » species proponere, vel alias venditiones fa» cere. » Qui abusus cum et in Ecclesias Occidentales serperent, Concilium Lugdunense sub Gregorio X celebratum, in cap. ii *De immunitate Ecclesiæ*, in vi, sequentia edixit: « Cessent » in locis illis universitatum et societatum qua» rumlibet concilia, conciones et publica parla» menta. Cessent vana, et multo fortius fœda et » profana colloquia. Cessent confabulationes » quælibet. Sint postremo quæcumque alia quæ » divinum possunt turbare Officium, aut oculos » divinæ Majestatis offendere, ab ipsis prorsus » extranea: ne ubi peccatorum est venia postu» landa, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in eccle» siis earumque cœmeteriis negotiationes, et » præcipue nundinarum ac fori cujuscumque » tumultus; omnis in eis sæcularium judicio» rum strepitus conquiescat; nulla inibi causa » per laicos maxime criminalis agitetur. Sint » loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. » Similia et aliæ Synodi statuere, itemque Romani Christiani imperatores in codice *De sacrosanctis ecclesiis*. Quod mirum videri non debet, cum jam olim a senatu Romano superstitioni adhuc addicto Fabius et Gaius dignitatibus exuti legantur apud Valerium Maximum, lib. i, cap. i, exemplo ix, eo quod in templo aliqua negotia tractassent.

X. Ait, tertio, in Concione sua Episcopus, ipsos Hebræorum reges Christianosque Romanos imperatores eam privilegii et immunitatis prærogativam sacra templa habere voluisse, « ut si » quis temerarie sacrilegas manus apposuisset, » gravissimis suppliciis afficeretur. » Sacrilegi varii generis sunt apud theologos et canonici juris consultos; eo nomine appellitantur raptores rerum Ecclesiasticarum. De jure civili pœna rapinæ vel furti sacrilegi, pro qualitate ac quan-

Digitized by Google

titate rei, ac modo rapiendi, quandoque damnatio ad bestias vel in metallum, aut deportatio fuit. L. *Sacrilegii* VI ff. *Ad legem Juliam peculatus*. De jure canonico variæ adversus hujusmodi sacrilegos, qui res ecclesiæ furantur hominesque ad sacras ædes confugientes extrahunt, statutæ sunt pœnæ, quas legere est in *Decreto* Gratiani, causa XVII, quæstione IV, et in *Decretalium* libris, III, tit. XLIX, et V, tit. XVII. Jure ipso canonico sacrilegi sunt non modo qui rem sacram e loco sacro, sed etiam qui non sacram e sacro loco, vel sacram de loco non sacro, dolo auferunt, ut passim doctores tradunt; licet jure civili, in re non sacra quamvis e loco sacro subtracta, sacrilegium non admittatur, sed furtum.

XI. Inquit, quarto, episcopus esse ecclesiam locum salutis, portum naufragantibus, ad quem de tempestatibus anchora jacitur. Variis hujusmodi elogiis sancti Ecclesiæ Patres ac sacri Conciliorum canones Ecclesiam Dei exornaverunt. S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* LI *in Joannem*, comparat templum pharmacopolio, ubi omnis generis pharmaca asservantur; quia scilicet contra peccata remedia præscribuntur et applicantur. De publicano legimus in Evangelio sancti Lucæ, cap. XVIII, quod in templo orans justificatus est. Plura id genus exempla occurrunt in Historia Ecclesiastica, et apud Surium in *Vitis Sanctorum*. Si usquam itaque abstinendum est a peccato, maxime in ecclesia abstinendum est. Sunt tamen plerique Christi fideles, eo nomine prorsus indigni, qui in ecclesia Dei plus peccant, ubi peccata emendare deberent : « Solerti industria nobis observandum est, » inquiunt Patres Concilii Aquisgranensis, anni 816, canone CXXXII, « ne quid in ecclesia Dei ineptum, » ne quid perversum, ne quid indecens, aut cogitatione, aut verbis, aut actibus perpetremus, » quatenus et conspectu Angelorum digni efficiamur, et Dominus ad nos veniens, non quod » condemnet in nobis, sed potius quod remunere» ret, inveniat. »

XII. Quinto, præterea ait beneficia petituros adire ecclesiam, et justas eorum preces in ea exaudiri. Id quidem non semel testatus est Deus de templo Salomonis, quod umbra erat nostrarum ecclesiarum. Sic enim inquit, libro II *Paralipomenon*, cap. VII : *Audivi orationem tuam, et elegi locum istum in domum sacrificii. Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero, et præcepero locustæ ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum : conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis : et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus qui in loco isto oraverit.* Plurimis id confirmari posset testimoniis sanctorum Patrum, atque exemplis fere innumeris, quibus docemur exaudiri justas preces a Deo, quæ in ejus templo seu domo funduntur.

XIII. Scio nonnullos queri orasse aliquando se in ecclesia, nec unquam fuisse exauditos; verum id inde provenit quod vel male petant, vel quod reverentiam ecclesiis ipsis minime exhibeant. Unde non mirum videri debet si ab ipso minime exaudiamur cum idem Deus apud Ezechielem, cap. VIII, sacrorum templorum profanatoribus ita comminatus sit : *Ergo et ego faciam in furore meo : non parcet oculus meus, nec miserebor : et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Hasce ac similes comminationes inculcant passim populo Christiano sacri oratores, sed sine ullo fructu, in pejora enim quotidie dilabitur : dum non modo ecclesiam domum negotiationis facere non veretur, verum etiam plerique ibidem comptas feminas nutibus, risu ac verbis corrumpere non erubescunt.

XIV. Dicit, septimo, capitalium criminum reos ad ecclesiam fugientes impunitatem facti, implorantibus Sacerdotibus, accipere. Fuit jam olim in more positum ut criminum rei, qui ad ecclesiam confugerent, per intercessionem Episcoporum, veniam, sive misericordiam a principe ejusve magistratu impetrarent. Hinc ubi Osius Cordubensis episcopus in Sardicensi Synodo, cui præerat, can. VII, exposuit Patribus statuendum videri nullum oportere Episcopum ad castra accedere, præter eos quos prius imperator litteris suis accersisset, ita subjungit : « Sed » quia sæpe contingit aliquos, qui egent mise» ricordia, ad ecclesiam confugere, qui propter » sua peccata, vel relegatione, vel in insulam » deportatione damnati, vel quavis alia senten» tia addicti sunt; iis non esse negandum auxi-

Digitized by Google

» lium, sed sine cunctatione et dubitatione iis » veniam esse petendam. » Addit placuisse omnibus hanc Osii sententiam, et respondisse : « Decernatur et hoc. »

XV. Liquet ex recitato Sardicensi canone, interventionis hujus officium iis fuisse impensum qui, pro obtinenda misericordia, ad ecclesiam sive ad Episcopos confugiebant. Cum autem Ecclesia non mortem peccatoris desideret, sed magis ut convertatur et vivat, iis olim ipsum interventionis officium curavit impendere, qui vitæ emendationem veramque conversionem promittebant. Id non obscure nos docent Epistolæ Macedonii ad Augustinum, et Augustini ad Macedonium; idque luculenter demonstrant Epistolæ S. Ambrosii, ex quibus constat ipsum non modo pro reis intercessisse, sed sua intercessione plurimos non solum de exsiliis et carceribus, sed et de mortis pœna liberasse, uti ipsemet scribit in Epistola XLI ad Theodosium. Ubi nota, quod in ipsa Epistola observant eruditi novissimæ editionis horum operum revisores, Episcoporum officium esse ut pro miseris imperatores conveniant. Sunt Romæ insignes quædam ac piæ Sodalitates quæ hanc a Summis Pontificibus obtinuerunt facultatem, ut possint quotannis unum neci addictum liberare. Illustrissima Sancti-Hieronymi Charitatis Archiconfraternitas singulos in annos unum triremibus per totam vitam damnatum liberat, ipsumque e carcere solutum ad suam Sancti-Hieronymi ecclesiam, pallio sericeo viridis coloris indutum, ac laureum sertum in capite gestantem ducit, ubi genibus flexis ardentemque cereum in manu tenens Missam audit, eaque finita, juliis decem ac assibus quinque donatus, liber dimittitur.

XVI. Quod vero juxta veterem disciplinam pro iis maxime Episcopi intercederent qui ad ecclesias confugiebant, constat etiam ex Concilio Arausicano I anni 441, can. v. : « Eos, inquit, qui ad ecclesiam confugerint, tradi non » oportere, sed loci reverentia et intercessione » defendi. » Idipsum mandat Concilium Arelatense II anni 452, can. XXX, ubi etiam adjungit : « Ut eos domini sui promissa intercessione exire » persuadeant : quod si ab ecclesia exeuntibus » pœnale aliquid intulerint, ut Ecclesiæ inimici » habeantur excommunes. » Porro quibus Epicoporum vel Ecclesiæ intercessione, culpæ aut criminis venia a judicibus, aut, si servi essent, a dominis concedebatur, illis canonica ab Ecclesia imponebatur pœnitentia, quam illi obituros sese ultro spondebant, veniam alias minime consecuturi; uti colligitur ex Concilio Remensi, quod Sennatius Remensium antistes anno 625, una cum aliis quadraginta et supra Episcopis, teste Flodoardo, celebravit. Canone siquidem VII ita statuit : « Ille qui sanctæ Ecclesiæ beneficiis » liberatur a morte, non prius aggrediendi ac» cipiat libertatem, quam pœnitentiam se pro » scelere esse facturum promittat, et quod ipsi » canonice imponetur impleturum. » Hoc hodie exoptandum ut qui Romæ et alibi addicti morti vel triremibus, intercessione piarum Sodalitatum liberantur, ad aliquam subeundam pœnitentiam cogerentur. Plerique enim a morte et a triremibus liberati, iterum ad sua relapsi scelera, suspensi furcis turpissimam mortem oppetierunt.

XVII. Sed hisce obiter dictis, celebris inter Ecclesiasticos ac politicos homines solet hodieque præsertim agitari quæstio, an localis, ut aiunt, sive ecclesiæ immunitas sit de jure divino, an vero ex indulgentia principum. Verum quicquid politici de hac re sentiant, sequor communem fere illorum opinionem qui ipsam sacrarum ædium immunitatem esse de jure divino docent apud virum clarissimum Anastasium Germonium, libro III *De sacrorum immunitatibus*, cap. XVI. Cum enim ex oraculo Christi Domini in Evangelio Matthæi, cap. XXI, ecclesia sit domus ipsius Christi; et constituta sint templa ut in his colatur Deus, *Domus mea domus orationis vocabitur;* jam nemini licere videtur ibidem aliquid violentiæ perpetrare ; quod procul dubio fieret, si quis ad ecclesiam confugiens, vi inde extraheretur. Varia id genus argumenta videri possunt apud laudatum Germonium, qui etiam in suo egregio opere innumera pene affert sanctorum Patrum testimonia, Conciliorum decreta, Summorum Pontificum constitutiones, atque imperatorum sanctiones ad hanc nostram constabiliendam et corroborandam sententiam, quam alii passim sequuntur.

XVIII. Longum esset hæc omnia hic recensere; non videntur tamen omitti quædam veterum Patrum ac sanctorum Antistitum exempla. De S. Basilio archiepiscopo Cæsariensi narrat in ejus *Oratione* S. Gregorius Nazianzenus, quod

Digitized by Google

cum mulieri cuidam amplissimo loco natæ judicis cujusdam assessor vim afferret, invitamque ad nuptias pertraheret, suum mulieri ad sacram ædem confugienti patrocinium præstiterit. Verba Gregorii hæc sunt : « Quid igitur... faciendum » fuit, non dico Magno Basilio, ac de his rebus » leges aliis constituenti, sed alii cuipiam longe » illo inferiori, dum tamen Sacerdoti ? quid » aliud? nisi eam assereret, retineret, omni cura » tueretur, Dei clementiæ, et legi, quæ altari- » bus honorem haberi jubet, manum porrigeret, » omnia denique prius faceret et pateretur, » quam ut inhumanius ullum adversus eam » consilium iniret, sicque et mensam sacrosan- » ctam, et fidem etiam illam, cum qua suppli- » cabat, contumelia afficeret. » Ubi nota illa præsertim Gregorii verba, Deum jubere altaribus honorem haberi, ut scilicet ad ipsa confugientes immunes sint.

XIX. Asylum altaris indicat etiam S. Ambrosius in Epistola XXXIII, dum ita scribit : « Vultis » me in vincula rapere, vultis in mortem ? Vo- » luptati est mihi. Non ego me vallabo circum- » fusione populorum, nec altaria tenebo vitam » obsecrans, sed et pro altaribus gratius immo- » labor. » Si veræ sunt S. Augustini Epistolæ perbreves, quæ in Appendice ipsius Epistolarum exstant, profecto ex VI et VII constat Bonifacium domesticorum et Africæ comitem, genere Thracem, ac bellicis artibus præclarum, privatum fuisse ab Augustino communione Ecclesiæ, quod hominem quemdam morte dignissimum confugientem ad ecclesiam inde abstrahi jussisset; eumdemque magna humilitate veniam implorantem, hominem illæsum confestim restituisse. Ex quibus addiscimus quanta observantia principes atque præfecti provinciarum olim coluerint sanctos Antistites et loca sacra; ac præterea quanto zelo ipsi Ecclesiarum Præsules ac animi fortitudine imperatoribus ac regibus semper restiterint, ubi aliquid contra sacrarum ædium immunitatem attentarent. Sed de his fuse disserit in suis *Annalibus* cardinalis Cæsar Baronius passim, sicut et de violatoribus divina vindicta punitis.

XX. Enarratis huc usque exemplis, abs re non erit aliud adjungere non quidem Catholici alicujus principis, sed Alarici Gothorum regis Ariani, de quo hæc scribit Procopius lib. VII, capite XXXIX : « Alaricus Gothorum rex Romam » obsidet, turbat, irrumpit, dato tamen prius » præcepto ut si qui in sancta loca, præcipue » in sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ba- » silicas confugissent, hos in primis inviolatos » securosque esse sinerent. Accidit autem quod, » dum Barbari Romanorum deprædantur do- » mos, miles quidam locum sacrum ingressus, » invasit ecclesiæ thesaurum quem ad regem » detulit; sed Alaricus continuo reportari ad » Apostoli basilicam universa imperavit. » Cum itaque rex Arianæ addictus hæresi devastari ecclesias prohibeat, ablatosque templi thesauros illuc reportari mandet, iniquiores merito hæreticis dixerim plerosque exercituum duces qui, licet se Catholicos jactent, ecclesias tamen devastant, ad easque confugientes extrahere non verentur.

XXI. Tandem quod decimas spectat, de quibus prolixa in sua Concione Episcopus loquitur, allatis S. Augustini et divinæ Scripturæ testimoniis, nemo est qui addubitare valeat quin ipsæ Sacerdotibus debeantur. Hugo de Sancto-Victore, lib. I *De sacramentis*, parte II, cap. IV et XI, scribit decimas ante Legem fuisse in consilio, sub Lege vero in præcepto, quasi inferre velit esse jure atque instinctu naturæ hominibus insinuatas, qui scilicet Abel munera, uti habetur *Geneseos* cap. IV, de fructibus terræ et primogenitis gregis sui Domino offerebat. Quod si dicas sermonem ibi de primitiis haberi, non autem de decimis, responderi poterit Abraham ante Legem de omnibus, quæ quinque regibus eripuerat, decimas Melchisedech Sacerdoti dedisse; quod non modo sacer textus in cap. XIV *Geneseos*, sed et Apostolus in Epistola ad Hebræos, cap. VII, de eo loquens, testatur his verbis : *Intuemini autem quantus sit hic cui et decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Jacob quoque cum a patre jussus esset in Mesopotamiam ire, ut ibi uxorem acciperet, easdem vovit, sic dicens cap. XXVIII *Geneseos : Si fuerit Dominus mecum, et custodierit me in via per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

XXII. Ethnicos ipsos suis mendacibus diis deberi decimas censuisse, easque Sacerdotibus

Digitized by Google

religiose persolvisse, fuse ostendit, lib. I *De sacrorum immunitatibus*, cap. XIV, vir apprime eruditus Anastasius Germonius archiepiscopus Tarantasiensis. Testantur quippe Livius, lib. V, et Plutarchus in Lucullo, Romanos decimas plerumque vovisse, votasque exacte reddidisse, adeo ut, cum sorte contingeret voventem decedere antequam voto satisfecisset, ejus hæres voti reus efficeretur : hoc est, ad reddendum quod suus testator vivens voverat, teneretur; uti constat ex Lege II, § ultimo ff. *De pollicitationibus*. Isti igitur, ut scite concludit memoratus Germonius, lib. III, capite XIX, nullo legis præscripto decimas dabant, sed quadam naturali ratione dictante, quæ suadet ut eum, qui tot nobis bona largitus est, in decimis recognoscamus; « Deus enim noster, » ut ait Augustinus, sive alius ejus nomine in nostro hoc § et in canone LXVIII, causa XVI, quæstione I « qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus » est recipere. » Natura siquidem docet aliquid bonorum omnium largitori esse tribuendum; quod et *Ecclesiasticus*, cap. XXXV, et alii divinæ Scripturæ libri, ac SS. Ecclesiæ Patres docent.

XXIII. Etsi autem is sermo in hoc nostro § et in memorato can. LXVIII relatus apud Gratianum, sancti Augustini non sit, uti quidam asserunt, id parum refert, cum constet non modo alios Patres, sed et ipsum Augustinum, idem fere, quod in ipso habetur sermone, in aliis suis libris ac locis docere, quorum quidem meminit eruditissimus Lupus tum alibi, tum in canonem VII quinti Romani Concilii S. Gregorii VII. Audiamus ergo S. Hieronymum in caput III Malachiæ, ubi hæc habet de decimarum solutione : « Quod de decimis primitiisque » diximus, quæ olim dabantur a populo Sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis » intelligite : quibus præceptum est non solum » decimas dare et primitias, sed et vendere » omnia quæ habent, et dare pauperibus, et » sequi Dominum Salvatorem. Quod si facere » nolumus, saltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, et » Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum » deferamus. »

XXIV. Decimas quoque laudat, et ad eas offerendas excitabat apud Græcos populum suum S. Joannes Chrysostomus, ubi *Homilia* V *in Pauli Epistolam ad Ephesios* ait Christianos longe arctius quam Judæos ad eleemosynas obligari : « Nam quid Judæi non faciebant? Decimas et rursum decimas præbebant orphanis, » viduis, proselytis. Sed mihi quidam de quo» piam dicebat : Hic aut ille dat decimas. » Quanto est hoc plenum probro et dedecore, » si quod apud Judæos non habebatur in admi» ratione, hoc apud Christianos factum est ad» mirabile ? Si tunc erat periculum decimas » non relinquere, cogita quantum nunc sit. » Justis hisce ac fortissimis Patrum exhortationibus, non est dubium quin plures ad fructuum suorum decimas Ecclesiæ offerendas moverentur ; atque unus illorum profecto fuit Herminus comes, quem lib. I, epistola CCCXVII, ita laudat Isidorus Pelusiota : « Præclare Dominum ornas, » cum nobis fructuum tuorum primitias tribuis, » decimamque partem ex ubertate terræ tuæ, a » quo eam accepisti, pendis. » Nescio quis pius ac castus apud Ægyptios rusticus fuerit, qui apud Cassianum, *Collatione* XIV, cap. VII, « nunquam de fructibus suis aliquid usurpavit, » nisi prius Deo primitias ac decimas obtulisset.

XXV. Sunt in ea opinione eruditi quidam scriptores, data Ecclesiæ pace per Constantinum imperatorem, suasionibus primum ac adhortationibus cœpisse fideles induci ad decimarum solutionem, deinde vero, consuetudine invalescente, quæ prius voluntaria fuerat, in necessariam solutionem transiisse. Certe primis tribus sæculis, sæviente adhuc imperatorum persecutione in Christianos, decimas nondum solvi solitas, nec inter Ecclesiasticos proventus numeratas fuisse, ex S. Cypriano addiscimus, qui sæculo Christi III floruit. Is siquidem in libro *De unitate Ecclesiæ* inquit : « At nunc de patrimonio nec decimas damus. » Et in Epistola LXVI ad Clerum et populum Furnis consistentem, ostendere volens Sacerdotes per sæcularia negotia ab officio altaris non esse abstrahendos, atque propterea in veteri Lege assignatas fuisse decimas de fructibus terrarum quæ aliis tribubus erant assignatæ, ita subjungit : « Quæ nunc ratio et forma in Clero tenetur, » ut qui in Ecclesia Domini ordinatione Clerica » promoventur, in nullo ab administratione » divina avocentur, nec molestiis et negotiis » sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructi-

Digitized by Google

» bus accipientes, ab altari et sacrificiis non re-
» cedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus et
» spiritu aliis serviant. » Hæc palam innuunt, S. Cypriani tempore, sportulas vicem decimarum subiisse. Unde et ad illa verba Cypriani reflectens vir eruditus Nicolaus Rigaltius scite concludit : « Itaque, ab Apostolis ad usque Cy-
» priani tempora, nulla fuit inter Christiana
» subsidia mentio decimarum. Usitatæ aliquan-
» diu sportulæ. » Nempe, uti observat in ipsum Cypriani locum Pamelius, oblationes quas primævi Christiani Ecclesiæ Ministris faciebant, per Episcopum solitæ erant dividi, sportulisque inclusæ in Clericos distribui.

XXVI. Dicti sunt sportulantes Clerici a sportula, quæ vel in pecunia, vel in quotidiano cibo consistebat; docetque Baronius ad annum LVII, citans ipsam Cypriani Epistolam LXVI, Episcopos singulis mensibus Ecclesiæ Ministris oblationes erogare consuevisse, prout opus esse videbatur, et Clericos, qui ejusmodi menstruam sportulam acciperent, sportulantes vocari. Moris hujus vestigium cernere est hodie in nostris Presbyteris Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, quibus pientissima charitatis Romana Archiconfraternitas menstruam pecuniam elargiri solet, quo sustentari possint, et liberi ab omni temporalium sollicitudine, proximorum saluti, oratione, sacramentorum administratione, et verbi Dei prædicatione strenue incumbere valeant : ubi enim primum in hanc suam ipsorum domum, atque ecclesiam doctori maximo S. Hieronymo dicatam Presbyteros sæculares admisit, eam illis legem præscripsit, ut assidua prædicatione, sacramentorum frequentia, orationis assiduitate aliisque piis exercitationibus Christianum populum enutrirent; eaque ratione unus e primis Congregationis nostræ Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis anno 1548 sanctissimæ Trinitatis Sodalitium, una cum aliis quindecim viris laicis, inter quos præcipuus erat sanctus Philippus Nerius, instituit. Quod quidem constat ex ejusdem Sodalitii libro *Decretorum* latine edito anno 1554, et aliis scriptoribus.

XXVII. Nostram vivendi rationem summis quidem celebrant laudibus duo inter alios scriptores Congregationis Oratorii Sanctæ-Mariæ in Vallicella, Antonius Galionius, et Hieronymus Barnabæus in Vita S. Philippi Nerii apud Bollandianos ad diem XXVI maii, ubi inter alia Barnabæus, cap. IV, post laudatos primos quosdam nostros antiquos Patres vita morumque sanctimonia spectabiles, Bonsignorium Cacciaguerram, Persianum Rosam, Franciscum Marsupinum ac alios, ita statim de eisdem subjungit : « Hi omnes in eadem domo conjunctissime
» vivebant, nullis inter se legibus adstricti, sed
» caritatis vinculo colligati. Neminem sibi præ-
» ficiebant, sed, quod suadet Apostolus (in
» Epistola ad Romanos, cap. XII), caritate fra-
» ternitatis invicem diligentes, honore invicem
» prævenientes, duntaxat temporis ordinem
» servabant, quo se quisque in eam domum
» (Sancti-Hieronymi Caritatis) recepisset. Ad
» hæc, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes,
» Domino servientes, necessitatibus Sanctorum
» communicantes, cœlestem propemodum in
» terris vitam agebant. Mensam haud commu-
» nem habebant, sed necessaria ad vitam sibi-
» met quisque ministrabat. Cætera invicem in
» omnibus rebus certatim aderant, nec suum
» potius quam Dei proximorumque negotium
» agebant. Idem hoc ipsum institutum ibidem
» hodieque servatur magno totius Urbis fructu. »

XXVIII. Certe cura redditiuum assumpta sibi, Charitatis Archiconfraternitas effecit ut usurpare possimus quod in *Apostolorum Actibus*, cap. VI, rejecta temporalium cura, Apostoli ipsi dixerunt : *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Hanc optimam partem reliquit nobis Archiconfraternitas Charitatis; neque enim voluit ut, ad exigendum locationes, per domos cursitaremus, vel ad patrimonium augendum operam nostram impenderemus : *Habentes autem alimenta*, ait Apostolus, *et quibus tegamur, his contenti simus.* Scimus siquidem quod cum ob longam Ecclesiæ pacem Apostolicæ disciplinæ neglectus Clericos potissimum infregisset, et novæ persecutioni adversus Ecclesiam a Decio imperatore excitatæ ansam dedisset, a S. Cypriano in libro *De lapsis*, ita correpti sunt : « Studebant augendo patrimonio
» singuli, et obliti quid credentes, aut sub
» Apostolis ante fecissent, aut semper facere
» deberent, insatiabili cupiditatis ardore, am-
» pliandis facultatibus inhiabant. Non in Sacer-
» dotibus religio devota, non in Ministris fides
» integra, non in operibus misericordia, non in
» moribus disciplina. »

Digitized by Google

XXIX. Ergo vel ex eo nostræ nos illustrissimæ Charitatis Archiconfraternitati obligati plurimum sumus, quod Apostolorum vivendi rationem amplecti nos voluit, videlicet non certo censu, sed ultronea oblatione; hoc enim modo, ut sapientissime observat eruditissimus æque ac religiosissimus Antonius Caracciolus clericus Regularis Theatinus, in *Notis* ad sui Ordinis Constitutiones, parte II, cap. I, § VII, plurima sollicitudinum spinosa seges unico ictu præcisa est; longeque a litibus sumus, et ferre potius nobis intentas scimus quam inferre. Quocirca de nostra sportula ac vivendi ratione dicere non veremur quod Tertullianus de Christiano pallio dixit, cap. V, num. XCVIII : « Nihil foro, » nihil campo, nihil curiæ, nihil officio advi- » gilo, nulla rostra præoccupo, nulla Prætoria » observo, cancellos non adoro, subsellia non » contundo, jura non conturbo, causas non » elatro, non judico, non milito, non regno, » secessi de populo, imo unicum negotium mihi » est, nec aliud nunc curo quam ne curem. » Ita pallium loquens inducit Tertullianus, ita et nos nostram sportulam ac nostram vivendi rationem loquentem inducimus. Cæterum, qui patrimonia ostentant, qui ingens argenti pondus, qui fabricæ molem, qui summas divitias jactant, attendant ad id quod apud varios cœtus prodigiosis Deus experimentis sæpissime declaravit : *Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, uti legitur Psalmo XXXIII.

XXX. Hæc dicta sint in gratiam nostri Instituti, occasione explicationis verborum Epistolæ LXVI S. Cypriani, ubi sportulantium mentio fit; tempus est ut ad decimas, de quibus sermonem instituimus, revertamur. Quamvis autem passim sancti Ecclesiæ Patres sæculi IV ad solvendas decimas populum hortarentur, nullam tamen easdem solvendi necessitatem imposuerunt. Unde Christianus Lupus, tomo V ultimæ editionis Venetæ, in Scholio ad canonem V Concilii Romani, Nicolai II Pontificis, relatis quibusdam S. Joannis Chrysostomi verbis ex *Homilia* V *in Epistolam Pauli ad Ephesios*, ita ait : « Ex quo » vides decimas tunc fuisse duntaxat voluntarias. Eas quippe non unusquisque, sed hic » duntaxat, aut ille dabat, eratque opus admi- » ratione dignum. » Exstat quidem in Appendice tomi V ultimæ editionis sermo S. Augustini *De reddendis decimis*, qui non tantum exhortationem ad offerendas decimas continet, sed et rigidum præceptum non obscure supponit num. III, ubi ita inquit : « Decimæ enim ex » debito requiruntur; et qui eas dare noluerit, » res alienas invasit; et quanti pauperes in locis » ubi ipse habitat, illo decimas non dante, fame » mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus » ante tribunal æterni Judicis apparebit; quia » rem a Domino pauperibus delegatam suis usi- » bus reservavit. » Verum hunc sermonem tanquam Augustino suppositum in Appendicem rejecerunt eruditi Patres Benedictini Congregationis Sancti-Mauri, operum S. Augustini revisores, eique hanc Notam præposuerunt : « In » Appendice nunc primum collocatur. Lova- » nienses dubium reliquerant; rejecit post Ver- » linum Vindingus, ob id maxime quod decimas, » de quibus reddendis hic agitur, intelligere » liceat ex Sermone III in Psalmum CIII, num. IX, » et ex Enarratione Psalmi CXLVI, num. XVI et » XVII, nondum fuisse Augustini ætate Clericis » et Sacerdotibus datas aut assignatas. »

XXXI. Observat hæc eruditus Van-Espen, parte II *Juris universi Ecclesiastici*, tit. XXXIII, cap. I, adjungens, ex memorato crediti Augustini sermone, quem eruditi Cæsario Arelatensi tribuunt, evinci quidem, in quibusdam saltem Latinis Ecclesiis, decimarum solutionem tanquam necessariam et præceptam, fuisse propositam sæculo Ecclesiæ V, sub cujus finem Cæsarius floruit. Certe Matisconensis II Synodus, anno 585 habita, can. V, supponit jam multo tempore populum decimas obtulisse, ubi ita inquit : « Statuimus ac decernimus ut mos » antiquus a fidelibus reparetur, et decimas » Ecclesiasticas famulantibus cæremoniis po- » pulus omnis inferat, quas Sacerdotes in usum » pauperum aut in captivorum redemptionem » prærogantes suis orationibus pacem populo » ac salutem impetrent. » Ubi nota veram impositi præcepti rationem, solvendi scilicet decimas « in usum pauperum aut in captivorum » redemptionem. » Quocirca videant an bene agant Episcopi et Parochi qui redditus hosce Ecclesiasticos in suos, uti domini ac proprietarii, usus convertunt.

XXXII. Longum esset hic innumeros fere canones describere, quos de solvendis decimis sequentium sæculorum Synodi ediderunt. Ex-

Digitized by Google

stant et ea de re variæ Summorum Pontificum Epistolæ Decretales sub titulo *De decimis, primitiis et oblationibus.* Ubi cum obligatio solvendi decimas in jure divino fundata et fidelibus imposita repetatur, factum est ut plerique sacrorum canonum interpretes, Decretalibus hisce Pontificum scrupulosius inhærentes, solutionem decimarum non modo esse ex jure divino crediderint, sed et nonnulli etiam asseruerint hæreticos eos fere esse, qui dicerent decimas etiam sub Lege gratiæ non esse debitas jure divino, sed positivo tantum. Longum hujusmodi canonici juris consultorum agmen affert lib. III *De sacrorum immunitatibus*, cap. XIX, Anastasius Germonius archiepiscopus Tarantasiensis. Sed verior est sententia S. Thomæ II II, quæstione LXXXVII, articulo I, unanimi theologorum et recentiorum juris canonici doctorum calculo propagata, apud Christianos deberi decimas ex constitutione duntaxat Ecclesiastica, non autem jure divino : tum quia præceptum illud in Lege Dei erat tantum cæremoniale, quod una cum aliis id genus præceptis morte Christi sublatum est; tum etiam, quia Christus Dominus nunquam decimas imperasse legitur. Cum enim in Evangelio Matthæi, cap. XXIII, et Lucæ XI, dixit Pharisæo : *Hæc oportuit facere*, id est judicium, misericordiam et fidem, uti ibidem habetur; *et illa non omittere*, nempe solvere decimas; rectissime S. Thomas, in eodem loco observat, ex S. Hilario, Christum usum fuisse verbo illo præteriti temporis, *oportuit*, quod refertur ad legem Mosaicam, sub qua Pharisæus agebat.

XXXIII. Quicquid sit de hac quæstione, an jure divino vel lege Ecclesiastica debeantur decimæ, sunt ipsæ in duplici differentia, personales scilicet et prædiales. Primæ solvuntur ratione personæ, nempe ex lucro negotiationis, venationis, militiæ, vel alterius muneris sive artificii; unde in ipso Sermone S. Augustino tributo legimus : *De militia, de negotio, de artificio redde decimas.* Ad quem Sermonem alludens Cælestinus III in cap. *Non est in potestate*, XXII *De decimis, etc.*, ita inquit : « Re» vera sicut sancti Patres in suis tradiderunt » scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, » pecoribus, hortis, negotiatione ; de ipsa etiam » militia, et venatione, et de omnibus bonis » decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ. » Ubi nota prædiales decimas eas dici quæ ex proventibus prædiorum solvuntur, veluti ex frugibus, feno, vino, fructibus arborum, ex obventionibus molendinorum, locatarum ædium, et similium, uti videri potest in ipso Decretalium titulo *De decimis, etc.*

XXXIV. Sunt qui his tertium genus decimarum interjiciunt, quas mixtas appellant, id est partim prædiales, partim personales, quales sunt quæ ex fructibus pecorum, veluti ex fetu, lana, lacte colliguntur; sed commodius hæ revocantur ad prædiales decimas, ubi animalia in prædiis pascuntur; at si domi porrecto pastu, ad personales referuntur, nisi forte utrinque æque pascerentur; qua specie mixtum genus constituerent; ut scite docet Henricus Canisius in *Summa canonici juris*, lib. II, tit. XXVI, ubi etiam illud advertit esse discriminis inter personales et prædiales decimas, quod in his expensæ seminis, culturæ vel alterius rei non deducantur ex laudato cap. *Non est in potestate*, tit. citato : in illis detrahantur impensæ quæ factæ sunt quærendis, emendis et convehendis rebus; uti liquido constat ex Innocentio III in Epistola ad Heliensem Episcopum in cap. *Pastoralis officii*, et aliis, tit. eodem. Quare in prædialibus decimis id singulare est; cum alioqui fructus minime intelligantur, nisi deductis expensis, quæ quærendorum, colligendorum conservandorumque eorum gratia factæ sunt, ex L. *Si a patre*, XXXIX ff. *De petitione hæreditatis*, L. *Fructus*, ff. *Soluto matrimonio*, et aliis quamplurimis. Longe plura scitu digna dici et hic de decimis possent, quæ tamen infra opportunius dicemus in Commentario ad § XLVII. Qui autem totam decimarum materiam scire desiderat, legere poterit canonici juris interpretes, ubi explicant titulum illum Decretalium qui inscribitur *De decimis, primitiis et oblationibus.*

§ XLVII.

Archidiaconus legit sequentia duo decreta sacrosancti Concilii Tridentini. Primum ex sessione XXII, cap. XI *De reformatione : Si quem Clericorum vel Laico–*

Digitized by Google

rum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura etiam feudalia et emphytheutica, fructus, emolumenta; seu quascumque obventiones, quæ in Ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se, vel per alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona res, jura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione suppositæ personæ pervenerint, ecclesiæ ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiæ Patronus fuerit, etiam jure patronatus ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus vero qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur; et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

COMMENTARIUS.

I. Duo hæc capita, quæ in hoc et sequenti § Archidiaconus ex Concilio Tridentino legit, non exstant quidem in Romanis Pontificalibus ante emendationem Clementis VIII et Urbani VIII editis. Primo hoc capite bonorum cujuscumque ecclesiæ aut pii loci occupatores, etiamsi hi imperiali aut regali dignitate præfulgeant, anathemate percelluntur. Est vetus pœna jam olim a sacris canonibus istiusmodi hominibus inflicta, et in bulla *Cœnæ Domini*, § XVII, renovata, quam tamen non semel quidam pseudochristiani homines contemnere non verentur. Sunt qui sacrilegii istius diripiendi bona Ecclesiastica originem apud Gallos a Carolo Martello repetunt, sed longe antea factitatum hoc a Gallis seu Francis dilucide ostendimus nostro I tomo *Conciliorum* in canonem XXIV Chalcedonensem, num. XI et sequentibus.

II. Cum autem in ipsum Chalcedonensem canonem XXIV de bonorum Ecclesiæ depredatione fuse locuti simus, inutile est eadem hoc loco repetere. Hoc unum dicam, quod ibidem etiam dictum est religiosiores ea in re fuisse barbaros Principes Catholicis quibusdam regibus, de quibus id scriptum reliquit Carolus Magnus lib. VII *Capitularium*, cap. CIV : « Novimus » multa regna et reges eorum propterea ceci- » disse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque ea- » rum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt » vel diripuerunt, Episcopisque et Sacerdotibus, » atque, quod magis est, Ecclesiis eorum abstu- » lerunt, et pugnantibus dederunt. » Statimque hæc addit : « Quapropter nec fortes in bello, nec » in fide stabiles fuerunt, nec victores exstite- » runt, sed terga multi vulnerati et plures in- » terfecti verterunt; regnaque et regiones, et » quod pejus est, regna cœlestia perdiderunt, » atque propriis hæreditatibus caruerunt et ha- » ctenus carent. »

§ XLVII.

Alterum decretum ex sessione XXV, cap. XII *De reformatione : Non sunt ferendi qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur; aut qui ab*

Digitized by Google

aliis solvendas temerarie occupant, et in rem suam vertunt; cum decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus cujuscumque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eos ad quos jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi, plena restitutione secuta, absolvantur. Hortatur dehinc omnes et singulos pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Episcopis et Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

COMMENTARIUS.

I. Actum fuse a nobis de decimis fuit in Commentario § XLV, ubi ex sacris canonibus docuimus eas Sacerdotibus, tanquam Ecclesiæ Ministris, sive ut operariis et spiritualia populo ministrantibus, fuisse assignatas. Nam, ut recte notat S. Thomas II II, quæstione LXXXVI, articulo II, « radix solutionis decimarum est debitum, » quo seminantibus spiritualia debentur tempo- » ralia. » Constat tamen antiquum fuisse abusum, ut laici principes decimas Ecclesiæ ejusque Ministris debitas passim invaderent, suisve militibus darent. Quidam volunt hunc abusum prodiisse primum sub Carolo Martello ,ejusque opinionis est eruditus Lupus in canonem VII Romani quinti Concilii S. Gregorii VII Papæ; sed antiquiorem esse et circa sextum Christi sæculum cœpisse, affirmat quidem Franciscus de Roye antecessor Andegavensis, lib. II *Institutionum juris canonici*, titulo XII, aliique non pauci scriptores.

II. Neque tantum laici principes, sed et Episcopi quoque militibus olim et consanguineis suis pravo abusu dare decimas consueverunt. Unde apud Gratianum, causa XVI, quæstione VII, canone III, legitur decretum sub nomine memorati Gregorii Pontificis, continens ipsius querelam contra quosdam Episcopos, qui « non » Sacerdotibus propriæ diœcesis decimas atque » Christianorum oblationes conferunt, sed po- » tius laicalibus personis, militum videlicet sive » servitorum, vel, quod gravius est, consangui- » neis. » Tum ita adversus hujusmodi Præsules hæc subjicit : « Si quis amodo Episcopus inven- » tus fuerit hujus divini præcepti transgressor, » inter maximos hæreticos et inter antichristos » non minimus habeatur, et sicut Nicæna Syno- » dus de simoniacis censuit, et qui dat Episco- » pus, et qui recipiunt ab eo laici, sive pretio, » sive beneficio, æterni incendii ignibus depu- » tentur. » An quintum a quo simonia, an duodecimum, a quo Ecclesiasticæ substantiæ alienatio vetatur Episcopis et Clericis, secundæ Nicænæ Synodi canonem laudet, incertum est; neuter habet adducta verba; utriusque junctim sensum laudari existimat Lupus, qui etiam Gratianum in eo commendat, eique gratias agit quod insignem istum Gregorii canonem nobis custodierit; neque addubitandum ait quin plures pericerint aut lateant.

III. Eis passim militibus, quorum intercessione atque auxilio ad Episcopatum pervenerunt, donasse decimas ambitiosos Episcopos, atque ita novo sacrilegio complevisse suam simoniam, multis canonibus ac veterum scriptorum testimoniis comprobari posset, præsertim vero ex variis S. Petri Damiani Epistolis. Sed sat erit hic describere canonem VII Concilii quinti Romani sancti Gregorii VII. « Decimas, inquit, » quas in usum pietatis concessas esse canonica » auctoritas demonstrat, a laicis possideri Apo- » stolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab » Episcopis, vel regibus, vel quibuslibet perso- » nis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, » sciant se sacrilegii crimen committere, et » æternæ damnationis periculum incurrere. »

IV. Loquitur hic Pontifex de iis qui decimas usurpabant injusteque detinebant. Cum enim omnes fere decimæ ab Episcopis infeudarentur, vel per timorem, vel per favorem, vel per ava-

Digitized by Google

ritiam, ut docet Carolus Calvus in *Capitulis* ex Synodo Pontigonensi, cap. x, opposuit se hujus abusui Gregorius variis editis sacris canonibus, ac Epistolis ea de re ad Episcopos missis, excommunicationis pœna constituta. Verum duravit adhuc abusus, cum constet Alexandrum III, quem sæculo fere integro præcesserat Gregorius, in Concilio Turonensi eamdem excommunicationis pœnam in eos statuisse, qui darent in feudum decimas et qui illas acciperent. Quod adhuc in suo Lateranensi Concilio III anni 1179 confirmavit, canone XIV. « Prohibemus, inquit, » ne laici decimas cum animarum suarum pe- » riculo detinentes in alios laicos possint aliquo » modo transferre. Si quis vero receperit, et » Ecclesiæ non tradiderit, Christiana privetur » sepultura. »

V. Vulgo creditum est Concilium quod expresse non injungat restitutionem decimarum, quas hactenus laici possidebant, sed tantum vetet eas in alios laicos transferre, addita prohibitione novas recipiendi, permisisse laicis retinere eas decimas in quarum possessione ante hoc decretum fuerant. Verum cum Concilium hoc expresse dicat, laicos cum periculo animarum decimas detinere, nec verbo indicet eas licite ab eis retineri, merito nonnulli addubitant num recte huic decreto adscribatur licita decimarum infeudatarum possessio, quemadmodum latius deducit Ludovicus Thomassinus in sua *Vetere et nova Ecclesiæ disciplina*. Consulendi sunt ea de re canonici juris consulti, qui passim docent laicos non esse turbandos super decimis quas ante Concilium illud possederunt, quamvis quidam aliter sentiant.

VI. Licet autem decimæ sint res Ecclesiasticæ, et in feudum laicis dari non posse viderentur, cum ea sit alienatio; jam olim tamen disciplina ipsa ea quidem ratione invaluit, quod et sacri canones et leges civiles illarum rerum alienationem permittant pro redimendis captivis aliisque operibus piis. Hinc cum Ecclesia se a tyrannis et barbaris regibus tueri non posset, suas illas decimas Christianis Catholicisque principibus ad tempus vel in perpetuum donare consuevit, ut ab iis defenderetur et ab imminente captivitate liberaretur. Hoc titulo decimas ad principes pervenisse jam pridem in publica oratione habita in concilio principum dixit Fridericus I imperator, uti scribit Arnoldus Lubecensis, lib. III, cap. VIII. « Scimus autem, inquit, » decimas et oblationes a Deo Sacerdotibus et » Levitis primitus deputatas. Sed cum tempore » Christianitatis ab adversariis infestarentur Ec- » clesiæ, easdem decimas præpotentes et nobiles » viri ab Ecclesiis in beneficio stabili acceperunt » ut ipsi defensores Ecclesiarum fierent, quæ » per se obtinere non valerent. » Ubi nota, sæculo XII, quo imperabat Fredericus I, decimas a laicis in feudum perpetuum sive beneficium stabile fuisse possessas.

VII. Romanos ipsos Pontifices concessisse tertias decimarum Catholicis Hispaniarum regibus, qui proprio sanguine et maximis sumptibus Ecclesias a Sarracenis occupatas recuperarunt, testatur Emmanuel Gonzalez in Commentario cap. XIX *De decimis*. Quando primum hæc concessio iis regibus facta sit, non satis constat; illud tamen certum est, usque ad tempora Alexandri VI, privilegia hujusmodi regibus Hispaniarum concessa nequaquam fuisse perpetua, sed ad aliquod tempus in subsidium belli cum Sarracenis initi. Alexander autem in Constitutione quæ incipit *Dum indefensa*, edita anno 1494, die XVI februarii, concessit Catholicis regibus Ferdinando et Elisabethæ, ut in perpetuum tertias decimarum regni Castellæ, Legionis et Granatæ licite perciperent. Sed quoad tertias regni ipsius Granatensis jam aliud privilegium concesserat Innocentius VIII. Vide apud ipsum Gonzalez auctores qui alia privilegia referunt, quibus Romani Pontifices donarunt tam reges Castellæ quam Aragoniæ, ut decimarum partem percipere possent.

VIII. Est antiqua profecto Ecclesiæ disciplina, ut Romani Pontifices hujusmodi concessiones Christianis principibus ad tuendam Ecclesiam facerent. In charta dotationis ecclesiæ Sancti-Donatiani Brugis, quæ nunc Cathedralis est, legitur apud Miræum in codice *Piarum donationum*, cap. XXXIV, quod Arnulphus Magnus Flandriæ comes donat dictæ Ecclesiæ de Episcoporum Tornacensis et Morinensis ordinatione ac consilio quasdam decimas, « de iis, inquit, » quas mihi et prædecessoribus meis, in comi- » tatu seu marchionatu Flandriæ, de terris cul- » tis et incultis, sanctissimi Patres Papæ Ro- » mani, pro adjutorio expensarum nostrarum » et nostrorum militum, pro expugnatione ac » resistentia contra Wandalos, qui Flandriam et

Digitized by Google

» alias terras vicinas, cum ecclesiis in ipsis con-
» structis, crudeliter et damnabiliter devasta-
» bant, et incendio tradebant, in feudum per-
» petuum concesserunt. » Floruit Arnulphus sæculo Christi x, et nota quod idem inquit non modo sibi, sed et prædecessoribus suis concessisse Romanos Pontifices privilegium percipiendi decimas.

IX. Longum esset afferre huc exempla similium privilegiorum, quæ Catholicis principibus solita erant a Pontificibus Romanis concedi ad suscipiendum præsertim bellum cum hostibus Christiani nominis; eamque ob causam concessas vidimus decimas in Neapolitano regno, Carolo VI imperatori, dum ipsi regno dominaretur. Cæterum Petrus Blesensis in Epistola cxii ad Aurelianensem Episcopum, data circa annum 1190 quo suscepta est expeditio Hierosolymitana a Philippo Augusto Galliæ rege, iniquo ferens animo quod is princeps ad bellum sacrum peragendum contra Saladinum Terræ-Sanctæ invasorem, ab omnibus suis subditis, tam laicis quam Ecclesiasticis, decimas exigeret, vehementer pugnat pro Ecclesiasticorum immunitate, fuseque ostendit, allatis compluribus divinæ Scripturæ locis, a Clericis non pecunias, sed orationes exigendas. Sic enim inter alia scribit : « Si autem (rex) proposuit iterato iter
» hujus peregrinationis arripere, non de spoliis
» Ecclesiarum, non de sudoribus pauperum,
» viaticum sibi et suis exhibeat, sed de redditi-
» bus propriis, aut de præda hostili bella Christi
» conficiat. Non est abbreviata manus Domini,
» ut qui magna fecit in Israel, etiam in populo
» acquisitionis brachium suæ magnificentiæ non
» exaltet. » Et paucis interjectis, hæc statim subjicit : « Quid aliud a Pontificibus vel a Clero
» potest vel debet princeps exigere, quam ut
» incessanter fiat oratio ab Ecclesia ad Deum
« pro eo? » Hactenus ille.

X. Legenda est integra Epistola, in qua etiam lector inveniet plerumque Episcopos, suis peculiaribus finibus, adulari consuevisse regibus ut decimas ipsas ab Ecclesiasticis exigant : « Scio, inquit, quod si rex tuus angariis, pa-
» rangariis, exactionibus, capitationibus, cæte-
» risque sordidis et extraordinariis muneribus
» Ecclesiam decreverit prægravare, quamplures
» Episcopos hujus rei fautores inveniet : ipsi
» enim Evangelicæ libertatis obliti, quæ non
» solum filios Dei, sed amicos facit, in ignomi-
» niam servitutis perpetuæ sibi permittant au-
» rem subula perforari. » Id quidem auctor probat exemplo Antiochi regis qui, sicuti habetur lib. i *Machabæorum*, cap. ii, cum Sacerdotium perverteret, multi de Israel expressi sunt qui, solius adulationis aut vani timoris intuitu, in consensu illius tyrannidis transierunt. Forte dicent politici hodie ecclesias abundare divitiis, sed istiusmodi adlatrationibus responderunt jam olim Patres Concilii Parisiensis anni 829, lib. i, cap. xix, ubi ita aiunt : « Quantæcumque
» sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispen-
» sandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt. »
Vide Commentarium nostrum in canonem xxiv Chalcedonensem, numero xxiii et sequentibus.

§ XLVIII.

Postea Pontifex ad fundatorem dicat : *Scias, Frater charissime, quoniam non permittunt jura ecclesias sine ministris ac dote consecrari. Quemadmodum enim dos matrimonium consequitur; sic et ad sustentationem ministrorum facultates necessariæ sunt. Ea itaque ratione, Frater charissime, scire volumus quot Sacerdotes et Clericos, et qualem eis honorem vis exhibere, et de quo ecclesiam dotare proponis. Et, ut intelligas qualem tibi atque hæredibus tuis honorem et commoditatem exhibet ecclesia, scias, ut gratitudinem ipsam ad fundatores extendat, quod a sanctis Patribus statutum est, in diei dedicationis anniversario solemni fundatores et eorum hæredes in processionibus primos esse debere; et si casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione ecclesia fundatoris piam liberalitatem recognoscit.* Qui ad interrogata, prout sibi placuerit, respondet; de quo fiat publi-

Digitized by Google

cum instrumentum, si numerus Clericorum, honor et dos sufficiens fuerit. Tunc fundator ipse et plebs profitentur se jussa Pontificis impleturos.

COMMENTARIUS.

I. Ex Ordinis quidem antiqui Romani præscripto, cui consentiunt Pontificale Cameracense annorum quingentorum, et Apamiense atque Constantinopolitanum, illud diserte cautum est, ut postquam ad ostium ecclesiæ habuit Episcopus sermonem ad populum de honore Ecclesiastico, et aliis quæ notata sunt in Commentariis superioribus, « ipse dominus et constructor » ipsius ecclesiæ admoneatur de dote illius, et » qualem honorem vel curam ecclesiæ et Pre- » sbytero exhibere debeat : illo autem profi- » tente in omnibus ita se velle agere, Pontifex » hæc a Domino postulans, antequam intret » ecclesiam, dicat hanc Orationem : *Domum » tuam, quæsumus, Domine, clementer ingre- » dere, etc.* »

II. Præter edita Pontificalia ante annos ducentos et manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, nullibi adhuc reperi sermonem in § hoc nostro descriptum, quem ad ecclesiæ fundatorem ex Rubricæ nostræ præscripto solet habere Episcopus, eumdem admonens, quod nos fuse explicuimus in Commentario § I tit. I, non permitti nimirum a sacris canonibus Cæsareisque legibus ecclesias sine ministris et dote consecrari : *Quemadmodum enim*, ut scite ait Episcopus, *dos matrimonium consequitur, sic et ad sustentationem Ministrorum facultates necessariæ sunt.* Cui consonat id quod ait S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XVIII *in Acta Apostolorum*, his verbis : « Quasi ducta » uxore, vel sponsa, vel data virgine, sic erga » ecclesiam affectus sis, dotem adscribe illi, ita » tibi benedictionis prædium multiplicabitur. » Tum multas enarrat utilitates, quæ illis proveniunt, qui constructioni ecclesiarum operam suam impendunt.

III. Quantum denique ad honorem et commoditatem, quam ejus fundatori suisque hæredibus exhibet Ecclesia, ait in laudato sermone Episcopus hanc gratitudinem ad fundatores Ecclesiam ipsam extendere, *quod a sanctis Patribus statutum est, in die dedicationis anniversario solemni fundatores et eorum hæredes in processionibus primos esse debere ; et si casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione Ecclesiam fundatoris piam liberalitatem recognoscere.* Quæ verba desumpta videntur ex cap. XXV *De jure patronatus*, ubi Clemens III, sive, ut alii volunt, Alexander III ita inquit : « Pro fundatione quoque ecclesiæ honor pro- » cessionis fundatori servatur ; et si ad inopiam » vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur, » sicut in sacris est canonibus institutum. »

IV. Sunt ejus quidem opinionis plerique canonici juris consulti, honoris processionis, quem Ecclesia suo fundatori exhibet, jam pridem meminisse S. Gelasium I Pontificem Maximum, idque auctoritate canonum XXVI et XXVII comprobant, quos legere est in decreto Gratiani, causa XVI, quæstione VII. In eorum siquidem primo, in quo præcipitur, sub nomine Gelasii Papæ, ut in ecclesia, quam quis ædificat, nihil sibi præ cæteris vindicet, ita in fine legimus : « Sciturus sine dubio, præter processionis adi- » tum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem » se proprii juris habiturum. » In altero autem hunc in modum : « Nihil tamen sibi fundator » ex hac basilica noverit vindicandum, nisi pro- » cessionis aditum, qui Christianis omnibus in » commune debetur. » Ad hos canones respexisse Clementem III, sive Alexandrum III, in recitata superius decretali, ex cap. XXV *De jure patronatus* manifestum est ; atque ita post hanc decretalem memoratosque Gelasii canones, unanimi canonistarum calculo probatum est, inter jura honorifica fundatori debita, esse honorem processionis, licet inter ipsos canonistas non conveniat quid in allegatis canonibus per *aditum processionis* intelligatur.

V. Volunt quidam Gelasium patronis eum honorem concedere, ut in suis ecclesiis processionaliter a Clericis recipiantur ; sed male ; cum enim Gelasius dicat eum processionis aditum in communi omnibus Christianis deberi, nullus profecto ille honor esset, inde nihil patrono honoris ; ac forte Clementi III, vel Alexandro III, tum primum debet eum honorem, uti recte alii scriptores docent. Dicendum itaque autumo cum viro clarissimo Francisco de Roye,

Digitized by Google

lib. I *De juribus honorificis in ecclesia*, cap. VII, in duobus Gelasii canonibus XXVI et XXVII apud Gratianum, causa XVI, quæstione VII, quorum primus incipit *Piæ mentis*, alter vero *Frigentius*, agi de publicis processionibus quas patroni non prius admittere poterant in suis ecclesiis, quam a diœcesano Episcopo dedicatæ essent, uti addiscere licet ex can. *Præcepta*, III, et can. *Certum* V, *De consecratione*, distinctione I. Eoque referenda est epistola X sancti Gregorii Magni Pontificis Maximi ad Felicem Messaliensem episcopum, lib. XII, ubi vocat *processionis gratiam*, quod Gelasius *processionis aditum* dixit.

VI. Invaluit etiam ut quidam fideles processionis honorem habeant : qui honor licet primum exhibitus fuerit Episcopis, uti constat ex S. Augustino in Epistola CCIII, ubi inter honores Episcopis exhiberi solitos refert « occursantium » et cantantium Sanctimonialium greges; » et ex commonitorio Legatorum Hormisdæ Papæ, quos Græci crucibus antelatis exceperunt : extensus deinde sensim fuit ad laicos principes, qui insignem illam esse notam sui principatus putarunt, si in suis urbibus processionaliter reciperentur. Hinc nihil frequentius quam ut Galliæ reges ita recepti fuerint, apud Gregorium Turonensem, lib. X, cap. IX, apud Rigordum et alios. Insignis eam in rem est Epistola XVIII Hildeberti Cenomanensis episcopi ad Urbanum II, ubi docet Canonicos Sancti-Martini Turonensis privilegium illud habere, ut solos Summum Pontificem, Christianissimum regem, et Turonensem Archiepiscopum processionaliter recipere teneantur. Ita susceptum fuisse Romæ Carolum Magnum, testis est Anastasius in Vita Hadriani Papæ. Idem de regibus Castellæ tradit quidem Rodericus Toletanus, lib. VIII *De rebus Hispanicis*, cap. XII, et de Portugaliæ regibus luculentissimum est testimonium Innocentii III, lib. I, epist. LXXIV.

VII. Patronos quoque habere honorem processionis pro ipsa fundatione, id est in vim ipsius fundationis, liquet ex cap. *Nobis*, XXV *De jure patronatus;* docentque id passim canonici juris consulti, inter quos Hostiensis nominatim expressit duos modos deferendi patrono honorem processionis. Primus est ut fundator a Clericis ecclesiæ suæ processionaliter recipiatur, seu ei ad ecclesiam suam accedenti ocurrant Clerici *levata cruce*, uti complures loquuntur. Sed forte huic honori addenda est ea laudati Hostiensis limitatio, si scilicet talis sit et tantus ille patronus qui tantum honorem mereatur, puta si rex sit, aut princeps magnæ potentiæ, juxta expressionem nostri Pontificalis Romani, hunc titulum affigentis Ordini recipiendi principes : *Ordo ad recipiendum processionaliter principem magnæ potentiæ.* Limitationi Hostiensis rectissime adhuc addit Joannes Andreas, hoc posse servari usque ad ambitum ecclesiæ, et quando raro venit ad illam; atque ita quidem Theobaldus comes Blesensis in monasterio Sancti-Petri, cujus erat patronus, cum processione recipi voluit, uti videre est apud Fulbertum Carnotensem in Epistola XXI ad Abbonem abbatem Floriacensem, ubi ita ait : « Die proxima comes » Theobaldus redit, se in monasterium recipi » cum processione præmandat. Monachi re- » spondent se libenter hoc agere, si præsum- » ptorem illum non adduxerit secum. » Eratque hoc genus quoddam subjectionis et jurisdictionis, uti constat ex Matthæo Parisio qui ad annum 1163 ita scribit : « Eodem anno Clarembaldus » S. Augustini electus benedictionem a Thoma » Cantuariensi archiepiscopo accipere quære- » bat, sed in sua ecclesia, et sine processione, » ut suspicio subjectionis in posterum prorsus » adempta esset. » Alter modus, quo honor processionis patrono defertur, est ut in publica et solemni processione suæ ecclesiæ honoratiorem locum habeat; uti docet in superius descripto sermone Episcopus.

VIII. Denique, ut postremam ipsius sermonis partem absolvamus, in qua dicitur ut si fundator ejusque hæredes *casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione Ecclesia fundatoris piam liberalitatem recognoscit :* dignum plane justumque jampridem judicavit Ecclesia, ut iis qui sua temporalia liberaliter sibi obtulerunt, ipsa quoque specialiter in temporalibus quoque succurreret, ubi eorum necessitas id requireret; quemadmodum recte cautum fuit ex can. XXXVII Concilii Toletani IV, quod anno Christi 633 habitum est, ubi ita Patres inquiunt : « Præben- » dum est a Sacerdotibus vitæ solatium indigen- » tibus, et maxime his quibus restituenda » vicissitudo est. » Hinc deinde tanquam consequens inferunt : « Quicumque ergo fidelium » de facultatibus suis ecclesiæ aliquid devotione » propria contulerint, si forte ipsi, aut filii eo-

Digitized by Google

» rum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem » ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu » percipiant. » Tum decreti hujus æquitatem probantes, statim subjungunt : « Si enim » Clericis, seu Monachis, vel peregrinis, aut » quamlibet necessitatem sustinentibus pro solo » religionis intuitu, in usum res Ecclesiasticæ » largiuntur, quanto magis consulendum est » quibus retributio justa debetur ? »

IX. Profecto ad hunc canonem respexit Pontifex in cap. xxv *De jure patronatus*, ubi de alimentis ex bonis ecclesiæ patrono dandis, si in egestatem redigatur, ita scripsit : « Et si ad » inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste (*sive*, » *ut habet alia lectio*, moderate) succurritur, » sicut est in sacris canonibus institutum. » Porro ex Toletano canone et ex hac *Decretali* editum carmen illud vetus videtur, quod passim referunt canonici juris consulti Glossam sequentes :

Patrono debetur honos, onus utilitasque ;
Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus,

Hinc etiam Guillelmus Brito, lib. I *Philippidos :*

Tempore cujusdam guerræ, rex prodigus æris,
Cum res exigeret numerare stipendia multis,
Clerum Rhemensem petiit scriptoque rogavit
Ut sibi subsidium ferret, quo gratior illi
Ad tantos vellet sumptus rependere gratis,
Ut solet Ecclesia patronos sæpe juvare.

Hoc patronis esse honorificum, ut ex bonis ecclesiæ alantur, ubi ad inopiam vergunt, colligi potest ex Aristotele, lib. I *Rhetoricorum*, cap. v, apud quem τροφαὶ δημοσίαι, *alimenta publica*, inter honoris partes recensentur ; unde ex lege VIII, ff. *De decurionibus*, alimenta ex publico decurionibus illis decernebantur, qui, propter munificentiam in patriam, patrimonium exhauserant suum. Sed et patronos egenos a libertis alendos esse docet Paulus, lib. II *Sententiarum*, tit. ultimo.

X. Cum autem tum ex canone Toletano, cum etiam ex *Decretali*, in cap. xxv *De jure patronatus*, manifestum sit patronis alimenta non tantum deberi intuitu paupertatis, sed præcipue intuitu beneficentiæ in ecclesiam collatæ ; recte monet Rochus de Curte, aliique canonistæ secuti Glossam, teneri ecclesiam ex redditibus ultra necessaria remanentibus alere patronum pinguius quam alios pauperes ; eodemque fundamento etiam docent, si plures sint patroni, omnibus quidem esse subveniendum, deberi tamen magis subveniri ei qui plus contulit in fundando vel dotando ecclesiam, licet jus patronatus ad singulos in solidum pertineat. Cæterum observandum est quod tradit Glossa canonici juris, alimenta quidem deberi, « quando » patronus in summam egestatem deductus est, » et quando ecclesiæ superest. » Prius enim ali sufficienter debent Clerici ecclesiæ inservientes, quia pro iis primo et principaliter fundata est ecclesia, ut nempe in ea divinum celebrent Officium. Tum vero si quid ex redditibus Ecclesiasticis supersit, illud utique fundatori sive patrono indigenti concedendum.

§ XLIX.

Deinde Pontifex jubet Deum deprecari pro eo qui ecclesiam construxit et dotavit, et pro eo qui eam consecrari petiit ; et concedit illis partem in omnibus bonis quæ ibi fieri continget.

COMMENTARIUS.

I. Inter alios honores patrono seu fundatori ecclesiæ debitos accensetur quidem et honor precum, ut nempe Clerici ipsius ecclesiæ orationes et sacrificia pro eo offerant et offerri curent, ejusque nomen disertis verbis edicant in publicis atque etiam in secretis orationibus. Id omnino jubent Patres Concilii Emeritensis, quod anno Christi 666 habitum est, cum can. XIX ita inquiunt : « Salubri deliberatione censemus ut » pro singulis quibusque ecclesiis, in quibus » Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordi- » nationem præesse, pro singulis diebus Domi- » nicis Sacrificium Deo procuret offerre ; et » eorum nomina a quibus eas ecclesias constat » esse constructas, vel qui aliquid his sanctis » ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si » viventes in corpore sunt, ante altare recitentur » tempore Missæ ; quod si ab hac decesserunt

Digitized by Google

» aut discesserint luce, nomina eorum cum de-
» functis fidelibus recitentur suo in ordine. »

II. Constat, ex recitato canone, ipsos etiam laicos, qui vel patroni sunt, id est ecclesiarum fundatores, vel alias de ecclesia bene meriti, in Sacerdotum precibus nominatos fuisse; estque is ritus antiquus a Græcis æque ac Latinis religiose servatus, ut nimirum ad honoris prærogativam, inter Missarum solemnia, nomen patroni e sacris diptychis recitaretur. Hinc S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XVIII *in Acta Apostolorum*, ubi preces, imo et mandata inculcat opulentis omnibus, ut in villis suis ruri ecclesias exstruant, prærogativæ quidem illius honoris meminit, sic inquiens : « Parumne est » in sanctis oblationibus nomen tuum semper » referri ? » Plura de sacris diptychis diximus nostro I tomo *Conciliorum* in Prolegomenis, cap. XXXIV. Huc tamen spectat ea precatio Severi patriarchæ Alexandrini in ordine oblationis, qui exstat tomo VI *Bibliothecæ Patrum*, pag. 34 ultimæ editionis : « Memento etiam, Domine, » eorum qui communicarunt in ædificium hujus » templi, et in erectionem hujus mansionis. » Fortasse huc etiam respicit quod in manuscripto Missali Turonensis Ecclesiæ ad primum *Memento* legitur in margine : *Et Gaufridi Demolins, et Florentiæ uxoris ejus*, a quibus beneficium aliquod Canonici Turonenses acceperant.

III. Lubet denique ad calcem Commentarii hujus describere bonam partem *Homiliæ* XVIII *in Acta Apostolorum*, in qua S. Joannes Chrysostomus sua aurea eloquentia fuse ostendit quantum Christianis hominibus utilitatis afferat constructio ecclesiarum. Sic autem primo inquit : « Oro, ac supplico, et gratiam peto, immo » et legem pono, ut nullus qui habet villam, » appareat carere ecclesia. » Tum eos refellens qui se excusant quod aliæ sunt prope ecclesiæ, et in vicinia, magnique sumptus necessarii sunt ad novam ecclesiam construendam, hæc habet verba : « Si quid habes insumendum in paupe-
» res, illuc insume, melius illuc quam ibi, educa
» Magistrum, educa Diaconum et Sacerdotalem
» ordinem. Quasi ducta uxore, vel sponsa, vel
» data virgine, sic erga ecclesiam affectus sis,
» dotem adscribe illi; ita tibi benedictionis præ-
» dium multiplicabitur. Quid enim non erit
» illic bonum ? Parumne est, oro, torcular
» benedici ? Parumne est Deum ex omnibus
» frugibus ac decimis prius partem ac decimas
» accipere ? Ad pacem agricolarum hoc utile.
» Venerabilis erit et Presbyter postea, et ad
» securitatem agri conducet. Preces illic per-
» petuæ propter te, laudes et synaxes propter
» te, oblatio per singulos dies Dominicos. »

IV. Præter argumenta hæc, quibus ad templorum ædificationem Christianos hortatur memoratus Ecclesiæ Græcæ Doctor, longe plura urget quæ hic omitti non debent : « Quid magis, » inquit, mirandum, quod alii exstruunt clara » sepulcra, ut posteri audiant quod ille con-
» struxit, an quod tu ecclesias excitas ? Cogita
» quod usque ad Christi adventum mercedem
» habiturus es, qui altare Dei excitaturus es. »
Tum ad eos se vertens qui, si ipsis rex præciperet domum exstruere ut illic inhabitaret, nullis parcerent sumptibus, statimque omnia facerent diligentissime, hæc habet : « Nunc igitur regia
» est Christi ecclesiæ constructio : ne sumptus
» spectes, sed fructum computa. Illi colunt ter-
» ram, tu cole illorum animas; illi tibi ferunt
» fructus, tu illos infer in cœlos. »

V. Addit et alia Chrysostomus in ipsa *Homilia* XVIII *in Acta Apostolorum*, quæ nullum excusationi locum præbent, quominus in agris præsertim ac villis, agricolarum commodo atque ipsorum dominorum utilitati, ecclesiæ construantur. Dolet itaque quod domus in quibus paleam, et frumentum, et alia id genus reponi oportet, facile exstruunt; ubi autem colligere oportet animarum fructus, minime curant, sinuntque suos agricolas multis stadiis ire, et magnas profectiones facere ut in ecclesiam abeant. Profecto hæc inculcari possent non paucis Ecclesiastici ordinis hominibus qui, ex redditibus Sacerdotiorum atque Abbatiarum, ampla sibi in urbibus palatia ædificant ac exornant, agros tamen et villas, sive potius agricolas miseros ab urbanis templis longe distantes sine ecclesia esse permittunt. Utinam Homiliæ reliquum istiusmodi sacri homines legerent, ut oculos suos aliquando aperiant, suisque agricolis ecclesias pene dirutas reficiant, sacraque supellectili instruant, ut diebus saltem festivis sacrificio Missæ et pabulo verbi Dei non defraudentur.

Digitized by Google

§ L.

Quo facto, Pontifice sic sedente, antequam quis ecclesiam ingrediatur, Schola cantat Responsorium toni II : *Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi, in titulum, et vocabitur domus Dei, et de universis quæ dederis mihi, * Decimas et hostias pacificas offeram tibi. ℣. Si reversus fuero ad domum patris mei. * Decimas.* Tum Pontifex, deposita mitra, surgit, et versus ad ostium ecclesiæ, ibidem stans dicit : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Domum tuam, quæsumus, Domine, clementer ingredere, et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem; et præsta ut domus hæc, quæ tua subsistit dedicatione solemnis, tua fiat habitatione sublimis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Totidem fere verbis exstat hactenus descriptus ritus in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi : in aliis quidem multis libris Pontificalibus, præter descriptam Orationem *Domum tuam, etc.*, nihil aliud legimus, uti videre est in libro *Sacramentorum S. Gregorii*, juxta cujus præscriptum, mox ut intra ecclesiam pedem intulerint, dicit Episcopus ipsam Orationem *Domum tuam, etc.;* qua finita hanc aliam Orationem recitat : « Deus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super » hanc orationis domum benedictionem tuam; » ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum, » defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium. » Ex Ordine antiquo Romano et ex aliis plerisque libris Pontificalibus, expleto Episcopi sermone, et profitente patrono ecclesiæ in omnibus se jussa Præsulis impleturum, Præsul ipse hæc a Domino postulans, antequam intret ecclesiam, nulla facta de Responsorio vel Versiculis in § hoc nostro descriptis mentione, hanc dicit Orationem : *Domum tuam, etc.* Notandum variari in fine hanc Orationem in libro *Sacramentorum S. Gregorii*, in quo, post illa verba, « et in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam constitue mansionem, » ita statim sequitur : « ut » cujus ædificatione subsistit, hujus fiat habitatione præclara. Per Dominum. » Quæ Oratio legitur etiam in manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter sexcentorum. Cæterum in manuscripto codice Pontificali Cameracensi, et in Pontificalibus libris manuscriptis Apamiensi et Constantinopolitano, antequam Episcopus intret ecclesiam dicit *Oremus;* et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Deinde vero ipse Episcopus eam Orationem profert : *Domum tuam, quæsumus, Domine, etc.*, ut in nostro hodierno Romano Pontificali.

§ LI.

Qua Oratione finita, Pontifex, accepta mitra, priusquam ingrediatur, inungit pollicem dexteræ manus in sanctum chrisma, et cum eo in modum crucis signat ostium ecclesiæ exterius, dicens : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠sancti. Porta, sis benedicta, sanctificata, consecrata, consignata, et Domino Deo commendata; porta, sis introitus salutis et pacis; porta, sis ostium pacificum per eum qui se ostium appellavit, Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quamvis, excepto antiquo Romano Ordine, in nullo pervetusto Pontificali inveniam ante annos quingentos exarato, ut nimirum Pontifex, finita Oratione *Domum tuam, etc.*, de qua in Commentario superiori dictum est, antequam ecclesiam intret, sacro ungat chrismate in modum crucis ostium ecclesiæ exterius, dicens : *In nomine Pa✠tris, etc.*, est tamen antiquus is ritus, ut portæ ecclesiæ sacris reliquiis consecrarentur, uti videre est lib. IV *Capitularium regum Francorum*, cap. XIII; de quo ritu nonnulla quidem diximus supra, tit. I. « Si » in atrio ecclesiæ, inquit, cujus porta reliquiis » Sanctorum consecrata est, hujusmodi homi- » cidium perpetratum fuerit, simili modo » emendetur et componatur. » Quæ totidem verbis leguntur in Isaaci Lingonensis episcopi canone II tituli II. Eamque fuisse causam puto cur antiqui Christi fideles, in magni amoris ac venerationis signum, januas et limina ecclesiarum prostrati complecterentur, salutarent atque exoscularentur. Testis est de ea consuetudine S. Paulinus, qui in *Natali* VI *S. Felicis* ita cecinit :

Sternitur ante fores, et postibus oscula figit,
Et lacrymis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi.

Testis est et Prudentius in Hymno II de S. Laurentio, ubi ita inquit :

Ipsa et senatus lumina
Quondam Luperci, aut Flamines,
Apostolorum et Martyrum
Exosculantur limina.

Etiam apud Græcos primis Christi sæculis invaluisse religiosissimam hanc consuetudinem, testatur S. Joannes Chrysostomus *Homilia* XXIX *in* II *Pauli Epistolam ad Corinthios*, sic dicens : « Januas exosculamur templi. » Hujus ritus tandem meminit Cæsar cardinalis Baronius, eruditorum omnium eruditissimus, in *Notis ad Martyrologium Romanum*, die XVIII novembris, ubi scite observat hinc sibi factum videri ut miro cultu ipsa sacra ecclesiæ limina ornarentur, ut videre est apud S. Paulinum, tum alibi, tum in *Natali* III *S. Felicis*, ubi ita inquit :

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

Et paulo post :

Limina ceratis adolentur odora papyris.

II. Etsi autem in nullo pervetusto manuscripto Pontificali invenerim ut Episcopus, priusquam ecclesiam ingrediatur, ostium illius chrismate inungat in modum crucis, legi tamen ejus ritus vestigium in manuscripto codice B. Mariæ Remensis annorum octingentorum. Mandat enim ut Episcopus, postquam a loco ubi reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerant, ad ostium ecclesiæ rediit cum sacris ipsius reliquiis, « dicat præ foribus hanc Orationem, si- » gnans ostium et ecclesiam : *Deus, qui sacran-* » *dorum, etc.* » Cautum est autem ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis ut « Episcopus, » antequam intret ecclesiam, signet hostium » ecclesiæ et ipsam ecclesiam signo crucis, et » dicat : *Oremus. Flectamus genua. Levate.* » Oratio : *Domum tuam, Domine, etc.* » Sane consonat nostræ Rubricæ manuscriptum Pontificale Vaticanum Durandi annorum circiter quingentorum, ex cujus præscripto Episcopus, « finita Oratione (*Domum tuam, etc.*), priusquam » ingrediatur ecclesiam, signat hostium ecclesiæ » cum chrismate ad modum crucis, dicens : *In* » *nomine Pa✠tris, etc.* » Porro admonendum est, juxta veterem Romanum Ordinem, faciendum esse a Pontifice cum chrismate signum crucis in superliminari et, ubi in nostro Pontificali dicitur *Porta, sis ostium pacificum per eum qui se ostium appellavit,* in ipso Romano Ordine adjungit « et ostiarium; » in Pontificali autem Durandi non quidem « et ostiarium, » sed addi « et hostiam. » Tandem in dedicatione ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis, et complurium aliarum Urbis, hunc ritum servatum vidi, ut in utroque ostii ecclesiæ limine, dextro scilicet et sinistro, cruces prius sculptæ sacro chrismate ab Episcopo inungerentur.

§ LII.

Quo dicto, Presbyteri elevant feretrum reliquiarum, et ingrediendo ecclesiam cum Clero et populo processionaliter, Pontifex cum mitra incipit, et Schola pro-

Digitized by Google

sequitur, Antiphonam toni IV : *Ingredimini, Sancti Dei, præparata est enim a Domino habitatio sedis vestræ : sed et populus fidelis cum gaudio insequitur iter vestrum, ut oretis pro nobis majestatem Domini. Alleluia.* Alia Antiphona toni VI : *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.* Interim processionaliter vadunt per ecclesiam. Cum pervenerint ad altare in quo reliquiæ sunt condendæ, reliquiis ipsis cum feretro prope altare positis, et luminaribus juxta illas ardentibus, Pontifex stans cum mitra ante altare, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni IV : *Exsultabunt Sancti in gloria, et lætabuntur in cubilibus suis.* Psalmus CXLIX. *Cantate Domino canticum novum, etc.* Psalmus CL. *Laudate Dominum in Sanctis ejus, etc.* Et non dicitur *Gloria*, sed repetitur Antiphona. Qua dicta, Pontifex, deposita mitra, versus ad altare, dicit :

OREMUS.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis : exaudi nos, quæsumus, et concede; ut inviolabilis permaneat hujus loci consecratio, et beneficia tui muneris universitas fidelium, quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Peracta unctione ostii exterioris ecclesiæ juxta ritum manuscripti Pontificalis Vaticani Gulielmi Durandi, levant quidem Presbyteri feretrum cum reliquiis, et ingrediendo ecclesiam cum Clero et populo, Pontifex inchoat, et Schola prosequitur, Antiphonam : *Ingredimini, Sancti Dei, etc.*, in cujus fine additur *Alleluia.* Addit quoque laudatum Pontificale, si necesse fuerit, incipiendam esse ac dicendam Antiphonam illam, *Gaudent in cœlis, etc.* Tum et alia adjungit quæ nostræ huic Rubricæ consonant. Ex manuscripto Pontificali Barensi annorum circiter quingentorum, postquam Pontifex ostium ecclesiæ ipsamque ecclesiam signo crucis signavit, et eam Orationem dixit : *Domum tuam, Domine, etc.*, Pontifex ipse cum Presbyteris feretrum reliquiarum accipiebat, et ingrediendo, Schola cantabat illam Antiphonam : *Ingredimini, Sancti Dei, etc.* Ut autem ad locum pervenerat, in quo reliquiæ recondendæ erant, extenso velo inter Clerum et populum ante altare, Episcopus ponebat chrisma in confessione per quatuor angulos in modum crucis, dicens : « Consecretur sepulcrum, etc. » Deinde recondebat sacras reliquias cum tribus granis incensi, Ministri autem cantabant Antiphonam *Exultabunt Sancti in gloria, etc.*, et Psalmum *Cantate Domino canticum novum, laudatio ejus manet in sæculum sæculi.*

II. Juxta veterem Romanum Ordinem et alios nonnullos Pontificales libros, etiam Pontifex cum Presbyteris accipiebat feretrum. Schola quoque dicebat Antiphonam : « Ingredimini, » benedicti Dei, parata est vobis, etc., » aliis respondentibus : « Sancti Dei, det vobis Domi- » nus istum locum, ut faciatis in eo mirabilia. » Sequebatur versiculus : « Benedicta gloria Do- » mini de loco sancto suo. » Cum vero intraverant, extenso velo inter populum et altare, Pontifex recondebat quidem reliquias in altari, Presbyteris Antiphonam *Exultabunt*, et Psalmum *Cantate Domino, etc.*, decantantibus. Exstat et in aliis tum antiquis, tum recentioribus libris Pontificalibus sua varietas, tam quoad Rubricam quam quoad Antiphonas et Psalmos decantandos. Cæterum in hoc liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, et omnes pene Pontificales manuscripti codices conveniunt, nempe Anglicanus monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, codex B. Mariæ Remensis, Pontificale Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum, Pontificale Halinardi archiepi-

Digitized by Google

scopi Lugdunensis annorum septingentorum, et auctores complures, ut, ubi feretrum sacrarum reliquiarum ad altare delatum est, extendatur velum inter populum et ipsum altare.

III. Fuit sane antiquus mos apud Græcos æque atque Latinos, ut ad cancellos sacrarii seu chori, in quo stabant Clerici, velum esset appensum ad impediendum prospectum altaris. S. Athanasius θῆλα τῆς ἐκκλησίας *vela Ecclesiæ* vocat. Loquens enim de Arianorum furore, quo abrepti Ecclesiam quamdam tempore Constantii imperatoris diripuerant, ita inquit in Epistola ad solitariam vitam agentes : « Arrepta subsellia, et thronum, et mensam, lignea enim » erat, et vela Ecclesiæ, et alia quæcumque » potuerunt, eaque elata combusserunt. » Erat olim horum velorum usus partim prospectum altaris catechumenis et infidelibus obstruere, partim sacrificium Eucharisticum consecrationis tempore obtegere, uti ex S. Joannis Chrysostomi verbis addiscimus, qui, *Homilia* III *in Epistolam ad Ephesios* vocans ista vela ἀμφίθυρα, quod instar januarum plicatilium utrinque aperirentur, sic ait : « Hic cum offertur sacrificium, » et Christus sacrificatur, et ovis Dominica, » quando audieris : *Oremus omnes communiter :* quando videris trahi, quæ in ostiis » sunt ἀμφίθυρα, vela (*alibi* cortinas), tunc » existima cœlum superne diduci, et descendere » Angelos. » Bibliothecarius de Stephano Papa VI scribens ejus quidem vocis meminit, ubi hæc habet verba : « Contulit in basilica Apostolorum » cortynam lineam unam, velotyra serica tria » in circuitu altaris. » Sed et S. Dionysius, sive alius ejus nomine auctor, in Epistola ad Demophilum de Sacerdotum dignitate verba faciens, memoratorum velorum his verbis meminit : « Ei enim, qui mystice semper ad divinum » altare præsto sunt, cernunt audiuntque divina : et cum recte et ordine ad ea quæ » extra divina vela et integumenta sunt, pro» deunt, etc. »

IV. De velo a Pontifice extenso inter se et populum, ubi cum sacris reliquiis ad altare accessit, audire præstat mysticam explicationem antiqui scriptoris Remigii monachi Antissiodorensis, cujus verba hæc sunt in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VIII : « Extendit autem » velum inter se et populum, qui nunc et ipse, » et loca sanctarum animarum secreta sunt a » visione mortalium. Beatus autem Paulus Apo» stolus in Epistola ad Hebræos Pontificem » veteris Testamenti Sancta sanctorum ingre» dientem typum dicit tenuisse veri et æterni » Pontificis Domini nostri Jesu Christi. Velum » autem cœlum interpretatur, ultra quod Filius » Dei ingrediens, quotidie pro nobis interpellat, » et ad se venientes in sancta ara, id est in re» quie æterna, collocat : in qua veraciter canta» tur : *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur* » *in cubilibus suis.* Gloria enim illa, qua eos » glorificans Filius dicet : *Venite, benedicti* » *Patris mei, percipite regnum quod vobis pa*» *ratum est ab origine mundi.* Ibi lætantur in » cubilibus suis, id est, in cordibus, sive in » mansionibus diversis, cum, sicut dicit beatus » Joannes in Apocalypsi sua : *Absterget Deus* » *omnem lacrymam ab oculis eorum, et amplius* » *non erit, neque mors, neque luctus, quia prima* » *abierunt.* Cui rei concinit Oratio Pontificis » dicens : *Domine Deus, qui, ex omni coaptione* » *Sanctorum, æternum tibi condis habitacu*» *lum, etc.* »

V. Placuit locum hunc laudati Remigii describere, ut videas quam antiqui, quam religiosi ac pleni mysteriorum sint ritus Pontificales, licet alio ordine iidem in nostro hodierno Pontificali recenseantur ; in quo etiam licet Presbyteri elevent sacras reliquias, uti initio Rubricæ habetur; id quod alias ex manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, et ex aliis bene multis præscriptum est. Pontificale tamen Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum, et alia nonnulla, diserte mandat ut « suscipiat Pontifex reliquias a Pre» sbytero, et portet eas ad altare, et Presbyteri, » qui cum eo sunt, cantent Antiphonam cum » Psalmo, *Exultabunt Sancti in gloria, etc.* » Certe apud Græcos juxta ipsorum Pontificale, cujus locum proferemus in Commentario § III, sacras reliquias in sacro disco repositas, capite supposito, ipse Pontifex deportat, ut in altari easdem collocet. De Latinorum praxi, nempe de reliquiis alicubi a Pontifice gestatis, præter laudatum Pontificale Ecclesiæ Noviomensis, celebre est Remigii monachi Antissiodorensis testimonium, qui in laudato loco sui opusculi ita inquit : « Postquam præparavit Pontifex » aram in qua reliquiæ conderentur, assumit » eas, et portat ad locum præparatum, quia ipse

Digitized by Google

» Pontifex Pontificum, cujus vicem ipse tenet, » promisit Apostolis suis, et per eos cunctis » fidelibus : *Vado parare vobis locum, et si » abiero, et præparavero vobis locum, iterum » veniam, et assumam vos ad meipsum, ut ubi » ego sum, et vos sitis.* »

VI. Oratio denique in fine Rubricæ descripta, *Deus qui in omni loco, etc.*, etsi in multis manuscriptis antiquis Pontificalibus habeatur, etiam mille abhinc annis exaratis, diserte tamen ex Ordine antiquo Romano, Pontificali Cameracensi, Noviomensi, B. Mariæ Remensis, et quibusdam aliis, cautum est ut, antequam recludantur reliquiæ, dicat Pontifex hanc Orationem, *Deus, qui in omni loco, etc.*, cum cæteroqui ex manuscripto Pontificali Barensi, et ex aliis nonnullis, post reconditas reliquias in altari cum tribus granis incensi, ipsam Episcopus Orationem recitaret; ex Pontificali autem Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, ante januam ecclesiæ, priusquam ipsam ecclesiam cum sacris reliquiis ingrederetur.

§ LIII.

Tum Pontifex, accepta mitra, intingit pollicem dexteræ manus in sanctum chrisma, et cum eo signat confessionem, id est sepulcrum altaris, in quo reliquiæ sunt reponendæ, in quatuor angulis, faciens in singulis signum crucis, et dicens : *Conse✠cretur et sancti✠ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax huic domui.*

COMMENTARIUS.

I. Testimonia de hoc ritu luculentissima passim suppeditant nobis libri antiqui Pontificales, et prisci quidam divinarum rerum scriptores, licet ipse ritus in hoc præsenti § descriptus desideretur in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* et in aliquibus aliis Pontificalibus libris. Vetus quidem Ordo Romanus expresse edicit ut, expleta Oratione *Deus, qui in omni loco, etc.*, in § superiori recitata, « ponat Episcopus chri» sma in confessionem per angulos quatuor in » crucem, dicendo : *In nomine Patris et Filii, » et Spiritus sancti.* Resp. *Amen. Pax tecum.* » Resp. *Et cum spiritu tuo.* » Consonat Ordini antiquo Romano Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicanum monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille. « Facit Epi» scopus crucem de sancto chrismate intus in » confessione, in medio ubi ponendæ sunt reli» quiæ, et per quatuor angulos ipsius, ita di» cendo : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.* » Idipsum legere est in manuscripto codice B. Mariæ Remensis, et in Pontificali Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum, et in aliis multis, in quibus tamen, exceptis Barensi, Vaticano Gulielmi Durandi, Apamiensi atque Constantinopolitano Pontificalibus, non invenio illa verba : *Consecretur et sanctificetur hoc sepulcrum.* Porro constat, vel ex nostra Rubrica, confessionem seu sepulcrum locum esse altaris cavatum, in quo ab Episcopo reliquiæ Sanctorum reconduntur.

II. Meminit utriusque vocis in suo *Divinorum Officiorum Rationali* Gulielmus Durandus, lib. I, cap. VII, ubi ait « sepulcrum hujusmodi, quod » a quibusdam confessio nuncupatur, esse cor » nostrum, quod quatuor crucibus de chrismate » factis consecratur, quia quatuor sunt virtutes » in libro *Sapientiæ* descriptæ, scilicet, pruden» tia, fortitudo, temperantia et justitia, quibus » cor nostrum quasi ungitur, dum ad suscipienda » secretorum cœlestium mysteria per donum » sancti Spiritus præparatur. » Addit fieri consuevisse hujusmodi sepulcrum, quandoque ex superiori parte altaris, et quandoque ex latere anteriori. Cæterum, ut aliqua de ritu græco dicamus, constat ex *Euchologio*, in ritu consecrationis Antimensium, Episcopum reliquias Sanctorum recondentem solitum esse sacro chrismate eas perfundere : « Prolatis, ait, » deinde reliquiis, et ceromastice immixtis, un» guento sacro superinfundit illas Pontifex, etc. » Vide hunc integrum ritum infra in Appendice, ad titulum V.

Digitized by Google

§ LIV.

Deinde Pontifex, deposita mitra, recondit veneranter vasculum ipsum cum reliquiis, et aliis, prout hesterna die per eum fuit sigillatum, in sepulcro altaris : quibus reconditis, Pontifex inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VI : *Sub altare Dei sedes accepistis, Sancti Dei, intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum.* ℣. *Exsultabunt Sancti in gloria.* ℟. *Et lætabuntur in cubilibus suis.* Et non dicitur *Gloria Patri,* sed Antiphona repetitur. Interim dum præmissa cantantur, Pontifex sine mitra thurificat reliquias inclusas.

COMMENTARIUS.

I. Omnes fere manuscripti libri Pontificales, ipseque vetus Ordo Romanus eum præscribunt ritum, ut, postquam Episcopus confessionem, sive sepulcrum in quo recondendæ sunt sacræ reliquiæ, chrismate in modum crucis per quatuor angulos inunxit, « deinde ponat tres por» tiones corporis Domini intro in confessionem, » et tres de incenso, et antequam recludantur » reliquiæ in confessione, cantent istam Anti» phonam : *Sub altare Dei sedes accepistis,* » *intercedite pro nobis ad Dominum, qui vos* » *elegit;* cum Psalmo *Exultabunt Sancti in* » *gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* » De includendis una cum sacris reliquiis in sepulcro altaris tribus portionibus corporis Domini, et tribus de incenso, abunde diximus supra in Commentario § IV, in quo etiam ejus rei significationem enarravimus.

II. Ne quis autem hunc ritum autumet temere fuisse ab uno vel alio Episcopo usurpatum, profecto constat ex omnibus pene Pontificalibus eam quidem fuisse praxim complurium Ecclesiarum atque Pontificum : quin, ubi Urbanum II Pontificem Maximum in urbe Turonica existentem dedicasse basilicam Majoris-Monasterii Sancti-Martini Turonensis auctor anonymus in libro *De gestis Abbatum* ejusdem monasterii asserit, servatum etiam ab ipso Urbano eumdem ritum scribit his plane verbis : « In altari ergo Domi» nico est ineffabile corporis Christi sacramen» tum collocatum, cum horum pignoribus San» ctorum, particula scilicet victoriosissimæ crucis » Christi, etc. » Constat et hæc praxis ponendi Christi Domini corpus una cum sacris Sanctorum reliquiis, ubi altare dedicabatur, ex *Magno Exordio Cisterciensis Ordinis,* distinctione III, cap. XIII, in quo de Gaufrido Sorensi episcopo narratur quod, cum vetustissimam quamdam basilicam reparare statuisset, atque antiquum altare dirui jussisset, « reperit in eo capsulam » scabrosam ac veterem Sanctorum reliquias » continentem. » Tum addit quod « inter eas» dem reliquias corpus Domini repositum erat. »

III. Quanquam vero hæc praxis etiam tercentis circiter abhinc annis viguerit, et ab Episcopis multis in locis servaretur, testatur tamen in *Summa* sua Hostiensis, qui floruit anno Christi 1255, se Innocentium IV Papam de eo ritu consuluisse, qui habito peritorum consilio respondit non decere corpus Domini recondi in altari. Atque hæc est sententia Canonistarum, Archidiaconi et Joannis de Turrecremata, et aliorum in can. *Placuit, De consecratione,* distinctione I, itemque Panormitani in cap. I *De consecratione ecclesiæ vel altaris,* ubi eam rationem affert : « Quia corpus Christi est cibus » animæ, qui non debet servari, nisi ad opus » infirmorum et refectionem animarum. » Addit tamen laudatus scriptor « S. Leonem Papam in » consecratione cujusdam ecclesiæ, cum reli» quiæ non adessent, dedisse partem corporalis » et Eucharistiæ. »

IV. Esse antiquum ritum, et ubique locorum passim receptum, ut in altari quod dedicabatur sacræ reliquiæ includerentur, saltem post datam Ecclesiæ pacem per Constantinum imperatorem, addiscere licet ex variis Conciliorum canonibus et priscorum Patrum locis, quos superius fuse retulimus in Commentario § IV hujus tituli. Joannes cardinalis Bona paucis utique comparandus, lib. I *Rerum Liturgicarum,* cap. XIX, num. V, inde originem traxisse autumat cele-

Digitized by Google

berrimum et inviolabilem Ecclesiæ ritum, ut sine Martyrum reliquiis nullum templum nullumve altare dedicetur, quod olim Christianorum mos esset ut, cum ab ethnicis fidei causa vexabantur, in cœmeteriis, in quibus Martyrum corpora quiescebant, ad synaxim peragendam convenirent; profligato autem ethnicismo, cum jam liceret palam et ubique erigere ecclesias, ac in iis hæ præcipue locis excitarentur, in quibus paulo ante congregari et mysteria celebrare consueverant, cœpisse hunc primum in Ecclesia Romana ritum observari, et ab ea deinde ad alias dimanasse, ex eo firmat laudatus Bona, quod de Felice I Summo Pontifice ita scribit Anastasius : « Hic constituit super » sepulcra aut memorias Martyrum Missas celebrari; » quia fortasse de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset. Electus fuit S. Felix I Pontifex Maximus anno Christi 269.

V. Insequentibus sæculis, post datam nempe Ecclesiæ pacem, innumera exstant Patrum loca quæ nos condocent erecta altaria super reliquiis sanctorum Martyrum. Testatur id quidem sanctus Hieronymus Vigilantium reliquias deridentem his verbis suggillans : « Male ergo facit » Romanus Episcopus, qui super mortuorum » hominum Petri et Pauli, secundum nos, ossa » veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, » offert Domino sacrificia, et tumulos eorum » Christi arbitratur altaria. » Testatur Prudentius Hymno II de S. Eulalia virgine, ubi ita inquit in fine :

Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum;
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc populosque suos
Carmine propitiata fovet.

Idem Prudentius, Hymno XI de passione Hippolyti martyris, postquam locum descripsit in quo repositum fuit ejusdem corpus, ita canit :

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris, apposita,
Servat ad æterni spem vindicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.

Laudatus præterea scriptor, Hymno V de S. Vincentio martyre, ut alia ipsius loca omittam, ita ad rem ait :

Sed mox subactis hostibus,
Jam pace justis reddita,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,
Cœlestis auram muneris
Perfusa subter hauriunt.

Concinit Prudentio Paulinus in Natali IX S. Felicis, his plane versibus :

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem,
Namque et Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.

VI. Erecta etiam quandoque templa super tumulos Confessorum, testes sunt Theodoretus atque Sozomenus, quorum primus, *Historiæ religiosæ* cap. XXIV, loco Zebinæ monachi maximum templum ædificatum scribit. Alter vero, libro VIII *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XIX, de S. Nilamnone monacho agens, qui mortem a Deo impetraverat ne onus Episcopale subiret, ita ait : « Templum super ejus sepulcrum in» digenæ construxerunt. » Certe antiquissima et ubique recepta consuetudo fuit, ut martyrum reliquiæ in altarium consecratione adhibeantur, et sub ipsis altaribus poni deberent. Nam et in Apocalypsi, cap. VI, S. Joannes scribit se vidisse animas occisorum sub ara. Quem locum S. Augustinus, *Sermone* XI *de sanctis*, interpretatur de visibili ara, dicens : « Videte autem quem locum » Martyres apud homines mereantur, qui apud » Deum locum sub altario meruerunt. » Et paulo post : « Recte sub altario justorum animæ » requiescunt, quia super altare corpus Domini » offertur. » Nec immerito illic Justi vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Egregia est et ratio S. Petri Damiani, in *Sermone* LXIX, primo *in dedicatione ecclesiæ*, cur nempe sacræ reliquiæ in altari includantur : « Per hoc, inquit, quod » in sacris altaribus Dominico corpori Sancto» rum reliquiæ sociantur, unitum Redemptori » suo sanctæ Ecclesiæ corpus ostenditur, et quasi » sponsus cum sponsa in sancti altaris thalamo » collocatur. Et quia in Apocalypsi sub altare » Dei visæ sanctorum Martyrum animæ refe» runtur, aptissime congruit ut etiam apud nos » sub aræ visibilis mensa eorum patrocinia re» condantur. »

VII. Illud etiam profecto constat, non semper integra Sanctorum corpora, seu insignes eorum

Digitized by Google

partes, sed quæcumque ipsorum fuerant usui, seu illorum contactu sanctificata fuissent, in altari, quod dedicabatur, includi consuevisse; fuitque is mos antiquus; ut late ostendit in celebri opere suo *De cœmeteriis* vir egregius Marcus Antonius Buldethus, lib. III, cap. VIII. Sane testatur S. Gregorius Turonensis, lib. I *De gloria Martyrum*, cap. LXI, in Arvernensi Sancti-Symphoriani ecclesia tres lapillos sanguine sancti Martyris tinctos reconditos fuisse. Et lib. II, cap. XXXIV, narrat in dedicata a se Turonensi Sancti-Juliani ecclesia nihil in altari repositum fuisse, quam fimbrias ex palla quæ desuper S. Martyris sepulcrum dependebat. Et in cap. XL ejusdem libri agens de basilica Sancti-Juliani ab Aredio abbate constructa: « Veniens, inquit, » Sacerdos ad dedicandam ædem..... nihil aliud » pro reliquiis in sanctum altare condere voluit, » nisi vasculum, cujus aqua in balsamum com» mutata fuerat, dicens: Hæ sunt certe reliquiæ » quas Martyr paradisiacis virtutibus illustra» vit. »

VIII. Narrat præterea idem scriptor in *Vitis Patrum*, cap. VIII, de S. Nicetio Lugdunensi episcopo, ex filis sudarioli, quod super caput ejusdem S. Præsulis in die obitus sui positum fuerat, tanquam venerandis reliquiis basilicas et altaria se dedicasse: « Ad nos quoque faci» tergium dependentibus villis intextum, quod » sanctus super caput in die obitus sui habuit, » perlatum: quod nos tanquam cœleste munus » suscepimus. Factum est autem ut post dies » plurimos ad benedicendam ecclesiam in pa» rochia Paternacensi urbis Turonicæ invitare» mur. Accessi, fateor, sacravi altare, decerpsi » fila de lintco, locavi in templo. » Tum narrato miraculo cujusdam cæci, qui apud ipsum altare visum recuperavit, hæc addit: « Posui, fateor, » de his pignoribus et in aliis basilicarum alta» ribus, in quibus, et energumeni Sanctum » confitentur, et fidelis oratio sæpius promere» tur effectum. » Paulo tandem inferius subjicit ecclesiam, dudum constructam apud vicum Priscianensem urbis Turonicæ, consecratam a se quidem fuisse, collocatis in ejus altari eisdem reliquiis. Puto hujusmodi fuisse reliquias SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. martyrum Laurentii ac Pancratii, quas Palladio Sanctonensi episcopo misit S. Gregorius Papa ad dedicanda quatuor altaria, quæ in basilica ab eo constructa remanserant non consecrata, uti videre est apud eumdem Gregorium libro V, epistola X.

IX. Sed ut magis magisque videas hujus ritus antiquitatem; cum Severus a Paulino antistite Nolano peteret ut ei reliquias transmitteret, ut recens a se erectam ecclesiam consecraret, misit ille parvum fragmentum de ligno S. crucis, quod a Melania dono acceperat. « Testis est au» tem Dominus, inquit in Epistola XI ad Seve» rum, quod si vel scrupulum sacri cineris ha» buissemus supra quam nobis ad basilicam, » quæ proxime in nomine Domini consumma» bitur, dedicandam necessarium erat, misisse» mus unanimitati tuæ: sed quia nos non ha» buimus hujus muneris copiam, invenimus » quod digne et ad basilicæ sanctificationem » vobis, et ad sanctorum cinerum cumulandam » benedictionem mitteremus, partem particulæ » de ligno divinæ crucis, quod nobis bonum be» nedicta Melania ab Hierusalem munere sancti » inde episcopi Joannis attulit. » Scribit præterea Panormitanus relatus a Stephano Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXV, « Leonem Papam in consecratione cujusdam » ecclesiæ, cum reliquiæ non adessent, dedisse » partem corporalis et Eucharistiæ. »

X. Longe etiam post annum Christi millesimum, labente nimirum XII sæculo, servatum fuisse hunc ritum, ut complures id genus reliquiæ in altari, quod dedicabatur, includerentur, profecto addiscimus ex pervetusta inscriptione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ antiquæ Veronæ, cujus altare majus Alexander Papa III, anno 1177, kal. Augusti dedicavit in honorem beatæ Mariæ Virginis, ubi repositæ sunt reliquiæ multæ, « de » sanguine Domini nostri Jesu Christi, de spina » coronæ, de ligno S. crucis, de lancea Longini, » de pannis quibus involutus fuit Jesus Christus, » de capillis B. Mariæ Virginis, de vestimentis, » de velo suo, de mensa Christi lapidea, in qua » cœnavit cum discipulis suis, de tribus Magis, » Gaspare, Baldassare, Melchiore, de B. Joanne » Baptista, de beatorum Apostolorum Petri et » Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Bartholomæi, » Simonis, Thadæi et Barnabæ, S. Martini epi» scopi et confessoris, et S. Martini Papæ et » Martyris reliquiis. » Itaque summa est audacia Orderici Vitalis, qui cum hujusmodi reliquiis extrinsecis, ut aiunt, fieri consecrationes alta-

Digitized by Google

rium improbat, idque præsumentes temeritatis nota inurere non erubescit. Etenim lib. VII *Historiæ Ecclesiasticæ*, agens de translatione S. Nicolai in civitatem Barensem nostri regni Neapolitani, postquam dixit plurimos frusta de marmorea urna, sive sepulcro S. Antistitis, quam ruperant, abstulisse, hæc addit : « Ex quibus a multis Pontificibus per Italiam multa altaria tabulæque temerarie consecratæ sunt. »

XI. Apud Græcos in sacro quidem disco repositas, capite supposito, deportans Pontifex ipse reliquias, in ipso Christi throno, id est altari, collocat; ejusque ritus eam rationem reddit Simeon episcopus Thessalonicensis : « Sanctificatæ » sunt reliquiæ, membra Christi sunt Sancti et » ejus altaria, et ut pote ejusdem hostiæ, in sacra- » tissimo reponuntur disco, quia æqualis cum » Domino consortes sunt gloriæ, pro eo præliati, » et in dedicata mensa recumbunt, quandoqui- » dem commortui sunt Christo, et divino gloriæ » ejus throno adstant; proptereaque in capite » cum disco reliquias attollit Pontifex, ut et di- » vina mysteria, corpus et sanguinem Domini. » Sic namque fidelibus cunctis edicit Paulus : » Vos estis corpus Christi, et membra utique » ejus erunt, qui pro eo certaverunt et ejus mor- » tem sunt imitati. » Idipsum et alii complures » docent. »

XII. Alienum non erit et alium ritum huic Commentario adnectere, non modo olim in altaribus, sed in diversis etiam ecclesiæ locis sacras reliquias locatas fuisse. Auctor est siquidem Leo Marsicanus, lib. III *Chronici Casinensis*, cap. XXX, in dedicatione basilicæ Sancti-Benedicti facta ab Alexandro Papa II, præter altaria repositas fuisse reliquias « in turre argentea, » quæ est in arcu majori... in abside Sancti- » Joannis. » Tum addit : « Super omnia vero » hæc, quod tacendum non duximus, in singu- » larum columnarum ejusdem basilicæ capitel- » lis tempore constructionis reverenter satis in » æreis pixidulis reliquiæ SS. Philippi et Jacobi... » et aliorum multorum collocatæ sunt. » Et paulo post adjungit : « In quatuor angulis cam- » panarii hæ sunt reliquiæ, lignum Domini, » de lapide S. sepulcri, etc. In cruce campanarii » lignum Domini, etc. »

XIII. De thurificandis denique sacris reliquiis in altari positis, dum interim quædam in § hoc nostro descripta cantantur, nihil habent antiqui libri Pontificales; sed vide quæ infra dicentur de thuris suffitu semel ac iterum in dedicatione adhibito vel juxta Pontificalium antiquorum præscriptum Ecclesiæ Græcæ æque ac Latinæ.

§ LV.

Quo facto, imposita sibi mitra, accipit tabulam seu lapidem, cum quo debet claudi sepulcrum, in manum sinistram; et pollicem dexteræ manus intingit in sanctum chrisma, et cum eo facit in medio dictæ tabulæ, sive lapidis de subtus, signum crucis, dicens : *Conse✠cretur et sancti✠ficetur hæc tabula* (vel *hic lapis*) *per istam unctionem et Dei benedictionem. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Et mox linit cum cæmento, ponit et coaptat tabulam seu lapidem supra sepulcrum, claudens illud, et inchoans, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Sub altare Dei audivi voces occisorum, dicentium : Quare non defendis sanguinem nostrum? et acceperunt divinum responsum : Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Alia Antiphona toni VIII : *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt : et vivent nomina eorum in æternum. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Post hæc, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum majestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia; et præsta ut quorum hic

Digitized by Google

reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Celebris est controversia inter eruditos scriptores, ligneane an lapidea primis Christi sæculis altaria fuerint. Plerique asserunt a S. Silvestro constitutum ut altaria lapidea essent, sed hujus decreti nulla mentio apud antiquos reperitur, ut scite observat Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XX, ubi etiam scitissime docet utraque tempore persecutionis usitata, prout temporum locorumque opportunitas ferebat; expeditum autem magis altarium ligneorum usum, quia facilius de loco in locum transferri poterant. Sed et post datam Ecclesiæ pacem prosmiscuum viguisse usum lapidei et lignei altaris, aperte ostenditur ex antiquorum Patrum locis. Etsi enim S. Gregorius Nyssenus, *Oratione in baptismum Christi,* altaris lapidei tanquam communiter tunc usitati meminerit; S. tamen Athanasius, in Epistola ad solitariam vitam agentes, ligneum fuisse altare dicit, quod Ariani igni tradere non formidarunt: « Subsellia, thronum, mensam, quippe quæ » lignea esset, vela ecclesiæ, et cætera, quæ » poterant, foras elata combusserunt ante ves- » tibulum in magna platea. » Etiam hoc eodem tempore, quo floruerunt Nyssenus et Athanasius, IV nempe Christi sæculo, lignea fuisse in Africa altaria, perspicue innuit S. Optatus Milevitanus, lib. VI *Contra Donatistas*, in quo illis exprobrat quod altaria lignea in Catholicorum odium aut fregerint, aut raserint, aut ex ecclesiis removerint. Sane redarguit et S. Augustinus eosdem Donatistas, lib. III *Contra Cresconium*, cap. XLIII, quod Maximianum Bagajensem Episcopum ex lignis altaris sub quo confugerat, quodque super ipsum fregerant, occidissent.

II. De altari lapideo celebre est S. Gregorii Nysseni testimonium, qui in laudata *Oratione in baptismum Christi* ita inquit : « Nam et al- » tare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est » natura communis, nihil differens ab aliis » crustis lapideis, ex quibus parietes nostri ex- » struuntur et pavimenta exornantur: postquam » vero Dei cultui consecratum atque dedicatum » est, ac benedictionem accepit, mensa sancta » est, altare immaculatum, quod non amplius » ab omnibus promiscue tangitur, sed a solis Sa- » cerdotibus, iisque venerantibus contrectatur. » Concinit Nysseno S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XX *in* II *Pauli Epistolam ad Corinthios*, ubi de altari ita inquit : « Hoc altare rursum ad- » mirationem habet : natura quidem lapis est, » sanctum autem efficitur, postquam Christi » corpus excepit. » Concinit etiam S. Augustinus in *Sermone* CCLV *De tempore*, licet alibi altaris lignei mentionem fecerit : sic enim in laudato *Sermone* ait : « Consecrationem altaris ho- » die celebramus, et juste ac merito gaudentes » celebramus festivitatem, in qua benedictus vel » unctus est lapis in quo nobis divina sacrificia » consecrantur. » Possem et alia afferre testimonia, sed dicendum est non modo primis Christi sæculis, sed longo quoque post tempore usitata fuisse in ecclesiis non modo altaria lapidea, sed et lignea, aurea, argentea et de aliis metallis, uti videre est apud laudatum Joannem cardinalem Bona, Edmundum Martenium, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. III, articulo VI; Stephanum Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, et ex heterodoxis Gothofredum Voigtium in peculiari libro *De altaribus*. Cæterum recte obtinuit usus pluribus abhinc sæculis, ut lapidea sint altaria, ob eam rationem quam in libro *De templo* docet Simeon episcopus Thessalonicensis, sic dicens : « E » lapide autem est altare, quia Christum refert, » qui etiam petra nominatur, tanquam fun- » damentum nostrum, et caput anguli, et lapis » angularis ; et quia petra, quæ olim Israelem » potavit, hujus mensæ imago fuit. » Varias causas, ob quas altaria e lapide fiant, enarrat S. Thomas III parte, quæstione LXXXIII, et in IV *Sententiarum*, distinctione XIII. Vide Alexandrum de Ales, parte IV, quæstione XXXVI, membro I; cardinalem de Turrecremata in can. *Altaria*, I *De consecratione*, distinct. I, et alios.

III. Consuevisse ab incunabulis nostræ Christianæ religionis sacra altaria rite inungi et consecrari, præter laudatum Augustini testimo-

Digitized by Google

nium, testis est S. Evaristus Papa, qui constituit altaria non solum chrismatis unctione, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Quod quidem constitutum repetitum est in Concilio Agathensi, canone XIV. Testis est S. Cyprianus, vel quisquis est auctor libri *De unctione chrismatis*, in quo hæc habet : « Oleo antiquitus Sacerdotes sacra» bantur et reges, et ipsi altarium lapides deli» buti, spiritalem intelligi volebant sacris my» steriis inesse pinguedinem. » Quo spectat egregius S. Dionysii locus in libro *De Ecclesiastica hierarchia*, cap. IV. « Hoc etiam, inquit, » sancte observa, ut sacratissimorum illa lex » mysteriorum altaris consecrationem sacratis» simi unguenti sanctissimis perficit infusioni» bus. » Possent et alia hic coacervari pervetustorum Patrum loca, sed in re tam clara, ac omnibus prorsus nota, ab iis recensendis consulto abstineo.

IV. Quæret ergo quispiam cur altare post aquæ benedictæ aspersionem chrismate perungatur. Factum id esse autumat Rabanus Maurus, libro II *De institutione Clericorum*, cap. XLV, ad imitationem Patriarchæ Jacob, qui, post visionem illam terribilem, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, vocans locum domum Dei. Tum addit decere quam maxime « ut res sacrificandæ sacro chrismatis liniantur » unguento; ut demonstretur quod omnis san» ctificatio constat in Spiritu sancto, cujus virtus » invisibilis sancto chrismati ad sanctificationem » præbendam permixta est. » Ex auctore *De unctione chrismatis* inter opera S. Cypriani addiscimus sacro oleo altarium lapides delibutos significare quidem nobis « spiritualem » sacris mysteriis inesse pinguedinem. » Aliqui Patres hanc ejus ritus ungendi altare rationem innuunt; quia scilicet cum Christus idem sit qui Spiritu sancto accepto sanctus est, et nos sanctificat; ideo altare, a quo sanctitas defluit, sanctitatem aliquam a chrismatis unctione mutuatur, unde in laudato *Sermone de tempore* inquit Augustinus : « Consecrationem altaris » hodie celebramus, et juste ac merito gauden» tes celebramus festivitatem, in qua benedictus » vel unctus est lapis in quo nobis divina sacra» menta consecrantur. » Expressius vero Simeon Thessalonicensis episcopus : « Quando» quidem unguentum effusum nomen est Chri» sto Deo nostro, mensa, quæ sepultum illum » manifestat, chrismate ungitur, et tota un» guentum est, eo quod et illa spiritus gratiam » excipit, etc. »

V. Age nunc explicemus varios ritus in nostra hac Rubrica descriptos. Mandat ergo primum ut Episcopus accipiens in manu sinistra tabulam, seu lapidem cum quo debet claudi sepulcrum, et pollicem dexteræ manus in chrisma intingens, faciat in medio dicti lapidis de subtus signum crucis dicens : *Conse* ✠ *cretur, etc.* Cui ritui haud omnino consonant antiqui libri Pontificales, nam vetus Ordo Romanus hanc ipsi ritui præmittit Orationem : « Deus » qui altaria nomini tuo dicanda sanctificas; » præsta, quæsumus, ut quod nostra fragilitas » non meretur, intercessione beati N. huc spi» ritus tui plenitudo descendat, qui et munera » nostra sanctificet, et indulgentiam nobis tuæ » pietatis obtineat. Per Dominum..... in unitate » ejusdem Spiritus sancti. » Tum statim præscribit ut « accipiens Episcopus tabulam de » subtus confirmet eam cum chrismate in cru» cem, ita dicendo : *In nomine Patris, et Filii,* » *et Spiritus sancti.* Responsio : *Amen. Pax* » *tecum.* Responsio : *Et cum spiritu tuo.* »

VI. Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, ac nonnulla alia sequioris ævi eum præscribunt ritum, ut antequam sacræ reliquiæ includantur, ponat Episcopus chrisma intus in confessione per angulos quatuor in modum crucis, ita dicendo : *In nomine Patris, etc.* Verum ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Noviomensis, et ex codice manuscripto B. Mariæ Remensis annorum octingentorum, nec non manuscripto Pontificali Barensi annorum circiter quingentorum, cautum quidem est ut ipse Episcopus « accipiens » tabulam, confirmet eam cum chrismate in » crucem, ita dicendo : *In nomine, etc.* » Ubi nota nihil dici expresse in tribus hisce Pontificalibus de ungenda tabula, seu lapide altaris in parte ejus inferiori, quamvis id subobscure innuant. Expressum profecto habemus ipsum ritum in manuscripto Pontificali Apamiensi et Constantinopolitano his verbis : « Et accipiens » lapidem quo claudenda est ipsa confessio, hoc » est sepulcrum in quo recondendæ sunt reli» quiæ, confirmet ipsum lapidem in medio et » per quatuor angulos crucem faciendo cum » chrismate, a parte videlicet illa quæ jacere

Digitized by Google

» debet super reliquias, sic dicens per unam-
» quamque crucem : *In nomine Patris, et Filii,*
» *et Spiritus sancti.* ℟. *Amen. Pax tibi.* ℟. *Et*
» *cum spiritu tuo.* »

XII. Ergo in nullo ex allatis Pontificalibus exstat formula integra quæ in nostro hodierno Romano Pontificali habetur, nempe : *Conse* ✠ *cretur et sancti* ✠ *ficetur, etc.*, quam alias legere est in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Duraudi. Rursus observandum est, ex Pontificali Apamiensi et Constantinopolitano, crucem cum chrismate non modo faciendam in medio tabulæ, seu lapidis, sed et per quatuor ipsius angulos, ex parte quidem inferiori, cum cæteroqui unam tantum imprimendam crucem in medio scilicet tabulæ præscribat Rubrica nostri Pontificalis, cui suffragari videtur memoratus Durandus, qui in suo *Rationali*, lib. I, c. VII, ad unam tantum crucem videtur alludere, ubi ita inquit : « Supponitur et aptatur ipsi sepulcro » quædam tabula signo crucis ex chrismate » roborata. »

VIII. Mandat secundo Rubrica nostri Pontificalis ut Episcopus, postquam sub descripta formula tabulam, seu lapidem, ex parte inferiori chrismate inunxit, mox cum cæmento lineat, et coaptet ipsam tabulam seu lapidem super sepulcrum, claudens illud, et inchoans, Schola prosequente, Antiphonas *Sub altare Dei, etc.*, et *Corpora Sanctorum, etc.*, tandem vero Orationem illam recitet : *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, etc.* Certe variant et in hac parte libri antiqui Pontificales; etenim ex manuscriptis Pontificalibus Apamiensi et Constantinopolitano, et Barensi, imponit quidem Episcopus ipsum lapidem super reliquias, sed ministri liniunt eum et firmant cum calce, quæ antea fuerat præparata cum aqua benedicta, Clero canente Antiphonam « Sub altare » Domini, etc., » cum Psalmo « Exultate Deo » adjutori nostro, » et Episcopo dicente Orationem « Deus, qui ex omni coaptatione Sancto- » rum, etc. » Ex manuscripto Pontificali Halinardi, archiepiscopi Lugdunensis, annorum circiter septingentorum, post conditas reliquias dicit Episcopus hanc ipsam Orationem sine ulla Antiphona, vel Psalmo. « Deinde linit eum » (lapidem) cum malta, quæ ante fuerat præ- » parata. » Idipsum præscribit codex manuscriptus B. Mariæ Remensis, et Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum.

IX. Habent et alia antiqua Pontificalia suam varietatem, uti videre est in manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis episcopi annorum circiter mille, ex cujus præscripto, post positas tres portiones corporis Domini intus in confessione et tres de incenso, et reclusas ibidem sacras reliquias, canitur primum hæc Antiphona : « Sub altare Domini sedes accepistis, et » intercedite pro nobis per quem meruistis. » Deinde hæc alia : « Exultabunt Sancti in gloria, » lætabuntur in cubilibus suis; » cum Psalmo « Cantate Domino canticum novum, laus » ejus, etc. » Tum benedicit Episcopus tabulam altaris, quæ tamen prius de aqua sacrata lavabatur : estque benedictionis formula : « Sin- » gulare illud repropitiatorium, etc., ut sup. Ponitur tandem tabula desuper, et linitur calce, et dicuntur ab Episcopo duæ Orationes. Prima quidem : « Deus, qui ex omni coaptatione San- » ctorum, etc. » Alia vero hunc in modum : « Deus omnipotens, universarum rerum ratio- » nabilis artifex, qui inter cæteras creaturas » formam lapidei metalli ad obsequium tui sa- » crificii condidisti, ut Legislatori tuo præpa- » raretur altare : annue dignanter, hujus insti- » tutor mysterii, ut quicquid hic oblatum » sacratumve fuerit, nomini tuo adsurgat, reli- » gioni proficiat, spei initietur, fidei sit honore. » Per. » Confer Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis ejusdem ætatis, in quo etiam aliæ duæ ad benedicendam tabulam Orationes exstant, uti videre est apud Martenium. Cæterum, ex antiquo Romano Ordine, primum ponit Episcopus tabulam super reliquias; deinde dicit Orationem « Deus, qui ex omni coap- » tatione Sanctorum, etc.; » tertio tandem linit tabulam ipsam cum calce, quæ antea fuerat præparata, nulla facta mentione dicendæ ullius Antiphonæ vel Psalmi.

X. Insuper ex hactenus enarratis et illud liquet, variare initio Orationem; cum in multis Pontificalibus, in libro *Sacramentorum S. Gregorii*, et in Ordine antiquo Romano, in manuscripto Pontificali Barensi et aliis legatur : « Deus, qui ex omni coaptatione Sancto- » rum, etc., » in aliis vero, et apud Remigium monachum Antissiodorensem, « coaptione; » in hodierno tamen Romano Pontificali, *ex omnium*

Digitized by Google

cohabitatione Sanctorum. Quicquid de ea mutatione sit, audiendus est laudatus Remigius, qui ipsam Orationem in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VIII, scite explicat his plane verbis : « In ecclesiis æternum sibi condit habitaculum ex omni coaptione Sanctorum, quia illuc omnes Sanctos suscipiens, æterna mansione in eis habitat. Istud enim habitaculum, quod videmus, terrenum est atque transitorium ; sed nec coaptione Sanctorum ædificatur, sed lapidum atque lignorum. Illud vero habitaculum æternum est, quia nulli obnoxium mutationi, et de Sanctis fit, qui sunt veri lapides participatione illius lapidis angularis, in quo templum æternum compactum et constructum crescit in augmentum Dei modo in Spiritu sancto. Tunc autem perfectum erit, cum omnis numerus Sanctorum collectus fuerit, et capiti suo æternaliter adhæserit. » Eadem fere et alii nonnulli scriptores docent.

§ LVI.

Tum, accepta mitra, Pontifice prius incipiente, cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipsam tabulam seu lapidem super sepulcrum : deinde Pontifex intingit iterum pollicem dexteræ manus in sanctum chrisma, et cum eo format signum crucis super eamdem tabulam sive lapidem, dicens : *Signe✠tur et sancti✠ficetur hoc altare. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. Pax tibi.*

COMMENTARIUS.

I. Qualiter tabula seu lapis super sepulcrum reliquiarum cum cæmento benedicto coaptaretur, dictum est in Commentario § superioris, ubi etiam varii de ea re explicati fuerunt Ecclesiarum ritus. Notandum itaque in hoc Commentario, superpositam tabulam chrismate esse inungendam ab Episcopo in modum crucis, dicente : *Signe✠tur, etc.* Qui ritus in Ordine antiquo Romano, in manuscripto codice B. Mariæ Remensis, et in Pontificali manuscripto Ecclesiæ Noviomensis annorum octingentorum ita exprimitur : « Postquam linita fuerit (tabula), faciat crucem desuper cum chrismate, dicendo, sicut prius : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Pax tecum.* Responsio : *Et cum spiritu tuo.* Et mittat chrisma per quatuor cornua altaris, ipsa suprascripta verba dicendo, et crucem faciendo; et cantent Antiphonam : *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum* ; cum *Gloria Patri.* »

II. Ex manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, post recitatas ad benedictionem tabulæ quatuor Orationes, mittit Episcopus oleum super altare, in medio crucem faciens, et super quatuor angulos, cum Antiphona : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper*, et Psalmo *Quam dilecta.* Tum binas prolixas Orationes recitat. Pontificalia Ecclesiæ Cameracensis et Barensis mandant quidem ut, postquam cum calce firmatus est lapis seu tabula, « offeratur incensum, et dum Episcopus facit crucem super altare, dicat : *Dirigatur, Domine, oratio mea, etc.* » Idipsum edicit manuscriptum Pontificale Apamiense et Constantinopolitanum : « Ponatur, inquit, mensa super altare, et ministri liniant eam, et optime firment cum prædicta calce ; postea deferatur cum incenso, et dum Episcopus cum ipso thuribulo fecerit crucem super altare, cantet Clerus Antiphonam : *Dirigatur ad te, Domine, oratio mea.* » Ubi nota nullam fieri in quatuor hisce postremis Pontificalibus, Cameracensi, Barensi, Apamiensi et Constantinopolitano, mentionem ungendi tabulam seu lapidem sacro chrismate. Vide sis quæ de varia altaris unctione infra dicemus.

Digitized by Google

§ LVII.

Tum imponit incensum in thuribulum, dicens : *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* ℟. *Amen.* Et dextera manu producit desuper signum crucis, et, deposita mitra, inchoat, Schola prosequente, cantum toni I : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua : et data sunt ei incensa multa; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluia.* Interim cum mitra thurificat altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, donec præmissus cantus finiatur : quo finito, stans coram altari sine mitra, dicit :

OREMUS.

Dirigatur oratio nostra, quæsumus, Domine, sicut incensum in conspectu tuo, et copiosa beneficia Christianus populus assequatur, ut quicumque tibi in hoc altari sacranda libamina devotus obtulerit, vel sacrata susceperit; et vitæ subsidia præsentis accipiat, et remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, et gratiam sempiternæ redemptionis percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Usum thuris in Ecclesia antiquum ostendimus in opere nostro *De codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. XIII. Illius meminit *Canon* vulgo *Apostolorum* III, quo sancitur ne quid ad altare offeratur præter oleum pro luminaribus, et incensum tempore oblationis. Inter alia Dioscori patriarchæ Alexandrini scelera, conqueritur in actione III Concilii Chalcedonensis Ischirion diaconus Alexandrinæ Ecclesiæ, quod pecunias a clarissima femina Peristeria legatas in pauperum subsidium, scortis et mimis distribuerit, « ut neque incensum ex oblatione illius clarissimæ memoriæ Peristeriæ, quantum ad eum » pertinuit, Deo offerretur. » Usum adolendi altaria intra solemnia divini Officii, indicat quidem S. Dionysius, cap. III *Ecclesiasticæ hierarchiæ* his verbis : « Sacerdos, sacra precatione in ipso altari perfecta, et ab ea thurificationis initio ducto, universum circuit sacri » loci ambitum. » Testis est de eo ritu S. Ambrosius in cap. I Evangelii S. Lucæ, dicens : « Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat : » id est Angelus Domini, qui, uti habetur in ipso cap. I S. Lucæ, Zachariæ apparuit, stans a dextris altaris incensi, dum ille Sacerdotio fungens in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini.

II. In consecratione altaris non modo mos fuit ut tria grana de incenso, ut superius dictum est, una cum sacris reliquiis in ipso altari conderentur, sed etiam iterum atque thuris suffitus adhiberentur ex præscripto vetustissimorum Pontificalium et testimonio antiquorum scriptorum, uti inferius ostendetur; quamvis præter manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, nullum aliud invenerim Pontificale ubi legatur quod in hoc § præscriptum est. Enim vero mandat manuscriptum Pontificale Apamiense et Constantinopolitanum ut, postquam ministri linierint mensam seu tabulam super altare, et optime cum prædicta calce firmarint, « deferatur thuribulum cum incenso, » et, dum Episcopus cum ipso thuribulo fecerit » crucem super altare, cantet Clerus Antiphonam *Dirigatur ad te, Domine, oratio mea.* » Ex manuscripto codice B. Mariæ Remensis et Pontificali manuscripto Ecclesiæ Noviomensis cantum lego ut, dicta Antiphona « Introibo ad

Digitized by Google

» altare Dei » cum Psalmo « Judica me, Deus, » fiat malta de calce et tegula cum aqua benedicta, et postea ipsam aquam quæ remanet, fundat ad basim altaris, et extergatur altare de linteo, deinde vero offerat incensum super altare, et dicat Schola : « ℣. Dirigatur, Domine, ad te » oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. » Exstat et in aliis antiquioribus Pontificalibus ritus adolendi altare, sed post alios quidem in ipsa dedicatione celebratos ritus.

III. Ex Pontificali tandem Græcorum in Officio haberi solito in dedicatione templi, paulo post initium sacræ functionis, « traditur Pontifici » thuribulum, eoque in sacra mensa, in sacra» rio et in toto templo thus adolente, dicitur » Psalmus vigesimus quintus : *Judica me, Do» mine.* » Quem ritum explicans Simeon Thessalonicensis episcopus, ait : « In tota sacra æde » thus incenditur, propter cœlestem Christi » gratiam in orbe universo sparsam. »

§ LVIII.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, sedet, et Ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo, et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis, in medio et in quatuor ejus cornibus : quo facto, Pontifex ponit iterum incensum et illud benedicit, ut supra, videlicet : *Ab illo benedicaris, etc.*, ac tradit uni Sacerdoti superpelliceo induto, qui continuo altare circuit incensando, donec consecratio perficiatur, excepto eo tempore quo Pontifex illud incensat; tum enim Pontifici thuribulum præsentat, et per Pontificem thurificato, illud iterum accipit, et, ut prius, incensat. Tunc Pontifex, adhuc cum mitra stans, inchoat, Schola prosequente, Responsorium toni VII : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quod dum cantatur, Pontifex circuit ter altare ad dexteram continue thurificando.

COMMENTARIUS.

Thuris suffitum in consecratione altaris adhibitum, jam superius demonstratum est. Constat tamen ex manuscriptis Pontificalibus libris multam fuisse in eo ritu varietatem pro varietate Ecclesiarum ac temporum; quidam enim Episcopi, juxta præscriptum Pontificalium Ordinum, alio modo quam illo qui hic præscribitur, thuris suffitum adhibebant. Porro ex manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, non quidem Ministri, uti in hac nostra Rubrica habetur, sed *Pontifex extergit mensam altaris cum linteo mundo, et mox thurificat illam in modum crucis in medio et in quatuor ejus cornibus, etc.*, ut in hoc præsenti nostro §. Extergendum altare cum linteo observat quidem laudatus Remigius in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VI, eamque actionem ad mysticum etiam sensum refert, dum ait : « Quid intelligi» tur per linteum, nisi Dominicæ passionis » exemplum? » Tum hæc subjungit : « Extergi» tur ergo altare de linteo, cum tribulationes » sanctæ Ecclesiæ inter pressuras mundiales » liniuntur Salvatoris exemplo. » Affert mox varia Scripturæ loca quibus hunc mysticum sensum illustrare adnititur.

§ LIX.

Finita incensatione, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper : votum vovit Deo Jacob.* Psalmus : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* Et dicitur totus, sed in fine non dicitur *Gloria Patri.* Dum Antiphona et Psalmus prædicti cantantur, Pontifex, stans cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleum catechumenorum, et cum eo facit quinque cruces, videlicet in medio altaris et quatuor ejus

Digitized by Google

cornibus, in locis in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet primam in medio altaris, secundam in dextero posteriori, id est Evangelii, tertiam in sinistro anteriori, quartam in dextero anteriori, quintam in sinistro posteriori hoc ordine :



dicens dum singulas cruces facit : *Sancti ✠ ficetur et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.*

COMMENTARIUS.

I. Quod prolixius in hoc et sequentibus §§ edicitur, breviori enarratione habetur in Ordine antiquo Romano, ex quo cautum est quidem ut, postquam Pontifex detulit incensum super altare, et dixit Schola hunc versum *Dirigatur, Domine, etc.;* tunc de oleo sanctificato faciat Pontifex ipse crucem in medio altaris et per quatuor angulos altaris tribus vicibus dicendo : « Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti. ℟. Amen. Pax tecum. » ℟. Et cum spiritu tuo. » Tum adjungit, quod in nostro § præscriptum est, ut in prima unctione cantetur hæc Antiphona : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper;* et Psalmus : *Quam dilecta.* Innuit et hunc ritum S. Gregorius in libro *Sacramentorum*, in eo titulo qui inscribitur *Ordo ad ecclesiam dedicandam;* in quo tamen, loco Psalmi *Quam dilecta*, dicendum præscribit Psalmum *Fundamenta :* « Postea, inquit, offert incensum, et » mittit oleum super altare, in medio crucem » faciens et super quatuor angulos cum Anti- » phona, canendo : *Erexit Jacob*, cum Psalmo » *Fundamenta;* et ungit cum manu sua ipsum » lapidem, semper incensum in circuitu ipsius » altaris alio Sacerdote faciente. »

II. Praxim ejus ritus, quem cæteroqui servandum mandant plerique libri Pontificales, legere est quidem in Vita S. Germani episcopi Antissiodorensis, qui, ut refert Erricus in *Supplemento miraculorum* ejusdem Pontificis, c. III, apud Bollandianos ad diem XXXI julii, cum Engolismæ in Aquitania altare de nomine Apostolorum Principis dedicaret, « ubicumque, et » quoties per altaris cornua mediumque crucis » effigiem sanctificati unguinis liquore signavit, » ita marmor impressione pollicis liquefactum » subterfugit, ut ad impulsum digiti niveam » putares cessisse mollitiem. » Obiit Germanus, teste Baronio, anno 435 ; ut hinc intelligas quam pervetustus sit hujusmodi ritus ungendi cum pollice, in modum crucis, altaris medium et quatuor ejus cornua. Hunc eumdem ritum in consecratione ecclesiæ cœlitus facta servatum olim fuisse, docet nos Vita S. Heraclii episcopi Senonensis in Gallia, qui cum ad dedicandam ecclesiam una cum aliis Episcopis in orationibus pernoctasset, « facto mane, dum respicerent al-

Digitized by Google

» tare, viderunt in quatuor angulis et in medio » marmoris signacula crucis decenter impressa » atque sacro oleo delibuta. » Floruit Heraclius circa annum Christi 522. Vide ejus Vitam apud Bollandianos ad diem XVIII junii, et apud Andream Saussaium in *Martyrologio Gallico* die III junii. Quod autem olim altaria cum signo crucis solerent consecrari, clarum est tum ex recitato loco, tum ex *Sermone* XIX S. Augustini *de Sanctis*, ubi ita inquit : « Cum ejus crucis » charactere basilicæ dedicantur, altaria conse- » crantur. »

III. Satis congrue servari hunc ordinem ut, post emundationem per aquam et reliqua superius enarrata, perfundatur altare oleo, ex eo docet Remigius Antissiodorensis monachus in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VII, quia nempe sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, et sic unctione insignitur per manus Pontificis, ut Spiritus sancti in se mereatur adventum ; nam oleum gratiam significat Spiritus sancti, et dum oleum corporibus adhibetur exterius, adventus Spiritus sancti significatur interius. Unde per Isaiam promissum est, cap. X : *Et computrescet jugum a facie olei.* Jugum enim dæmoniacæ dominationis putruit in genere humano per adventum Spiritus sancti.

IV. Sed quæres cur in medio altaris crux fiat ex oleo et per quatuor angulos ejus. Respondet laudatus Remigius : Quia Ecclesiæ fundamenta atque initia in Jerusalem primo surrexerunt, quam in medio mundi scimus positam, teste Ezechiele, cap. V : *Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras.* Et item Psalmista in Psalmo LXXIII : *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* In medium ergo altaris oleum funditur in modum crucis, et sic per quatuor angulos ejus : quia primum in Jerusalem positæ supervenit Ecclesiæ donum Spiritus sancti, et sic in cæteras mundi partes derivata est. Scriptum est enim per Isaiam, cap. II : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Hinc Salvator discipulis cum præcepisset, Matthæi cap. XXVIII : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* præcepit eis tamen ut adventum sancti Spiritus in Jerusalem exspectarent, et sic ad docendum properarent, dicens, Lucæ cap. XXIV : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

V. Neque vero sui est expers mysterii, quod Pontifex, recordatus veteris historiæ simul et ministerii, Schola prosequente, Antiphonam canere incipiat : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.* Jacob namque, uti habetur cap. XXVIII *Genesis*, cum exsularet, lapidem sibi sub capite posuit in Bethel, et dormivit. Domum Dei esse ecclesiam, testatur Paulus in Epistola I ad Timotheum, cap. III : *Scias qualiter te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia.* Lapidem autem illum quem Jacob sub capite habuit, typum Salvatoris exprimere, docent passim ejus loci interpretes. Ille ergo fundamenta domus Dei contemplari meretur, qui lapidem ad caput habet ; quia ille veraciter quæ sunt divina conspicit, qui caput, id est mentem in Christo fixam habet. Unxit autem eumdem lapidem, quia prævidit futurum illum lapidem, et ungendum, qui reprobatus a Judæis ædificantibus, et unctus a Deo Patre oleo exsultationis præ consortibus suis fuit : Unde et S. Petrus in *Actibus Apostolorum*, cap. X : *Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* A qua unctione Christus, id est unctus, dicitur. Ungit vero Pontifex manu sua ipsum lapidem, quia in potestate veri Sacerdotis nostri fuit, quando Spiritum Paraclitum super Ecclesiam misit. Id quod ex variis Scripturæ locis ostendit Remigius.

VI. Tandem, quod in circuitu ipsius altaris alius Sacerdos incensum ponit, congruit illi tempori, quando Spiritus sanctus missus est super Apostolos, de quibus scriptum est in *Actibus Apostolorum*, quod, ante adventum Spiritus sancti, erant semper in templo laudantes et benedicentes Dominum. Cum ergo Pontifex altare ungit, alius Sacerdos incensum ponit, quia cum Dominus et Salvator Spiritum sanctum super Ecclesiam missurus est, et ipse Apostolorum chorus, qui Sacerdos noster est, virtutem orationis ad Dominum mittebat. Simulque ostendit neminem dignum esse adventu sancti Spiritus, nisi quem virtus sacræ commendat orationis.

VII. Plura de mysticis hisce significationibus videri possunt apud Gulielmum Durandum, lib. I *Rationalis*, cap. VIII, ubi illud notatu dignum refert, consuevisse in quibusdam Ecclesiis

Digitized by Google

Episcopos oleum et chrisma infundere in medio altaris et per quatuor ejus cornua, dum ipsam Antiphonam canerent: *Erexit Jacob lapidem, etc.* Sic enim inquit : « Episcopus superinfundit » oleum et chrisma, et cantat : *Erexit Jacob* » *lapidem in titulum, fundens oleum desuper,* » faciens primo super illo quinque cruces ex » oleo infirmorum, secundum Ordinem Roma- » num; secundum quasdam vero alias Ecclesias, » de utroque oleo, unam in medio, et quatuor » in cornibus : postea modo totidem, et chri- » smate. » Sane juxta præscriptum non modo antiqui Romani Ordinis, sed et libri *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* et complurium Pontificalium, ut infra ostendetur, bis ex simplici oleo, id est ex oleo catechumenorum, altare ungitur, tertio autem chrismate. Cujus explicationem inferius explicabimus. Cæterum in præsenti notandum eam esse formulam in manuscripto Pontificali Barensi descriptam, qua utebatur Pontifex per unamquamque infusionem : « Consecrare et sanctificare digneris, Domine » Deus, lapidem istum per istam unctionem et » nostram benedictionem. Per Christum Do- » minum nostrum. Amen. » Interim Chorus cantabat Antiphonam *Erexit Jacob,* et Psalmum *Quam amabilia*, id est, *Quam dilecta.* Sacerdos vero semper præparatus adolebat incensum per circuitum altaris, donec consecratio absolveretur.

VIII. Ex Pontificali manuscripto Cadurcensi annorum octingentorum, facit Episcopus crucem de oleo sancto quo consignantur infantes, in medio et per quatuor cornua altaris, ita dicens : « Confirmo et consecro te, in nomine » Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in honore » et nomine Sanctorum *Ill.*, ut per eorum in- » tercessionem fiant accepta libamina et hostiæ » super te oblatæ ad purgationem peccatorum » nostrorum, et eorum pro quibus offeruntur, » ipso sanctificante et auxiliante, qui vivit et » regnat in sæcula sæculorum. » Jubentur omnes respondere « Amen. » Deinde vero inchoat Episcopus Antiphonam : *Erexit Jacob lapidem in titulum*, cum Psalmo *Quam dilecta tabernacula tua;* et fundit de ipso oleo super altare, et ungit illud manu sua, « gyrante alio » Sacerdote thuribulum semper cum incenso » in circuitu ipsius altaris. »

§ LX.

Deinde Pontifex accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, Schola prosequente, Responsorium toni VII : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quo incœpto, Pontifex circuit semel altare ad dexteram, thurificando illud : deinde restituto thuribulo Sacerdoti et Responsorio finito, deposita mitra dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Adsit, Domine, misericordiæ tuæ ineffabilis pietas, et super hunc lapidem opem tuæ bene✠dictionis et virtutem tuæ unctionis infunde; ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Neque in antiquis, neque in recentioribus Pontificalibus descriptam huc usque Rubricam invenio, præter manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, in quo etiam hæc ipsa Oratio, *Adsit*, *Domine*, *etc.*, ab Episcopo recitanda exstat. Verum cautum ex omnibus Pontificalibus libris est ut ad quamlibet trium memoratarum unctionum, quas in medio altaris et per quatuor ejus cornua facit Episcopus, semper Sacerdos præparatus adoleat incensum cum thuribulo per circuitum altaris, donec ipsius consecratio finiatur. Neque desunt libri antiqui Pontificales in quibus, post infusionem olei in medio altaris et per quatuor ejus angulos, et post recitatam Antiphonam *Erexit, etc.*, cum Psalmo *Quam dilecta,* Orationes legantur, et quidem prolixæ,

Digitized by Google

uti videre est in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, in quo duæ exstant Orationes; et in manuscripto Pontificali Cadurcensi annorum octingentorum, in quo Episcopus imponens Antiphonam *Erexit Jacob lapidem*, *etc.*, cum Psalmo *Quam dilecta,* ungit altare, alio Sacerdote adolente incensum per ipsius altaris circuitum : postea vero admonente Diacono, *Flectamus genua*, et respondente *Levate*, idem Episcopus hanc Orationem dicit : « Omnipo» tentiam tuam, Domine, supplices implora» mus, ut hoc altare sacrificiis spiritualibus » imbuendum, quod in honore et nomine San» ctorum tuorum *Ill.* consecramus, vocis nostræ » exoratus officio, præsenti benedictione sancti» fices, atque in eo et super eum semper obla» tiones nostras ac famulorum tuorum studio » bonæ devotionis impositas benedicere et san» ctificare digneris, et spiritali placatus incenso, » precibus familiæ tuæ promptus exauditor » assistas. Per Dominum. » Est hæc antiqua Oratio, occurritque passim in Pontificalibus.

§ LXI.

Oratione finita, Pontifex inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni I : *Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper : votum vovit Domino : vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.* Psalmus XCI. *Bonum est confiteri Domino, etc.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Incœpta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, facit iterum quinque cruces cum pollice de eodem oleo catechumenorum in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens, dum singulas cruces facit : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur lapis iste. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, et memoriam sancti N. Pax tibi.*

COMMENTARIUS.

Illud est in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* præscriptum, ut, expletis Antiphona, et Psalmo, et incensatione, de quibus in § LIX dictum est, mittat iterum Episcopus super lapidem oleum, sicut prius, canendo Antiphonam *Mane surgens Jacob*, cum Psalmo *Bonum est confiteri Domino.* Plerique libri Pontificales, nempe Anglicanus monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, Cadurcensis annorum octingentorum, Cameracensis annorum circiter sexcentorum, Barensis annorum quingentorum, Apamiensis et Constantinopolitanus, ac alii bene multi, cum recitata Antiphona *Mane surgens Jacob*, dicendum volunt Psalmum « Deus no» ster, refugium. » Quem etiam Psalmum legere est in codice quodam Remensi apud Hugonem Menardum, sed cum Antiphona « Sanctificavit » Dominus tabernaculum suum. » Præcipit autem vetus Ordo Romanus ut, cum secunda vice oleum ab Episcopo infunditur, cantetur Antiphona *Mane surgens Jacob, etc.*, ut in nostro hoc §, sed cum Psalmo « Fundamenta. » Tum addit, ut ungat item oleo sancto ipsum altare, dicendo, ut supra : « Sanctificetur hoc altare. » In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Porro alia est formula, quam exhibet Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis, quamque nos superius recitavimus in fine Commentarii ad § LIX. Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi nostræ huic Rubricæ consonat.

§ LXII.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat iterum, Schola prosequente, Responsorium toni VII : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quo incœpto,

Digitized by Google

circuit iterum semel altare ad dexteram, illud incensando : quo facto, restituto thuribulo Sacerdoti et Responsorio finito, Pontifex, deposita mitra, dicit : *Oremus:* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Adesto, Domine, dedicationi hujus mensæ tuæ, et in eam, quæ a nobis sancto linita est oleo, bene✠dictionis et sancti✠ficationis tuæ virtutem et consecrationem infunde. Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Alia Oratio. OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod in honorem tuum et in memoriam sancti tui N. nos indigni consecramus, virtute tuæ bene✠dictionis sanctifica; et omnibus te hic invocantibus atque in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut huic altari imposita munera semper accepta fieri digneris, et in eo sacramentorum virtus et votorum semper obtineatur effectus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Frustranei fuerit laboris in hoc Commentario diutius immorari, cum ea quæ superius dicta jam fuerint, et hanc quoque Rubricam explicent. Quod itaque Orationes spectat, desiderantur hæ quidem in plerisque Pontificalibus, excepto manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, in quo ambæ habentur; altera enim, quæ incipit *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, totidem legitur verbis in Pontificali Cadurcensi annorum octingentorum, postquam scilicet secunda vice Episcopus immisit oleum, et oblatum ab alio Sacerdote fuit incensum per altaris circuitum.

§ LXIII.

Qua finita, Pontifex incipit, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psalmus XLIV. *Eructavit cor meum, etc.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Incœpta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto chrismate cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ altaris et in quatuor ejus angulis, ordine supra posito, ad quamlibet crucem dicens : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur lapis iste. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus✠sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.*

COMMENTARIUS.

I. Omnes pene libri Pontificales in eo conveniunt, ut duabus vicibus oleum Episcopus in medio altaris et in quatuor angulis ejus infundat, tertia vero chrisma. Id quidem præscribunt liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* et alii bene multi libri Pontificales, quamvis Anglicanus monasterii Gemmeticensis tres de oleo unctiones innuat, quartam vero de chrismate. Cui consonat vetus Ordo Romanus, ex quo expresse cautum est ut « de oleo sanctificato faciat Pontifex crucem in medio altaris et per quatuor » angulos altaris tribus vicibus, dicendo : *San-* » *ctificetur hoc altare. In nomine Patris, et* » *Filii, et Spiritus sancti.* ℟. *Amen. Pax tibi.* »

II. Meminit et duplicis unctionis de oleo, tertiæ vero de chrismate in consecratione altaris Remigius monachus Antissiodorensis in suo tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VII, ubi etiam eam quæstionem ponit : Cur altare ter inungitur, et bis ex simplici oleo, tertio autem chri-

Digitized by Google

smate? Respondet id ideo fieri, quoniam Ecclesia fide, spe, et charitate, quæ major est cæteris, insignitur. Verba scriptoris hæc sunt : « Sed » respondemus quia cum sancti Spiritus dona » sint multiplicia, tres tamen virtutes ipsius » sancta Ecclesia pernecessarias habet, sine » quibus salvari nequit, fidem scilicet, spem et » charitatem. Quia ergo tribus his virtutibus » genus humanum ditat, tribus unctionis sa- » crum altare decorat. » Tum hæc statim adjungit : « Quod cum prius viliori, tertio autem » chrismate, id est posteriori impinguat un- » guento, significat quia cum fides et spes valde » sint necessariæ, pretiosior tamen his charitas » habetur. Unde Paulus in Epistola sua dicit : » *Nunc autem manent fides, spes, charitas,* » *major autem horum est charitas.* »

III. Chrismate perungi consuevisse altare juxta priscam Ecclesiæ consuetudinem, pluribus allatis veterum scriptorum ac Patrum locis, a nobis superius ostensum est, constatque hic ritus ex canone XIV Concilii Agathensis, qui ita inquit : « Altaria placuit non solum unctione » chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione » sacrari. » Cui adde canonem XXVI Concilii Epaonensis, in quo cautum est ut « altaria nisi » lapidea infusione chrismatis non sacrentur. » Fuisse vel primis sæculis hanc Græcæ Ecclesiæ consuetudinem, addiscere licet ex celebri loco S. Dionysii, cap. IV *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, ubi hæc habet : « Hoc etiam sancte observa, ut » sacratissimorum illa lex mysteriorum altaris » consecrationem sacratissimi unguenti sanctis- » simis perficit infusionibus. »

IV. Plura de hac re diximus supra : hic illud notandum censeo, ex Pontificali Cadurcensi annorum octingentorum, ubi Pontifex facit crucem de chrismate in medio et per quatuor altaris cornua, hac uti formula : « Conse ✠ crare et » sancti ✠ ficare dignare, Domine, lapidem is- » tum per istam unctionem et nostram benedi- » ctionem, in nomine Domini nostri Jesu Chri- » sti, ut hujus altaris tui holocaustum, infusa » Spiritus sancti tui gratia, in conspectum divinæ » majestatis tuæ in odorem suavitatis ascendat, » et accipientibus atque sumentibus nobis, sive » omnibus orthodoxis, legitima Eucharistia » permaneat hæreatque in visceribus nostris, » et vitam nobis tribuat sempiternam. Per. » Vide infra in Commentario § sequentis formulam, sive Orationem quam ex Ordine antiquo Romano apud Hittorpium, quo nos utimur, dicit Episcopus, postquam chrisma immisit.

§ LXIV.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, Schola prosequente, Responsorium toni VII : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Dominē.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quo incœpto, Pontifex circuit semel altare ad sinistram, illud incensans, ut prius : quo incensato, restituto thuribulo Sacerdoti et Antiphona finita, Pontifex, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundat. Per Christum Dominum nostrum.

COMMENTARIUS.

I. Præter manuscriptum Pontificale Vaticanum Durandi certe nullibi invenio hanc Rubricam et Orationem quæ Rubricæ ipsi subjicitur. Ex Ordine quidem antiquo Romano, in quo, ut dixi, tribus vicibus oleum in medio altaris et in quatuor ejus angulis infunditur, tertia vice canit Episcopus Antiphonam « Ædificavit Moy- » ses altare Domino Deo; » et Psalmum « Deus » noster, refugium et virtus. » Ubi autem chrisma immittit, eadem quidem utitur formula quam dixit in tribus olei infusionibus; recitat tamen Antiphonam *Unxit te Dominus, etc.*, et

Digitized by Google

Psalmum *Eructavit cor meum, etc.*, ut supra in nostro § LXIII. Postea vero hanc Orationem recitat, quæ potius videtur esse formula consecrationis. Hæc enim sunt ejus verba : « Consecretur et sanctificetur hoc altare, quæsumus, » Domine, ad laudem et gloriam nominis tui, » et in honorem et venerationem omnium » Sanctorum, per istam unctionem et nostram » benedictionem. Qui vivis et regnas. » Addit laudatus Ordo Romanus ut « interea alius Sacerdos in circuitu altaris semper ferat incensum. »

II. Hæc verba passim leguntur in aliis manuscriptis Pontificalibus libris. Unde recens videtur ritus nostri Romani Pontificalis, ex cujus præscripto etiam Episcopus, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito et benedicto incenso post incœptum Responsorium *Dirigatur oratio mea, etc.*, circuit semel altare, illud incensans, uti constat ex præsenti § et aliis superioribus. Cæterum ex libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, ad chrismatis infusionem canit Episcopus Antiphonam « Ecce odor filii » mei, » et Psalmum « Lauda, Jerusalem, Dominum ; » itemque Antiphonam *Unxit te Dominus*, et Psalmum *Eructavit cor meum*. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, solum Antiphonam « Ecce odor filii mei, » et Psalmum « Fundamenta. » Sed de hac Antiphona « Ecce odor, etc., » nos infra opportune dicemus. Illud autem hic adnotandum, ex manuscripto codice Cadurcensi annorum octingentorum, statim post chrismatis infusionem et dicta Antiphona « Ecce odor filii mei, » sive « Cum evigilasset Jacob, » admonente Diacono, « Flectamus genua, » et postea dicente « Levate, » consuevisse Episcopum eam Orationem dicere, *Descendat, quæsumus, Domine, etc.*, ut supra. Quam Orationem legere est in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, in fine dedicationis ; statim enim ea recitata, ex ipsius libri præscripto, revertitur in sacrarium cum cæteris Clericis Pontifex, ut ad celebrandam solemniter Missam aliis se vestimentis solemnibus induant.

§ LXV.

Qua dicta, Pontifex inchoat, et Schola prosequitur, Antiphonam toni I : *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.* Psalmus XLV. *Deus noster, refugium et virtus, etc.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Interim dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, accepta mitra, fundit et spargit de oleo catechumenorum et chrismate pariter super altare, illud manu dextera confricans, liniens et perungens. Quo facto, incipit, Schola prosequente, Antiphonam toni I : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus : crescere te faciat Deus meus sicut arenam maris, et donet tibi de rore cœli benedictionem.* Psalmus LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, etc.* Et non dicitur *Gloria Patri.*

COMMENTARIUS.

I. Dicta Oratione *Descendat, quæsumus, Domine, etc.*, quæ iisdem verbis ac ritu in Pontificali manuscripto Durandi describitur, et in nullo alio Pontificali codice a me inveniri potuit, cautum est præsenti Rubrica ut inchoet Pontifex, et Schola prosequatur Antiphonam *Sanctificavit tabernaculum, etc.*, et Psalmum *Deus noster, refugium, etc.* Quæ quidem Antiphona una cum Psalmo ipso, ex manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum, cani solebat in secunda olei unctione ; ex Pontificali manuscripto Cadurcensi, ipsa Antiphona *Sanctificavit Dominus, etc.*, cum Psalmo « Magnus Dominus, » et « Ecce nunc benedicite Dominum, » decantabatur cum Episcopus gyrabat ecclesiam, faciendo cruces per parietes cum pollice de sancto chrismate. Variant et alii complures,

Digitized by Google

libri Pontificales, quos longum esset hic recensere.

II. Non minus varietatis in ipsis Pontificalibus reperitur circa recitationem Antiphonæ *Ecce odor*, et Psalmi *Fundamenta ejus, etc.* Etenim ex præscripto libri *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, post infusionem quidem chrismatis canebatur Antiphona *Ecce odor*, cum Psalmo « Lauda, Jerusalem, Dominum, » itemque Antiphona *Unxit te Dominus* cum Psalmo *Eructavit cor meum*. Codex manuscriptus B. Mariæ Remensis annorum octingentorum, Pontificale Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum, Barense annorum quingentorum, Apamiense et Constantinopolitanum, et alia complura solam Antiphonam *Ecce odor* cum Psalmo *Fundamenta ejus* in chrismatis unctione dicendam præscribunt. Aliter habetur in Ordine antiquo Romano, ex cujus præscripto ipsa Antiphona dicebatur quidem post inunctos chrismate sacros ecclesiæ parietes, ut infra dicemus.

III. Verum enim vero satis aperte innuit Remigius monachus dictam fuisse ipsam Antiphonam, sive potius cantatam, « fuso chrismate » super altare; » vel, ut ait Durandus in suo *Rationali divinorum Officiorum*, lib. I, cap. VII : « Dum chrisma infunditur, cantatur : *Ecce » odor filii mei, sicut odor agri pleni.* » Quæ verba deinde explicans : « Hic ager, inquit, » est Ecclesia, quæ floribus vernat, virtutibus » splendet, operibus fragrat ; et ibi sunt rosæ » Martyrum, lilia Virginum, violæ Confessorum, » et viror incipientium. » Eadem fusius docet laudatus Remigius in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VII, ubi primum admonet canere eam Antiphonam Episcopum, ut reminisceretur prophetiam a Jacob olim pronuntiatam nunc in Ecclesiæ dedicatione compleri ; cujus Filius Dominus noster Jesus Christus secundum carnem fuit, quem Jacob ipse jam tunc multa post tempora nasciturum prævidit. Deinde vero postquam dixit Christi agrum esse totam latitudinem mundi, per quem diffusa est Ecclesia, hæc subjicit : « Hic ergo diversos flores odoris » protulit optimi, cum rosas in Martyribus, lilia » in Virginibus, violas in sæculi contemptoribus, » virides herbas in incipientibus, floridas in » proficientibus, plenas fructibus in consum- » matis atque perfectis animalibus proferre non » desistit. » Et statim ita concludit : « Odor ergo » filii, odor est agri pleni, cum campus sanctæ » Ecclesiæ diversis resplendet virtutibus et » suavem Christo confert odorem. Unde herba » illa aromatica de se et suis similibus aiebat : » *Christi bonus odor sumus Deo in omni lo- » co.* » Sunt verba Apostoli, quem vocat herbam aromaticam, in Epistolam II ad Corinthios, cap. II.

IV. Est tandem in hac nostra Rubrica ritus, quem præter manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi nullibi adhuc inveni, ut Episcopus scilicet, postquam bis de oleo catechumenorum, et tertio de chrismate medium altaris et quatuor ejus angulos in modum crucis inunxit, dum Antiphona *Sanctificavit Dominus, etc.*, et Psalmus *Deus noster, refugium, etc.*, canuntur, fundat et spargat « de oleo catechu- » menorum et chrismate pariter super altare, il- » lud manu dextera confricans, liniens et perun- » gens. » Fortasse ad hunc ritum respicit S. Petrus Damiani in *Sermone* LXIX, primo autem *in dedicatione ecclesiæ*, ubi ita inquit : « Altare » vero mixtura chrismatis oleique perungit. » Licet sic loqui ipsum auctorem dicat Hugo Menardus, « quia altare prius oleo, deinde chri- » smate perungitur, ut ex nostris *Sacramentariis* » liquet, et ex Ivone in *Sermone de sacramentis* » *dedicationis.* » Cæterum, quod olim ipsum chrisma ab Episcopo super altare confricaretur, addiscimus ex S. Germano Antissiodorensi episcopo, qui, ut refert Erricus in *Supplemento miraculorum* ejusdem Pontificis, cum Engolismæ in Aquitania altare de nomine Apostolorum Principis dedicaret, « ubicumque, et quoties » per altaris cornua mediumque crucis effigiem » sanctificati unguinis liquore signavit, ita » marmor impressione pollicis liquefactum » subterfugit, ut ad impulsum digiti niveam » putares cessisse mollitiem. »

§ LXVI.

Finito Psalmo, Pontifex, stans cum mitra, dicit : *Lapidem hunc, Fratres charissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, suscipienda populi sui vota*

Digitized by Google

et sacrificia, oremus ut Dominus noster benedicat et consecret, et quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine ejus; ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Juxta Ordinem antiquum Romanum recitatur hæc quidem Oratio, quam vocat Præfationem, post alios servatos ritus, aliasque præfationes ac preces ab ipso Episcopo pronuntiatas. In omnibus fere Pontificalibus omnino ipsa Oratio desideratur; si tamen excipias manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, quod fere in cunctis cum Romano nostro hodierno Pontificali consonat, ut non semel a nobis observatum fuit. Porro propitiatores Dei dicuntur hic Sacerdotes, quod sacrificiis Deum nobis propitium reddunt, et inter divinum Numen et humanum genus intercessores sunt: « Mediatorem inter Deum et homines agere, » Sacerdotis munus est. » Verba sunt S. Gregorii Nazianzeni in *Apologetico* I. Idipsum passim docent et alii Ecclesiæ Patres, inter quos S. Ephrem de Sacerdotio ita inquit: « Sacerdotium audacter e terra sursum in cœlum vo- » litans ascendit ad Deum, donec ipsum con- » tueatur invisibilem, procidensque ante » excelsum thronum instanter pro servis orat » Dominum, lacrymas et gemitus conservorum » deportans, proprioque similiter Domino fer- » ventem deprecationem simul et pœnitentiam » offerens, misericordiam et indulgentiam a » Rege misericorde postulans, ut Spiritus san- » ctus pariter descendat, sanctificetque dona in » terris proposita: cumque oblata fuerint tre- » menda mysteria, macularum purificationem » accipiunt. » Sanctus Thomas, in III parte, quæstione XXII, articulo I, ait proprie officium esse Sacerdotis esse mediatorem inter Deum et populum, in quantum scilicet divina populo tradit, et in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit.

§ LXVII.

Quo dicto, inchoat Antiphonam, Schola ipsam, et Psalmum, ac sequentia Responsoria prosequente. Antiphona toni II: *Lapides pretiosi omnes muri tui, et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur.* Psalmus CXLVII. *Lauda, Jerusalem, Dominum, etc.* Deinde dicitur Responsorium toni VIII: *Hæc est Jerusalem civitas illa magna cœlestis, ornata tanquam Sponsa Agni:* ℣ *Quoniam tabernaculum facta est, Alleluia.* ℣. *Portæ ejus non claudentur per diem, nox enim non erit in ea:* ℣ *Quoniam.* Aliud Responsorium toni VIII: *Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, Alleluia, et cantabitur in te canticum lætitiæ, Alleluia.* ℣ *Et per omnes vicos tuos dicetur ab universis Alleluia, Alleluia.* ℣. *Luce splendida fulgebis: et omnes fines terræ adorabunt te.* ℣ *Et per omnes.* Incœpta Antiphona, interim dum ipsa, et Psalmus, ac Responsoria prædicta cantantur, Pontifex cum mitra incipiens retro altare, et procedens ad ejus dexteram, inungit chrismate cum pollice dextero singulas duodecim cruces in parietibus ecclesiæ depictas, ad unamquamque crucem dicens: *Sancti✠ficetur et conse✠cretur hoc templum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.* Et peruncta qualibet cruce, mox accepto thuribulo illam incensat triplici ductu.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Variant tum sacri scriptores, tum libri antiqui Pontificales circa ritum recitandi Antiphonam *Lapides pretiosi, etc.*, et Psalmum *Lauda, Jerusalem, Dominum, etc.* Meminit quidem utriusque liber *Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ*, in quo tamen præscriptum est ut post inunctos parietes recitentur. Id ipsum legere est in antiquo Romano Ordine; in aliis autem libris Pontificalibus insignis variatio reperitur. Quod vero ad Responsoria attinet, nullibi ea invenio, excepto manuscripto libro Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, et aliis quibusdam recentioris ævi.

II. De ritu ungendi ecclesiæ parietes chrismate, ita inquit præfatus liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ :* « Deinde (vadit Pontifex) in » circuitu ecclesiæ per parietes dextro in dextrum » faciens crucem cum pollice de ipso chrismate. » Legendum *de dextro usque in dextrum*, ut scite observat Menardus. Expressius ipsum ritum describit quidem vetus Ordo Romanus hunc in modum : « Deinde in circuitu ecclesiæ vadat » Pontifex, et faciat crucem per parietes cum » pollice suo de ipso chrismate in duodecim locis, » tres in Oriente, tres in Australi, tres in Occi» dente, tres in Septentrione; primo in dextra » parte, et sic in circuitu, dicens per singulas » cruces : *Sanctificetur hoc templum, etc.* » Ex manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, Pontifex vadit « in circuitu ecclesiæ per parietes a dex» tro et a sinistro, faciens crucem cum pollice de » ipso chrismate, dicens : *Sanctificetur hoc tem» plum per istam unctionem et nostram benedi» ctionem, in nomine Patris, et Filii, et Spiri» tus sancti.* »

III. In aliis plerisque Pontificalibus, ut in Noviomensi annorum octingentorum, et in codice B. Mariæ Remensis ejusdem ætatis, in Cameracensi et Barensi, Apamiensi et Constantinopolitano annorum circiter quingentorum, hæc exstat formula : « Sanctificetur hoc tem» plum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti. Pax tibi. Amen. » Atque ita quidem ex laudato Remensi codice et Pontificali Cameracensi; nam ex manuscripto Pontificali Barensi, prius dicitur « Amen, » deinde, « Pax tibi ; » sive « Pax tecum, » ut habet Pontificale Apamiense et Constantinopolitanum; postea vero : « Et cum spiritu tuo. » In Pontificali autem Noviomensi nihil aliud in fine formulæ legitur, nisi « Amen. » Sed hæc varietas parum refert; scire illud profecto interest antiquissimum esse ungendi ritum ecclesiæ parietes tam in ecclesia Latina quam Græca; nedum enim altaria, sed et parietes columnasque ecclesiæ chrismate inungi solitas utriusque Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Usus antiquitatem apud Græcos conjicere licet ex S. Gregorio Nazianzeno, in poemate *Somnium de Anastasia* inscripto, ubi ita inquit :

> Inter alia templa ædes est etiam augusta Christi discipulorum,
> Lateribus cruce signatis quadrifariam divisa.

Latera cruce signata, quatuor ecclesiæ parietes chrismatis cruce consignatos, quadrifidam totam molem dividentes, se hic intelligere fatetur Jacobus Goar; probatque ex quodam Theophanis loco, ubi Athanasium Tyro elapsum, et Hierosolymis secure agentem, preces facientem, et sancto unguento ungentem, oratoriasque domos consecrantem describit. Cæterum quod consuetudinem Latinorum spectat, non, nisi quia oleo unctos, ideo parietes consecratos, et venerandam ecclesiam ab Augustino, lib. IV *Contra Cresconium*, cap. XL, dictos puto.

IV. Ritus rationem egregie exponit Simeon episcopus Thessalonicensis his verbis : « Un» guentum ut ab initio sacram mensam, ita et » totam ædem perficit et consecrat; sicut et in » carnis apparentia (Christus) omnem naturam » nostram divina gratia sanctificat, quam per » partes post eum acceptam Apostoli orbi uni» verso dispertierunt. » Episcopus enim retro Patriarcham procedens, et parietes ungens, Apostolos Christi successores, et gratiam mundo, si ita fari liceat, distribuentes, designat. Vide eumdem Thessalonicensem in libro *De Templo*, et Theodorum Balsamonem in can. VII Synodi VII. Vide et Gulielmum Durandum, lib. I *Rationalis*, cap. VII, ubi triplicem causam cur cruces in dedicatione ecclesiæ depingantur enarrat. Hæ duodecim cruces, auctore Ivone in *Sermone de sacramentis dedicationis*, de consecrato altari

Digitized by Google

chrismantur, et typum gerunt Apostolorum, qui et primitias spiritus acceperunt, et crucis mysterium populis et gentibus manifestare studuerunt. S. Petrus Damiani in *Sermone* LXXII, quarto vero *in dedicatione ecclesiæ*, parietibus basilicæ inquit per circuitum duodecim de sancto chrismate signa crucis imprimi, totidemque candelas affigi ait, ut eam spiritus unguedine delibutam, et Apostolorum doctrinis divinitus illustratam, his signis invisibilibus ostendatur.

V. Ad hunc præterea ritum inungendi duodecim cruces alludere videtur S. Bernardus, *Sermone* I *in dedicatione ecclesiæ*, sic dicens : « Necesse est ut unctio spiritualis gratiæ adjuvet » infirmitatem nostram, observantiarum istarum et multimodæ pœnitentiæ cruces devotionis suæ gratia liniens, quia nec est sine cruce » sequi Christum; et sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset ? Hinc est quod multi » abominantur et fugiunt pœnitentiam, crucem » quidem videntes, sed non etiam unctionem. » Vos qui experti estis, ecce ipsi scitis quia vere » crux nostra inuncta est, et per gratiam Spiritus adjuvantis, suavis et delectabilis est pœnitentia nostra, et, ut ita dicam, amaritudo » nostra dulcissima. » Huc usque laudatus Bernardus. Cæterum Remigio monacho Antissiodorensi auctore, in toties recitato tractatu *De dedicatione ecclesiæ,* a dextro usque in dextrum crux pingitur, cum recta intentione intrat quis ecclesiam, et in ejus societate persistens, passionemque sui Salvatoris reminiscens, terminat hanc vitam. Addit mox ipse auctor, ad sui temporis suæque Ecclesiæ Pontificalem Ordinem alludens, canere interea consuevisse Episcopum Antiphonam *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum;* et etiam Antiphonam *Lapides pretiosi omnes muri tui.* Quæ Antiphonæ, ut ex superioribus §§ et ex hac præsenti Rubrica liquet, ante parietum inunctionem recitabantur.

[Sedulo animadvertendum est ritum hunc inunctionis parietum præcipuum esse in dedicatione ecclesiarum, ac veluti materiam essentialem hujus Sacramentalis, cujus forma sunt hæc verba : *Sanctificetur et consecretur, etc.* Inde si accideret Pontificem deficere antequam perageretur, universi ritus ab initio repetendi forent ab alio Episcopo, et continuanda functio usque ad finem. Sic expresse declaravit S. Rituum Congregatio, 12 aprilis 1614, in casu simili, ad instantiam archiepiscopi Ulyssipponensis, cujus suffraganeus, circa medium consecrationis improviso accidenti correptus, prætergredi non potuerat. Ven. Robertus Bellarminus, cum ad tribunal sacrorum Rituum in quo sedebat delata causa fuisset, perpensis omnibus, censuit optabilius et securius esse ut de novo ab altero Pontifice ecclesiæ consecratio inchoaretur; quod Eminentissimis Patribus acceptum fuit et declaratum, ita ut de jure invariabili hæc deinceps solutio admissa sit.]

VI. Est ergo hoc loco notandum quanta sit varietas librorum Pontificalium, et diversus usus pro diversitate ecclesiarum ac temporum, in quibus alias sacrorum rituum substantia semper elucet, licet aliqui postremis hisce Christi sæculis non sine ratione additi fuerint, inter quos et illum censendum puto, qui in fine nostræ hujus Rubricæ descriptus est, ut scilicet peruncta qualibet cruce in præfatis duodecim ecclesiæ locis, mox accepto thuribulo illam Episcopus incenset triplici ductu. Quem quidem ritum in nullo invenio Pontificali, Vaticano Gulielmi Durandi manuscripto Pontificali excepto, in quo dicitur ut Episcopus circumeat ecclesiam, et faciat « cruces » de chrismate cum pollice super duodecim cruces in parietibus depictas, super quas sunt duodecim candelæ illuminatæ affixæ, dicens faciendo unamquamque crucem : *Sanctificetur » et consecretur hoc templum, etc.*, thurificando » singulas cruces. »

VII. Omitti hic etiam et illud non debet, morem fuisse aliquando ab Episcopis usitatum, ubi nimirum ecclesias dedicabant, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in quibusdam anni solemnitatibus ad ecclesias ipsas visitandas accederent, quadraginta dies pro consecratione ipsarum ecclesiarum, et pro singulis duodecim crucibus, ac pro Sanctorum singulis reliquiis quæ in altaribus collocabantur, de injuncta ipsis pœnitentia misericorditer relaxare. Hujus quidem tenoris est Indulgentiæ concessio, pro consecratione ecclesiæ B. Mariæ Virginis, quæ est Patrum Minorum Conventualium Sancti-Severini in Piceno, peracta anno 1368, ut testantur manuscriptæ litteræ, quibus sexdecim Episcopi subscripserunt suaque sigilla apposuerunt. Unus ex his Episcopis fuit Lucas Gentilius patricius Camerinensis, episcopus vero Nucerinorum, postea S. R. E. cardinalis, de quo nonnulla dixi-

Digitized by Google

mus in Commentario § IV, num. XXII. Laudatæ manuscriptæ litteræ exstant Sancti-Severini, in archivo conventus Sancti-Francisci Fratrum Minorum Conventualium, earumque exemplum misit jam nobis vir clarissimus Dionysius Pieragostini episcopus ejusdem Sancti-Severini vigilantissimus.

§ LXVIII.

His peractis, Pontifex ad altare revertitur, ac stans cum mitra, et thurificans super illud, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni II : *Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta : et immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.* Qua finita, stans adhuc cum mitra, dicit : *Dei Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus, Fratres charissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti bene✠dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctæ devotionis impositas bene✠dicere et sancti✠ficare dignetur; et spirituali placatus incenso, precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sacro chrismate inunctis duodecim crucibus in duodecim locis ecclesiæ depictis, ex Pontificali Apamiensi et Constantinopolitano, Schola quidem dicebat Antiphonam « Hæc est domus » Domini, » et Psalmum « Lætatus sum; » Episcopus vero tunc adolebat incensum super altare, et cantabat Antiphonam *Ædificavit Moyses, etc.*, et dicto « Oremus, » admonente Diacono « Flectamus genua. Levate, » recitabat Orationem *Dei Patris omnipotentis misericordiam, etc.*, ut supra in hoc nostro §. Idipsum præscribit Pontificale Cameracense annorum circiter sexcentorum.

II. Ex manuscripto Pontificali Cadurcensi annorum circiter octingentorum, perunctis parietibus ecclesiæ, veniebat Pontifex ante altare, faciebatque crucem cum incenso desuper eo; dicebat *Oremus;* et admonente Diacono ut supra, ante Orationem *Dei Patris omnipotentis misericordiam, etc.*, prolixam hanc Orationem recitabat : « Domine sancte, Pater omnipotens, qui, post offendicula lapsus primi hominis, instituisti tibi propitiatorii delineamenta libaminis, ut culpa, quæ præcesserat futuris temporibus expiaretur per munera quibus onerarentur altaria, honorificarentur et templa, quod tibi primus Noe præparavit officio, rursus Abraham immolaturus filium, dehinc Jacob erexit et unxit in titulum : te, Redemptor mundi, exoramus ut lapidem istum, seu mensam, in honore et nomine Sanctorum tuorum *Ill.* conse✠crare et sancti✠ficare digneris benedictionis tuæ inlapsu, et hic inhæreas placito majestatis æternalis obtutu, et quicquid sacro ritu super hoc immolabitur, sicut Melchisedech oblatum tibi placeat holocaustum, et reportet per hoc præmium quisquis intulerit votum. Sancti✠ficare etiam, bene✠dicere conse✠crareque digneris hoc altare, ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, et qui te angularem lapidem et saxum sine manibus excisum nominari voluisti, tu lapidem istum nostris manibus divinis cultibus apparatum bene✠dic atque sancti✠fica, et sacri hujus mysterii et ministerii sicut institutor, ita etiam sanctificator appare. Qui cum Patre. »

III. Est et in aliis Pontificalibus sua varietas; præscribit nihilominus liber *Sacramentorum sancti Gregorii Papæ* ut, post inunctos parietes, et recitatas quasdam Antiphonas et Psalmos, Episcopus, faciens crucem incensi super altare, dicat *Oremus*, et admonente Diacono *Flectamus genua, Levate*, eam Orationem recitet, *Dei Patris omnipotentis, etc.* Aliter præscribit vetus Ordo Romanus ut, scilicet inunctis ecclesiæ parietibus nempe duodecim crucibus, et recitatis

Digitized by Google

Antiphonis quibusdam ac Psalmis, « tunc ite» rum Episcopus redeat ad altare, et offerat » ibidem crucem incensi super illud, et dicat » Antiphonam : *Ecce odor filii mei, sicut odor » agri pleni, cui benedixit Dominus;* et Præ» fationem *Dei Patris omnipotentis, etc.* » Aliter præterea lego præscriptum in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, ubi Episcopus facit crucem cum incenso super altare canitque Antiphonam, fumigante thuribulo : « Domine, ad » te dirigatur oratio mea sicut incensum in con» spectu majestatis tuæ; » et Psalmum « Domi» ne, clamavi ad te, » itemque Antiphonam *Ecce odor filii mei, etc.*, et Psalmum « Lau» da, Jerusalem, Dominum, » dehinc Orationem « Domine sancte, Pater clemens, cujus nec » initium, nec finis, etc., » tum aliam *Dei Patris omnipotentis, etc.*, cum admonitione Diaconi « Flectamus genua. Levate. » Aliter etiam habetur in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis annorum circiter quingentorum. « Inte» rim, inquit, Episcopus offerat incensum super » altare, et cantet : *Ædificavit Moyses altare » Domino Deo;* et dicat Episcopus : *Oremus. » Flectamus genua. Levate. Dei Patris omnipo» tentis misericordiam, etc.* »

IV. Ergo antiquus et usitatus est ritus ut nempe Episcopus, post inunctos parietes, revertatur ad altare, et super illud incensum adolens, inchoet, Schola prosequente, Antiphonam *Ædificavit Moyses altare, etc.* Admonendum tamen ex nostro hodierno Pontificali Romano, ad eam Orationem, sive Præfationem, seu Allocutionem, ut quidam manuscripti libri Pontificales vocant, nequaquam dicere Diaconum « Flectamus ge» nua, » quemadmodum alii Pontificales libri præscribunt. Sed quicquid sit de hisce varietatibus, vide de ritu adolendi incensum super altare, quæ mox infra dicemus sequentes ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis; et infra in Appendice, ubi ritum Ecclesiæ Græcæ describemus.

§ LXIX.

Deinde benedicit incensum super altare cremandum, stans ibidem deposita mitra, dicens Versus : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur; dignare respicere, bene✠dicere et sancti✠ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientis effugiant, et separentur a plasmate tuo quod pretioso Filii tui sanguine redemisti; ut nunquam lædatur a morsu iniqui serpentis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Deinde aspergit ipsum aqua benedicta; et accepta mitra format propria manu ex ipso incenso quinque cruces, quamlibet de quinque granis, super illa quinque loca altaris in quibus cruces de aqua, et oleo, ac chrismate factæ prius fuerunt, et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela, ad mensuram crucis de granis incensi factæ; et cujuslibet crucis capita accendantur, ut cum ipsis thus comburatur et cremetur.

COMMENTARIUS.

I. Quod inunctis chrismate sacro duodecim crucibus in duodecim locis Ecclesiæ depictis, solitus fuerit olim Episcopus adolere incensum super altare, comprobatum abunde fuit in Commentario superiori, allatis complurium Pontificalium testimoniis. Sequentes autem nos

Digitized by Google

nostri hodierni Romani Pontificalis ordinem, admonendum primo censemus, excepto manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, uti infra in Appendice videre est, nullibi quidem nos reperiisse benedictionem incensi, quod ex præsenti Rubrica super altare comburi debet. Qui tamen ritus in multis exstat Pontificalibus, et a plerisque scriptoribus egregie explicatur; eumque adamussim servavit Urbanus III Pontifex Maximus, cum anno 1186 consecravit ecclesiam Sancti-Juliani de Lepida seu Lepia in districtu Veronensi, ut constat ex pervetusta memoria seu schedula apud Ughellum, *Italiæ sacræ* tom. v primæ editionis, pag. 760, ubi agit de Episcopis Veronensibus. Legimus autem in schedula quod, postquam allatæ fuerunt ad prædictam ecclesiam sacræ Sanctorum reliquiæ, « Dominus Papa consecravit et confirmavit pro» priis manibus altare Sanctæ-Mariæ, quod est » intus Truina cum chrismate, et collocavit de » reliquiis prædictis in altare, et confirmavit » mensam altarium cum oleo et chrismate, et » fecit ardere quinque grana incensi super illam » mensam. »

II. Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Barensis annorum circiter quingentorum diserte quidem præscribit ut « ponatur incensum » in medio et in quatuor angulis altaris, et in» cendatur, et dicatur hoc Graduale cum suo » versu : *Dirigatur oratio mea, etc.* » Idipsum mandant Pontificales libri Apamiensis et Constantinopolitanus, qui tamen addunt ut incensum « cum candela incendatur, et cantetur » Antiphona : *Ascendit fumus aromatum, etc.* » Eumdem ritum legere est in aliis Pontificalibus, quem explicans Gulielmus Durandus in suo *Rationali*, libro I, cap. VII, ita inquit : « Post » unctionem adoletur incensum, quod devotio» nem orationis significat, etc. In quinque locis » adoletur, videlicet in quatuor angulis et in » medio, quia sic quinque sensus corporis exer» cere debemus, ut fama boni operis nostri » usque ad proximos extendatur, etc. Crucem » cum incenso facere, est ejus (id est Christi) » passionem Patri ostendere, et ipsum pro nobis » interpellare. Incensum copiose in medio et in » angulis comburere, est orationes per Jeroso» lymam et in universali Ecclesia multiplicare. » Quibus verbis non modo ritus in hac nostra Rubrica contentos memorat, sed mystice etiam explicat.

III. Profecto in bene multis antiquis Pontificalibus etsi præscriptum legamus ut Episcopus super altare adoleat incensum, de ejusdem tamen combustione in medio ipsius altaris et quatuor ejus angulis, nihil expresse videre licuit. Fortasse ad hunc ritum alludit Remigius monachus Antissiodorensis, cum in tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, cap. VII, ita scripsit : « Quod vero iterum crucem incensi super al» tare facit Pontifex, indicat, quia antequam » gratiam mereamur, etiam instantia orationum » a Deo poscere debemus. » Et infra : « Sed et » Pontifex Pontificum Dominus Salvator noster, » qui sedet in dextera paternæ majestatis, cru» cem incensi super altare tunc ponit, cum » pro nobis, sicut Apostolus dicit, Patrem inter» venit. Crucem enim incensi facere, est pas» sionem suam Patri ostendere, ac pro nobis » interpellare. » Ubi nota exscripta fuisse non modo quoad sensum, sed etiam quoad litteram a Gulielmo Durando hæc Remigii monachi verba. Luculentissimum ejus ritus exemplum habemus quidem in dedicatione ecclesiæ Sancti-Juliani de Lepida in districtu Veronensi peracta ab Urbano III Pontifice Maximo, et a plurimis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis anno 1186, ut supra, num. I, dictum est. Vide integrum hujus ecclesiæ dedicationis ritum in nostra Appendice.

IV. Tandem, ut Pontifex Latinus cereos cum thure et chrismate in altari comburendos accendit, uti ex hac nostra Rubrica liquet, ita Græcus propria manu lampadem a se in altari reponendam et accendendam præparat, quemadmodum ex *Euchologio* constat, in eo titulo qui inscribitur *Ordo et Officium in dedicatione templi*. Ejus autem ritus reconditum sensum ita Simeon Episcopus Thessalonicensis exponit : « Manibus vero suis super sacra mensa lampa» dem accensam in ejus honore deponit, eo » quod Christi altare est, et Ecclesiam gratiæ » lumine coruscantem, lumenque illud mundo » suppeditantem præfigurat. » Integrum ad dedicandam ecclesiam Græcum ordinem ex *Euchologio* descriptum, ac notis illustratum, una cum aliis in Appendice referemus.

Digitized by Google

§ LXX.

Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex, deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, Schola prosequente, toni I *Alleluia. Veni, sancte Spiritus : reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende;* nisi consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimæ et festum Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi; quia tunc omisso *Alleluia,* dicitur versus tantum. Quo dicto, surgit Pontifex, stans ibidem versus ad altare sine mitra, et Schola cantat Antiphonas duas sequentes. Antiphona toni IV : *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* Alia Antiphona toni I : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua : et data sunt ei incensa multa; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei,* sine *Alleluia.* Quibus finitis, Pontifex, adhuc stans ante altare sine mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua. evate.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et respice ad hujus altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum sancti Spiritus tui gratia in odorem suavitatis ascendat, et legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, ad vitamque proficiat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

In libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* et in aliis non paucis Pontificalibus, postquam Episcopus fecit crucem incensi super altare, nihil aliud dicit quam illam Orationem, *Dei Patris omnipotentis misericordiam, etc.,* in § LXVIII recitatam. Sed nec in aliquo Pontificali invenio ritum in hac nostra Rubrica descriptum circa recitationem versiculi, *Veni, sancte Spiritus,* et duarum Antiphonarum. Ex manuscriptis quidem Pontificalibus Apamiensi et Constantinopolitano, ubi incensum in medio altaris et in quatuor ejus angulis ponitur, et cum candela comburitur, cantatur Antiphona *Ascendit fumus aromatum, etc.* Deinde vero absolute dicitur ab Episcopo Oratio *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, etc.* Ex Pontificali autem manuscripto Ecclesiæ Barensis dici solitum fuit Graduale *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,* cum versiculo *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum,* et Oratione *Domine sancte, Pater omnipotens, etc.,* ut supra. Sane consonat nostræ Rubricæ Pontificale manuscriptum Vaticanum Gulielmi Durandi, ut in Appendice videre est. In multis antiquis Pontificalibus nullam adhuc inveni expressam mentionem ritus comburendi incensum super altare, ut in superiori § præscriptum est; videtur nihilominus esse antiquus Ecclesiæ ritus, quippe qui servatus legitur in dedicatione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Lepida, ut in Commentario superiori ostensum fuit. Cur a dominica Septuagesimæ usque ad festum Paschæ *Alleluia* in divinis Officiis omittatur, alibi a nobis dictum est : quia scilicet totum hoc tempus est luctus et pœnitentiæ, ut docet Ivo Carnotensis episcopus in *Sermone de sacramentis dedicationis.*

§ LXXI.

Post hæc combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex Ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase projiciuntur in sacrario. Interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris, versus ad altare, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Digitized by Google

Deus omnipotens, in cujus honorem, ac beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi; et præsta, ut in hac mensa sint libamina tibi accepta, sint grata, sint pinguia, et sancti Spiritus tui semper rore perfusa; ut omni tempore hoc in loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Neque hanc Rubricam, qua præcipitur ut cineres ex combustis candelis et thure de altari abradantur, et collecti in sacrarium projiciantur, in aliquo vel recenti manuscripto Pontificali codice mihi licuit reperire. Oratio quidem, quam, admonente prius Diacono *Flectamus genua,* et paulo post eodem dicente *Levate,* Episcopus recitat, non est dubium quin sit antiquissima, cum exstet non modo in antiquo Romano Ordine et in priscis Pontificalibus, verum etiam in pervetusto libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* appellaturque ibidem *benedictio,* et incipit hunc in modum : Deus omnipotens, » in cujus honore altare hoc sub invocatione » tui nominis, indigni consecramus, etc., » uti in nostro Pontificali. Eodem modo legitur ipsa Oratio in Ordine antiquo Romano, in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, et in aliis multis Pontificalibus, in quibus tamen eo inscribitur titulo : *Sequitur consecratio altaris.*

II. Nulla itaque initio hujus Orationis ex recitatis Pontificalibus mentio habetur beatæ Virginis et omnium Sanctorum, nulla Sancti alicujus peculiaris ; quorum alias meminit manuscriptum Pontificale Vaticanum Durandi annorum circiter quingentorum; sed hoc nihil refert, cum alibi solide ostensum jam fuerit nullam fieri Deo injuriam, ut nos hæretici calumniantur, si dicatur in honorem etiam beatæ Virginis atque aliorum Sanctorum, et in nomine ac memoria alicujus Sancti peculiaris, altaria consecrari. Verum non negaverim ritum priscum fuisse ut altaria per invocationem nominis Dei consecrarentur, uti ex laudatis Pontificalibus addiscere licet. Quibus suffragatur locus S. Optati Milevitani, lib. VI *Contra Parmenianum*, ubi loquens de altaribus aut rasis, aut remotis, aut fractis ab hæreticis, ita inquit : « Nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa » invocatio sanctificat et quod pollutum esse vi- » debatur. »

§ LXXII.

Deinde eodem modo stans dicit mediocri voce, extensis manibus ante pectus, Præfationem hanc : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et ut propensiori cura et attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus, hoc præsertim tempore, quo religiosarum mentium habitum ultra parietum ornatum delegisti, templum istud, in quo Sancti tui N. mentio habetur, bene✠dicere et sancti✠ficare digneris : per cujus sacram reverentiam et honorem, sacratissimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Hujus igitur, Domine, efflagitatus precibus, dignare hoc altare cœlesti sancti✠ficatione perfundere et bene✠dicere. Assistant Angeli claritatis, et sancti Spiritus illustra-*

Digitized by Google

tione perfulgeat. Sit illius quoque apud te gratiæ, cujus fuit illud quod Abraham, pater fidei, in nostræ figuram redemptionis, filium immolaturus exstruxit; quod Isaac in conspectu tuæ majestatis instituit; quod Jacob Dominum magna videns visione erexit: ut hic orantes exaudias; hic oblata sancti✠fices; hicque superposita bene✠dicas; hic quoque benedicta distribuas. Sit ergo Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus; sit mensa cœlesti spiritualique convivio præparata. Tu igitur, Domine, proprio ore tuo hostias super eam impositas bene✠dicito, et benedictas suscipito, ac nobis omnibus tribue, ut participatione earum vitam acquiramus sempiternam. Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Dicta Oratione *Deus omnipotens, in cujus honorem, etc.*, ex præscripto quidem Ordinis antiqui Romani dicit Episcopus *excelsa voce* recitatam Præfationem, quam licet omittant tum liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, tum alii complures libri Pontificales, reperio tamen in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, et in Cadurcensi annorum octingentorum, secundum cujus ordinem dicebatur antequam Episcopus cum pollice suo faceret crucem de chrismate in medio, et per quatuor altaris cornua. Consonat Ordini antiquo Romano Pontificale Apamiense, et Constantinopolitanum, ubi edicitur ut Episcopus, post recitatam Orationem in § superiori descriptam, *deinde dicat excelsa voce* Præfationem, et quidem iisdem verbis, uti habetur in nostro hodierno Romano Pontificali. Pontificale Ecclesiæ Barensis, etsi nihil moneat de dicenda hujusmodi Præfatione excelsa voce, vult tamen ut ipse Episcopus conclusionem Præfationis, *Per Dominum, etc.*, dicat *submissa voce.*

II. Explicari satis nequit quantis titulis ipsa altaria a sanctis Patribus ornata sint. Optatus Milevitanus, lib. VI *Contra Donatistas*, altare appellat sedem et Corporis et Sanguinis Christi, ibidemque ipsos hæreticos exsecrans, quod altaria frangebant, radebant removebantque, ita inquit : « Quid enim est tam sacrilegum quam » altaria Dei frangere, radere et removere, in » quibus vota populi et membra Christi portata » sunt ; quo Deus omnipotens invocatus sit ; » quo postulatus descendit Spiritus sanctus ; » unde a multis pignus salutis æternæ, et tutela » fidei, et spes resurrectionis accepta est ; alta- » ria, inquam, in quibus fraternitatis munera » non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de » pace condita ? *Depone*, inquit, *munus tuum* » *ante altare, et redi prius, concorda cum fratre* » *tuo*, ut possit pro te Sacerdos offerre. Quid est » enim altare, nisi sedes et Corporis et Sangui- » nis Christi ? » S. Augustinus, *Sermone* XI *De Sanctis*, de altari ita scribit : « Forma Corporis » Christi altare est, et Corpus Christi est in al- » tari. » S. Dionysius, lib. III *De Ecclesiastica hierarchia*, *divinum* appellat altare ; *sanctum*, Paulinus in Epistola XII ad Severum ; *sacrosanctum*, Ambrosius in lib. *De his qui initiantur mysteriis*, capite VIII ; *reverendum*, Eusebius Emissenus, *Homilia* IV *De Pascha ; mensam Domini*, Cassiodorus ad Psalmum XXII ; *mensam mysticam* et *mensam regalem*, S. Joannes Chrysostomus, in *Homilia De Eucharistia in Encæniis*, et in *Homilia* VI *ad populum Antiochenum.*

III. Prætereo aliorum Patrum loca innumera, quibus variis titulis altaria ornantur ; non omittendum tamen quod ait Aquisgranensis II Synodus anni 836, lib. I, can. XIII et pluribus sequentibus, erigere nimirum altaria ad divinum cultum pertinere : « Videamus itaque sequentia, » inquit can. XIX, quibus fides et devotio Abrahæ » quodam admirabili modo incrementatur : qui » adeo erga divinum cultum timoremque Dei » flagrando excrevit, et excrescendo flagravit, » ut, jubente Domino, non solum jam altare in

Digitized by Google

» honorem Dei construxerit, sed etiam in eo » unigenitum filium immolare paratus fuerit; » et quod ne filium immolaret Angelus ei inhi- » buit, arietem tamen in holocaustum Deo pro » filio obtulit, et præterea audire meruit, sicut » in sæpe fato libro (*Genesis* capite XXII) legitur : » *Vocavit autem Angelus Domini Abraham se- » cundo de cœlo dicens : Per memetipsum juravi, » dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, et non » pepercisti unigenito filio tuo prapter me : be- » nedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut » stellas cœli*, et cætera quæ sequuntur. Perspi- » picuum quippe est, et valde mirandum, quia » quanto ferventior circa Dei cultum mens » Abrahæ fuit, tanto amplius uberiusque divina » beneficia, et præsentia et futura, sibi polliceri » audivit. »

IV. Affert mox, can. XXI, eadem Synodus exemplum Isaac, de quo ita in memorato libro *Genesis*, cap. XXVI, habetur : *Ascendit ex illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Deus in ipsa nocte dicens : Ego sum Deus Abraham patris tui : noli metuere, quia tecum sum, et benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. Itaque ædificavit altare, et invocato nomine Domini extendit tabernaculum.* Subjungit can. XXII exemplum Jacob, qui et ipse altaria erexit, uti ex eodem divinæ Scripturæ libro constat, cap. XXVIII et XXXV, deinde vero ita concludit : « Ecce quomodo major jam in » Jacob divini cultus amplificatio facta est, qui » non solum altaria erexit, oleum desuper fudit, » victimas obtulit, et Deo, si prospere ad propria » illum redire fecisset, de omnibus quæ illi de- » disset decimas et hostias illi daturum promisit, » locumque ubi in somnis scalam pertingentem » usque ad cœlos, Angelosque per eam descen- » dentes et ascendentes, et Dominum innixum » scalæ vidit terribilem, et vere domum Dei ac » portam cœli esse dixit. »

V. Finem huic Commentario faciant quæ ejusdem Aquisgranensis Synodi zelantissimi Præsules, can. XXIV, edicunt. Spectant enim varios ritus qui sparsim in Commentariis ad hunc II titulum enarrati sunt : « Hodie quoque Chri- » stiana Religio, exemplum sumens ex antiqua » Patrum traditione, domos in honorem Dei » ædificat ac dedicat, et altaria erigit, eisque » oleum superinfundit, et sacrosancto chrismate » perungit ea, et de factis dictisque ejusdem » Jacob melodiam Christo canit, et a fidelibus » oblationes et vota, et pretiosarum diversarum- » que rerum, ad decorem et honorem divini » cultus, Sacerdotum cæterorumque Ministro- » rum Christi usus, pauperumque receptionem » ac recreationem, suscipit donaria. »

§ LXXIII.

Præfatione finita, Pontifex inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, Alleluia.* Psalmus : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, etc.*, et totus dicitur. Incœpta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, cum pollice dexteræ manus chrismate intincto, facit crucem in fronte altaris, nihil dicens. Quo facto ac prædictis Antiphona et Psalmo finitis, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut altare hoc sacræ unctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris; ut quod nunc a nobis indignis sub tui nominis invocatione, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, atque in memoriam sancti tui N., sacrosancti chrismatis unctione delibutum est, placeat tibi, atque altare maneat perpetuum; ut quidquid deinceps super illud oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocaustum, atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Domino benigne suscipiantur, et per ea vincula peccatorum nostrorum absol-

Digitized by Google

vantur, maculæ deleantur, veniæ impetrentur, gratiæ acquirantur; quatenus una cum Sanctis et electis tuis vitam percipere mereamur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Præfatione finita, mandat vetus Ordo Romanus ut primo dicatur Oratio *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, etc.*, ut supra in § LXX recitata; tum hæc alia Oratio *Majestatem tuam, Domine, etc.*, deinde vero dicatur ista Antiphona: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, alleluia, alleluia*: nulla facta mentione Psalmi *Exsurgat Deus, etc.*, uti in nostra hac Rubrica habetur. In libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, in quo non modo Præfatio desideratur, sed etiam hæc Oratio, *Majestatem tuam, Domine, etc.*, ita legimus: « Deinde dicit Antiphonam *Confirma hoc, Deus,* » cum *Gloria.* » Ubi nota nullam fieri mentionem Psalmi *Exsurgat Deus, etc.* Id quod in omnibus fere Pontificalibus libris observavimus, excepto manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, quod fere per omnia consonat nostro hodierno Romano Pontificali. Porro ex manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, finita Præfatione de qua supra in § LXXII, dicebatur Antiphona « Ornaverunt fa- » ciem templi coronis aureis, et dedicaverunt » altare Domino, alleluia; » cum Psalmo « Ma- » gnus Dominus. » Sequebatur mox Oratio *Majestatem tuam, Domine, etc.*, et deinde Antiphona cum duplici *Alleluia* et cum *Gloria.*

II. Rursus ex Ordine antiquo Romano cautum est ut Episcopus, recitata Antiphona *Confirma hoc, Deus, etc.*, deinde inungat oleo sancto tabulam super altare, dicens hanc Præfationem: *Lapidem hunc, Fratres dilectissimi, in quo unguentum sacræ unctionis, etc.*, in § LXVI descriptam. Chrismate autem ungendam frontem lapidis in modum crucis, uti in nostra hac Rubrica edicitur, præscriptum lego in manuscripto Pontificali Barensi, ubi post recitatam Orationem *Majestatem tuam, Domine, etc.*, ita inquit: « Hic ungatur frons lapidis in modum crucis » chrismate. » Tum monet dicendam Antiphonam *Confirma hoc, Deus*, cum triplici tamen *Alleluia* in fine, nulla facta mentione versiculi *Gloria Patri*, quem cæteroqui multi libri manuscripti Pontificales dicendum mandant. Chrismate etiam inungendam frontem lapidis « a » parte Sacerdotis in modum crucis, » cantando Antiphonam *Confirma hoc, Deus*, cum duplici *Alleluia* in fine, et cum *Gloria Patri, et Filio*, ex manuscripto Pontificali Apamiensi et Constantinopolitano cautum est.

III. Meminit tandem hujus Antiphonæ non modo Gulielmus Durandus, in suo *Rationali*, lib. I, cap. VII, num. XXXVII; sed et ante annum Christi millesimum Remigius monachus Antissiodorensis, in suo tractatu *De dedicatione ecclesiæ*, capite VII, ita inquiens: « Post Orationem » incipit Pontifex Antiphonam *Confirma hoc,* » *Deus, quod operatus es in nobis, a templo san-* » *cto tuo, quod est in Jerusalem;* cum *Gloria* » *Patri.* Postquam enim pene peractum est mi- » nisterium salvationis humanæ, precatur vel » ipse Dominus, Patrem exorans ut confirmet » quod operatus est; ut ei omnis terra subjicia- » tur, propter cujus redemptionem ipse mori » non dubitavit, sicut ei ante incarnationem » promiserat: *Postula a me, et dabo tibi gentes* » *hæreditatem tuam, etc.;* vel omnis Pontifex » vice illius fungens obsecrat ut quod illius » dono exercetur, ejus munere usque in finem » perducatur, ut secundum Apostolum, neque » tribulatio, neque angustia, neque nuditas, » neque periculum, neque ulla creatura possit » nos separare a charitate Dei, quæ est in Chri- » sto Domino nostro. Quid sit autem illud quod » Deus operatus est in nobis, unde scilicet illud » donum emerserit, adjecit: *A templo sancto* » *tuo, quod est in Jerusalem.* A templo enim » illius quod est in Jerusalem, processit quod » operatus est in nobis; quia ab Ecclesia illius » processerunt qui in nobis operati sunt prædi- » cationes, et signa exercuere virtutis. Quæ om- » nia ad gloriam refert Ecclesia Patris, et Filii, » et Spiritus sancti, quam cognoscit unum et » verum Deum in trinitate et unitate consisten- » tem. »

IV. Prolixam hanc expositionem Remigii in

Digitized by Google

compendium redigit laudatus Durandus, qui tamen expresse meminit unctionis in fronte lapidis altaris a Pontifice cum sacro chrismate factæ; quam unctionem in fine dedicationis altaris cum apud ipsum Durandum inveniam, et in Pontificalibus manuscriptis Barensi, Apamiensi, Constantinopolitano, aliisque infimorum temporum, puto vix attingere annos sexcentos. Loquor de unctione cum chrismate; nam de unctione ex oleo sancto expressam facit mentionem vetus Ordo Romanus, licet utrumque sileant liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, memoratus Remigius monachus, et bene multi manuscripti antiqui libri Pontificales. Ex Pontificali quidem Vaticano Gulielmi Durandi, Episcopus, « Præfatione finita, ungit cum chrismate » frontem altaris in modum crucis, inchoans, » Schola prosequente, Antiphonam *Confirma* » *hoc, Deus, etc.* » Ubi nota in eo variare hanc Rubricam ab illa in nostro hoc § descripta, quod ibi, dum Episcopus inungit frontem altaris, nihil dicit; ex Rubrica autem Vaticani Pontificalis, ungendo ipsam altaris frontem, versiculum illum recitat, *Confirma hoc, Deus, etc.*

§ LXXIV.

Tum Pontifex, accepta mitra, cum pollice dexteræ manus chrismate intincto inungit in modum crucis conjunctiones mensæ seu tabulæ altaris, et tituli sive stipitis, quatuor angulis, quasi illa conjungens, ad singulas cruces dicens : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* Deinde, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Supplices te deprecamur, omnipotens æterne Deus, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, ut altare hoc sacris usibus præparatum, cœlesti bene✠dictione sanctifices : et, sicut Melchisedech sacerdotis præcipui oblationes dignatione mirabili suscepisti, ita imposita huic novo altari munera, semper accepta ferre digneris, ut populus, qui in hanc Ecclesiæ domum sanctam convenit, per hæc libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Fateor equidem in nullo antiquo Pontificali, excepto Vaticano Pontificali codice Gulielmi Durandi, me hanc reperiisse Rubricam; sed nec Orationem ipsam, *Supplices deprecamur, etc.*, invenire licuit, nisi in ipso Durandi Vaticano Pontificali, in quo ita legimus : « Subsequenter cum chrismate inungit in modum » crucis conjunctiones mensæ, seu tabulæ, et » tituli seu stipitis, in quatuor angulis, quasi » illa conjungens..... dicens in qualibet cruce : » *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus* » *✠sancti. Amen.* Deinde dicit : *Oremus. Sup-* » *plices te deprecamur, omnipotens æterne* » *Deus, per unigenitum Filium tuum, etc.* » Quod Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi typum gesserit Christi, Catholica sentit Ecclesia, testanturque id quidem Patres Concilii Aquisgranensis II, anno 836 habiti, lib. I, cap. XVIII.

§ LXXV.

Post hæc Subdiaconi abstergunt diligenter cum mantilibus telæ grossæ mensam altaris, et Pontifex accedit ad sedem suam juxta altare, in qua cum mitra sedens, fricat bene manus cum medulla panis, ac lavat et extergit. Quo facto, Subdiaconis seu Acolythis præsentantibus ipsi Pontifici tobaleas novas et mundas, ac vasa et

Digitized by Google

ornamenta ad cultum Dei, et ecclesiæ ac altaris consecratorum pertinentia, Pontifex deposita mitra surgit, et stans illa benedicit, dicens :

BENEDICTIO

TOBALEARUM, VASORUM, ET ORNAMENTORUM ECCLESIÆ ET ALTARIS CONSECRATORUM.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti, templaque manu hominum facta nomini tuo sancto dicari, tuæque habitationis loca vocari voluisti, quique per famulum tuum Moysen vestimenta Pontificalia et Sacerdotalia, seu Levitica, et alia quæque diversi generis ornamenta ad cultum et decorem tabernaculi et altaris tui fieri decrevisti : exaudi propitius preces nostras, et omnia hæc diversarum specierum ornamenta in usum hujus ecclesiæ tuæ et altaris, ad honorem et gloriam tuam præparata purificare, bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare per nostræ humilitatis servitium digneris; ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta existant, hisque confectioni Corporis et Sanguinis Jesu Christi Filii tui Domini nostri dignis pareatur famulatibus. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quanquam in libris Pontificalibus inveniam abstergendum altare linteo postquam aqua benedicta, sale et cinere mixta fuit aspersum, nihil tamen iidem edicunt de abstergendo a Subdiaconis eodem altari *cum mantilibus telæ grossæ,* ubi chrismate sacro fuit inunctum. Alludere fortasse videtur ad hunc ritum Gulielmus Durandus, qui in suo *Rationali,* lib. I, c. VII, num. XXXVIII, ita scribit : « Deinde altare linteo » candido extergitur, adnotandum quod cor » nostrum castitate vitæ mundare debemus. » Tum addit benedici debere vasa, vestes et linteamina divino cultui deputanda : « Nam et » Moyses per quadraginta dies edoctus est a » Domino facere linteamina et ornamenta ec» clesiæ necessaria. » Quibus verbis omnino alludit ad Orationem quam ex nostræ hujus Rubricæ præscripto ad benedicendum tobaleas, vasa et ornamenta ecclesiæ et altaris jam consecrati proferre debet Episcopus. Erat siquidem vetustus Ecclesiæ ritus, ut, ubi templum dedicabatur, ornamenta quoque ad ipsum pertinentia consecrarentur. Tradit enim Sozomenus, lib. II *Historiæ,* capite XXV, ubi refert dedicationem templi Hierosolymitani, non modo ipsum templum, sed et vasa ministerialia consecrata fuisse, secundum antiquum religionis Christianæ ritum. Sed de his alias.

II. Tobalearum seu linteaminum usum antiquum esse in Ecclesia, diserte docet S. Optatus Milevitanus, libro VI *Adversus Parmenianum,* ubi tanquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Sic enim ait : « Quis fidelium nescit, in peragendis » mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri ? » Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, » non lignum; aut si tactu potuit penetrari » velamen, ergo penetrantur et ligna . » Quibus verbis docet primo ipsa altaria fuisse lignea, quæ tum in Africa usitata erant. Id quod

Digitized by Google

ex eodem Optati lib. VI liquet, ubi paulo post initium ita inquit : « Sed, ut existimo, alio loco » copia lignorum frangi jussit ; alio ut raderent, » lignorum inopia imperavit ; ut removerentur, » ex parte verecundia jussit. » Et paulo post : « Quid perditorum conductam referam multi- » tudinem, et vinum in mercedem sceleris da- » tum ? Quod ut immundo ore a sacrilegis » hostibus biberetur, calida de fragmentis alta- » rium facta est : » id est, calefecerunt aquam de fragmentis altarium. Refert deinde Optatus in superius laudato loco causam cur non debuerint radere altaria, quia scilicet tacta non fuerant a Sacerdotibus Catholicis, sed solum velamen ab ipsis inter offerendum tangebatur ; quod si tactu potuit penetrari velamen, ergo et lignum ; quod si lignum, ergo et terra : ac proinde concludit debuisse schismaticos Donatistas terram ipsam, in qua fundata erant altaria, effodere : « Si penetrari possunt ligna, pene- » tratur et terra. Si a vobis lignum raditur, et » terra quæ subter est fodiatur. »

III. Exstant præterea apud scriptores pervetustos innumera pene testimonia de linteaminibus, seu linteis, quæ etiam tobaleas et pallas altaris vocant. Proculum quemdam ab impio Genserico in provinciam Zeugitanam missum scribit, lib. I *De persecutione Vandalica* Victor episcopus Uticensis, qui floruit labente sæculo V, rapaci manu cuncta devastantem, de pallis altaris camisias sibi et femoralia fecisse. Scio pallas altaris promiscue aliquando fuisse usurpatas non modo pro linteis quibus tegitur altare, verum etiam pro corporali ; constat tamen pallas, de quibus impius Proculus fecit sibi camisias et femoralia, fuisse altaris opertorium, non autem corporale. Distinguitur etiam palla altaris a corporali in Concilio Meldensi apud Burchardum, lib. IV, cap. XIII : « Similiter ad corporale » lavandum, et ad pallas altaris propria vasa » habeantur, in quibus nihil aliud fiat. » Item in Concilio Remensi apud eumdem, lib. III, capite XCVII : « Observandum est ut mensa Christi, » id est altare, ubi corpus Dominicum conse- » cratur..... cum omni veneratione honoretur, » et mundissimis linteis et pallis diligentissime » cooperiatur. » Tandem, ut alia omittam, Concilium Arvernense, can. VII, ita inquit : « De opertorio Dominici corporis, seu palla al- » taris, nunquam Sacerdotis corpus, dum ad » tumulum evehitur, obtegatur. » Ubi nota vocem *seu* idem valere quod *vel*, ita ut aliud sit palla altaris, aliud opertorium Dominici corporis, quod *corporalis palla* in Ordine antiquo Romano, et apud S. Gregorium Papam in libro *Sacramentorum* appellatur. Agens enim de ordinatione Subdiaconi aperte distinguit *pallas corporales* a cæteris pallis altaris : « Pallæ vero » quæ sunt in substratorio, in alio vase debent » lavari, in alio corporales pallæ. »

IV. At non modo nefas fuit ex laudato canone VII Concilii Arvernensis, palla seu linteamine altaris corpus defuncti Sacerdotis obtegere, qui ad tumulum deferebatur ; verum cautum præterea fuit ex Concilio Antissiodorensi, quod anno 578 celebratum est, ne mulieri liceret « manum suam ad pallam Dominicam mittere, » id est ad pallam seu linteamen altaris. Alia igitur est palla quæ altari substernitur, diciturque etiam *substratorium ;* alia quæ sacra Christi munera contegit, quam Corporale appellant passim sacri scriptores. Prior palla ea est palla Dominica, ad quam, ex laudato Antissiodorensi canone, mulieri non licet manum suam mittere ; itemque palla altaris, in qua olim manus pueri oblati ad monasterium a parentibus involvebatur, uti est in *Regula* S. Benedicti, c. LXVI, ubi videri possunt Notæ eruditissimi Haefteni et aliorum qui ipsam Regulam explicarunt.

V. Cum de vasis aliisque ecclesiæ ornamentis infra a nobis opportuniori loco sit disserendum, idcirco loqui de ipsis hic omittentes, revertimur ad nostram Rubricam, ubi ritus ille præscribitur, ut Subdiaconis seu Acolythis præsentantibus Episcopo tobaleas novas et mundas, ac vasa et ornamenta ad cultum Dei, ecclesiæ ac altaris consecratorum, Episcopus ipse res hujusmodi benedicat. Qui ritus adeo est antiquus, ut non modo in Ordine antiquo Romano, in priscis Pontificalibus, ac apud scriptores Ecclesiasticos passim legatur, verum etiam in libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* : « Deinde, inquit, » tenentibus Subdiaconis vel Acolythis linte- » mina, vel omnia ornamenta ecclesiæ, seu vasa » sacra quæcumque ad cultum Dei et ecclesiæ » pertinere videntur, benedicit ea Pontifex. » Tum sequitur : « Benedictio ad linteamina » vel ad omnia in usum basilicæ ; » et quidem cum ea Orationis formula in hoc nostro præsenti § recitata. Sequitur deinde alia Oratio,

Digitized by Google

quæ in nostro hoc § desideratur, legiturque hunc in modum : « Omnipotens sempiterne » Deus, a quo omnia immunda purgantur, et » in quo omnia purgata clarescunt, supplices » famuli tui tuam omnipotentiam invocamus, » ut ab hoc vase, vel vestimento, quæ tibi offe» runt famuli tui *Ill.* omnis spiritus immundus » confusus longe discedat, et per fidei benedi» ctionem huic sancto altari tuo sint perfecta et » utilia, te juvante, sanctificata permaneant. Per » Dominum nostrum Jesum. »

VI. Ordo vetus Romanus de eodem ritu ita inquit : « Deinde teneant Subdiaconus et Acoly» thi linteamina vel omnia ornamenta ecclesiæ, » seu vasa sacra quæcumque ad cultum Dei et » ecclesiæ pertinere videntur, et benedicat ea » Pontifex juxta hunc morem : *Benedictio lin» teaminum :* Domine Deus omnipotens, qui » ab initio hominibus utilia et necessaria creasti, » vestimenta quoque Pontificalia Sacerdotibus, » et Levitis tuis ornamenta, et linteamina facere » famulum tuum Moysen per quadraginta dies » docuisti, sive etiam ea quæ Maria (*alibi* mate» teria) texuit, et fecit in usum ministerii ta» bernaculi fœderis, sanctificare, benedicere » consecrareque digneris hæc linteamina in » usum altaris tui, ad tegendum involvendum» que Corpus et Sanguinem filii tui Domini no» stri Jesu Christi. Qui tecum. » Ubi nota alludere hanc Orationem ad pallas corporales, quæ *Corporalia* vulgo dicuntur; quæ ita olim amplæ erant, ut involverent ipsum Christi Corpus et calicem; de quibus consule *Observationes* Hugonis Menardi *ad concordiam Regularum*, in cap. LXVI, § I. Sequuntur mox quatuor aliæ Orationes, quarum postrema hunc præ se fert titulum : « Benedictio ad omnia ornamenta ad » usum ecclesiæ vel altaris; » eaque Oratio eadem est ac illa quæ in nostro § habetur.

VII. Variant quoad Orationes libri Pontificales, in quibus tamen expressus exstat ritus præsentandi Episcopo linteamina aliaque ornamenta ecclesiæ, ut ab ipso in fine dedicationis ecclesiæ et altaris benedicerentur : « Deinde, » inquit Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, « teneant Subdiaconi vel Acolythi in ulnis » suis linteamina, vel omnia ornamenta ecclesiæ, » seu vasa quæ sacranda sunt, et ad cultum » ecclesiæ pertinere videntur; et benedicit ea » Pontifex, sicut in *Sacramentorum* libro conti» netur. » Tum dicendam præscribit eam Orationem Ordinis antiqui Romani, quam vocat Præfationem linteaminum : « Domine Deus » omnipotens, sicut ab initio hominibus uti» lia, etc. » Eumdem ritum legere est in Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter mille, et in aliis sequioris ævi Pontificalibus, quæ, ut dixi, quoad Orationes variant. In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, ubi Subdiaconis vel Acolytis benedicenda linteamina tenere dicitur, in margine quidem hæc habentur verba : « Quando linte» mina non sunt consecrata. » Unde addiscismus, ea linteamina ac ornamenta in dedicatione ecclesiæ et altaris benedicenda, quæ nova sunt, et nondum benedicta fuerunt. Constat etiam, ex laudatis Pontificalibus, eos versiculos *Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.*, qui in nostro hoc Pontificali linteaminum aliorumque ornamentorum benedictionem præcedunt, non fuisse olim ab Episcopo dictos, cum in nullo ex laudatis Pontificalibus eos inveniam; exstant tamen in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi.

VIII. Testantur denique scriptores Ecclesiastici consuevisse jam olim, ex prisco ritu in dedicatione ecclesiæ et altaris, Subdiaconos Acolythosve linteamina, vasa aliaque ecclesiæ ornamenta Episcopo benedicenda præsentare : « Post hæc autem, » inquit Remigius Antissiodorensis monachus, capite VII, « Subdiaconi » vel Acolythi linteamina, vasa et omnia lintea» mina ecclesiæ Pontifici benedicenda offerunt. » Quem ritum mystice explicans, ait per hos ministros illos intelligi qui ecclesiæ servitio vel ornatui delegantur, quos necesse est ad decorem ecclesiæ multa conferre, et varia propriæ possibilitati congruentia : sicut enim in populo Israelitico, cum tabernaculum jussu Dei construeretur, varia oblata sunt donaria, sic et in sanctæ ecclesiæ decore diversa conferri dona, inquit, per ministros ejus Domino offerenda : « Alii namque, » verba sunt memorati auctoris, « linteamina offerunt, corpora scilicet diversis » virtutum exercitiis ad candorem castitatis per» ducta. Alii rubra indumenta, id est corda ad » martyrium præparata. Alii hyacinthina, qui » dicere norunt : *Nostra autem conversatio in » cœlis est.* Alii coccinea ardore charitatis fla» grantia. Alii scutulata fœdere pacis insepara-

Digitized by Google

» biliter unita. Alii vasa aurea et argentea sen-
» sus et eloquii venustate fulgentia. »

IX. Hoc quidem Remigii testimonium in memoriam revocat priscum ritum in dedicatione templi olim servari solitum, cum nempe omnia ejus donaria seu munera in usum templi a fidelibus oblata ab Episcopis consecrabantur, ut factum est in dedicatione templi quod Constantinus imperator Jerosolymis ædificavit, quemadmodum testatur Sozomenus, lib. II *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXV. Hinc tum in libro *Sacramentorum sancti Gregorii Papæ*, tum in aliis Pontificalibus, post benedictionem ad linteamina vel ad omnia in usum basilicæ, sequitur titulus qui inscribitur « Benedictio super munus » quod quis ecclesiæ offert. » Ubi nota munus de his omnibus intelligi quæ a fidelibus offeruntur ad ecclesiæ ornatum, ut videre est in ipsa antiqua benedictionis formula, cujus verba hæc sunt :

X. « Deus, cujus verbo et potentia facta sunt omnia, cujus dono percipimus quæ ad vitæ remedium possidemus, te supplices nixis precibus exoramus, ut de sede majestatis tuæ huic oblationi fidelium sanctificator accedas. Suscipe de manu famulorum tuorum *Ill.* munus oblatum, quod a tua clementia benedictum, in hujus sanctuarii tui usum maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech munera tibi placuerunt oblata : et quia ob honorem tui amoris, ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequiis ; tu eis, Domine, magna pro parvis recompensa, ut devotionem eorum accipiens, peccata dimittas, fide eos repleas, indulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera concedas. Habeant in hoc sæculo bonæ actionis documentum, caritatis studium, sancti amoris effectum, et in futuro cum sanctis Angelis adipiscantur perpetuum regnum. Per Dominum. »

XI. Exstat tandem in ipso libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* post recitatam Orationem et hæc alia Oratio, quam ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis post Orationem *Domine, Deus omnipotens, qui ab initio hominibus, etc.*, recitabat Episcopus ad benedicenda linteamina, et quæ opus fuerant sacro ministerio; ejusque formula hæc est : « Exaudi nos, » Domine, quæsumus, ut hæc linteamina alia- » que indumenta, nec non et vasa sancto altari » tuo, atque ecclesiæ tuæ, eunctoque sacro mi- » nisterii usui præparata, benedicere et sancti- » ficare digneris. Per Dominum nostrum Jesum » Christum. » Porro hic illud monendum, exstare quidem hanc Orationem in laudato Pontificali Barensi, mutatis tamen quibusdam verbis, uti in Appendice videre est.

§ LXXVI.

Deinde aspergit illa aqua benedicta : tum Ministri ponunt super altare chrismale, sive pannum lineum ceratum ad mensuram altaris factum; deinde vestiunt altare tobaleis et ornamentis benedictis, ponentes desuper crucem et alia ornamenta. Interim Pontifex stans ibidem inchoat Antiphonam primam, Schola ipsam et alias Antiphonas sequentes, et Responsoria cum suis versibus, et Psalmis prosequente. Antiphona toni VIII. *Circumdate, Levitæ, altare Domini Dei, vestite vestimentis albis, estote et vos canentes hymnum novum, dicentes Alleluia.* ℣. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Alia Antiphona toni VIII. *Circumdate Sion, et complectimini eam, enarrate in turribus ejus.* ℣. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Deinde dicitur Responsorium toni II. *Induit te Dominus tunica jucunditatis, et imposuit tibi coronam.* * *Et ornavit te ornamentis sanctis.* ℣. *Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt coram te.* * *Et ornavit te.* ℣. *Nationes ex longinquo ad te venient, et munera defe-*

Digitized by Google

rentes adorabunt Dominum, et terram tuam in sanctificatione habebunt, et nomen magnum tuum invocabunt. ℣ *Et ornavit te.* ℣. *Benedicti erunt, qui te ædificaverunt: tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum.* ℣ *Et ornavit te.* Et non dicitur *Gloria,* sed sequens Antiphona cantatur tono VI : *In velamento alarum tuarum protege nos, Domine, et in laude tua gloriemur.* Psalmus LXII. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Peracta benedictione linteaminum, eorumque ornamentorum quæ sacro ministerio opus sunt, ex manuscripto quidem Pontificali Ecclesiæ Barensis, Episcopus cum Clero hanc Antiphonam canebat : « Corpora Sanctorum in pace » sepulta sunt, et vivent nomina eorum in » æternum. » Tum Diaconi vestiebant altare, Episcopo et Schola hanc aliam Antiphonam decantantibus : « Circumdate, Sion Levitæ, » altare Domino Deo vestimentis albis; estote et » vos canentes hymnum, dicentes Alleluia, » cum Psalmo « Mirabilis Deus in sanctis suis, etc., » cum « Gloria Patri. » Postea offerebatur incensum, et facta cruce super altare, ter hæc Antiphona dicebatur : « Omnis terra adoret te, et psallat » tibi; psalmum dicat nomini tuo, Domine : » recitabat Episcopus binas Orationes, quarum altera hanc præ se fert Rubricam : « Post ve» latum altare, Oratio. » Ambæ exstant in hodierno Romano Pontificali, easque in sequenti § describemus.

II. Idem ritus huc usque recitatus totidem pene verbis habetur in manuscripto Pontificali Apamiensi et Constantinopolitano, etiam post peractam linteaminum benedictionem. Quod quidem notandum est; etenim, ex libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ,* benedicebantur linteamina aliaque ad usum basilicæ ornamenta post inunctos parietes chrismate et factam crucem incensi super altare : vestiebatur autem altare cum Antiphona *In velamento alarum tuarum,* et Psalmo *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, etc.,* postquam conditæ in loco altaris sacræ reliquiæ fuerant. Qui ritus servari etiam olim debuit ex Ordine antiquo Romano, in quo linteaminum aliorumque complurium ecclesiæ ornamentorum prolixæ benedictiones longe ante recensentur quam ritus vestiendi altare. Constat tandem ex aliis Pontificalibus, in quibus alii omnes fere ritus in hoc titulo descripti habentur, ritus ipsos non semper eodem ordine servatos fuisse; etenim qui in quibusdam Pontificalibus prius, in aliis postea faciendi præscribuntur. Cæterum pro comperto habemus ritum olim universalem fere fuisse, post reconditas in altari sacras reliquias, vestiendi ipsum altare. Id quod non modo tradunt libri antiquissimi Pontificales, sed et scriptores Ecclesiastici, inter quos Remigius Antissiodorensis monachus in toties laudato opusculo *De dedicatione ecclesiæ,* cap. VIII.

III. Sed hisce omissis, præscribit primo Rubrica nostri Pontificalis ut *Ministri ponant super altare chrismale, sive pannum lineum ceratum ad mensuram altaris factum.* Ex Ordine antiquo Romano aliorumque complurium librorum Pontificalium, munus erat Diaconorum vestire altare; id quod etiam liquet ex manuscripto libro Pontificali Ecclesiæ Barensis; consonat autem nostræ Rubricæ Pontificalis codex Vaticanus Durandi, ubi ita legimus : « His per» actis, Ministri vestiant altare linteaminibus » et ornamentis benedictis, superposito prius » chrismali, sive panno lineo ad mensuram al» taris facto. » Chrismal seu chrismale, etsi varie a scriptoribus Ecclesiasticis accipiatur, uti videre est apud Carolum Ducange, hic tamen pro primo altaris cooperimento sumitur, dum ait ponendum super altare *chrismale, seu pannum lineum ceratum.* Præter istiusmodi tegumentum, mos est Ecclesiæ antiquus ut tribus mappis lineis altare vestiatur, uti ostendit Gavantus in suo *Thesauro sacrorum Rituum,* parte I, tit. XX, citans inter alia canonem *Si per negligentiam, De consecratione,* distinctione II, ubi fit mentio de effusione sanguinis usque ad quartum linteum, incluso scilicet corporali. Hunc canonem tum liber Pontificalis Damaso adscriptus, tum Gratianus et alii scriptores S. Pio I Pontifici Maximo ac martyri, qui flo-

Digitized by Google

ruit ante medium sæculum Christi secundum, adscribunt. Scio viros doctos constanter contendere falso laudato Pontifici illam Constitutionem tribui; verum nemo unquam inficias ire poterit quin usus mapparum, quibus altare sternitur, receptus fuerit sæculo Christi IV, ex allegato superius loco Optati Milevitani, lib. VI *Contra Parmenianum*.

IV. Mandat secundo Rubrica ut Ministri, postquam vestierunt altare « tobaleis et ornamentis » benedictis, ponant desuper crucem et alia or» namenta. » Id quidem tacite innuunt antiquissimi libri Pontificales, ubi mandant vestiri et ornari altare, etsi nullam de ponenda cruce et candelabris super ipso altari mentionem faciant. Inter candelabra crucem in altari collocari solitam jam olim fuisse, ostendunt plerique ex canone III Concilii Turonensis, quod habitum est anno Christi 570. « Ut Corpus Domini » in altari non imaginario ordine, sed sub cru» cis titulo componatur. » Notat Ludovicus Bail prohiberi quidem in ipso canone ne « Corpus » Domini inter sacras imagines super altari poni » solitas ponatur, sed potius collocetur sub ipsa » cruce quæ in meditullio ipsius altaris poni » consuevit. » Crucis aureæ in altari meminit Venerabilis Beda, lib. II *Historiæ*, cap. XX. Imo Jonas Aurelianensis episcopus, qui initio sæculi IX floruit, diserte inquit quod non suo quidem tempore « usus irrepsit figuram crucis in basi» licis Sanctorum statui, sed mos antiquæ ob» servationis legitimus id instituit. » Plura quæ ad praxim spectant, utrum scilicet adimpleatur dispositio Rubricæ Missalis præcipientis poni in altari crucem, si ponatur in altari crux nuda inter candelabra sine imagine Crucifixi, et an in altari, in quo est expositum sanctissimum Sacramentum, debeat apponi aliqua parva crux quando in eo altari Missa celebratur, egregie una cum aliis scitu dignis dilucidat amicus noster Caietanus Maria Merati ordinis Clericorum Regularium in *Novis Observationibus et Additionibus ad Gavantum*, pag. 295 et seq.

V. Antiquissima etiam esse in Ecclesia candelabra, eaque ab ipsis Apostolorum temporibus suam ducere originem, inde ostendit magnus *Annalium* parens Cæsar cardinalis Baronius ad annum Christi 58, quia hic usus jam ante vigebat apud Hebræos, quibus in templo et lucernæ succensæ erant, et aureum candelabrum pretiosissimum in cap. XXV *Exodi* egregie descriptum. Quam vero sumptuosa in ecclesiis Christianorum candelabra essent, scite observat eruditissimus Joannes cardinalis Bona libro I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, et ante ipsum Stephanus Duranti lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. VIII, haberi id quidem satis expressum apud Anastasium et alios qui, Summorum Pontificum et principum donaria recensentes, frequenter enumerant pharos coronatos, lampades cum delphinis, canthara cereostata, et lucernas aureas atque argenteas, multique ponderis, in quibus non solum cera et oleum commune, sed aliquando oleum pretiosissimum et opobalsamum incendebatur. His autem vasis divitem fuisse Ecclesiam sub ethnicis imperatoribus qui ipsam devastabant, ex eo ostendit laudatus Bona quod in *Actis* proconsularibus traditæ leguntur in Africa ministris Diocletiani lucernæ argenteæ septem, æneæ undecim cum catenis suis, cereofala duo, candelæ breves æneæ cum lucernis suis septem. Celebris est S. Athanasii locus in Epistola ad Orthodoxos, ubi de Arianorum persecutione conqueritur, quod ethnicos in Ecclesiam introduxerint, qui candelabra deposuerunt et cereos idolis incenderunt.

VI. Sunt præterea tum apud Prudentium, tum apud Paulinum, tum apud alios antiquissimos Ecclesiæ Patres luculentissima testimonia quæ pervetustum candelabrorum usum nobis significant. Audiendus præ omnibus est S. Augustinus qui, in *Sermone* XVII *in dedicatione ecclesiæ*, ad finem, non modo candelabrorum usum recenset, sed et mysticum ipsorum intellectum docet, ac præterea candelabra benedici consuevisse adjungit; explicans enim ea Christi verba apud Matth., cap. V: *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*, ita inquit: « Bene occurrit lectio, quando » candelabra dedicantur, ut sit qui operatur, » lucerna posita in candelabro. Lucerna est » enim homo qui bene operatur. Quid autem » candelabrum? Mihi autem absit gloriari, nisi » in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Qui ergo » secundum Christum facit, et propter Christum » facit, ut non glorietur, nisi in Christo, cande» labrum etsi luceat omnibus, etc. » Huc spectat quod legitur in can. XXXVII *De consecratione*, distinctione I, testimonium scilicet Clementis

Digitized by Google

Papæ, in Epistola II ad Jacobum fratrem Domini, quæ, licet supposititia a viris doctis censeatur, est tamen antiquissimi auctoris, diserte aientis non modo altaris pallam, sed et candelabrum, si fuerint vetustate consumpta, cremari debere, et cineres in baptisterio inferri, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum, « ne in» troeuntium pedibus coinquinentur. »

VII. Possem hic de aliis ornamentis altaris disserere, sed videri possunt laudati auctores, Joannes cardinalis Bona, Stephanus Duranti, et inter recentiores eruditissimus Caietanus-Maria Merati. Nos quod proprium nostræ est rei enarrabimus. Quod itaque spectat Versiculos et Responsoria in hoc nostro § descripta, non illa profecto inveni in antiquis Pontificalibus. Etenim liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ* nil aliud inquit, nisi hæc tantum verba : « Post » hæc vestiatur altare cum Antiphona *In velamento alarum tuarum;* Psalmo *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et dicatur hæc » Oratio, *Descendat, quæsumus, Domine, etc.* : » quam legere est in § sequenti. Consonat fere nostro huic præsenti § Pontificale manuscriptum Vaticanum Gulielmi Durandi, cujus verba vide in Appendice; multa enim in eo sunt, quæ ab hoc nostro § omnino variant.

§ LXXVII.

Finito Psalmo, Pontifex, deposita mitra, ascendit ad altare, et facta cruci super altare positæ reverentia, incipit, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo, Domine.* Interim, dum Antiphona cantatur, Pontifex incensat super altare in modum crucis; et Antiphona finita, Pontifex eam reincipit, et Schola prosequitur; et interim iterum ipse Pontifex super altare in modum crucis incensat, quod et tertio facit; quo facto, stans ante medium altaris dicit :

OREMUS.

Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui, et dona nostra, et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum, cœlestis virtutis benedictione sancti✠fica, et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut hic sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

Præter manuscriptum Pontificale Vaticanum Durandi, in quo id ipsum præscribitur, quod in hoc nostro § edicitur, sunt alia nonnulla Pontificalia quæ eumdem ritum subobscure innuunt. Ordo quidem antiquus Romanus diserte mandat ut, postquam Diaconi vestierunt altare et Schola cecinit quasdam Antiphonas ac Psalmos, « offeratur incensum versusque dicatur *Omnis » terra adoret te, Deus.* Deinde *Kyrie, eleison*, » et Oratio Dominica, et preces. » Sequuntur mox varii versiculi cum suis responsionibus, eisque finitis, succedunt binæ Orationes in hoc § nostro recitatæ, nulla facta mentione de duobus versiculis *Dominus vobiscum* et *Benedica-*

Digitized by Google

mus Domino, uti habentur in hodierno Romano Pontificali, et in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, licet secundum istius præscriptum « Pontifex etsi thurificet ter super altare » in modum crucis, dicendo ad quamlibet thu- » rificationem Antiphonam *Omnis terra, etc.*, » et dicat Orationem *Descendat, quæsumus, Do- » mine, etc.*, » nonnisi tamen post velatum et thurificatum altare adjungit coram eo hanc aliam Orationem : *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, eaque finita versiculos *Dominus vobiscum* et *Benedicamus Domino*. Id quod etiam præscribit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Barensis, in quo tamen nulla ex ipsis versiculis mentio habetur. Exstat et in aliis Pontificalibus sua varietas, quia scilicet, uti iterum iterumque dictum est, unaquæque Ecclesia, imo unusquisque Episcopus Pontificalem sibi librum concinnabat; habita fere semper ratione ad ritus Ecclesiæ Romanæ, omnium Ecclesiarum magistræ.

§ LXXVIII.

Quo dicto, Pontifex accedit ad sacristiam sive sacrarium, ubi, deposito pluviali, si celebrare voluerit, quod conveniens est, accipit sandalia, dicens Psalmum *Quam dilecta*, cum aliis. Deinde lotis manibus accipit omnia paramenta Pontificalia albi coloris. Interim ornatur ecclesia, et luminaria super altari, et credentia, atque alibi, ubi placuerit, accenduntur. Tunc erit Pontifex Missam celebraturus. Si vero, fatigatus nimis, celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem Sacerdotem celebrari.

COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum, ex hac nostra Rubrica, cautum est ut, ubi Pontifex templi et altaris dedicationem absolvit, et ad sacrarium rediit, interim ornetur ecclesia, et luminaria super altari et credentia, atque alibi, ubi placuerit, accendantur; ita quoque *Euchologium* mandat ut, ubi Pontifex Græcus lampadem a se in altari reponendam atque accendendam præparavit, uti superius dictum est, deposito omni Pontificio ornatu, lampades, cereos et reliquum templi ornatum ministris ecclesiæ depromere permittat, et Missa deinde celebretur : « Tunc autem » Pontifex ingressum facit in novæ ecclesiæ » altare, et Missam perficit. » Verba sunt Simeonis episcopi Thessalonicensis, Græcorum rituum interpretis, cui alios Græcos auctores adjungere supervacaneum puto.

II. Si verum ac legitimum est S. Evaristi Papæ constitutum apud Burchardum, lib. III *Decretorum*, cap. XXVII, ubi mandat sacras basilicas cum sacrificio Missæ semper debere consecrari, ritus est haud dubie ab Apostolorum tempore ductus, et per omnes postea Ecclesias propagatus, ut nimirum peracta dedicatione ecclesiæ, ibidem Sacrum peragatur. Verum etiamsi demus supposititium esse istiusmodi Evaristi decretum, quod cæteroqui Gratianus in can. *Omnes basilicæ*, de Consecratione, distinctione I, Higyno Papæ tribuit, afferri adhuc posset Constitutio Vigilii Papæ in Epistola ad Eleutherium, eumdem ritum præcipientis in can. *De fabrica*, loco citato. Sed iis omissis, constat antiquissimam esse ejus ritus praxim; describens etenim Eusebius, lib. IV *De vita Constantini*, cap. XLV, dedicationem ecclesiæ Jerosolymorum, ad quam evocaverat Constantinus Episcopos in synodo Tyri congregatos, inter alias functiones in ea solemnitate a Sacerdotibus celebratas, ait, quod quidam « incruen- » tis sacrificiis et mysticis immolationibus Deum » placabant pro pace communi, pro Ecclesia » Dei, pro imperatore tot bonorum auctore, » ejusque piissimis liberis, preces Deo suppli- » citer offerentes. »

III. Vix vel antiquum vel recens manuscriptum Pontificale invenies, in quo præscriptum non sit celebrandam esse Missam ubi dedicatio peracta est. Testantur id quoque scriptores Ecclesiastici, inter quos Rabanus Maurus episcopus Moguntinus, qui sæculo IX floruit, libro II *De institutione Clericorum*, cap. XLV, ita inquit: « Perfecta vero dedicatione templi et altaris, » induit se Pontifex et Clerus vestimentis aliis, » et celebrant solemniter sanctam Missarum

Digitized by Google

» celebrationem. » Alludit ad locum libri *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, quem præstat hic recensere : « Inde revertatur Pontifex in » sacrarium cum Ordinibus suis, et induant se » vestimentis aliis solemnibus : interim ornetur » ecclesia, et accendantur luminaria multa; et » incipiat Cantor Antiphonam ad Introitum : » *Terribilis est locus iste;* et procedat Pontifex » de sacrario cum ordinibus suis, sicut consue- » tudo est in festivitatibus. Celebretur ibi so- » lemniter Missa more solito, ordine suo, cum » *Gloria in excelsis Deo.* »

IV. Hunc quidem ritum servatum docet Rabanus ex veteri usu, quia scilicet legitur lib. II *Paralipomenon*, cap. VII, quod *mactavit rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia; et dedicavit domum Dei Rex et universus populus; Sacerdotes autem stabant in officiis suis, et Levitæ in organis carminum Domini quæ fecit David rex ad laudandum Dominum, etc.* Post recitatum hoc testimonium, recte admodum observat Rabanus in eo potissimum præstantiorem esse veteri illa dedicatione dedicationem Christianæ Ecclesiæ, « quod ibi mactabantur boum et » ovium multa millia; hic vero immolatur Agni » illius corpus qui abstulit peccata mundi ; illic » concrepabat multitudo tubarum et cymbalo- » rum, et cætera instrumenta musicorum; hic » autem jubilus ex devoto pectore prolatus sua- » viter sonat per voces hominum. » Et statim adjungit : « Quantum autem distat ab umbra » veritas, tantum distat a legali victima nostrum » Sacrificium; et quantum præstat insensibili » sensibile, tantum præstat laus vocis humanæ » ex puro corde prolata inani flatui tubarum » et percussioni cymbalorum. » Ubi nota nondum irrepsisse Rabani tempore consuetudinem introducendi in ecclesiam tot et varii generis instrumenta musica, quæ ferri in ipsa Ecclesia a piis viris minime possunt, tum præcipue quod hodie musici omnes fere Ecclesiasticos reditus, qui pauperum millibus alendis sufficerent, soli absumunt ac devorant. Utinam Ecclesiarum Præsides aliquando hæc intelligerent ac providerent, et imitarentur celebre exemplum Patrum Apostolicarum Missionum, qui solemni cum pompa per octo dies continuos festum fundatoris sui Vincentii a Paulo Sanctorum fastis a Clemente XII Pontifice Maximo adscripti, Gregoriano, ut aiunt, cantu contenti, Romæ hoc anno 1738 celebrantes, ad veram christianos populos in ædem sacram confluentes, summopere excitarunt devotionem.

V. Jam non musicam, sed abusum damnamus, prout alibi dictum est. Revertamur ergo ad nostram Rubricam, ad quam illustrandam referendum censeo quod ad annum 1252 narrat Matthæus Parisius. Ait in dedicatione ecclesiæ de Hales, cui Episcopi XIII adfuerunt, omnes die Dominica qua dedicatio peracta est, Missam celebrasse, unumquemque ad suum altare; Lincolniensem vero ad aram principem, sive ad majus altare. Exstant passim similia exempla in Historia Ecclesiastica, et apud Ughellum in sua *Italia Sacra*, ubi agit de dedicatione variarum ecclesiarum. Cæterum ex plerisque libris Pontificalibus, et ex communi theologorum sententia, in arbitrio Episcopi dedicantis est Missam celebrare, vel alii ejus celebrationem committere : « Prædictis omnibus expeditis, » Pontifex ingreditur sacrarium, et parat se, si velit, ad Missam. » Verba sunt manuscripti Pontificalis Vaticani Gulielmi Durandi. Quanquam vero addubitet Glossa, in canonem *Omnes Basilicæ*, *De Consecratione*, distinctione I, an Missa sit de substantia consecrationis, adeo ut, ea prætermissa, consecratio corruat; et Gulielmus Durandus, in suo *Rationali*, libro I, cap. VII, constanter asserat non debere consecrationem altaris sine Missa peragi, secundum Gelasium Papam in dicto can. *Omnes basilicæ:* communi calculo receptum est Missæ celebrationem non esse de substantia, uti docet in ipsum canonem Joannes cardinalis de Turrecremata ; S. Antoninus, parte III, tit. XII, cap. VI in principio, et alii.

[Pontifex igitur Missam solemnem, peracta consecratione, celebrare debet, nisi ob fatigationem hanc celebrari mandet ab aliquo Sacerdote ; ita patet ex Rubrica quæ superius descripta est. Hinc est quod nullatenus capiamus rationem quare Episcopus Oppidensis ad Summum Pontificem recurrerit, indulgeri sibi petens ut posset Missam hanc solemnem, cujus celebratio ipsi impossibilis facta erat ob ætatis et valetudinis imbecillitatem, ab alio Sacerdote celebrandam relinquere. Attamen expresse concessa est talis dispensatio, die 24 maii 1844. Peritiores judicent de necessitate concessionis

Digitized by Google

sicut et de petitionis opportunitate. Sed altera quæstio perpendenda manet quoad Missam Sacerdotum in die proprio dedicationis, qua hora Sacrum privatum celebrare possit Parochus cujus ecclesia consecratur? Numquid exspectare debet ut omnia compleantur quæ sunt hujus tam prolixæ functionis? Ita responsum est a sacra Congregatione ad quæsitum Mechliniense, die 19 julii 1780 : scilicet, ubi nulla est alia ecclesia vel capella, dictum Parochum exspectare debere finem consecrationis, antequam licite possit ad altare ascendere; sin minus, se hac die abstineat a Missæ celebratione, et populus audiat Sacrum ab Episcopo, vel a Sacerdote de jussu episcopi decantandum]

VI. Illud plane constat, olim non modo ipso dedicationis die, sed tota etiam hebdomada Missas publicas in ipsa consecrata ecclesia fieri debuisse ex libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, et ex aliis compluribus libris Pontificalibus, inter quos Anglicanus monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, ita inquit : « Completa Missa, postea per totam hebdomadam Missa publica in ipsa ecclesia celebratur, » et in ipsis octo diebus semper ibi luminaria » ardere, aut de cera aut de oleo, debent, ne » absque luminaribus et Officiis nocturnis diurnisque in prædictis octo diebus ullo modo » reperiatur, » nimirum ipsa basilica. Brevius liber Pontificalis Ecclesiæ Noviomensis : « Compleatur Missa ordine suo, et postea per totam » hebdomadam fiant Missæ publicæ in ipsa ecclesia usque ad octo dies completas. » Missa publica illa est cui interesse utrique sexui promiscue olim licitum erat, et quæ coram populo peragebatur. Hæc Missa a Walafrido Strabone *legitima*, ab Amalario *generalis*, a Vasionensi Concilio, cap. xx, *publica* appellatur, non quidem a loco publico, quia quæ olim in cryptis et locis abditis ob tyrannorum metum celebrabatur, publica etiam dicebatur; dicta itaque eo nomine fuit a conventu populi circumstantis, offerentis atque communicantis in tali Missa.

VII. At his obiter dictis, constat jam olim ad celebriorem dedicationis solemnitatem per octo dies integros Dedicationis festum cum sacris concionibus, dum sacrificiis incruentis aliisque divinis Officiis fuisse celebratum. Satis id innuit Eusebius, lib. iv *De vita Constantini*, ubi agit de dedicatione templi Hierosolymitani a Constantino Magno constructi, ubi ait, totis octo diebus quibus dedicatio ipsa peragebatur, conciones identidem habuisse Episcopos qui illuc convenerant, agentes de divino cultu, de recentis templi magnificentia, de imperatoris laudibus. Testis est et de eadem re luculentissimus Sidonius Apollinaris, lib. ix, epistola iii ad Faustum episcopum, ita inquiens : « Licet » enim prædicationes tuas nunc repentinas, » nunc, cum ratio poposcisset, elucubratas raucus » plosor audierim, tunc præcipue cum in Lugdunensis ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus, collegarum sacrosanctorum rogatu » exorareris, ut perorares, etc. » Ubi nota hebdomalia dedicatæ ecclesiæ festa nihil aliud esse quam quod illa, per integram hebdomadam, summa cum solemnitate et assiduis concionibus fuere celebrata.

VIII. Mos præterea plane antiquissimus fuit ut anniversarius dedicationis basilicæ dies in Ecclesia celebraretur; de eaque consuetudine Felix IV, Pontifex Maximus, apud Burchardum lib. iii, capite lviii, et apud Gratianum in can. xv *De Consecratione*, distinctione i, hæc habet : « Solemnitates vero dedicationum ecclesiarum » et Sacerdotum per singulos annos solemniter » sunt celebrandæ, ipso Domino exemplo dante, » qui ad festum Dedicationis templi, omnibus » faciendi dans formam, cum reliquis populis » eamdem festivitatem celebraturus venit. » Dicent aliqui supposititium esse hoc memorati Pontificis constitutum; sed hoc parum refert, cum de ea re exempla etiam exstent luculentissima, quæ nos condocent diem consecrationis ecclesiarum inter festos anniversarios maxima cum solemnitate celebrari solitum fuisse. Nam Sozomenus, lib. ii, cap. xxv, de ecclesia a Constantino Hierosolymis ædificata diserte inquit, « ex eo tempore solemnem quotannis festivitatem » admodum splendide ab Hierosolymitana Ecclesia celebratam fuisse; adeo ut Baptismi » quoque sacramenta eo die tradita, et per continuos septem dies conventus Ecclesiastici » facti sint, multique ex omni fere terrarum » orbe convenerint, qui hujus festivitatis tempore ad sacra loca perlustranda undique accurrerint. » Apud alios auctores, et in antiquissimis Pontificalibus libris passim invenies testimonia de ipso anniversario die dedicationis.

IX. Rursus docet Gavantus in *Rubrica Mis-*

Digitized by Google

salis, parte IV, tit. XVII, num. XII, fieri etiam consuevisse antiquitus anniversariam consecrati altaris celebrationem; citatque S. Augustini Sermonem LII et LV, in quo quidem ita inquit S. Doctor : « Consecrationem altaris hodie celebramus, et juste ac merito gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus vel » unctus est lapis in quo nobis divina Sacrificia » consecrantur. » Verum recte admodum docet Carolus Guyetus, lib. I *De natura festorum*, cap. III, quæstione XII, ipsa quidem die qua altare consecratur seu dedicatur, intra ambitum ecclesiæ jam dedicatæ posse et debere celebrari Missam quæ posita est pro Dedicatione ecclesiæ, cum Orationibus seorsim positis pro Dedicatione altaris, ut in Missali habetur; deinceps vero recurrente quotannis eadem die, nequaquam celebrandam esse aut Missam, aut ullam aliam solemnitatem annuam illius dedicationis; tum quia nullibi præscribitur aut permittitur festum dedicationis altaris; tum quia comprehenditur in dedicatione ipsiusmet ecclesiæ. Addit denique laudatus auctor idem debere esse judicium de capella separata, quæ nomine Ecclesiæ nequaquam venit; nisi ea hujusmodi sit quæ Clerum habeat, quales sunt capellæ regiæ Parisiis, Biturigibus, et aliæ alibi erectæ, quæ vere ecclesiæ sunt collegiatæ.

X. Non dissimulandum denique, quod in Rubrica nostra edicitur, Pontificem celebraturum Missam die quo ecclesiam dedicavit, debere indui vestimentis Pontificalibus albi coloris: qui ritus quidem est in Ecclesia antiquus, et in priscis Pontificalibus libris et in Rubricis Missalis præscriptus; ob eam rationem, quia, ut ex Innocentio Papa III docet Gavantus, parte I sui *Thesauri sacrorum Rituum*, tit. XVIII, « Ecclesia » virgineo nomine nuncupatur ab Apostolo, » in Epistola II ad Corinthios, cap. XI. Etiam laicos homines in dedicationibus ecclesiarum consuevisse olim lugubres vestes deponere, et albas assumere, docet nos S. Hieronymus in Epistola ad Julianum virum divitem, quem exemplo Job consolatur quod duas filias intra viginti dies amiserit, subsecuta deinde sit uxoris mors, totius insuper familiæ reique familiaris dispendium. Sic enim inquit in selectis quas nos ipsius S. Doctoris eddidimus Epistolis, lib. III, pag. 352 : « Laudent ergo te alii, et tuas contra » diabolum victorias panegyricis prosequantur; » quod læto vultu mortes tuleris filiarum, quod » in quadragesimo die dormitionis earum lugubrem vestem mutaveris, et dedicatio ossium » Martyris candida tibi vestimenta reddiderit, ut » non sentires dolorem orbitatis tuæ, quem civitas universa sentiret, sed ad triumphum » Martyris exultares, quod sanctissimam conjugem tuam non quasi mortuam, sed quasi proficiscentem deduxeris. »

XI. Sacerdotes omnes ac Levitas, ubi Episcopus ecclesiam sive altare dedicabat, suam ipsi præstitisse operam in vestibus albis, testatur S. Gregorius Turonensis in libro *De gloria confessorum*, cap. XX, ubi agens de dedicatione oratorii sui, ita inquit : « Erat autem Sacerdotum ac Levitarum in albis vestibus non minimus chorus. » Innocentius III, lib. V *Mysteriorum Missæ*, cap. LXV, scribit, utendum esse albo colore in dedicatione ecclesiæ utique ex prisco more ab Ecclesia Romana recepto. Idem omnino habet Durandus et alii plures sequioris ævi scriptores; sed de hac re memini me superius disseruisse initio tituli.

§ LXXIX.

Missa dicitur prout in Missali in ipsa die dedicationis ecclesiæ. In fine Missæ Pontifex dat benedictionem solemnem, dicens : *Sit nomen Domini, etc.*, et indulgentias supra declaratas.

COMMENTARIUS.

I. Peculiaris quidem vel priscis sæculis fuit Missa dedicationis ecclesiæ, uti videre illam est non modo in libris Pontificalibus et in Ordine antiquo Romano, verum etiam in antiquissimis *Sacramentorum* codicibus Sanctorum ac Maximorum Pontificum Leonis I, Gelasii et Gregorii; quorum primus editus est a viro clarissimo Josepho Blanchino, Congregationis Oratorii

Digitized by Google

Sanctæ-Mariæ in Vallicella de Urbe presbytero, et tomo IV *Commentariorum ad Anastasium Bibliothecarium* insertus; alter a religiosissimo æque ac doctissimo cardinale Thomasio; tertius ab eruditissimo Hugone Menardo, et ab eodem notis atque observationibus illustratus. Sane constat in ipsis codicibus varias esse dedicationis Missas, similemque varietatem et in aliis Pontificalibus reperiri; multa quoque in eisdem haberi, præsertim præfationes proprias, quæ in nostro hodierno libro Missali desiderantur. Vide in Appendice Ordinem Missæ quæ in duobus manuscriptis Ordinibus continetur, quorum alter est ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod Romæ in Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini asservatur; alter vero ex manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca exstat.

II. Quod vero divini Officii recitationem ipso die dedicationis spectat, scio varios auctores ejus esse opinionis ut velint recitandum esse totum Officium de dedicatione ecclesiæ. Docet id quidem inter alios Carolus Guyetus in sua *Heortologia*, lib. II, cap. I, quæstione I, ubi ita scribit : « Licet Officium dedicationis in ipsa » ecclesia dedicata incipit tantum in Missa, post » completam videlicet dedicationis actionem, » debuerunt tamen primæ Vesperæ ac Matuti- » num cum Laudibus, nec non Prima ac Tertia, » a Clericis de ipsa dedicatione ante cantari. » At si in Missa Officium dedicationis incipit post absolutam ipsam dedicationis celebrationem, ineptum esse videtur, quod dicitur, debuisse primas Vesperas ac Matutinum cum Laudibus, nec non Prima ac Tertia a Clericis de ipsa dedicatione ante cantari : ridiculum enim est de eo quod adhuc non exstet Officium celebrari; præsertim cum possint multa contingere quæ ecclesiæ dedicationem impediant, puta Episcopi infirmitas, et alia hujusmodi.

III. Ergo, ut meam sententiam proferam, peracta dedicatione incipiendum est dedicationis ipsius Officium a Vesperis, sive ab Hora illa Canonica quæ sequitur Missam, uti docet Breviarium inclyti Ordinis Fratrum Prædicatorum, ita inquiens : « In primo anno dedicationis ec- » clesiæ, Officium inchoatur in Missa : in Hora » vero quæ sequitur Missam, et deinceps in om- » nibus Horis usque ad Completorium sequentis » diei exclusive fiat Officium totum duplex; et » die sequenti in Matutino fiant novem lectio- » nes. » Atque hæc fuit praxis Benedicti XIII, qui, uti liquet ex quodam manuscripto codice Bibliothecæ eminentissimi S. R. E. cardinalis Francisci Antonii Finy, tercentum et octoginta ecclesias consecravit. Id etiam mihi contestati sunt varii Præsules, qui ex ejus, dum viveret, latere erant; præsertim vero vir clarissimus Philippus Venantius Piersanctes, Apostolicarum cæremoniarum magister, qui etiam de ea eruditissimum scriptum concinnavit, multis argumentis probans minime licitum esse Vesperas ac Matutinum cum Laudibus, nec non Primam ac Tertiam, ante quam ipsa ecclesiæ dedicatio peracta sit, recitare.

[Auctoris sententiæ consonat decretum S. R. C., in Mechliniensi, 19 julii 1780, juxta quod incipit Officium illud, pro hac vice, peracta tantum ecclesiæ consecratione. At, cum, juxta præscriptum Cæremonialis Episcoporum, hora minor Tertia sit decantanda dum Pontifex recitat Psalmos præparationis ad Missam et sacris induitur paramentis, his attentis, eadem S. R. C., 7 decembris 1844 et 14 junii 1845, in causa Cenomanensi, decrevit Officium dedicationis inchoandum esse a dicta hora Tertia, ante Missam quæ consecrationem ecclesiæ debet subsequi. Tale autem Officium recitandi jus et onus Clero tantummodo incumbit qui dedicatæ ecclesiæ strictius est addictus, prout decisum est a sacro senatu die 23 maii 1837, in Gratianopolitana.]

IV. Age prosequamur cæteros ritus post ipsam ecclesiæ dedicationem servari solitos. Finita Missa, mos olim fuit ut tam ipse qui ecclesiam fundaverat, quam qui illam dedicabat, eidem ecclesiæ dona offerret. De dedicatione quidem basilicæ Aurelianensis, quam Robertus Francorum rex Aurelianis, in memoriam S. Aniani ejusdem civitatis episcopi a se constructam, anno 1009 consecrari voluit, scribit Helgaldus oblata fuisse tam ab ipso rege Roberto quam ab aliis varia donaria, quatuor scilicet pallia pretiosissima, urceum argenteum, et capellam, quam rex præfatus post obitum suum ecclesiæ ipsi delegavit. Legi hæc fusius possunt apud Franciscum Duchesne, tom. IV *Historiæ Francorum;* sed et Urbanus III, Pontifex Maximus, ubi anno 1186 consecravit ecclesiam Sancti-Juliani de Lepida seu Lepia, in districtu Veronensi,

Digitized by Google

uti videre est apud Ughellum, *Italiæ sacræ* tom. v, in quo agit de Episcopis Veronensibus : « Postea prædictus Dominus Papa intravit præ» dictam ecclesiam, et celebravit Missam ad » altare S. Mariæ, et exutis Pontificalibus, » obtulit super altare, in memoria sui, casulam » in qua celebravit, cum paramento Sacer» dotali. »

V. Ex manuscripto Ceccani codice, ubi agitur de consecratione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ Fluminis, Ferentinæ diœcesis, facta a cardinale Jordano de Fossa Nova, anno 1196, cui varii Episcopi non modo ut testes, sed ut cooperatores interfuerunt : « Finita consecratione ecclesiarum et » altarium, primam oblationem quæ ei oblata » fuit dominus Cardinalis obtulit, et manibus » suis posuit super majus sæpe nominatum » altare suum paramentum pretiosum, videlicet » bonum amictum frisatum, bonum camisium » frisatum, bonum cingulum frisatum, pul» chram stolam cum manuale, optimam tuni» cam cum dalmatica, et planetam frisatam » cum tali friso, quod dominus Cardinalis eme» rat in Colonia pro novem marcis de argento; » optimam thiaram frisatam super altare, pul» chra sandalia cum caligis, bonum faldesto» rum. » Describit mox secundam oblationem, quam eidem ecclesiæ Sanctæ-Mariæ Fluminis fecit Joannes comes de Ceccano, præfati Jordani cardinalis nepos; de qua vide in Appendice, in qua totum ritum memoratæ consecrationis describimus.

VI. De benedictione solemni, quam ex nostra hac Rubrica populo Episcopus in fine Missæ elargitur, illud quidem non omittendum est, antiquam fuisse consuetudinem ut ipse Episcopus, antequam Eucharistiam perciperet, populum benediceret quibusdam conceptis precationibus : id quod fuse ostendit allatis variis veterum scriptorum locis eruditus Hugo Menardus in *Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 27 et seq., ubi etiam scite observat esse aliam benedictionem, quæ in fine Missæ dabatur, de qua Concilium Agathense, can. XLVII, ita statuit : « Missas die Dominico a sæcularibus totas teneri » speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante » benedictionem Sacerdotis populus egredi non » præsumat. » Itaque si hæc benedictio in fine Missæ non daretur, sed ante communionem, illa data, populus egrediens, integræ Missæ minime interesset, quia ante communionem discederet : atque ita capienda profecto sunt Cæsarii Arelatensis verba, qui memorato Concilio præfuit, ubi in sua *Homilia* XII sic inquit : « Ideo » qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ » suæ celebrare, usquequo Oratio Dominica » dicatur, et benedictio populo detur, humiliato » corpore et compuncto corde debet se in ec» clesia continere. » Valafridus Strabo, in libro *De rebus Ecclesiasticis*, cap. XXII, locum Concilii quod Aurelianense pro Agathensi nominat, perspicue explicat de ultima Sacerdotis oratione, quæ *Oratio ad complendum* vocabatur.

VII. Variæ Episcopales benedictiones sub conceptis quibusdam precationum formulis, quæ ante communionem olim dabantur, sunt adhuc hodie in usu in quibusdam Ecclesiis, teste eodem Menardo; exstantque ex eis nonnullæ ad calcem Pontificalis Romani excusi tempore Leonis X Pontificis Maximi (cui illud in multis correctum auctumque dedicavit Albertus Castellanus, Venetus, ordinis Prædicatorum), quæ tamen ex recentioribus Pontificalibus expunctæ sunt, etiam ante emendationem Clementis VIII et Urbani VIII; quibus hodie standum est, uti ipsi Pontifices mandant in suis Constitutionibus, quas tomo I hujus operis integras exhibuimus in nostris Prolegomenis, cap. III.

VIII. Quoniam vero postquam in veteri Testamento rex Salomon post peractam sumptuosissimi Hierosolymitani templi constructionem, prolixam ibidem Orationem fudit, quam legere est in lib. II *Paralipomenon*, cap. VI ita etiam ad exemplum illius consueverunt aliquando Christiani reges, ubi ecclesias a se constructas dedicari fecerant, suas ibidem preces effundere. Cujus rei etsi plura in historiis exempla exstent, lubet tamen hoc loco describere ritum quo post expletam basilicæ Aurelianensis dedicationem Robertus Francorum rex oravit, teste Helgaldo qui ita inquit : « Expleta benedictione solemni » et omnibus quæ ad dedicationem sancti tem» pli pertinebant, vadit cum reverentia nomi» nandus Pater patriæ Robertus ante altare » sanctissimi Petri et dilecti Domini Aniani, » in conspectu omnium populorum, et exuens » se vestimento purpureo, quod lingua rustica » dicitur *Rochus*, utroque genu fixo in terram

Digitized by Google

» toto de corde ad Deum supplicem fudit pre-
» cem in his verbis : *Gratias ago tibi, bone*
» *Deus, qui ad effectum meam voluntatem hodie*
» *meritis S. Aniani perduxisti, lætificans ani-*
» *mam meam de corporibus Sanctorum cum eo*
» *hodierna die triumphantium. Da ergo, Do-*
» *mine, per hos Sanctos tuos, vivis delictorum*
» *indulgentiam, defunctis omnibus vitam et re-*
» *quiem sempiternam : tempora nostra prospi-*
» *ce : regnum tuum, quod tua pietate, miseri-*
» *cordia, bonitate, nobis datum est, rege, dispone,*
» *custodi, ad laudem et gloriam nominis tui,*
» *S. Aniani virtute mirabili patris Patriæ, ab*
» *inimicis mirabiliter libera.* »

IX. Epulas solemnes populis ad eam celebritatem confluentibus liberaliter distributas, testantur tum veteres cum recentiores historiæ. Vide Eusebium Cæsariensem ubi agit de dedicationibus ecclesiarum auctoritate Constantini Magni celebratis sæculo IV. Vide *Chronicon Casinense*, ubi agitur de dedicatione basilicæ Casinensis ab Alexandro II Pontifice Maximo peracta. Vide in Appendice Ordinem dedicationis ecclesiæ Sanctæ Mariæ Fluminis, ubi numerantur varii cibi populo, qui eo confluxerat, distributi. Sed de ea re passim exempla invenies. Porro non modo ipsa dedicationis die, sed etiam anniversaria, parari consueverunt convivia, eo etiam interdum excessu, ut coacti non semel fuerint zelantissimi Præsules suis sanctionibus huic abusui occurrere. Synodus Coloniensis anni 1136, parte IX, cap. XI, ita inquit : « Cum
» in diebus festis qui dedicationi ecclesiarum
» peculiariter dedicati sunt, plerumque indigna
» committantur, adeo ut videatur populus tum
» potissimum comessationis causa convenire,
» visum nobis est ut per diœceses nostras uno
» certo die anni, quo hujusmodi festum Dedi-
» cationis in metropolitana nostra colitur, in re-
» liquis quoque ecclesiis omnibus extra civitatem
» nostram Coloniam Agrippinam constitutis
» observetur. » Idipsum mandant et aliæ Synodi apud Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici*, cap. III; Guyetus, in sua *Heortologia*, lib. II, c. I, quæstione V, post memoratum variarum diœceseon usum, in quibus omnium ecclesiarum dedicatio simul una die celebratur, varia argumenta exponit quibus se adductum sentit ut instituti hujus rationem minus probet.

X. Librum denique Episcopo curante conficiendum, eumdemque in archivo Episcopali asservandum, in quem ecclesiarum et altarium consecrationes ordine relatæ, ad perpetuitatemque posteris proditæ exstent, mandat in suo Concilio provinciali IV Mediolanensi S. Carolus, *Constitutionum* parte II, capite inscripto *De ecclesiarum et altarium consecrationibus, etc.* Edicit ibidem S. Antistes ut in ecclesiæ uniuscujusque sacristia liber hujusmodi sit, aut certe aliud scripti genus publica auctoritate munitum, de illius ecclesiæ, cœmeterii et altarium consecratione, et campanarum benedictione. Tum etiam mandat ut, quo firmius magisque perpetuum consecrationis ecclesiarum et altarium monimentum posteritati prodatur, uniuscujusque ecclesiæ consecrationis dies annusque litteris etiam marmore incisis, tabulaque marmorea, in qua tota consecrationis narratio exaretur, in pariete ab ecclesiæ fronte, non longe a janua primaria, loco illustri bene affixa collocetur.

XI. Hunc antiquum morem dedicationis inscriptionem ipsis ecclesiis insculpendi memorat quidem S. Prosper episcopus Aquitanicus, in lib. *De promissionibus et prædictionibus*, parte III, promisso XXXVIII, ubi inter alia testatur Deum ipsum characteribus miraculose in fano idolorum exaratis, ejusque consecrationem ab Aurelio episcopo Carthaginensi magni Augustini decessore perficiendam non tam prædicentibus quam velut præteritam enarrantibus confirmasse, eaque verba in dicti fani propylæo incidisse : *Aurelius Pontifex dedicavit.* Prosperi verba, qui ejus rei oculatus testis fuit, hæc sunt : « Ipse tunc aderam cum sociis et amicis,
» atque ut se adolescentium ætas impatiens cir-
» cumquaque vertebat, dum curiosi singuli
» quæque pro magnitudine inspicimus, mirum
» quoddam et incredibile nostro se ingessit as-
» pectui, titulus æneis grandioribusque litteris
» in frontispicio templi conscriptus : *Aurelius*
» *Pontifex dedicavit.* Hunc legentes populi
» mirabantur præsago tunc spiritu acta, quæ
» præscius Dei ordo certo isto fine conclude-
» rat. »

XII. Consuevisse Pontifices, ubi ecclesias dedicabant, ad perpetuam rei memoriam dedicationis ipsius diem ac annum, ac Episcoporum nomina qui eidem intererant, indulgentiasque quas ipsi concedebant, scripto mandare, testan-

Digitized by Google

tur passim Pontificiæ litteræ, quas ea de re legere est apud Ughellum in sua *Italia sacra*, et apud alios passim Ecclesiasticæ historiæ scriptores.

TITULUS III.

DE ALTARIS CONSECRATIONE QUÆ FIT SINE ECCLESIÆ DEDICATIONE.

I. Quanquam sine altaris consecratione ecclesia dedicari non consueverit, ut ex enarratis hactenus liquet, usus nihilominus vel olim invaluit ut sine dedicatione ecclesiæ unum vel plura altaria consecrarentur; quod quidem contingebat, vel cum novum aliquod in jam consecrata ecclesia erigebatur, vel cum in dedicandis ecclesiis is non esset numerus Episcoporum qui consecrandis altaribus omnibus par esset; varia etenim in superiori titulo exempla attulimus, quibus aperte ostendimus plures olim Episcopos dedicationi alicujus ecclesiæ interfuisse, non modo ut testes, verum etiam ut cooperatores. Id quidem contigisse potuit in dedicatione basilicæ quam Palladius Sanctonicæ urbis episcopus construxerat, ubi ex tredecim altaribus quatuor inconsecrata remanserant. S. Gregorius, lib. v, epistola L, ad ipsum Episcopum reliquias misit « sanctorum Petri et » Pauli, nec non Laurentii atque Pancratii » martyrum. »

II. Quanta fuerit Apostolorum Principis sollicitudo, ut Romæ in basilica Vaticana sibi dicata altaria quædam consecrarentur, tradit Innocentius III, lib. I, epistola CCCLVII, qua objectum Sacerdoti cœleste visum patratumque in eo miraculum narrans, Octaviano episcopo Hostiensi imperat ut ipsa altaria nondum consecrata, in quibus divina peragebantur, sacro ritu dedicaret. Tum vero hæc subdit : « Licet autem » secundum Apostolum non sit credendum » omni spiritui, quia tamen in tali negotio » angelus Satanæ non transfigurat se in Ange» lum lucis, et melius est pie credere quam » temere dubitare, cum honestum sit quod » proponitur faciendum; etsi verum non esset » quod asseritur revelatum, Fraternitati tuæ, » de qua fiduciam obtinemus, per Apostolica » scripta mandamus, quatenus altaria Philippi » et Jacobi, Simonis et Judæ, B. Gregorii et » S. Andreæ, quæ dissecrata dicuntur, tu ipse » consecres, vel per alios auctoritate nostra fa» cias consecrari. Credimus enim, quod ex hoc » nobis fructus æternæ retributionis accrescet. » Exstat integra Epistola apud Rainaldum, ad annum Christi 1198. Dicitur autem in ipsa Epistola cuidam seni ac probo Sacerdoti in visione nocturna per somnium apparuisse B. Petrum Apostolum, eique jussisse ut ad memoratum Innocentium accederet, ejusque nomine significaret ut altaria nondum consecrata, in quibus divinum Officium peragebatur, dedicari faceret; Sacerdotem vero revelationem indicare negligentem, auditum protinus amisisse.

III. Sed quidquid sit de hujusmodi nocturna revelatione, mandant passim sacræ Synodi in superiori titulo memoratæ, ut altaria nondum consecrata sacro ab Episcopis ritu dedicentur. Quantum fuerit in eo servando ritu studium ac assiduus labor sanctæ memoriæ Benedicti XIII, supervacaneum est pluribus enarrare, cum, ut alias amplissimæ Beneventanæ diœceseos ecclesias omittam arasque ab ipso dedicatas, innumera pene sunt Romæ altaria ab ipso consecrata licet sene et totius Ecclesiæ negotiis occupato. Dicam solum in celebri Vaticana Principis Apostolorum basilica, ad augendam rei divinæ religionem, unum et viginti altaria dedicasse, ut in marmorea inscriptione ibidem posita legitur. Legi in codice manuscripto quem mihi ostendit Eminentissimus S. R. E. cardinalis Franciscus Antonius Finy, ipsum Pontificem, ex quo primum ordinatus fuit Episcopus usque ad obitum, in XXXVI ecclesiis primarium lapi-

Digitized by Google

dem imposuisse, in variis locis CCCLXXX ecclesias dedicasse, in diversis autem ecclesiis altaria MDCXXXII. Cæterum ut finem huic præfationi faciamus, quamvis altarium perinde ac ecclesiarum consecratio ad Episcopum pertineat, refert nihilominus Theodoretus in *Philotheo*, cap. II, Julianum Sabam, presbyterum et monachum, in monte Sinai ecclesiam construxisse et aram consecrasse.

[Patet ex hoc sacræ antiquitatis exemplo, non tantum ultimis sæculis altarium consecrationem simplici Sacerdoti commissam fuisse, neque mirari est Rubricam Missalis Romani ad incruenti sacrificii celebrationem hæc admittere altaria quæ vel ab Episcopo, vel *ab Abbate facultatem a Sede Apostolica habente* fuerunt consecrata. Plurima enim edita sunt a Romanis Pontificibus indulta quibus talis facultas Abbatibus, præsertim Casinensibus, indulgetur; sed ordinarie hoc jure gaudent Prælati isti inferiores tantummodo pro suis ecclesiis, non vero pro ecclesiis sæcularium.

Nunc quædam signanda remanent de altarium qualitate, quæ ad hunc locum reservavimus. Sciendum est illum tantum lapidem ad consecrationem valere qui unicus est, non vero qui ex minoribus lapidibus ad formam unius adunatis coalescit. In hoc enim casu consecratio nulla foret, prout decisum fuit in causa Fanensi, die 17 junii 1843. Nullo modo necesse est quinque cruces sculpi in mensa altaris, ut hæc judicari possit consecrata. Novimus in quædam diœcesi ab episcopo interdicta fuisse plura altaria, eo quod quinque istæ cruces sculptæ non apparerent; sed minus æquum fuit tale judicium. Nullibi præscriptum est lapidem consecrandum quolibet signo, etiam sacro, notari debere. Apud Gallos tamen viget nunc ille usus qui certe damnandus non est, nisi forte aliquis eidem vim legis tribuere vellet. Anno 1847, cum sacræ Rituum Congregationi dubium propositum fuisset in quo adducebatur usus ille tanquam vim Canonici præcepti habens, Eminentissimi Patres, die II martii, ab oratore petierunt ut clarius se explicare dignaretur. Tandem quæri posset an lapis a mensa altaris amotus, et ideo exsecratus, ad usus profanos possit adhiberi? Sacra Rituum Congregatio de casu particulari cum consulta fuisset, respondit talem lapidem vendi licite potuisse alicui privato, emptorem tamen hanc altaris quondam mensam in loco decenti et honesto habere teneri. Ita decisum est in causa Reatina, die 9 maii 1606. Hinc judicandum religionem lædere Clericos illos qui tales lapides sacro oleo delibutos, et super quos divina Hostia toties fuit immolata, cæmentariis tradunt ut ex iis ecclesiæ pavimentum resarciant, prout sæpius propriis oculis et non sine horrore conspeximus.]

§ I.

Altaris consecratio quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus vel in Sanctorum solemnitatibus fit. Sane vero ante diem consecrationis Pontifex parat reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno scriptam sub hac forma : *MDCCXXXVIII, die N. mensis N. ego N. Episcopus N. consecravi altare hoc in honorem sancti N., et reliquias sanctorum Martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi;* sigillans ipsum vasculum diligenter, et in honesto et mundo loco ponens cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus. Celebrandæque sunt vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et Matutinæ laudes in honorem Sanctorum quorum reliquiæ sunt recondendæ.

Digitized by Google

§ II.

Parantur etiam in ecclesia quæ ad altaris consecrationem sunt necessaria, videlicet sanctum chrisma in vasculo et ampulla; oleum sanctum catechumenorum, etiam in vasculo et ampulla; una libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas aqua plenum, quod in presbyterio ponitur; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa ad extergendum mensam altaris consecrandi, quoties expedierit; coopertura linea cerata ad menuram ipsius altaris consecrandi; quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræs subtilis; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris; vas in quo ipsæ rasuræ deponantur; calx, arena, seu tegula trita ad faciendum cæmentum pro liniendo sepulcro reliquiarum et junctura mensæ altaris cum stipite; cæmentarius qui hoc agat; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem quocumque ierit; vas cum aqua ad abluendas manus Pontificis; et medulla panis, ac mantilia pro extergendis manibus; bombyx pro extergenda cruce quæ fit in stipite altaris; tobaleæ novæ mundæ; et vasa atque ornamenta ad cultum Dei et altaris, postquam consecratum fuerit, pertinentia benedicenda.

COMMENTARIUS.

I. Quæ superius in præcedenti titulo dicta sunt in Commentariis ad §§ priores, etiam hic locum habent. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis annorum quingentorum, ubi agit de altaris consecratione quæ fit sine consecratione ecclesiæ, sive in eo titulo qui inscribitur *Ordo de consecratione altaris per se*, id quidem cautum est, ut « in primis præparentur » quæ ad consecrationem necessaria sunt, sal, » aqua, cinis, et vinum, ysopus, oleum exorci- » zatum, et chrisma. » Longe fusius Rubricam enarrat manuscriptum Pontificale Vaticanum Durandi, in quo ea habentur quæ in nostra hodierni Romani Pontificalis Rubrica præscripta sunt. In antiquis manuscriptis codicibus, cujusmodi est antiquissimum Missale Francorum a religiosissimo ac doctissimo cardinale Thomasio Romæ evulgatum, etsi exstet quidem specialis ritus consecrationis altaris absque ecclesiæ dedicatione, nulla quidem initio Rubrica legitur de rebus ad ipsam altaris consecrationem præparandis : supponitur tamen fuisse illas jam præparatas, saltem aliquas, nempe vinum cum aqua mixtum, incensum, et alia quæ, pro varietate ecclesiarum, Episcopi in consecratione altarium adhibebant.

II. Jam non omittendum quod legitur constitutum in Concilio Wigorniensi, anni 1240, cap. II, ut nimirum « annus et dedicationis dies » ecclesiarum quæ consecratæ fuerint, et alta- » rium, et a quo consecratæ fuerint, superscri- » bantur altaribus evidenter. » Hunc morem, uti alibi notatum est, religiose tenuit sanctæ memoriæ Benedictus XIII Pontifex Maximus, cujus nomen una cum anno et die consecrationis altarium in plurimis altaribus a se consecratis cernitur; præsertim vero in eorum fronte quæ exstant Romæ in ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam, fratrum inclyti ordinis Prædicatorum, in qua Pontifex ipse ejusdem Ordinis complura altaria consecravit.

III. Quod indulgentias spectat unius anni iis concessas qui in die consecrationis altaris ipsum altare visitant, et quadraginta dierum in die anniversario dedicationis ejusdem altaris, est quidem is ritus in Concilio Lateranensi IV et œcumenico XII præscriptus, in cujus canone LXII decreverunt Patres « ut, cum dedicatur basilica,

Digitized by Google

» non extendatur indulgentia ultra annum, sive » ab uno, sive a pluribus Episcopis dedicetur ; » ac deinde in anniversario dedicationis tempore » quadraginta dies de injunctis pœnitentiis in» dulta remissio non excedat. » Tum mandant, infra hunc quoque dierum numerum, indulgentiarum litteras moderandas quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur; statimque adjungunt hanc rationem : « Cum Romanus » Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, » hoc in talibus moderamen consueverit obser» vare. »

IV. Exempla certe non desunt complurium Maximorum Pontificum, qui tum ante, tum post Lateranense Concilium memoratum, præscriptas indulgentias minime excesserunt. Fateor solitos fuisse aliquando Episcopos præscriptum indulgentiarum tempus in dedicationibus ecclesiarum excedere, ex indulto fortasse Romani Pontificis. Hinc in dedicatione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Mercato, fratrum Prædicatorum Sancti-Severini in Piceno indulgentiam annorum duodecim, constat a variis Episcopis fuisse concessam, quia nimirum, ut autumo, Romanus Pontifex Benedictus XI hanc eis forte tribuit facultatem. Ubi enim Rambertus Camerinensis episcopus in encyclica Epistola Episcopos invitat ut suas indulgentias largiantur, ita in calce ipsius Epistolæ inquit : « Notificantes vobis insuper quod » si in hoc nostras preces exaudieritis, gratum » beneplacitum erit Summo Pontifici, cum » prædictam ecclesiam et locum specialiter » diligat, et in præfata consecratione intendat » gratiam facere singularem. »

V. Est longe gratia singularior, quam Clemens XII, quem diu nobis Deus sospitem servet, Petro S. R. E. cardinali Otthobono ob præclara ejus merita, et insigni ecclesiæ Sancti-Laurentii ac Damasi largitus est. Ubi enim memoratus eminentissimus Otthobonus, vir eximiæ pietatis atque admirandæ munificentiæ, Deo uni et trino, et sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in ipsa basilica, cujus est perpetuus commendatarius, augustum altare propriis sumptibus a fundamentis erectum, die 5 augusti, quæ in Dominicam incidit anno 1736, solemni ritu dedicavit, ipsa die dedicationis et anniversaria idem altare invisentibus « plena» riam peccatorum indulgentiam, ex Indulto » Apostolico, acquirendam concessit, » uti legere est in tabula marmorea prope ipsum altare posita.

VI. Quanta sit istius eminentissimi principis erga res sacras atque divinum cultum religio summa ac munificentia insignis, abunde jam omnibus constat ex iis quæ tam Romæ quam alibi in variis ecclesiis indesinenter diffundit. Unde non mirum videri debet, si præclarissimi viri, tam nostrates quam exteri, cardinalem Otthobonum principem ad munificentiam a natura formatum passim appellitant. Elegantissimam de ejusdem laudibus orationem concinnavit, typisque egregiis commisit elapso anno 1738, vir doctrina, dignitate, genere cunctisque virtutibus ornatus, Hieronymus Crispi, pridem Ravennæ archiepiscopus, nunc sacrosanctæ Lateranensis archipatriarchalis basilicæ vicarius. Porro fateor me summopere huic eminentissimo principi esse devinctum, etsi nunquam ipsum inviserim; est enim justitiæ cultor, veritatis assertor ac constantissimus propugnator; hominum personam non respicit, jurisque religiosissimus, ut suum cuique tribuatur, viribus totis adnititur.

§ III.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad ecclesiam, et sedens in sede ad dexteram, vel in faldistorio ad sinistram altaris consecrandi, incipit, et dicit voce submissa cum Clericis septem Psalmos cum Antiphona *Ne reminiscaris, etc.*, ut supra, sine Litaniis. Induens interim amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum Pastoralem in sinistra; sicque paratus, septem Psalmis expletis, Pontifex cum ministris accedit coram altari consecrando, ubi, deposito baculo Pastorali, et stans sine mitra, inchoat, et Schola prosequitur, sequentem Antiphonam : *Adesto, Deus unus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* Deinde dicit stans eodem modo :

Digitized by Google

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ IV.

Qua dicta, Pontifex, accepta mitra, procumbit super faldistorium ibidem præparatum, Cantores incipiunt Litanias, ut supra; vel, Cantoribus deficientibus, Pontifex eas legit, in quibus suo loco nominetur bis Sanctus ille in cujus honore et nomine dedicatur ipsum altare, et illi quorum reliquiæ in eo includuntur. Postquam autem dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus, etc.* ℟. *Te rogamus, audi nos,* Pontifex ab accubitu surgit, et baculum Pastoralem in sinistra tenens, dexteram in altum extendens, communiter producit super aram et stipitem altaris consecrandi ter successive signum crucis, dicens, primo : *Ut altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecrandum bene✠dicere digneris;* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecrandum bene✠dicere et sancti✠ficare digneris;* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tertio dicit : *Ut altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecrandum bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris;* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Quo dicto, et deposito baculo Pastorali, iterum accumbit super faldistorium, et perficiuntur Litaniæ.

COMMENTARIUS.

I. Quanquam ea quæ duobus hisce §§ continentur in superiori titulo enarrata sint, adhuc operæ pretium duco nonnulla hic adnotare ex quibusdam manuscriptis Pontificalibus, in quibus de ritu agitur consecrandi tantum altare. Sciendum itaque primo est consentire hasce Rubricas cum laudato manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Verum ex Pontificali manuscripto codice insignis Ecclesiæ Arelatensis hoc unum cautum est, ut « induto Consecratore cum » Ministris, prostrato ante tabulam, Cantor in- » cipiat Litaniam Sanctorum, nomina in quo- » rum honore altare debet dedicari interce- » dendo. » Tum statim mandat Pontifici ipsi consecratori ut, « extendens manum, faciat » signum crucis super tabulam et columnam, » ter dicens : *Ut altare hoc ad honorem nominis* » *tui consecrandum bene ✠ dicere et conse ✠* » *crare digneris, Te rogamus, audi nos.* »

II. Laudatum Pontificale nobis illud in memoriam revocat, fuisse olim diversas altarium structuras. Nam, uti recte docet Joannes cardinalis Bona, lib. *Rerum Liturgicarum*, cap. xx, numero I, aliquando uni tantum columnæ mensa lapidea superjacebat, quale describitur, lib. II *Historiæ Miscellæ*, altare Deiparæ Virginis in Blachernis, qualia sunt etiam hodie altaria quædam subterranea Romæ in ecclesia Sanctæ-Cæciliæ. Aliquando quatuor columnis eadem mensa suffulta erat; et de his altaribus loquitur Synesius in fine *Catastasis :* « Sacratas colum- » nas amplectar, quæ puram et incontaminatam » a terra mensam sustinent. » Interdum duæ solæ columnæ ex utroque latere ipsum altare sustinebant; suntque adhuc Romæ in cryptis et cœmeteriis quædam hujusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus Christiani tempore persecutionis ibidem latentes utebantur. Nonnulla insuper quadro superposita ædificio, tumuli formam referebant, tanquam Martyrum sepulcra, quæ proprie altaria, quasi altæ aræ dicebantur. Docet hæc laudatus Bona

Digitized by Google

cardinalis. Addendum autem aliqua fuisse altaria aurea, aut argentea, columnisque item aureis vel argenteis subnixa : tale erat Constantinopolitanum ecclesiæ Sanctæ-Sophiæ, quod describit Paulus Silentiarius, in descriptione ipsius ecclesiæ, his verbis : « Columnis porro » aureis sacræ mensæ ex auro omnino conflatæ » terga sustentantur, aureisque perinde funda- » mentis incumbit illa, et pretiosorum lapidum » fulgore variegatur. » Plura de altaribus vide apud eruditum Joannem Baptistam Thyersium, et novissime apud Gotofredum Voigtum, in singulari opere quod *De altaribus* inscripserunt.

III. Ut autem nos rem nostram agamus, quæ scilicet in duobus hisce §§ continetur, præscribit quidem manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter quadringentorum, ut Episcopus altare sine ecclesia consecraturus, « ornamentis Pontificalibus indutus ad locum » ubi mensa mensali cooperta, cum cæteris ut » supra pro aqua Pontificali benedicenda, dispo- » sita est, coram altari procedat, dicens : *Adjuto- » rium nostrum in nomine Domini. Sit nomen » Domini benedictum. Dominus vobiscum. Ore- » mus. Virtutum cœlestium Deus, etc. Oremus. » Deus, qui ineffabili observantia Sacramen- » ti, etc.* Deinde flexis genibus incipiat Episcopus, » Clero prosequente, Antiphonam *Veni, sancte » Spiritus*, etc. Quo facto surgat Episcopus, et » dicat : ℣. *Verbo Domini cœli firmati sunt, etc. » Gloria Patri*, sine *Alleluia.* » Ad marginem recentiori manu scriptum esse in ipso Pontificali tradit Martenius, lib. II, cap. XVI, ordine III : « Hoc dicat trina voce, semper exaltando » vocem aliquantulum. » Pergit autem laudatum Pontificale memoratæ Ecclesiæ Moguntinæ ut « post hæc prosternat se Episcopus, et dicat Li- » taniam, in qua suo loco surgat et dicat : *Ut » altare istud bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare » et conse ✠ crare digneris.* Istud ter repeta- » tatur ; post hæc reponat se Episcopus usque » ad finem Litaniæ, » utique prostratum. Porro multa sunt in hoc Pontificali quæ in nostro hodierno Pontificali habentur, diverso tamen ordine, uti ex sequenti § et Commentario patebit.

§ V.

Quibus finitis, ab accubitu surgit, et cum mitra accedit versus ad altare consecrandum, et distans ab illo spatio congruenti, deposita mitra, genuflexus dicit cantando, si in cantu fit Officium, alioquin competenti voce dicit sine notis, quod etiam in omnibus aliis sequentibus observatur : *Deus, in adjutorium meum intende.* Quo dicto, Pontifice surgente, Chorus seu Ministri respondent : *Domine, ad adjuvandum me festina.* Tum Pontifex stans sine mitra dicit : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Chorus seu Ministri respondent : *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen,* sine *Alleluia.* Et id eisdem modo et loco, secundo et tertio fit, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra, benedicit aquam cum sale, cinere et vino, incipiens absolute exorcismum salis, et faciens, prout habetur supra sub ecclesiæ dedicatione usque ad Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc.*, inclusive.

COMMENTARIUS.

I. Recitatis Litaniis, dicit Episcopus, et quidem tribus vicibus, versiculum *Deus, in adjutorium meum intende*, respondente Choro seu Ministris : *Domine, ad adjuvandum me festina.* Quod quidem consentaneum est cum manuscripto Pontificali Vaticano Durandi, in quo etiam, uti in nostra hac Rubrica habetur, præscriptum est ut, dicto ab Episcopo *Gloria Patri, etc.*, et responso a Ministris, *Sicut erat, etc.*, sine *Alleluia*, procedat Episcopus in ipsa aquæ benedictione, per omnia, uti habetur supra in titulo *De dedicatione ecclesiæ* in secunda aquæ benedictione, quæ scilicet fit cum sale, cinere et vino. Consonat hac in re manuscriptum Ponti-

Digitized by Google

ficale Ecclesiæ Arelatensis, in quo edicitur ut, « finitis Litaniis, surgat Pontifex, et stans ante » altare, non dicat *Dominus vobiscum*, sed » tantum ter *Deus, in adjutorium*, cum *Gloria*, » sine *Alleluia*. » Adjungit ut « tunc benedi- » cat salem et aquam, miscendo vinum et cine- » rem, sicut in prima dedicatione, sed ubique » mentio ecclesiæ excipiatur, » id est, ubicum- que fit mentio de ecclesia simul et altari, fiat hic tantum de altari mentio, uti inquit laudatum Vaticanum Gulielmi Durandi Pontificale.

II. Porro frustraneum non erit hoc loco describere benedictionum formulas, ritumque commixtionis aquæ, cineris ac vini, de quibus mentionem facit memoratum Pontificale Ecclesiæ Arelatensis annorum circiter quingentorum, ubi agit de sola altaris consecratione. Ejus verba hæc sunt : « Exorcismus salis. Exorcizo te, » creatura salis, in nomine Domini nostri Jesu » Christi, qui Apostolis suis ait : *Vos estis sal* » *terræ, etc.* Benedictio salis. Domine Deus, » Pater omnipotens, benedic hanc creaturam » salis ad effugandum inimicum, et ei salubrem » medicinam immitte, ut ad animæ et corporis » se sumentium perficiat sanitatem. Per. Exor- » cismus aquæ. Exorcizo te, creatura aquæ, in » nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » ut repellas diabolum, etc. Benedictio aquæ. » Domine sancte, Pater omnipotens, statutor » omnium elementorum, qui per Jesum Chri- » stum Filium tuum Dominum nostrum, ele- » mentum hoc aquæ in salutem humani generis » esse voluisti, te supplices deprecamur ut, » exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis » Spiritu sanctifices, atque ita omnium spiri- » tuum immundorum ab ea recedat incursio, » ut ubicumque fuerit in nomine tuo aspersa, » gratia tuæ benedictionis adveniat, et mala » omnia, te propitiante, procul recedant. Per. » Oratio super cineres. Omnipotens sempiterne » Deus, parce metuentibus, propitiare suppli- » cantibus, etc. »

III. Expletis hisce benedictionibus, cautum est, ex eodem Arelatensi Pontificali, ut tunc misceatur sal et cinis, dicendo : « Hæc com- » mixtio salis et cineris cum aqua benedicta sit » sanctificata ad consecrationem hujus altaris, » in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. » Sequitur Oratio « Deus, invictæ vir- » tutis auctor, et insuperabilis imperii rex, etc. » Statimque sequitur benedictio vini, his verbis : « Deus omnipotens, qui in Chana Galilææ ex » aqua vinum fecisti, qui es vitis vera, bene ✠ » dicere et sanctificare digneris hanc creaturam » vini, ut ubicumque fusa fuerit, vel a quolibet » potata, divinæ benedictionis tuæ opulentia » repleatur, Salvator mundi. Qui vivis, etc. » Addit mox ponendum vinum in ipsam aquam, dicendo hanc formulam : « Fiat commixtio aquæ » et vini ad consecrationem hujus altaris, in » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. » Qua dicta, fieri mandat hanc aquæ vino mixtæ benedictionem : « Omnipotens sem- » piterne Deus, creator et conservator humani » generis, et dator gratiæ spiritualis, atque lar- » gitor æternæ salutis, mitte Spiritum tuum » sanctum super hoc vinum cum aqua, sale et » cinere mixtum, ut armatum cœlesti defensione » virtutis ad consecrationem hujus altaris pro- » ficiat. Per. » Recitata hac vini benedictione, jubet ut tunc ingrediens Pontifex ad aram, faciat crucem cum pollice de ipsa aqua in medio ejus dicens : « Sanctificetur hoc altare, in no- » mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et in » memoria et honore Sanctorum *Ill.* Amen. » Pax tecum. Et cum spiritu tuo ; » deinde vero per quatuor cornua altaris faciat crucem, et aspergat septies cum *ysopo*, id est aspersorio hyssopi, sicut superius continetur, cantando Antiphonam *Asperges*, et Psalmum *Miserere mei, Deus*, totum, sine *Gloria*.

IV. Sunt hæc fere ipsissima verba laudati Arelatensis Pontificalis, cui fere omnino concinit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ, et ea quæ superius in dedicatione ecclesiæ a nobis fusius in pluribus Commentariis explicata sunt. Cæterum ex Moguntino Pontificali, ubi Episcopus sal miscebat ac cineres, faciebat de eis ter crucem super aquam, dicebatque : « Hæc commixtio salis et cineris cum aqua be- » nedicta ad consecrationem hujus altaris in » nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ » sancti, sit sanctificata, et salutare efficiatur » Sacramentum. » Ubi autem vinum et aquam commiscebat, hanc formulam pronuntiabat : « Fiat commixtio vini et aquæ benedictorum » pariter salutare Sacramentum ad consecratio- » nem hujus altaris, in nomine Patris ✠, et » Filii ✠, et Spiritus sancti ✠. Amen. »

Digitized by Google

§ VI.

Post hæc Pontifex procedit ad altare cum mitra, et ibidem inchoat, Schola prosequente, Antiphonam sequentem : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Psalmus XL : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, * ab homine iniquo et doloso erue me.* Repetitur tota Antiphona prædicta, si necesse fuerit. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea; * quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Iterum repetitur Antiphona. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : * ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Antiphona tota repetitur. *Et introibo ad altare Dei, * ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Iterum repetitur Antiphona. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : * quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Repetitur ut prius Antiphona. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultus mei, et Deus meus.* Et non dicitur *Gloria;* sed Antiphona prædicta repetitur. Incœpta prima Antiphona, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare, intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta per eum benedicta, et cum eo et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens : *Sancti✠ficetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam sancti N. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa : *Sancti✠ficetur hoc altare, etc.* Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris, id est ubi legitur Evangelium; secundam, in sinistra parte anteriori transversa primæ; tertiam, in dextera anteriori, quartam, in sinistra posteriori tertiæ transversa, in hunc modum :



Quo facto, et finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Singulare illud propitiatorium in altari crucis pro nobis redimendis oblatum, in cujus præfiguratione patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum quo fieret

Digitized by Google

sacrificium, et portæ cœli desuper aperiretur oraculum : supplices tibi, Domine, preces fundimus, lapidis hujus expolitam materiam supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ ditari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis Legem scripsisti in tabulis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sat jam disseruimus de iis quæ in hac Rubrica habentur, in præcedenti titulo, ubi egimus de consecratione altaris quæ una cum dedicatione ecclesiæ peragebatur. Præsenti Rubricæ omnino concinit manuscriptum Pontificale Vaticanum Durandi, cujus verba hæc sunt : « Aqua igitur benedicta, ingrediatur Pontifex ad » altare, inchoans Antiphonam *Introibo ad al-* » *tare Dei, etc.*, et dicitur tota sine *Gloria Patri;* » et si necesse fuerit, Antiphona illa repetatur » per singulos versus. Incœpta autem Antiphona, » mox cum pollice dextræ manus facit crucem » ex prædicta aqua in medio tabulæ altaris jam » prius collocatæ, dicens : *Sancti* ✠ *ficetur* » *hoc altare in honore omnipotentis Dei, et glo-* » *riosæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum,* » *et in memoriam talis S. Pax tibi.* ℟. *Amem.* » Deinde incipiens in sinistra parte posteriori, » et postmodum in dextera anteriori, et deinde » in sinistra anteriori, et post in dextera poste- » riori, facit ex eadem aqua cum eodem pollice » quatuor cruces in quatuor partibus altaris, » repetens in qualibet cruce verba prima. Quo » facto, dicit : *Oremus;* et Diaconus : *Flectamus* » *genua. Levate.* Oratio. *Singulare illud pro-* » *pitiatorium, etc.* »

II. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, ut in superiori Commentario notatum est, Pontifex quidem, ad aram ingrediens, facit crucem de ipsa aqua in medio ejus, dicens : « Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti, et in honore et memo- » ria Sanctorum *Ill.* Pax tecum. Et cum spiritu » tuo. » Deinde vero per quatuor cornua altaris facit crucem, et aspergit septies cum ysopo, id est aspersorio hyssopi, cantando Antiphonam *Asperges me, etc.*, et Psalmum *Miserere mei, Deus*, totum, sine *Gloria*, eoque cantato dicit Antiphonam ante altare, *Introibo ad altare Dei*, et Psalmum *Judica me, Deus*, totum, cum *Gloria Patri.* Ubi nota varietatem hujus Pontificalis, in quo prius præscribitur dicendum Psalmum *Miserere mei, Deus*, quam Psalmum *Judica me, Deus :* id quod minime nostræ Rubricæ consonat.

III. Paulo aliter præscriptum legimus in manuscripto Pontificali codice Ecclesiæ Moguntinæ, ex cujus ordine postquam Episcopus miscuit vinum et aquam, binasque Orationes recitavit, primam nempe, « Oremus Deum » Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, in » cujus domo, etc., » alteram vero, *Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator*, etc., circumcingitur panno lineo, mundo et novo, et accepta aqua benedicta in urceolo, sive in ampulla, accedit ad altare, incipiens, Clero prosequente, Antiphonam sequentem : *Introibo ad altare Dei, etc.*, itemque Offertorium, « Sanctifi- » cavit Moyses, etc., » quibus incœptis fundit ipse Episcopus de ipsa aqua benedicta, quam appellat aquam Pontificalem, super medium ipsius altaris, et dicit : « Pax tecum. Et cum spiritu » tuo. » Faciens deinde per aquam crucem, dicit : « Sanctificetur hoc altare in nomine Pa- » tris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ sancti. Amen. » Tum admonet Pontificale ita faciendum esse ad quodlibet cornu altaris, et deinde aspergendum altare superius tribus vicibus, Clero cantante *Asperges me.*

IV. Dicamus insuper aliquid de illa oratione cujus initium est : *Singulare illud propitiatorium in altari crucis pro nobis redimendis oblatum, etc.* Est quidem in lege Evangelica duplex Sacrificium : cruentum, quo semel Christus in ara crucis Deo Patri pro expiatione peccatorum nostrorum oblatus est ; alterum incruentum, quo idem Christus quotidie sub specie panis et vini offertur in altari, partim in memoriam illius Sacrificii, partim vero ob alias causas, quas fuse Theologi explicant. Incruentum hoc « Sacrificium vere propitiatorium esse, » per ipsumque fieri ut, si cum vero corde et » recta fide, cum metu ac reverentia contriti ac » pœnitentes, ad Deum accedamus, misericor- » diam consequamur, et gratiam inveniamus » in auxilio opportuno, » tradunt communiter Ecclesiæ Patres, et definiit Concilium Triden-

Digitized by Google

tinum, sessione XXII, cap. II. Unum autem et idem Sacrificium esse, quod in Missa peragitur, et quod in cruce oblatum est, quemadmodum una est et eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit, Catholica fatetur Ecclesia, traditque Catechismus Concilii Tridentini, parte II *De Eucharistiæ Sacramento*, § LXXXII. « Neque enim, inquit, cruenta et in- » cruenta hostia duæ sunt hostiæ, sed una tantum; » cujus Sacrificium, postquam Dominus ita » præcepit : *Hoc facite in meam commemoratio- » nem*, in Eucharistia quotidie instauratur. »

V. Fortasse juvabit hoc loco et illud obiter adnotare, Sacrificium incruentum partim quidem cum cruento convenire, partim autem ab eo discrepare. Docent Theologi tripliciter convenire : primo in re oblata; in utroque enim offertur Christus per modum victimæ : secundo, in principali offerente; nam Christus, qui in utroque est victima, est etiam in utroque principalis Sacerdos seu Pontifex : tertio in fine; nam sicut olim in cruce, ita nunc in altari offertur pro peccatis nostris, tametsi diverso modo quem ipsi Theologi explicant. Discrepat tandem incruentum a cruento Sacrificio quintupliciter : primo in externa specie; nam Christus in cruce sub propria specie humana, in altari sub specie panis et vini offertur : secundo, in modo et ritu offerendi; nam in cruce per realem mortem, in altari per mysticam consecrationem immolatur : tertio, ex parte Ministri; tametsi enim Christus utrobique sit principalis offerens, in altari tamen ministerio Sacerdotum utitur, quo nec in cœna nec in cruce usus est : quarto, ex parte effectus; nam fructus ille qui per cruentum Sacrificium acquisitus est, applicatur nobis per incruentum et per alia media : quinto, insuper ex parte significationis; nam Sacrificium crucis non est typus seu figura ullius alterius Sacrificii, sed omnia alia sunt typi seu figuræ illius. Porro Sacrificium altaris est repræsentatio Sacrificii crucis, uti constat ex verbis Christi Domini, quæ recenset Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. XI : *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

VI. Atque hæc obiter dicta sint occasione Orationis in hoc § nostro descriptæ, cujus initium est : *Singulare illud propitiatorium in altari crucis pro nobis redimendis oblatum, etc.* Occurrit ea vox passim non modo in veteri Testamento, sed et apud mediæ et infimæ latinitatis scriptores, aliasque habet significationes quas nos opportuniori loco referemus. Porro Simeon Thessalonicensis in libro *De Templo*, cap. *De sacra mensa*, recensens varia altaris nomina, inter cætera dicit illud appellari « locum Dei, » requiem, propitiatorium, magni Sacrificii » officinam, Christi monumentum. » Sed de his alias.

§ VII.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam et stipitem de aqua prædicta cum cinere et vino benedicta, cum aspersorio de herba hyssopi facto, hoc modo. Stans enim ante medium altaris, inchoat Antiphonam, et Schola prosequitur *Asperges me, Domine*, quæ tota dicitur, et repetitur cum Psalmo *Miserere*, eo modo, prout supra de consecratione altaris in ecclesiæ dedicatione ordinatum est. Quo facto, Pontifex stans sine mitra ante medium altaris, dicit : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui es visibilium rerum omnium et invisibilium conditor, et cunctarum sanctificationum conservator, ad dedicationem hujus Dominicæ mensæ adesse dignare; et quæ sacrato oleo et chrismate a nobis indignis est linienda et benedi-

Digitized by Google

cenda, tuæ sancti✠ficationis in eam infunde virtutem et consecrationem; ut omnes qui ad eam, te deprecaturi, accesserint, tuæ propitiationis auxilium sentiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi cum de ecclesiæ dedicatione egimus, fuse de hac Rubrica locuti simus, ne tamen § præsentem sub silentio præterire videamur, describendum duntaxat censemus id quod ipsa de re in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi legimus; ex cujus præscripto, Oratione illa expleta, *Singulare illud propitiatorium, etc.*, in superiori § recitata, Pontifex inchoat Antiphonam *Asperges me, Domine*, cum Psalmo *Miserere mei, Deus*, qui totus dicitur sine *Gloria Patri.* Interim, dum Antiphona ipsa et Psalmus cantantur, circuit Pontifex septies « aram altaris, aspergens eam et titulum » in quolibet circuitu cum aspersorio de herba hyssopi facto, in hunc scilicet modum : sane enim ante medium altaris Pontifex inchoat, Schola prosequente, Antiphonam *Asperges me, etc.*, incipiens etiam pariter aspergere et circuire altare, et titulum sine stipite. Ea dicta, mox incipitur Psalmus *Miserere mei, Deus;* et dicuntur tantum tres primi versus. Antiphona et versiculis dictis, et circuitu expleto, iterum inchoat ipsam Antiphonam, iterum aspergit, ac iterum circuit; et dicuntur alii tres versus subsequentes. Quo facto, inchoat tertio Antiphonam, et aspergit, ac circuit, et alii tres versus ejusdem Psalmi dicuntur ; sicque fit septies cum reliquis versibus qui in Psalmo ipso sequuntur. Ultima tamen vice dicuntur tantum ultimi duo versus Psalmi. Quibus peractis, dicit Episcopus : ℣. *Domine, exaudi orationem meam;* eique responso a Schola, *Et clamor meus ad te veniat*, subjungit Orationem : *Deus, qui es, etc.*

II. Hactenus manuscriptum Durandi Pontificale, ubi agit de sola altaris consecratione; cæterum, uti initio hujus Commentarii notatum est, multa quæ hanc nostram Rubricam egregie illustrant, videri possunt in titulo præcedenti, ubi de altaris consecratione una cum ecclesiæ dedicatione agitur. Unum quidem hoc loco addiderim, ac opportune fusius explicaverim, ad mysterium passionis Christi spectare, quod hyssopus adhibeatur in aspersione aquæ cum cinere et vino benedictæ per mensam altaris. Sicut enim in Lege veteri, quoties de sanguine victimæ legalis, Christi passionem præfigurantis, aspersio facienda erat, adhibebatur in eum usum fasciculus hyssopi, ut patet exemplis *Exodi* cap. XII, in sanguine agni Paschalis ; et cap. XXIV ejusdem libri, in ritu fœderis initi inter Deum et populum Israeliticum, juxta interpretationem S. Pauli in Epistola ad Hebræos, cap. IX, ac similiter in purificationibus legalibus, ex *Levitici* cap. XIV, et *Numerorum* cap. XIX : ita in lege gratiæ, quoties aspersio seu ablutio mystica facienda est in symbolum sanguinis Christi effusi ad emundationem et sanctificationem animarum, Ecclesia uti solet hyssopo quasi instrumento ad id divinitus in figuris instituto, ut in consecratione ecclesiæ et altarium tum stabilium, tum portatilium, in benedictione et reconciliatione ecclesiæ, et aliis hujusmodi.

III. Observat hæc scite eruditus Jacobus Eveillon, *De processionibus Ecclesiasticis*, c. XII ; ubi etiam docet ea de causa Davidem, remissionem peccati sui petentem virtute sanguinis Christi in cruce fundendi, prophetice dixisse in Psalmo suo L : *Asperges me hyssopo, et mundabor ;* id est, ut interpretatur S. Bruno in expositione ipsius Psalmi : « Facies me similem illi » qui aspergitur hyssopo, et sic facies me simi- » lem, quod mundabor : quod est dicere : » Mundabis me per aspersionem sanguinis » Christi, qui erit sparsus hyssopo, id est hu- » militate. » Usurpat ipsum Psalmi versiculum Ecclesia in aspersione aquæ benedictæ, quia illa eamdem significationem habet aspersionis sanguinis Christi per Baptismum. Cur autem hyssopus humilitatem Christi significet, docet nos inter alios S. Augustinus in sua *Enarratione ad* eumdem *Psalmum*, sic dicens : « Hyssopum » herbam novimus humilem, sed medicinalem : » saxo inhærere radicibus dicitur ; inde in my- » sterio mundandi cordis similitudo assumpta » est. Apprehende, inquit, et tu radicem dile- » ctionis petram tuam : esto humilis in humili » Deo tuo, ut sis excelsus in glorificato Domino » Deo tuo. Aspergeris hyssopo, humilitas Chri-

Digitized by Google

» sti te mundabit. » Quia nempe per summam humilitatem subjecit se Christus passioni et morti : « Christi namque humilitate mundamur, » quia nisi humiliasset semetipsum, factus obe- » diens Patri usque ad mortem crucis, non » utique sanguis ejus in peccatorum remissio- » nem, hoc est in nostri mundationem, fuisset » effusus. » Verba sunt venerabilis Bedæ, *Homilia in feria* III *Palmarum.*

IV. Denique non est omittendum, in veteri Lege, quando sanguis victimarum aspergebatur hyssopo, permisceri solitam fuisse aquam sanguini, quo liquidior et sparsilis esset, uti constat ex capite IX Epistolæ Pauli ad Hebræos : *Lecto*, inquit, *omni mandato Legis a Moyse universo populo; accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, etc.* Qua in re perfecte præfigurabatur mysterium sanguinis et aquæ ex latere Christi scaturientis, et effundentis se in universam Ecclesiam. Nam ut in effusione vini, cineris et aquæ per mensam altaris, significatur communicatio virtutis passionis Christi; ita per ablutionem et emundationem, quæ per eam efficitur, intelligendum est subordinate exprimi purificationem et sanctificationem Ecclesiæ, quæ in unctione sanguinis Christi dedicata fuit, ut scite docet laudatus auctor Jacobus Eveillon in dicto capite XIII quod inscribitur *De processione ad lavanda altaria;* ubi agit de antiquo illo Ecclesiæ usu obeundi altaria, et lavandi vino et aqua, feria V. Cœnæ Domini. De initio Orationis in qua Deus dicitur esse *visibilium rerum omnium et invisibilium conditor*, nonnulla dicemus infra, tit. V.

§ VIII.

Deinde ibidem cum præmissa aqua benedicta facit maltam seu cæmentum, quod mox deposita mitra benedicit, dicens : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Summe Deus, qui summa, media imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sancti✠fica et bene✠dic has creaturas calcis et sabuli. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ IX.

Cæmentum benedictum reservatur, sed residuum aquæ benedictæ funditur ad basim sive pedem stipitis altaris per circuitum. Pontifex deinde procedit processionaliter cum cruce et Clero ad locum in quo nocte præterita conservatæ reliquiæ fuerunt, sed priusquam locum ipsum ingrediatur, stans ab extra, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Aufer a nobis, quæsumus, Domine, cunctas iniquitates nostras; ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ X.

Ingressus vero sine mitra, stans juxta et versus ad reliquias, dicit :

OREMUS.

Fac nos, quæsumus, Domine, Sanctorum tuorum tibi specialiter dedicata mem-

Digitized by Google

bra digne contingere, quorum patrocinia cupimus incessanter habere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstant tres hæ Rubricæ cum tribus recitatis Orationibus in laudato manuscripto Pontificali Vaticano Durandi; easque jam nos in præcedenti titulo fuse enarravimus, allatis veterum Patrum locis atque antiquorum Pontificalium testimoniis. Ex antiquo Missali Francorum a venerabili Dei servo cardinale Thomasio Romæ evulgato, in eo titulo qui inscribitur *Consecratio altaris*, hæc solum post Orationem *Creator et conservator humani generis, etc.*, de qua alias Rubrica legitur quæ tum ad præcedentes, tum ad subsequentes nostri Romani Pontificalis referri potest : « Ponis, inquit, su- » per cornua altaris digito tuo vinum cum aqua » mixtum; et aspergis altare septem vicibus; » reliquum autem fundis ad basim; et offeres » incensum super altare odorem suavissimum » Domino. » Ex manuscripto Pontificali Arelatensis Ecclesiæ illud cautum est ut, recitatis Psalmo *Miserere mei, Deus*, sine *Gloria*, et Psalmo *Judica me, Deus*, cum *Gloria*, Episcopus « fundat » de ipsa aqua ad basim altaris, et faciat cæ- » mentum ad recludendas reliquias, ut in con- » secratione ecclesiæ. Cum autem redierit ad » ostium, non dicat Orationem, sed introeundo, » dicat Schola : *Ingredimini, benedicti Domini,* » *quia, etc.* »

II. Pontificale insignis Ecclesiæ Moguntinæ mandat quidem ut, postquam Episcopus tribus vicibus aspersit altare superius de aqua Pontificali, « Clero cantante *Asperges me*, detergatur » altare cum panno lineo, et reponat se Episco- » pus super sedem suam, et apportentur reli- » quiæ cum luminaribus et incenso, Clero » cantante Antiphonam *O quam gloriosum, etc.*, » itemque Antiphonam *Venite, Sancti Dei, etc.* » Cum vero reliquiæ ipsi Episcopo præsentatæ » fuerint, dicat : ℣. *Mirabilis Deus in Sanctis* » *suis.* Clerus : *Gloriosus in majestate sua.* » Episcopus : *Oremus. Fac nos, Domine, San-* » *ctorum tuorum, etc.*, » uti in hoc nostro § x. Mandat tandem ipsum Moguntinæ Ecclesiæ Pontificale, ut « deinde parent cæmentum cum » calce, arena et aqua benedicta; si vero cæ- » mentum jam per alium factum sit, saltem » Episcopus spargat illud cum aqua Pontificali, » id est cum aqua facta ex cinere et vino benedictis, de quibus superius dictum est. Hinc vides quanta sit in sacris ritibus Pontificalium varietas : id quod nos non semel notavimus.

§ XI.

Qua dicta, Pontifex sine mitra accipit reverenter vasculum reliquiarum : tum accepta mitra, portat eas solemniter et processionaliter ad altare consecrandum; vel, si sint super feretrum, per Sacerdotes ferri facit, inchoans, Schola prosequente, Antiphonam : *Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini, nam et montes et colles exsilient, exspectantes vos cum gaudio. Alleluia.* Poterit deinde etiam dici, si expedierit, sequens Responsorium : *Surgite, Sancti Dei, de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite,* ˙ *Et nos homines peccatores in pace custodite.* ℣. *Ambulate, Sancti Dei, ad locum prædestinatum, qui vobis præparatus est :* ˙ *Et nos.* Cumque pervenerit prope ipsum altare, deponit eas reverenter cum luminaribus super feretrum, vel aliquam tabulam honeste ibidem paratam, luminaribus juxta illas ardentibus; et mox Pontifex cum mitra stans prope altare inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Exsultabunt Sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis.* Psalmus : *Cantate Domino canticum novum :* ˙ *laus ejus, etc.* Deinde Psalmus : *Laudate Dominum in Sanctis ejus,* ˙ *laudate eum, etc.* sine *Gloria Patri* in fine utriusque; sed his

Digitized by Google

Psalmis dictis, Antiphona repetitur. Qua finita, Pontifex, deposita mitra, stans versus ad altare, dicit.

OREMUS.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis : exaudi nos, quæsumus, et concede ut inviolabilis permaneat hujus loci consecratio, et beneficia tui muneris universitas fidelium, quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Quæ in hoc § describuntur legere eadem est in toties laudato manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod integrum in Appendice hujus tituli referemus. In Pontificalibus Arelatensi et Moguntino, quæ frequenter in superioribus Commentariis citavimus, nihil exstat quod nostram hanc Rubricam spectat. Qui autem plura in eam desiderat, videre potest quæ in præcedenti titulo scripsimus, ubi de altaris consecratione una cum ecclesiæ dedicatione egimus. Porro citamus quam frequentissime in hisce Commentariis Pontificales libros Arelatensem et Moguntinum, quod in iis specialiter de ritu tractatur consecrandi altare sine ecclesiæ dedicatione. Olim quippe, ut alibi dictum est, una cum ipsa ecclesia altaria ut plurimum dedicabantur.

§ XII.

Et mox Pontifex, accepta mitra, signat cum pollice dexteræ manus de chrismate confessionem, id est, sepulcrum altaris, in quo reliquiæ sunt reponendæ, in quatuor angulis, faciens in singulis signum crucis, et dicens, dum unamquamque crucem facit : *Conse✠cretur et sancti✠ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax huic domui.* Deinde, deposita mitra, recondit ibi vasculum cum reliquiis et aliis in eo inclusis veneranter, inchoans, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Sub altare Dei sedes accepistis, Sancti Dei, intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum.* ℣. *Exsultabunt Sancti in gloria.* ℟. *Lætabuntur in cubilibus suis.* Et non dicitur *Gloria Patri,* sed repetitur Antiphona. Interim dum præmissa dicuntur, Pontifex stans sine mitra, imposito et benedicto incenso in thuribulo, et illo a Diacono accepto, thurificat reliquias inclusas : quo facto, imposita sibi mitra, accipiens lapidem, seu tabulam, cum qua debet claudi sepulcrum, facit cum pollice crucem de chrismate in medio ejus de subtus, dicens : *Conse✠cretur et sancti✠ficetur hæc tabula,* vel *hic lapis, per istam unctionem et nostram benedictionem. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Et mox ponit et coaptat tabulam, seu lapidem super sepulcrum, claudens illud, et inchoans, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium : Quare non defendis sanguinem nostrum? et acceperunt divinum responsum : Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Alia Antiphona : *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum*

Digitized by Google

in æternum. ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Post hæc Pontifex, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum majestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia; et præsta ut, quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Variat tantisper ab hac Rubrica manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur numero 4744; ejusque varietatem legere est in appendice tituli in qua integrum ritum describemus. Quod spectat eorum rituum explicationem qui in hac Rubrica continentur, videri possunt quæ fuse scripsimus in titulo præcedenti. Illud porro non omittendum, quod ad hunc § alludens præscribit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Arelatensis : « Lapis, inquit, quo obstruitur os » vel foramen altaris, ungatur de chrismate in » quatuor angulis interioribus, et foramen si- » militer. Postea recondet eas, et cantet Anti- » phonam *Exultabunt Sancti in gloria, etc.*, et » Psalmum *Cantate Domino canticum novum,* » *laus ejus, etc.* Et antequam recludat, dicat » Orationem : *Deus qui in omni loco dominatio-* » *nis tuæ dedicator assistis, etc.* Et dum reclu- » duntur, cantent Antiphonam *Sub altare* » *Domini sedes accipitis, etc.* Oratio : *Deus qui* » *ex omni constitutione Sanctorum, etc.* »

II. At non modo a nostro Romano hodierno Pontificali, sed ab hactenus recitato ritu Pontificalis Durandi variat non parum Pontificale insignis Ecclesiæ Moguntinæ, in quo ita legimus : « Signet *Episcopus* sepulchrum altaris » per quatuor angulos ejusdem (*id est* ex parte » inferiori) de sacro chrismate, et ad quemli- » bet angulum dicat : *Pax tecum.* Clerus : *Et* » *cum spiritu tuo.* Episcopus : *Consecretur hoc* » *sepulchrum in nomine Patris* ✠, *et Filii* ✠, » *et Spiritus sancti* ✠. *Amen.* Hoc Episcopo fa- » ciente, interim Clerus cantet Antiphonam » *Exultabunt Sancti*, et Psalmum *Cantate,* » cum *Gloria Patri, etc.* Signato sepulchro cum » chrismate, ut prædictum est, imponat reli- » quias cum tribus granis thuris et sigillo suo » Pontificali : et lapidem, qui sigillum altaris » dicitur, cum chrismate signet, dicens : *Pax* » *tecum. Et cum spiritu tuo. Consecretur hic* » *lapis in nomine Patris* ✠, *et Filii* ✠, *et Spi-* » *ritus sancti* ✠. *Amen.* Quo signato, ipsum » imponat in sepulchrum cum cæmento liniens » circumquaque, et dicat : *Dominus vobiscum.* » *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus qui in* » *omni loco dominationis tuæ, etc.* Postea surgat, » et incenset sepulchrum conclusum, incipiens, » Clero prosequente, Antiphonam *Erexit Ja-* » *cob, etc.*, cum Psalmo *Quam dilecta, etc.* »

III. Cautum præterea, ex eodem Pontificali Moguntino, est ut, « postquam Episcopus præ- » dictam Antiphonam, *Erexit Jacob*, incœperit, » cum sacro oleo inungat altare, circa medium, » et in quatuor cornibus altaris, cum pollice » faciens crucem, et dicat : *Pax tecum. Et cum* » *spiritu tuo. Conse* ✠ *crare et sancti* ✠ *ficare* » *digneris, Domine, lapidem istum per istam* » *unctionem et nostram benedictionem. Per* » *Christum Dominum nostrum. Amen.* Hic in- » censet altare, et dicat : *Oremus.* Diaconus : » *Flectamus genua. Levate. Omnipotens sem-* » *piterne Deus, altare istud, quod in honore* » *nominis tui, etc.* » Porro ex enarratis hactenus, et ex iis quæ infra suo loco dicentur, liquido constat omnes fere ritus, ac Orationum formulas, quæ in hodierno nostro Romano Pontificali habentur, in aliis etiam, etsi ordine præpostero, reperiri.

IV. Admonendum denique superest consuevisse olim varias reliquias alicubi condi non modo subtus altare, sed et a dextris et a sinistris ipsius altaris. Id quidem nos docet antiqua memoria manuscripta consecrationis ecclesiæ

Digitized by Google

Reatinæ ab Honorio Papa III peractæ anno 1225, exstatque apud Ughellum tomo v *Italiæ sacræ* primæ editionis, pag. 1530; ubi ita inter alia legimus : « Subtus autem altari majori est cor» pus B. Barbaræ, pars corporis S. Dionysii » patris S. Pancratii martyris. Item in prædicto » altari reconditæ sunt a dextris prædicti altaris » de vestimentis B. Mariæ, de reliquiis Sancto» rum Innocentium, etc. A sinistris vero recon» ditæ sunt reliquiæ sanctorum Abraham et » Isaac, sancti Victorini, sanctorum Nerei et » Achillei, etc. In columna vero media reconditæ » sunt hæ reliquiæ, de vestimentis B. Mariæ » Virginis, de reliquiis Apostolorum Petri et » Pauli, sancti Laurentii, Zachariæ patris Joan» nis Baptistæ, etc. » Afferri possent hujus ritus alia exempla, quæ passim apud scriptores Ecclesiasticos, ubi agunt de dedicationibus ecclesiarum, inveniuntur, quæque nos brevitatis studio omittimus.

[Pontifex, ut fert expresse Rubrica, claudit sepulcrum reliquiarum ponendo et coaptando tabulam super illud; nescimus ad quid et quo pacto sigillum addendum esset. Attamen, sacræ Rituum Congregationis quæsitum non paucis abhinc annis propositum est, ut decerneret quid statui debeat circa altare ad cujus sepulcrum sigillum deest. Stupuerunt eminentissimi Patres ob novitatem quæstionis, et responderunt, die 11 martii 1837, altare illud valere cujus lapis est consecratus et integer.]

§ XIII.

Tunc accepta mitra, Pontifice prius incipiente, cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipsam tabulam seu lapidem super sepulcrum; deinde Pontifex facit crucem desuper ex chrismate cum pollice dexteræ manus, dicens : *Signe✠tur et sancti✠ficetur hoc altare. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Tunc deposita mitra inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua : et data sunt ei incensa multa; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluia.* Interim cum mitra thurificat altare undique ad dextrum et sinistrum latus, ante et desuper, donec præmissus cantus finiatur : quo finito, stans coram altari sine mitra, dicit :

OREMUS.

Dirigatur oratio nostra, quæsumus, Domine, sicut incensum in conspectu tuo, et copiosa beneficia Christianus populus assequatur; ut quicumque tibi in hoc altari sacranda libamina devotus obtulerit, vel sacrata susceperit, et vitæ subsidia præsentis accipiat, et remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, et gratiam sempiternæ redemptionis percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XIV.

Post hæc Pontifex accepta mitra sedet, et Ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo, et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis in medio et in quatuor ejus cornibus : quo facto, Pontifex ponit iterum incensum in thuribulo, et illud benedicit, ut supra, videlicet: *Ab illo benedicaris, etc.*, ac tradit uni Sacerdoti superpelliceo induto, qui continue altare circuit incensando, donec consecratio perficiatur, excepto eo tempore quo Pontifex illud incensat:

Digitized by Google

tum enim Pontifici thuribulum præsentat, et per Pontificem thurificato, illud iterum accipit, et, ut prius, incensat. Tum Pontifex adhuc cum mitra stans, inchoat, seu Ministris prosequentibus, Responsorium : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quod dum cantatur, Pontifex circuit ter altare ad dexteram continue thurificando.

COMMENTARIUS.

Mandat quidem manuscriptum Arelatensis Ecclesiæ Pontificale ut, recitata Oratione « Deus » qui ex omni coaptatione Sanctorum, etc., » de qua vide in fine § XI, « postea firmetur mensa » cum calce, et offeratur incensum, cantando » ℟. *Dirigatur oratio mea, sicut, etc.* ℣. *Elevatio* » *manuum mearum, etc.* Offertorium : *Stetit* » *Angelus, etc.* » Quæ sit ea de re dispositio manuscripti Pontificalis Ecclesiæ Moguntinæ, notatum fuit in Commentario præcedenti. Duobus nostris hisce §§ consonat quidem laudatum manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, quod nostro I tomo hujus operis sub nomine Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ, numero 4744, passim citavimus.

§ XV.

Finita incensatione, Pontifex inchoat, Schola sive Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper : votum vivit Deo Jacob.* Psalmus LXXXIII : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum :* * *concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Repetitur Antiphona. *Cor meum et caro mea* * *exsultaverunt in Deum vivum.* Repetitur Antiphona. *Etenim passer invenit sibi domum,* * *et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Repetitur Antiphona. *Altaria tua, Domine virtutum :* * *Rex meus et Deus meus.* Repetitur Antiphona. *Beati qui habitant in domo tua, Domine :* * *in sæcula sæculorum laudabunt te.* Repetitur Antiphona. *Beatus vir cujus est auxilium abs te :* * *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Repetitur Antiphona. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem :* * *videbitur Deus deorum in Sion.* Repetitur Antiphona. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam :* * *auribus percipe, Deus Jacob.* Repetitur Antiphona. *Protector noster, aspice, Deus :* * *et respice in faciem Christi tui.* Repetitur Antiphona. *Quia melior est dies una in atriis tuis* * *super millia.* Repetitur Antiphona. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei,* * *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Repetitur Antiphona. *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus,* * *gratiam, et gloriam dabit Dominus.* Repetitur Antiphona. *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia :* * *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, stans cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleum catechumenorum; et cum eo facit quinque cruces, videlicet in medio altaris et in quatuor ejus cornibus, in locis in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet primam in medio altaris; secundam in dextero posteriori, id est Evangelii; tertiam in si-

Digitized by Google

nistro anteriori; quartam in dextero anteriori; quintam in sinistro posteriori, hoc ordine :



dicens dum singulas cruces facit : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur lapis iste. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.* Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra, inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Responsorium : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quo incœpto, Pontifex circuit semel ad dexteram, thurificando illud : deinde restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, sine mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Adsit, Domine, misericordiæ tuæ ineffabilis pietas; et super hunc lapidem opem tuæ bene✠dictionis et virtutum tuæ unctionis infunde; ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Fuit olim ritus Ecclesiæ Arelatensis ut ubi altare sine ecclesiæ dedicatione consecraretur, quemadmodum docet manuscriptum ejusdem Ecclesiæ Pontificale, post firmatam altaris mensam cum calce, offerretur quidem incensum cantando Responsorium *Dirigatur oratio mea, etc.*, deinde vero oleum et chrisma offerretur, unctionesque fierent cum illa Orationis formula : « Consecretur et sanctificetur hoc » altare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti, et in honore Sanctorum *Ill.*, ut per » eorum merita et intercessionem fiant hic ho» stiæ super oblata et libamina accepta ad pur» gationem peccatorum nostrorum, et eorum » pro quibus offerentur. Pax tecum. Amen. » Tum jubetur Pontifex dicere Antiphonam *Erexit Jacob lapidem, etc.*, cum Psalmo *Quam dilecta;* itemque incensare cum thuribulo per singulas unctiones. Adjungit præparatum semper esse debere Sacerdotum cum incenso per circuitum altaris, donec consecratio finiatur.

II. Variant tum quoad Antiphonam, et Psalmum, et Orationem, tum quoad modum ungendi, libri Pontificales, inter quos tamen manuscriptus codex Gulielmi Durandi, qui est annorum circiter quingentorum, cum nostro hodierno Romano Pontificali in omnibus fere consonat; mandat enim ut, dum Antiphona

Digitized by Google

Erexit et Psalmus *Quam dilecta, etc.*, cantantur, Pontifex faciat crucem de oleo sancto catechumenorum cum pollice in medio altaris et in quatuor ejus cornibus, in iis scilicet locis in quibus fecerat prius cruces de aqua benedicta, dicens faciendo singulas cruces : *Sanctificetur et consecretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, etc.* Mox ipsi præscribit Pontifici ut, incipiens iterum thurificare altare, inchoet, Schola prosequente, Antiphonam « Dirigatur ad te, Domine, etc., » eaque dum cantatur, circumeat semel altare thurificando illud, deinde vero dicat : *Oremus;* et dicente Diacono *Flectamus genua*, ac eodem respondente *Levate*, subjungat Episcopus Orationem « Adsit, quæsumus, Domine, misericordiæ » tuæ, etc. » Sed et de his et aliis quæ in hoc § præscribuntur, consule quæ superius diximus in præcedenti titulo.

§ XVI.

Oratione finita, Pontifex inchoat, et Schola seu Ministri prosequuntur, Antiphonam : *Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino : vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.* Psalmus XCI. *Bonum est confiteri Domino, * et psallere nomini tuo, Altissime.* Repetitur Antiphona. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, * et veritatem tuam per noctem.* Repetitur Antiphona. *In decachordo psalterio, * cum cantico in cithara.* Repetitur Antiphona. *Quia delectasti me, Domine, in factura tua : * et in operibus manuum tuarum exsultabo.* Repetitur Antiphona. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! * nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Repetitur Antiphona. *Vir insipiens non cognoscet, * et stultus non intelliget hæc.* Repetitur Antiphona. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum , * et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.* Repetitur Antiphona. *Ut intereant in sæculum sæculi : * tu autem altissimus in æternum, Domine.* Repetitur Antiphona. *Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt : * et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.* Repetitur Antiphona. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, * et senectus mea in misericordia uberi.* Repetitur Antiphona. *Et despexit oculus meus inimicos meos : * et ab insurgentibus in me malignantibus, audiet auris mea.* Repetitur Antiphona. *Justus ut palma florebit : * sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Repetitur Antiphona. *Plantati in domo Domini; * in atriis domus Dei nostri florebunt.* Repetitur Antiphona. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : * et bene patientes erunt, ut annuntient.* Repetitur Antiphona. *Quoniam rectus Dominus Deus noster, * et non est iniquitas in eo.* Et non dicitur *Gloria Patri*, sed Antiphona repetitur. Interim Pontifex facit iterum quinque cruces cum pollice de eodem oleo catechumenorum in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens, dum singulas cruces facit : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur lapis iste. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.* Deinde Pontifex accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra, inchoat iterum, Schola seu Ministris prosequentibus, Responsorium : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quo incœpto, Pontifex circuit semel altare ad dexteram illud incensando :

Digitized by Google

quo facto, restituto thuribulo Sacerdoti et Responsorio finito, Pontifex, deposita mitra, dicit *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua. Levate.*

Adesto, Domine, dedicationi hujus mensæ tuæ, et in eam, quæ a nobis indignis sancto linita est oleo, bene✠dictionis et sancti✠ficationis tuæ virtutem et consecrationem infunde. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod in honorem tuum et in memoriam sancti tui N. nos indigni consecramus, virtute tuæ bene✠dictionis sanctifica, et omnibus te hic invocantibus atque in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut huic altari imposita munera semper accepta fieri digneris, et in eo Sacramentorum virtus et votorum semper obtineatur effectus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Exstat hæc eadem Rubrica in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in quo tamen nonnulla habentur quæ a nostro hodierno Pontificali Romano differunt. Nam primo dicit repetendam esse Antiphonam per singulos versus Psalmi, *si necesse fuerit.* Secundo, in hac altera sacri altaris unctione faciendas esse cruces de chrismate. Tertio, secundam Orationem, *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, etc.*, a quibusdam consuevisse dici. Quod spectat Antiphonam *Mane surgens Jacob, etc.*, initio § descriptam, usitata videtur jam olim in dedicatione ecclesiarum atque altarium. Legimus enim in Concilio Aquisgranensi II anno 836 habito, lib. I, capite XXIV, quod « Christiana » religio exemplum sumens ex antiqua Patrum » traditione, domos in honorem Dei ædificat ac » dedicat, et altaria erigit, eisque oleum super- » infundit, ac sacrosancto chrismate perungit- » ea, et de factis dictisque ejusdem Jacob melo- » diam Christo canit. »

§ XVII.

Qua finita, Pontifex incipit, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psalmus XLIV. *Eructavit cor meum verbum bonum : * dico ego opera mea regi.* Repetitur Antiphona. *Lingua mea calamus scribæ * velociter scribentis.* Repetitur Antiphona. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : * propterea benedixit te Deus in æternum.* Repetitur Antiphona. *Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.* Repetitur Antiphona. *Specie tua et pulchritudine tua, * intende, prospere procede, et regna.* Repetitur Antiphona. *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * et deducet te mirabiliter dextera tua.* Repetitur Antiphona. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.* Repetitur Antiphona. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, * virga directionis, virga regni tui.* Repetitur Antiphona. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Repetitur Antiphona. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : *

Digitized by Google

ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Repetitur Antiphona. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato,* * *circumdata varietate.* Repetitur Antiphona. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam :* * *et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Repetitur Antiphona. *Et concupiscet rex decorem tuum :* * *quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Repetitur Antiphona. *Et filiæ Tyri in muneribus,* * *vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Repetitur Antiphona. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus,* * *in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Repetitur Antiphona. *Adducentur Regi virgines post eam :* * *proximæ ejus afferentur tibi.* Repetitur Antiphona. *Afferentur in lætitia, et exsultatione :* * *adducentur in templum regis.* Repetitur Antiphona. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii :* * *constitues eos principes super omnem terram.* Repetitur Antiphona. *Memores erunt nominis tui,* * *in omni generatione et generationem.* Repetitur Antiphona. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum,* * *et in sæculum sæculi.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Incœpta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto chrismate cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ altaris, et in quatuor ejus angulis ordine supraposito, ad quamlibet crucem dicens : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur lapis iste. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.* Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Responsorium : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quo incœpto, Pontifex circuit semel altare ad sinistram, illud incensans ut prius : quo incensato, restituto thuribulo Sacerdoti et Antiphona finita, Pontifex, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Hanc Rubricam ita enarrat manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi : « Deinde incipit » Episcopus, et Schola prosequitur, Antiphonam *Unxit te Dominus*, etc. Psalmus *Eructavit cor meum, etc.*, totus dicitur, repetendo » ipsam Antiphonam, si necesse fuerit, per » singulos versus. Dum autem Antiphona et » Psalmus dicuntur, facit Episcopus cruces de » chrismate sancto cum eodem pollice in eisdem » locis in quibus prius fecit de oleo sancto, etc. » Tum addit ut ipse Episcopus inchoet « Antiphonam : *Dirigatur*, ut in prima unctione de » oleo dixit et fecit; post hæc dicit *Oremus*. Et » Diaconus : *Flectomus genua. Levate. Descendat, quæsumus, Domine, etc.* » In aliis Pontificalibus summa de hac re varietas reperitur. Quod mirum videri non debet, ob allatam alibi rationem.

Digitized by Google

§ XVIII.

Qua dicta, Pontifex inchoat, et Schola seu Ministri prosequuntur, Antiphonam : *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.* Psalmus XLV. *Deus noster, refugium et virtus:* * *adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Repetitur Antiphona. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra,* * *et transferentur montes in cor maris.* Repetitur Antiphona. *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum :* * *conturbati sunt montes in fortitudine ejus.* Repetitur Antiphona. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei :* * *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Repetitur Antiphona. *Deus in medio ejus, non commovebitur :* * *adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Repetitur Antiphona. *Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna :* * *dedit vocem suam, mota est terra.* Repetitur Antiphona. *Deus virtutum nobiscum :* * *susceptor noster Deus Jacob.* Repetitur Antiphona. *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram,* * *auferens bella usque ad finem terræ.* Repetitur Antiphona. *Arcum conteret, et confringet arma,* * *et scuta comburet igni.* Repetitur Antiphona. *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus :* * *exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.* Repetitur Antiphona. *Dominus virtutum nobiscum :* * *susceptor noster Deus Jacob.* Et non dicitur *Gloria Patri*, sed Antiphona repetitur. Interim, dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, accepta mitra, fundit et spargit oleum catechumenorum, et chrisma pariter desuper altare illud, manu dextera confricans, liniens et perungens. Quo facto, incipit, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus : crescere te faciat Deus meus sicut arenam maris; et donet tibi de rore cœli benedictionem.* Psalmus : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et totus dicitur sine *Gloria Patri.* Finito Psalmo, Pontifex stans cum mitra, dicit : *Lapidem hunc, Fratres charissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vota et sacrificia, oremus ut Dominus noster bene✠dicat et conse✠cret; et quod est unctum a nobis sit unctum in nomine ejus; ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

§ XIX.

Quo dicto, inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta, et immolans victimas : fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.* Qua finita, stans adhuc cum mitra, dicit : *Dei Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus, Fratres charissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti benc-*

Digitized by Google

✠dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum, studio suæ devotionis impositas bene✠dicere et sancti✠ficare dignetur, et spirituali placatus incenso, precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Eadem quæ in duobus hisce §§ habentur, præscripta jam fuerant in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, cujus verba hæc sunt : « Dicta Oratione (*Descendat, quæsumus, Domine, etc.*, ut supra in fine § XVI) inchoat, et Schola » prosequitur, Antiphonam *Sanctificavit Dominus.* Psalmus *Deus noster refugium, et virtus* » totus dicitur sine *Gloria Patri;* et si necesse » fuerit, repetatur Antiphona per singulos versus. Dum vero dicuntur Antiphona et Psalmus, » fundit et spargit oleum et chrisma, confricans, liniens et perungens totum manu sua. » Quo facto incipit, et Schola prosequitur, antiphonam *Ecce odor filii mei, etc.* Psalmus » *Fundamenta ejus in montibus sanctis* totus » dicitur sine *Gloria Patri.* Deinde *Oremus.* » Oratio. *Lapidem hunc, etc.* » Porro in hoc differt laudatum manuscriptum Pontificale Durandi a nostro Romano hodierno, quod nempe ad § XVIII attinet, quia in ipso Durandi Pontificali, recitata Antiphona *Ædificavit Moyses, etc.*, mox dicit Episcopus *Oremus,* et non, nisi admonente prius Diacono, *Flectamus genua, Levate,* Orationem illam pronuntiat : *Dei Patris omnipotentis misericordiam deprecemur, dilectissimi Fratres, ut hoc altare, etc.* Idem de hoc cautum est ex manuscriptis Pontificalibus Arelatensi, Moguntino et aliis antiquis, Antiphonæ quæ in duobus hisce §§ habentur, desumptæ sunt ex libro *Geneseos,* alluduntque ad dedicationem altarium a priscis Patribus in veteri Testamento rite peractam. De qua fuse loquuntur Patres Concilii Aquisgranensis II, lib. I, et alii scriptores Ecclesiastici.

§ XX.

Deinde benedicit incensum super altare cremandum, stans ibidem deposita mitra, et dicens : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene✠dicere et sancti✠ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores omnesque infirmitates atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo; nunquam lædatur a morsu antiqui serpentis, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXI.

Deinde aspergit aqua benedicta, et accepta mitra, format propria manu ex ipso incenso quinque cruces, quamlibet de quinque granis super illa quinque loca altaris in quibus cruces de aqua, et oleo, et chrismate factæ prius fuerunt, et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela ad mensuram crucis de granis incensi factæ, et cujuslibet crucis capita accenduntur, ut

Digitized by Google

cum ipsis thus comburatur et cremetur. Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, *Alleluia. ℣. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende* : nisi consecratio hujusmodi fieret inter Dominicam Septuagesimæ et festum Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi; quia tunc omisso *Alleluia,* dicitur versus tantum. Quo dicto, surgit Pontifex stans ibidem versus ad altare sine mitra, et Schola seu Ministri cantant Antiphonas duas sequentes : *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* Alia Antiphona : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua : et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.* Quibus finitis, Pontifex adhuc stans ante altare sine mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et respice ad hujus altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum sancti Spiritus tui gratia in odorem suavitatis ascendat, et legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, ad vitamque proficiat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXII.

Post hæc combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex Ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase projiciuntur in sacrarium; interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris, versus ad altare dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua. Levate.*

Deus omnipotens, in cujus honorem, ac beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, ac nomen et memoriam sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta ut in hac mensa sint libamina tibi accepta, sint grata, sint pinguia, et sancti Spiritus tui semper rore perfusa, ut omni tempore hoc in loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivat et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Benedictionem incensi comburendi super altare haudquaquam invenio in manuscriptis Pontificalibus, ubi agunt de altaris consecratione sine dedicatione ecclesiæ. Totum ritum in tribus hisce §§§ descriptum legere est quidem in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis cautum est ut, postquam Episcopus dixit Orationem *Dei Patris omnipotentis misericordiam deprecemur, dilectissimi Fratres, ut hoc altare, etc.*, statim subjungat *Oremus;* et admonente Diacono *Flectamus genua, Levate,* ponatur « incensum in medio, et in quatuor angulis » in modum crucis, et incendatur, et dicatur » *Alleluia, ℣. Veni, sancte Spiritus, etc.*, eisque » finitis recitet Episcopus Orationem *Quæsumus,* » *omnipotens Deus, in cujus honore altare hoc* » *consecramus, clemens, etc.* » Pontificale autem manuscriptum Ecclesiæ Moguntinæ mandat ut, dicta hac Oratione, Episcopus « thurificet altare,

Digitized by Google

» et incipiat, Clero prosequente, Antiphonam » *Ascendit fumus, etc.*, item Antiphonam *Ædi-* » *ficavit Moyses* cum Psalmo *Fundamenta;* » item dicat Episcopus cum nota, *Per omnia* » *sæcula sæculorum, Dominus vobiscum, Sur-* » *sum corda, Gratias agamus. Et propensiori* » *cura, et attentiori famulatu, etc.* »

II. Ex eodem præterea manuscripto Ecclesiæ Moguntinæ Pontificali præscriptum habetur ut post cantatam ipsam Præfationem, de qua in § sequenti, « imponatur incensum de liquis, » thure et stupa in medio et in quatuor corni- » bus altaris, Clero cantante Antiphonam *As-* » *cendit fumus, etc.* » Mandat fieri alias thurifications, aliaque Responsoria et Orationes dici, iisque finitis *purgari altare de incenso desuper adusto*, reliquiasque incensi ad ignem projici. Refert ritum hujus Pontificalis Edmundus Martenius, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XVI, ordine III. Vide quæ de tribus hisce §§§ circa finem tituli II diximus.

§ XXIII.

Deinde eodem modo stans, dicit mediocri voce extensis manibus ante pectus hanc Præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus et clemens : cujus nec initium nec finis advertitur; qui quantus es, tantus esse voluisti, sanctus scilicet ac mirabilis Deus, cujus majestatem elementa non capiunt. Te benedicimus, te supplices deprecamur, ut tibi sit altare hoc sicut illud quod Abel, salutaris mysterii in passione præcursor, jugulatus a fratre, novo sanguine imbuit et sacravit. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut illud quod Abraham pater noster, qui videre te meruit, fabricavit, et invocato tuo nomine consecravit; in quo sacerdos Melchisedech sacrificii formam triumphalis expressit. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut illud super quod Abraham seminarium fidei nostræ Isaac filium suum, dum tibi toto corde credidit, toto corde imposuit; in quo salutaris mysterii Sacramentum Dominicæ passionis ostensum est, dum offertur filius, Agnus occiditur. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut illud quod Isaac puteum profundæ puritatis inveniens, Abundantiæ ei nomen imponens, tuæ majestati dicavit. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut ille lapis quem Jacob supponens capiti suo, ascendentes et descendentes Angelos per scalæ mysterium, somno revelante, cognovit. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut illud quod Moyses, susceptis mandatis, in præfiguratione Apostolica, duodecim lapidum constructione firmavit. Sit tibi, Domine, altare hoc sicut illud quod Moyses septem dierum purificatione mundavit, et cœlesti tuo colloquio Sancta Sanctorum vocavit; sicut locutus es ad Moysen, dicens : Si quis tetigerit altare hoc, sanctificatus habeatur. Sit in hoc ergo altari innocentiæ cultus, immoletur superbia, iracundia juguletur, luxuria omnisque libido feriatur, offeratur pro turturibus sacrificium castitatis, et pro pullis columbarum innocentiæ sacrificium.* Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Legitur hæc Præfatio non modo in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi ubi agit de sola consecratione altaris, verum etiam in Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, in quo etiam Præfatio S. Ambrosii episcopi appellatur, et quidem in eo titulo qui inscribitur *De Altaris consecratione, quæ fit sine consecratione ecclesiæ.* Legere est eamdem Præfationem in multis antiquioribus manuscriptis Pontificalibus, ac præsertim in manuscripto Pontificali Egberti archiepiscopi Eboracensis, in Ordine inscripto *Quomodo Episcopus ecclesiam debeat dedicare.* Conflata est ipsa Præfatio ex variis sacræ Scripturæ locis, quæ hic describere supervacanei foret laboris. Unum hoc hic admonuerim, in aliis Pontificalibus alias legi Præfationes; id quod ex superius enarratis apertissime constat.

II. Quanta sit altarium dignitas, alibi fuse ostensum est allatis variis sanctorum Patrum locis. Fuse de ipsis altaribus loquuntur quidem Patres Aquisgranensis Synodi, lib. I, cap. XI et plurimis sequentibus, in quibus seriem veteris Testamenti ob oculos ponunt, qualiter origo et religio Deo offerendarum rerum in altaribus inchoaverit, et qualiter ab Abel justo usque ad sæculum nostrum per mediatorem Dei et hominum, Dominum scilicet Jesum Christum, Redemptorem nostrum, et per ejus Apostolos nominis sancti sui strenuos prædicatores, suæque fidei rudimenta in omnem terram propagantes, eorumque successores dilatata fuerit. Sane de Abel ita legitur cap. IV *Genesis : Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de odipibus eorum : et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.*

III. Miror autem cur in Præfatione nulla Noe mentio fiat, qui ingentis cataclysmi periculo, Domino se protegente, liberatus, eoque jubente de arca egressus, non extra altare, sed jam supra altare, ob liberationem sui, holocausta Deo obtulit, sicut in eodem libro *Geneseos* legitur, cap. VIII : *Ædificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare : odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* De altaribus erectis ab Abraham, Isaac et Jacob alibi factus est sermo, de iisque sicut et de aliis egregie loquitur laudata Synodus Aquisgranensis II, præsertim vero de altaribus a Moyse erectis ac dedicatis.

IV. In Præfatione in nostro hoc § descripta fit quidem mentio altaris a Moyse erecti, de quo ita legimus in libro *Exodi*, cap. XXIV : *Mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel.* Et cap. XXIX ibidem, inter alia quæ ei præcepit Deus, ita locutus est : *Septem diebus expiabis altare, et sanctificabis, et erit Sanctum Sanctorum : omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur.* Vocari a sanctis Patribus, et quidem potiori ratione nostra altaria, *sancta, sacrosancta, divina*, aliisque speciosis nominibus, dictum a nobis alibi fuit. Unde non mirum videri debet, quod si quis illud tetigerit sanctificabitur, et si, ut testatur Tertullianus in lib. *De Pœnitentia*, Christiani antiquitus venerari aras veri Dei, eisque adgeniculari consueverint. De Gorgonia scribit in Oratione de ejus laudibus Nazianzenus, quod ad altare cum fide se prosternebat. Auctores sunt Epiphanius, *Hæresi* LXVIII, Sozomenus, Socrates, Cassiodorus et alii, Alexandrum Constantinopolitanum episcopum, cum ab Arianis premeretur, ad altare progressum, in facie coram sacra mensa se prostrasse et cum lacrymis orasse.

V. Ea tandem fuit apud veteres Hebræos religio altarium, ut ad ea confugientes jus asyli haberent, nec inde extrahi possent; erant enim eis portus atque perfugium, uti habetur *Exodi* cap. XXI. Hinc Adoniam et Joab sibi timentes ad altare domus Domini confugisse, legimus lib. III *Regum*, cap. I et II. Jus asyli in altari indicat S. Gregorius Nazianzenus, *Oratione in laudem Basilii Magni.* Legimus item apud Socratem, lib. VII, cap. XXXV ; Cassiodorum, lib. XII, cap. IV, et alios, servos quosdam crudelitatem Domini expertos ad altare ecclesiæ confugisse, neque inde ullo modo exire voluisse. Ad hæc S. Ambrosius, in Epistola XXXIII, asylum altaris hisce verbis indicat : « Vultis in vincula rapere, » vultis in mortem ? voluntati est mihi : non » ego me vallabo circumfusione populorum, » nec altaria tenebo, vitam obsecrans, sed pro » altaribus gratius immolabor. »

Digitized by Google

VI. Sunt qui docent primum altare refugii locum fuisse. Unde Synesio, in Epistola XVIII, aliisque antiquis scriptoribus altare frequenter dicitur τράπεζα, mensa de qua nullus abripi sive retrahi possit. Sive autem initio hoc fuerit, sive non fuerit, id certum esse inquit Binghamus, lib. VIII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. XI, § II, Theodosii junioris ætate hosce limites refugii fuisse ampliatos. Nam in lege ejus IV, in Codice Theodosiano relata, ad titulum XLV, *De iis qui ad ecclesias confugiunt*, lib. IX, et in Codice Justinianeo, lib. I, tit. XII, lege III, non tantum altare et navis ecclesiæ, sed quidquid etiam inter ecclesiam et exteriores muros interjacet, nimirum, ædes et domicilia Episcopi et Clericorum, hortuli, balnea, arcæ et porticus, non minus quam interior templi pars, privilegio præbendi immunitatem eo confugientibus insigniuntur. Sed de hac re alibi dictum est.

§ XXIV.

Præfatione finita, Pontifex, accepta mitra, inungit cum pollice dexteræ manus chrismate intincto frontem altaris in modum crucis, inchoans, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, Alleluia.* Psalmus *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, etc.*, totus dicitur. Quo dicto, Pontifex, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut altare hoc sacræ unctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter bene✠dicere et sancti✠ficare digneris; ut quod nunc a nobis indignis, sub tui nominis invocatione, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ et omnium Sanctorum, atque in memoriam sancti tui N. sacrosancti chrismatis unctione delibutum est, placeat tibi, atque altare maneat perpetuum; ut quidquid deinceps super illud oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocaustum: atque omnium hic offerentium Sacrificia, a te pio Domino benigne suscipiantur; et per ea vincula peccatorum nostrorum absolvantur, maculæ deleantur, veniæ impetrentur, et gratiæ acquirantur : quatenus una cum Sanctis et Electis tuis vitam percipere mereamur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXV.

Tum Pontifex, accepta mitra, cum pollice dexteræ manus chrismate intincto, inungit in modum crucis conjunctiones mensæ seu tabulæ altaris et tituli sive stipitis, in quatuor angulis, quasi illa conjungens, ad singulas cruces dicens : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* Deinde, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Supplices te deprecamur, omnipotens æterne Deus, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut altare hoc sanctis usibus præparatum cœlesti bene✠dictione sancti✠fices; et sicut Melchisedech sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita huic novo altari munera

Digitized by Google

semper accepta ferre digneris; ut populus qui in hanc ecclesiæ domum sanctam conveniet, per hæc libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Locuti et de his ritibus qui in duobus hisce §§ continentur, suo loco jam fuimus, in præcedenti scilicet titulo, in quo eadem quæ in præsenti verba referuntur; quæque etiam eodem modo habentur in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Cæterum ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, finita Præfatione, dicebatur quidem Antiphona *Confirma hoc, Deus, etc.*, et ungebatur altare cum chrismate *in fronte a parte Sacerdotis;* mox vero Oratio dicebatur : « Lapidem hunc, Fratres dilectissimi, in quo » unguentum sacræ unctionis effunditur, etc., » quam vide in § XVII. Juxta præscriptum Pontificalis Ecclesiæ Moguntinæ post decantatam Præfationem diversam ab illa quam superius descripsimus juxta nostri hodierni Romani Pontificalis ordinem, et aliorum etiam antiquorum Pontificalium, Episcopus statim dicit Orationem : *Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, etc.*, ut in § XXIII. Deinde thurificat altare, et incipit, Clero prosequente, illam Antiphonam, *Confirma hoc Deus, etc.*, cum *Gloria Patri, etc.*, et repetitione ipsius Antiphonæ; qua dicta subjungit Orationem : *Supplices tibi, Domine Deus, preces effundimus, etc.* Tum quidem purgatur altare de incenso desuper adusto, projiciuntur reliquiæ incensi ad ignem, incipitur Antiphona *Corpora Sanctorum in pace, etc.*, cum *Gloria Patri*, et Episcopus thurificat sepulcrum altaris, id est ubi reliquiæ conclusæ sunt, et postea dicit Orationem : *Deus omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, etc.*, quam in §§ superioribus legere est.

§ XXVI.

Post hæc Subdiaconi adspergunt diligenter cum mantilibus telæ grossæ mensam altaris, et Pontifex accedit ad sedem suam juxta altare, in qua cum mitra sedens fricat bene manus cum medulla panis, ac lavat et extergit. Quo facto, Subdiaconis, seu Acolythis, præsentantibus Pontifici tobaleas novas et mundas, ac vasa et ornamenta ad cultum Dei et altaris consecrati pertinentia, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans benedicit illa, dicens :

BENEDICTIO

TOBALEARUM, VASORUM ET ORNAMENTORUM ALTARIS CONSECRATI.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℣. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti; quique per famulum tuum Moysen vestimenta Pontificalia et Sacerdotalia seu Levitica Sacerdotibus et Levitis, atque ornamenta et linteamina facere famulum tuum Moysen per quadraginta dies docuisti, atque etiam quæ Maria texuit et fecit in usum ministerii et tabernaculi fœderis ordinasti, purificare, bene✠dicere,

Digitized by Google

sancti✠ficare et conse✠crare per nostræ humilitatis servitium digneris hæc ornamenta et linteamina in usum altaris tui, ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta existant, hisque confectioni Corporis et Sanguinis Jesu Christi Filii tui Domini nostri dignis pareatur famulatibus. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XXVII.

Deinde aspergit illa aqua benedicta. Tum Ministri ponunt super altare chrismale, sive pannum lineum ceratum ad mensuram altaris factum; deinde vestiunt altare tobaleis et ornamentis benedictis, ponentes desuper crucem et alia ornamenta. Interim Pontifex stans ibidem, inchoat Antiphonam primam, Schola seu Ministris prosequentibus ipsam, et alias Antiphonas sequentes, et Responsoria cum suis versibus et Psalmis. Antiphona : *Circumdate, Levitæ, altare Domini Dei, vestite vestimentis albis; estote et vos canentes hymnum novum, dicentes Alleluia.* ℣. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Alia Antiphona : *Circumdate Sion, et complectimini eam : narrate in turribus ejus.* ℣. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Deinde dicitur Responsorium : *Induit te Dominus tunica jucunditatis, et imposuit tibi coronam,* ℣ *Et ornavit te ornamentis sanctis.* ℣. *Luce splendida fulgebis, et omnes reges terræ adorabunt coram te.* ℣. *Nationes de longinquo ad te venient, et munera deferentes adorabunt Dominum : et terram tuam in sanctificatione habebunt, et nomen magnum tuum invocabunt :* ℣ *Et ornavit te.* ℣. *Benedicti erunt qui te ædificaverunt, tu autem lætaberis in filiis tuis : quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum,* ℣ *Et ornavit te.* Et non dicitur *Gloria Patri,* sed sequens Antiphona dicitur : *In velamento alarum tuarum protege nos, Domine : et in laude tua gloriemur.* Psalmus : *Deus, Deus meus :* ℣ *ad te de luce vigilo.* Et dicitur totus cum *Gloria Patri,* in fine. Finito Psalmo, Pontifex deposita mitra ascendit ad altare, et facta cruci super altari positæ reverentia, incipit, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo, Domine.* Interim, dum Antiphona cantatur, Pontifex incensat super altare in modum crucis, et Antiphona finita, Pontifex eam reincipit, et Schola prosequitur; et interim iterum ipse Pontifex super altare in modum crucis incensat; quod et tertio facit : quo facto, stans ante medium altaris dicit :

OREMUS.

Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet; et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum cœlestis virtutis bene✠dictione sanctifica; et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut hic Sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Conveniunt et ista cum iis quæ habentur in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod integrum in appendice una cum aliis exhibebimus. Orationum formulæ ad benedicenda linteamina et vasa altaris, exstant quidem in omnibus antiquis Pontificalibus. Iis benedictis, ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, Pontifex cum Clero cantabat Antiphonam « Corpora Sanc- » torum, etc., » itemque Responsorium Ecce » mihi Dominus in refugium, etc., » et Versiculum « Si reversus fuero, etc. » Offerebatur postea incensum, cantabatque Episcopus Antiphonam *Omnis terra adoret te, etc.*, cum Oratione *Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, etc.*, et alia Oratione, quæ post velatum altare dicitur : *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum, etc.* Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, Episcopus ubi dixit primam Orationem *Descendat, quæsumus, Domine, etc.*, incipiebat quidem, flexis genibus et osculato altari ter, Antiphonam *Omnis terra adoret te, etc.*, quam Clerus ter etiam prosequebatur : qualibet autem vice thurificabat Episcopus altare, officiumque consecrationis ipsius altaris cum illa Oratione concludebat quæ descripta est in fine § XXVII : *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum, etc.* Addit dandam hanc super populum ab Episcopo benedictionem, ubi ipsam Orationem pronuntiavit : « Adjutorium nostrum in nomine Do- » mini. Sit nomen Domini benedictum. Bene- » dictio Dei omnipotentis, Patris ✠, et Filii ✠, » et Spiritus ✠ sancti, descendat super vos et » maneat semper. Amen. »

§ XXVIII.

Quo dicto, Pontifex accedit ad sacristiam, sive sacrarium, ubi, deposito pluviali, parat se ad celebrandam Missam, si voluerit; vel facit per aliquem Sacerdotem in dicto altari consecrato solemniter celebrari. Missa dicitur ut in Missali in ipsa die dedicationis altaris. Finita Missa, Pontifex dat benedictionem solemnem et indulgentias, exuit se sacris vestibus, et vadit in pace.

COMMENTARIUS.

I. Ecclesiæ et altaris consecrationem una cum sacrificio Missæ esse peragendam lex antiqua Ecclesiæ fuit, de qua in præcedenti titulo disseruimus. Quænam Missa proprie in dedicatione altaris diceretur, non ita facile definierim, cum pro varietate Ecclesiarum ac temporum variæ in antiquis Missalibus ac Pontificalibus libris legantur Missæ in consecratione ecclesiæ vel altaris dici solitæ. Ex manuscriptis quidem Pontificalibus Ecclesiæ Arelatensis ac Gulielmi Durandi, itemque ex pluribus ante emendationem Clementis VIII in lucem editis Pontificalibus, Introitus ad ipsam consecrationis altaris Missam is erat : « Dicit Dominus : Sermones » mei, quos dedi in os tuum, non deficient, etc. » Psalmus. « Misericordias Domini, etc. Gloria. » Collecta. « Exaudi, Domine, preces nostras, et » ad sanctificandum nomini tuo hoc altare be-

Digitized by Google

» nignus adesto, ut Sacramentorum hic virtus, » et votorum omnium obtineatur effectus. Per. » Porro legere est hanc Missam in laudato manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod integrum in appendice describetur. In eodem Arelatensi Pontificali, benedictio quæ ab Episcopo dabatur populo, antequam ipse Episcopus Eucharistiam perciperet, uti notatum est in § ultimo tituli II, sub hac erat concepta precationum formula : « Omnipotens Deus, qui vos » hodierna die ad consecrationem ipsius altaris » dignatus est adunare, ipse vos celesti benedi- » ctione dignetur locupletare. Amen. Concedat » vobis fieri templum suum, et habitaculum » Spiritus sancti, qui proprium Filium suum » Dominum nostrum Jesum Christum pro vobis » elegit crucifigi. Amen. Quatenus mente et » corpore pariter purificati habitatorem Deum » in vobismetipsis semper habere possitis, et » æternæ beatitudinis hæreditatem cum Sanctis » et electis possidere valeatis. Amen. Quod ipse » præstare dignetur, etc. »

[Hic forte notandum est officium dedicationis nullo pacto celebrari debere quando dedicatur altare sine ecclesiæ consecratione, sed Missam tantummodo. Exstat equidem in Missali Rubrica qua aptatur Missa Dedicationis ecclesiæ pro die consecrationis altaris; sed Oratio quæ in hoc casu adhibetur non reperitur in breviario. Quomodo igitur de hac consecratione altaris Officium celebrari posset, sine Oratione qua colligitur cujuslibet festi intentio ? Consultum tamen fuit Romæ de agendi ratione quæ in hoc casu servanda esset, et respondit sacra Rituum Congregatio, die 7 decembris 1844, in causa Cenomanensi, Officium dedicationis ecclesiæ celebrandum esse, non vero altaris solum, addendo, prout jam antea pluries decisum fuerat, Horas canonicas pro die dedicationis ecclesiæ inchoandas tantummodo esse, peracta consecratione, ab Hora minori Tertia.]

II. Lubet tandem commentarium absolvere cum iis quæ in manuscripto Codice Moguntino habentur in fine Ordinis ad consecrandum altare sine ecclesia : « Circa istud officium, inquit, » est notandum quod, si plura altaria in eccle- » sia simul consecranda sint, quidquid hic di- » ctum est post benedictionem aquæ, ad quodlibet » altare fiat singillatim et complete, quia mu- » tare numerum singularem in pluralem, et » per hoc simul plura consecrare altaria, teme- » rarium reputo et incautum, eo quod forma » verborum sacramentum principaliter efficiens » a Christo vel ab Ecclesia instituta, nec augeri » debet, nec minui, nec mutari. »

TITULUS IV.

DE CONSECRATIONE ALTARIS CUJUS SEPULCRUM RELIQUIARUM EST IN MEDIO SUMMITATIS STIPITIS.

I. Pro tituli hujus intelligentia adnotandum hic censeo qualis fuerit olim christianorum altarium structura. Vel uni namque soli columnæ mensa lapidea superjacebat, quale describitur a Paulo Diacono, lib. xx *Historiæ Miscellæ*, altare Deiparæ Virginis in Blanchernis, et qualia sunt etiam hodie altaria quædam subterranea Romæ in ecclesia Sanctæ-Cæciliæ. Aliquando quatuor columnis eadem mensa suffulta erat, de iisque loquitur Synesius in fine *Catastasis*, dicens : « Sacratas columnas amplector, quæ » puram et incontaminatam a terra mensam » substinent. » Interdum duæ solæ columnæ ex utroque latere ipsum altare sustinebant : suntque hodie in cryptis et cœmeteriis Urbis quædam hujusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus Christiani tempore persecutionis ibidem latentes utebantur. In summitate harum columnarum positas fuisse aliquando sacras reliquias, ubi altaria consecrabantur, non obscure innuit hic præsens titulus, de quo nulla, quod sciam, in antiquis manuscriptis Pontificalibus habetur mentio. Cæterum exstat is titulus in Pontificalibus ante

Digitized by Google

Clementem VIII editis, ad eumque alludit S. Carolus, parte IV *Actorum sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ*, *Instructionum fabricæ Ecclesiasticæ* lib. I, cap. XV, ubi agens de fenestella reliquiarum sacrarum in altari consecrando, hæc habet: « In altaris fronte tergove sub ipsa mensa fe» nestella quatuordecim vel sexdecim unciis » ampla, aut in stipite mensave illius, pro » ratione consecrationis qua libro Pontificali » præscripta Episcopus uti maluerit, fossa instar » sepulchri, eodem quo fenestella, sed multo » minori spatio exstruenda est, ubi, cum illud » consecratur, reliquiæ sacræ reconduntur. Ea » vero fenestella ab ostio occludi debebit tabella » marmorea lapideave, in qua sculpta sit crucis » imago : tum nomina quæ constant sacrarum » reliquiarum in altari reconditarum inscul» pentur. » Addit quod, ubi non fenestella, sed fossa adhibebitur, inscriptio hæc, aut ab aliquo altaris latere, aut in mensa fiat litteris incisis.

§ I.

Ordo prædictus consecrandi altare semper servatur quando sepulcrum reliquiarum est in medio tabulæ altaris, a parte superiori, vel in stipite a parte anteriori aut posteriori. Si vero sepulcrum est in medio summitatis stipitis, supra autem sit ponenda ipsa tabula sive mensa altaris; finita aquæ benedictione cum vino et cinere, ut supra pag. 96 et seqq., atque Oratione *Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc.*, pag. 102, Pontifex stans cum mitra et aqua benedicta hujusmodi, vino et cinere mixta, facit maltam, sive cæmentum ex calce et sabulo seu tegula trita ad hoc paratis, quod deinde, deposita mitra, benedicit, dicens : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Summe Deus, qui summa et media imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sancti✠fica et bene✠dic has creaturas calcis et sabuli. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Exstat is quidem ritus in omnibus editis ante Clementem VIII Romanis Pontificalibus, et in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi in Rubrica *De altaris consecratione quæ fit sine ecclesiæ dedicatione*, ubi inter alia ita inquit : « Præmissa autem observantur quando foramen » seu sepulchrum sit in medio aræ seu altaris » in parte superiori, vel etiam in stipite altaris » a parte interiori vel posteriori. Tunc enim » ara, seu ipsum altare, priusquam hæc fiant, » super stipite levatur et collocatur, atque fir» matur, et postea reliquiæ includuntur, etc., » et fiunt inunctiones et alia, ut præmissum » est. » Tum statim ista subjungit : « Si vero » sepulchrum sit in medio summitatis stipitis, » tunc immediate post aquæ benedictionem..... » debet fieri reliquiarum deportatio et reclu» sio, etc. » Initium Orationis ad benedicendum calcem et sabulum ex ipso Gulielmi Durandi Pontificali, et ex omnibus ante Clementem VIII editis, est quidem hujusmodi : *Domine Deus, qui summa et media, etc.* In aliis manuscriptis antiquioribus Pontificalibus fateor me eum ritum minime reperisse.

§ II.

Quo facto, tabula ipsa altaris a stipite separata jacente, debet fieri reliquiarum deportatio et inclusio, Pontifice processionaliter accedente ad locum ubi reliquiæ

Digitized by Google

sunt depositæ, in quo Pontifex stans ab extra sine mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate. Aufer a nobis, etc.*, ut supra pag. 207; et continuans per omnia usque ad *Conse✠cretur et sancti✠ficetur hæc tabula* inclusive, prout supra ordinatum est pag. 209. Quibus dictis, Sacerdotes et Levitæ elevant aram sive tabulam, seu mensam altaris, et collocant eam super stipitem, et cæmentarii cum dicto cæmento benedicto ipsam liniunt et firmant, Schola interim cantante, seu Ministris dicentibus Responsorium toni I : *Vos, Sacerdotes et Levitæ, sanctificamini,* * *Et afferte aram Domini Dei Israel ad locum qui ei paratus est.* ℣. *Vos Sancti Domini vocabimini, Ministri Dei nostri; dicetur vobis : Sit timor Dei vobiscum, et cum diligentia cuncta facite.* * *Et afferte.*

COMMENTARIUS.

Ex manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, in quo solo inveni ritum ac ordinem in hoc nostro titulo IV descriptum, cum ante ipsam reliquiarum reclusionem non possit ara super stipitem poni seu collocari, nec altare consecrari, recte cautum est ut, reclusione facta, statim Sacerdotes et Levitæ mensam seu altare levent, et collocent super stipitem, et cæmentarii cum calce prædicta liniant et firment. Dum hæc fiunt, mandat canendas a Schola seu a cantoribus hasce Antiphonas a sacra Scriptura desumptas : *Vos, Sacerdotes et Levitæ, sanctificamini, et afferte aram Domini Dei Israel ad locum qui ei paratus est, etc.*, ut in nostro hoc § II. Tum addit ut dicatur : « Levate sacrificium, et venite in » conspectu Domini, et adorate Dominum in » decore sancto. » Itemque : « Confortamini, » et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum » in bono. » Et rursus : « Deducamus arcam » fœderis Domini in jubilo, et in sonitu buccinæ, » et in cymbalis, et cytaris concrepantibus. » Vide hunc integrum Gulielmi Durandi Ordinem in Appendice.

§ III.

Levata itaque ara, et collocata, ac cum cæmento prædicto bene firmata, Pontifex inchoat Antiphonam *Sub altare Dei*, ut supra pag. 209, et continuat usque ad Orationem *Dirigatur*, inclusive : qua dicta, prosequitur altaris consecrationem, accedens ad altare cum mitra, et stans ante illud, deposita mitra incipit, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam *Introibo ad altare Dei*, ut supra pag. 203, cum omnibus sequentibus usque ad Orationem *Deus qui es visibilium rerum omnium, etc.*, inclusive, pag. 207. Qua dicta, Pontifex accepta mitra sedet, et Ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo; et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis in medio et in quatuor ejus angulis, inchoans, Schola seu Ministris prosequentibus, Responsorium : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et omnia alia deinde fiunt, prout supra ordinata sunt, usque ad finem.

NOTA.

Nihil in hoc § est quod in superioribus duobus titulis a nobis dictum non fuerit, præsertim vero ubi de consecratione altaris egimus. Ea itaque quæ ibidem diximus a curioso lectore consulenda sunt. Non enim quicquam hoc loco addendum repetendumve existimamus.

[Plura nobis addere visum est antequam ab altarium materia discedatur, quæ a clarissimo auctore omissa fuerunt, licet ad praxim satis frequentem pernecessarium sit eadem definiri.

Digitized by Google

Quid agendum sit quando altaris cujusdam sepulcrum reliquias, in eodem ab Episcopo consecrante inclusas, violenter vel casu aliquo perdidit? Numquid, ut aiunt plures, et ut ab Episcopo quodam præscriptum novimus, simplex Sacerdos poterit in evacuato sepulcro novas reliquias intromittere, ita ut deinceps prædictum altare jam non exsecratum, bene vero rehabilitatum censeri possit?

Tale remedium non tulit sacra Rituum Congregatio, quando die 23 martii 1686, Sacerdoti ad ipsam consulenti num posset per seipsum sacras reliquias in sepulcro condere et sic altare violatum restituere, expresse fuit responsum altare illud denuo ab Episcopo consecrandum fore. Ita recenter decisum fuit ad quæsitum Episcopi Sancti-Flori, die 7 decembris 1844. Nihil tamen obstat juris illius tam antiqui relaxationem quamdam a Sede Apostolica aliquoties concedi, quando scilicet graves et sufficientes rationes id postulare videntur. Sic die 21 aprilis 1668, cum in Augustana diœcesi plurima milliaria altarium polluta fuissent, ac violatis sepulcris extractæ reliquiæ, in Suecorum invasionibus, supplicanti Episcopo ut hæc altaria reconciliarentur sola repositione reliquiarum, respondit sacra Congregatio « in hoc » casu gratiam prædictam posse concedi. » Sed non eadem facilitate usi sunt Eminentissimi Patres sacris ritibus præpositi erga Patavinum Episcopum qui, cum exposuisset in præclara ecclesia Sanctæ-Justinæ e viginti quinque altaribus tredecim violata fuisse, petebat sibi licere eadem renovare absque ritibus debitis; ad eum responderunt die 22 martii 1827, tredecim altaria solemniter et rite dedicanda esse, eo magis quod duodecim integra et ad divinum opus sufficientia remansissent.

Hodiernis temporibus, plures in Galliarum diœcesibus ortæ sunt quæstiones de altaribus, pro quarum solutione ad Sedem Apostolicam recursum est. Anno 1837, Rhedonensis Episcopus Romæ exposuit quamplurima parochialium ecclesiarum suæ diœcesis altaria ita a prædecessoribus suis fuisse consecrata, ut in ipsis sanctorum Martyrum reliquiæ positæ non fuerint, vel ritus essentiales in eisdem condendis diligenter observati. Eminentissimus sacræ Congregationis Præfectus ad Præsulem litteras officio plenas direxit, sub die 6 octobris 1837, instructionem mittens qua declarat indulgeri non posse ut altaria habeantur reconciliata cum sola ac simplici reliquiarum repositione, quin cæremoniæ serventur ad hunc ritum ordinatæ. Episcopus igitur in suo privato oratorio procedat ad consecrationem petrarum cunctarum in quibus reliquiæ desunt, vel, quamvis appositæ sint, non fuit tamen adhibitus ritus ordinatus, easque petras sic consecratas mittat ad parochos, qui easdem unicuique mensæ aptare poterunt. Ut vero admirationis vel scandali removeatur occasio, Episcopi conscientiæ et prudentiæ relictum est statuendum illud temporis spatium quod necessarium putaverit ad prædicta omnia sedulo perficienda.

Hanc regulam ad Episcopum Rhedonensem transmissam, pro casu simili direxit sacra Congregatio, 7 decembris 1844, ad Vivariensem, et 3 maii 1846, ad Sancti-Flori Antistites. Institit Episcopus Sancti-Flori, exponens quingentorum altarium consecrationem peragi non posse absque populi admiratione et cleri dispendio, postulansque indultum cujus vigore, sanato quocumque defectu, super altaribus exsecratis celebrari posset, et tandem ex Apostolica benignitate, et *de speciali gratia in exemplum non afferenda*, sanatio concessa est, die 25 septembris 1846, *dummodo nullimode erui valeat, neque ex attestationibus parochorum, altaria non fuisse denuo consecrata*. Difficile foret, quin et impossibile aliud exemplum tam largæ dispensationis afferre; ideo nemo mirari potest remissiorem se ostendisse Sedem Apostolicam erga Limburgensem Episcopum cui tantummodo concessum est, per litteras diei 27 februarii 1847, ut possit celebrari super quibusdam diœcesis suæ altaribus reliquiis carentibus, vel sepulcra violata habentibus, donec novæ apponantur congruo ritu Sanctorum reliquiæ. Simile indultum Episcopo Nannetensi, die 15 januarii anni præcedentis jam mandatum fuerat.

Superest ut aliquid dicamus de consecratione altaris quæ fieret sine actuali repositione reliquiarum et tamen valeret. Ex jure Pontificalis nostri patet talem dedicationem prorsus fore invalidam; attamen efficacitatem cæteris ritibus conferre Sedes Apostolica in uno saltem casu visa est, licet ex tali concessione nihil deduci possit adversus reliquiarum in altari quolibet necessitatem. Archiepiscopus Beneventanus vo-

Digitized by Google

luit reficere in eadem ecclesia quatuordecim altaria, et cum existimasset in hoc labore sepulcra reliquiarum dictorum altarium manere posse intacta, supplex adiit sacram Rituum Congregationem, petens ut sibi liceret cuncta in eorum consecratione peragere quæ in Pontificali recensentur, omissis ritibus ad repositionem reliquiarum pertinentibus. Inaudita postulatio admissa tamen fuit, et per rescriptum diei primæ maii 1668, Patres Eminentissimi annuerunt sub hac clausula, *dummodo non transeat in exemplum.*

Tandem proferamus necesse est pauca de virtute celebrationis ab Episcopo super altari non valide consecrato, vel exsecrato. Bambergensis Episcopus ad S. Congregationem exposuit se dono accepisse altare quoddam portatile, de cujus integritate postea dubitans, lignum quo lapis incrustatus fuerat amovit, et subtus cavitatem respiciens, eam etiam aperuit, reliquias extraxit, lustravit, atque authenticas repertas denuo composuit, loculumque ut prius occlusit. Quærebat Præsul an altare illud super quo, his peractis, celebraverat, nova indigeret consecratione? Responsum fuit negative, *quatenus Episcopus celebraverit in supradicto altari.* Nemo est qui non videat quænam in praxi sequantur ex hac authentica responsione diei 14 martii 1693.]

APPENDIX

In qua varii manuscripti Ordines referuntur ad dedicandam ecclesiam vel altare.

ORDO I,

Modum ac ritum quo ecclesiam Sancti-Juliani de Lepida seu Lepia in districtu Veronensi, anno 1186, Urbanus III consecravit, præsentibus et cooperantibus multis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, enarrans, apud Ughellum, tom. 5 *Italiæ sacræ* in *Episcopis Veronensibus*, col. 807 ultimæ editionis Venetæ, ex pervetusta quadam memoria ac schedula in qua ita legitur :

In Christi nomine Domini Dei æterni.

Anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi 1186, indictione IV, die Dominico 2 intrante novembri, in Lepeja, in præsentia D. Armani Theutonici, marchionis et domini totius Marchiæ, et D. Nicolai, comitis de Piano, et D. Odorici, comitis de Oremberg, et D. Enrici, comitis de Ortemberg, D. Araldi de Montesellis, D. Bonetti de Montesilice, D. Dalzanelli de Balzanellis, domini Zavolini de Sancto-Quirico, DD. Ubentii et Verdelli, filiorum domini Adelardi, domini Radini, domini Bocchetti de Advocatis, et aliorum, ibique ex præcepto Domini Urbani Papæ Tertii, præsentibus et cooperantibus reverendis Cardinalibus, videlicet, domino Petro de Bona, presbytero cardinale tituli Sanctæ-Sussannæ; D. Laborante, presbytero cardinale Sanctæ-Mariæ Transtiberim, tituli Sancti-Callixti; D. Meliore, cardinale Sanctorum-Joannis et Pauli, tituli Sancti-Pammachii; D. Theobaldo, Hostiensi et Veliternensi episcopo; D. Henrico, Albanensi episcopo; D. Adelardo, tituli Sancti-Marcelli presbytero cardinale; D. Hyacintho, Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diacono cardinale; Mag. Rodulpho, Sancti-Georgii ad velum aureum diacono cardinale; D. Petro, diacono cardinale Sancti-Nicolai in Carcere Tulliano; D. Gratiano, Sanctorum-Cosmæ et Damiani diacono cardinale; D. Pandulpho, presbytero cardinale; D. Odone, Sanctorum-Sergii et Bacchi diacono cardinale.

Et præsentibus et cooperantibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, videlicet : D. Conrado, Aquilegiensi patriarcha; D. Arnoldo, patriarcha (*a*) Gradensi; D. Gerardo, archiepiscopo Ravennate; D. Gulprando, Mandeburgensi archiepiscopo; D. Joanne, Arelatensi archiepiscopo; D. Marino (*b*), Barensi archiepiscopo; D. Sigiredo, Maguntino archiepiscopo; D. Lacolpho, Vermontinensi episcopo; D. Bernardo,

(*a*) Hoc tempore Henricus Gradensibus præerat. — (*b*) Eodem hoc tempore Barensi Ecclesiæ præerat Raynaldus.

Digitized by Google

Florentino episcopo; D. Conrado, Spirensi episcopo; D. Benedicto, Messanensi episcopo; D. Francisco, Reginensi episcopo; D. Nicolao, Marsiliensi episcopo.

D. Jonathas, Concordiensis episcopus, et D. Aldemarius, Xantonensis episcopus, fecerunt aquam sanctam cum aqua et sale, et iverunt per tres vices deforis ecclesiam Sancti-Juliani et Sanctæ-Mariæ de Epia consecrandum ipsam ecclesiam, et intraverunt in suprascriptam ecclesiam isti duo Episcopi, et fecerunt aquam benedictam cum sale, cinere et vino, et sanctificaverunt altaria sanctæ Mariæ Virginis et sancti-Juliani martyris cum aqua benedicta, et iverunt deintus per circuitum suprascriptæ ecclesiæ tribus vicibus, et fecerunt fieri quadrivium in prædicta ecclesia cum cinere, et scripserunt litteras in quadrivio de cinere; et unxerunt pedes prædictorum altarium et mensas cum oleo exorcizato et chrismate, et fecerunt duodecim cruces deintus per circuitum istius ecclesiæ.

Deinde venerunt ad pavionem ubi erant reliquiæ beatæ Mariæ Virginis, et sancti Juliani, et multorum aliorum Sanctorum, et portaverunt prædictas reliquias cum magna reverentia in supradictam ecclesiam.

Hoc facto, dominus Papa consecravit et confirmavit propriis manibus altare sanctæ Mariæ, quod est intus Truina, cum chrismate, et collocavit de reliquiis prædictis in altare, et confirmavit mensas altarium cum oleo et chrismate, et fecit ardere quinque grana incensi super illam mensam, et præcepit Episcopo Concordiensi ut collocaret reliquias sancti Juliani cum aliis reliquiis in altare quod est foris, et consecraret illud in honore sancti Juliani : qui statim fecit præceptum Domini Apostolici.

Postea exivit Dominus Papa de supradicta ecclesia, et ascendit super pergulum, et prædicavit popolo, et dixit omnibus personis quæ hic sunt, vel ad istam ecclesiam venerint hinc ad quadraginta dies isto anno, et de suis bonis huic loco dederint seu miserint, ex parte Dei omnipotentis, et Mariæ semper Virginis, et Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, et Juliani martyris, in honore quorum ecclesia ista ea die consecrata est : « Cum ipso tempore felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, beato Petro in jus protectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ sit immediate posita, et nos pariter ad exemplar supradicti prædecessoris nostri in jus per proprietatem beati Petri immediate suscipimus, et sub protectione Romanæ Ecclesiæ prædictam ecclesiam et monasterium cum pertinentiis suis et jurisdictionibus ponentes; auctoritate nostra concedimus omnibus ad anniversarium hujus dedicationis diem advenientibus, et volumus quod auctoritate nostra prædicti Cardinales, et Patriarchæ, et Archiepiscopi, et Episcopi habeant auctoritatem nostram in hoc facto, unum annum et quadraginta dies omnibus vere pœnitentibus et confessis de injuncta eis pœnitentia criminalium, et quarta parte venialium, fractores votorum, ita ut ad ea redeant, excessus parentum, nisi fuerint enormes, pœnitentibus unum annum de feriis, de quadragesima septem dies in solemni pœnitentia advenientibus calceamenta restituimus, mulieres, quæ nolentes parvulos oppresserunt, ecclesiæ introitum. Et tunc prædicti Domini Cardinales et cæteri Pontifices ibi præsentes annuerunt quilibet per se voluntati Domini Apostolici, dantes et concedentes unusquisque auctoritate Domini Papæ indulgentiam, sicut supra scriptum est.

Concessit etiam perpetuo in festo sancti Juliani martyris omnibus ad prædictam ecclesiam, et per octavam advenientibus unum annum de injuncta pœnitentia, dummodo manum suam porrexerint adjutricem, et quicumque aliis timporibus ipsi ecclesiæ et monasterio de suis bonis dederint seu miserint, quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia relaxavit.

Postea prædictus Dominus Papa intravit prædictam ecclesiam, et celebravit Missam ad altare Sanctæ-Mariæ, et exutis Pontificalibus, obtulit super altare in memoriam sui, casulam in qua celebravit, cum paramento Sacerdotali, et mandavit Domino Ghirardo, archiepiscopo Ravennatensi, quod consecraret Abbatissam et benediceret Moniales : qui incontinenti, omnibus præsentibus, mandatum Summi Pontificis adimplevit.

Acta fuerunt hæc in loco qui dicitur Epeja, diœcesis Veronensis, et in suprascriptis locis, Pontificatus Domini Urbani Papæ III anno I.

Ego Guglielmus de Banrega, civis Vincentinus, notarius Domini Friderici imperatoris Romanorum, his omnibus interfui, et rogavi hoc instrumentum suprascriptum.

Digitized by Google

NOTA.

Hæc quidem apud Ughellum habentur, qui etiam notat consecrationi huic adjunxisse Urbanum privilegium ecclesiæ nimirum et monasterio Lepidæ juxta formam prædecessoris sui Alexandri III, qui olim Bososo de Advocatis lapidem ad ædificandam ecclesiam in eo loco Lepidæ tribuerat, quam in jus proprietatem tutelamque sancti Petri et suam susceperat. Consuevisse olim Summos Pontifices pro ædificanda ecclesia, quam sub protectione Romanæ Ecclesiæ recipiebant, primarium lapidem mittere, præclarissimo testimonio ostendimus in Commentariis ad tit. I.

ORDO II.

Ex manuscripto Ceccani Chronico apud Ughellum, tomo I *Italiæ sacræ* in *Episcopis Ferentinis*, ubi agitur de consecratione ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Flumine facta a cardinale Jordano de Fossa-Nova anno 1196, cui una cum aliis interfuit Berardus sive Bernardus Ferentinus episcopus.

1196, indictione XIII. Hoc anno gratia et misericordia Dei omnipotentis, tempore domini Joannis de Ceccano, ecclesia Sanctæ-Mariæ Fluminis honorifice dedicata est et consecrata, Ad quam consecrationem fuit tanquam Pater D. Jordanus (*a*) presbyter cardinalis, et D. Bernardus Ferentinus episcopus, D. Petrus Signinus episcopus, D. Oddo Verulanus episcopus, D. Thaddæus Alatrinus episcopus, D. Tedalgarius Tarracinensis episcopus. Officium sicut inceptum est IX kal. augusti post cœnam convenientibus Episcopis cum D. Cardinali, et cum maxima multitudine Clericorum et laicorum tam Campaniæ quam Maritimæ, et aliarum provinciarum ad ecclesiam Sanctæ-Mariæ Fluminis ordinata est processio : in qua processione fuerunt septem paria facularum accensa, viginti thuribula argentea, duodecim cruces argenteæ, et quatuor cagæ cum reliquiis; quas reliquias deportaverunt ad quatuor papiliones, qui permanebant in Cannapinis extra circuitum ecclesiæ, cantantes ℟. *Hæc est vera fraternitas :* et in unoquoque papilione septem lampades erant ardentes, et sic in papilionibus vigilatæ et custoditæ sunt reliquiæ a Clericis cantantibus, et laudantibus, et benedicentibus Dominum, et undique cantus et laus laicorum virorum et mulierum per totam noctem non defecit.

VIII kalendas augusti, facto mane, convenientibus Episcopis, et congregatis cum D. Cardinale secundum rationem consuetudinis, primo loco consecraverunt corpus ecclesiæ B. Mariæ semper Virginis. Deinde reparantes processionem, euntes ad papiliones, tulerunt inde reliquias, et portaverunt eas in ecclesia Sanctæ-Mariæ : precibus omnium Episcoporum, D. Cardinalis locutus est tam bene et subtiliter, quod omnes qui heri et nudiusterstius eum agnoverant, incredibili admiratione mirati sunt. Nondum finito sermone, ecce D. Joannes de Ceccano, qui graviter infirmabatur in domo sua, venit sanus intus in ecclesiam. Quod videntes omnes homines, pro maximo miraculo recipientes, et quasi per mediam horam stupendo, cum ingenti voce gratiarum laudaverunt et benedixerunt Dominum, qui vivit et regnat in cœlis.

Sermone finito, altare majus, quod est in medio ecclesiæ Sanctæ-Mariæ situm, consecratum est per manus D. Berardi venerabilis Fe-

(*a*) Fuit hic Jordanus de Ceccano, Campanus, monachus et abbas monasterii Fossæ-Novæ, alias Fori-Appii, ordinis Cisterciensis, primum ex Alphonso Ciacconio diaconus, deinde presbyter cardinalis S. Pudentianæ titulo Pastoris, a Clemente Papa III ordinatus anno 1188, eodemque anno, mense junio, Apostolicæ Sedis nomine legationis munere functus est in Gallia et in Germania; a qua legatione anno sequenti rediit, et Ceccani ecclesiam Sanctæ-Mariæ apud Fluvium condidit. Ab Innocentio III Legatus in Agrum Picenum, provinciæ illius nobilium animos a Marcualdi factione ad Ecclesiæ partes traduxit, et totam provinciam in fide Romanæ Sedis confirmavit. Hunc Panvinius, Aubery et alii nobilem Romanum ex familia Ursinorum faciunt, eumdemque *Exordium Cisterciense,* virum illustrissimum, Romanum genere, et honestate morum clarissimum docet. Sed ex antiquo chronico manuscripto Ceccani habemus Jordanum hunc presbyterum cardinalem S. Pudentianæ fuisse patruum Joannis comitis de Ceccano : familia enim de Ceccano fuit nobilissima et opulentissima in Campania, ut in donatione, quam prædictus Joannes comes ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Ceccano, seu de Flumine, fecit, inferius videre est. Vide plura de hoc Cardinale apud Augustinum Oldoinum societatis Jesu in nova *Additione* ad Alphonsum Ciacconium tomo I, in *Vita Clementis III,* pag. 1140 et 1141, ubi etiam ex Cæsario Hiesterbacheensi, lib. XII *Miraculorum,* cap. XXII, terribilem illius post obitum visionem cuidam Pandulpho ejusdem Jordani Cardinalis notario factam narrat.

Digitized by Google

rentinatis episcopi, assistentibus et cooperantibus ei D. Jordano ven. cardinali S. R. E. et Joanne ven. Anagnino episcopo, ad honorem Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris D. N. J. C. de reliquiis istis : de ligno Domini, de vestimento B. Mariæ, Petri Apostoli, Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, Laurentii martyris, Sebastiani et Sociorum ejus, SS. Innocentium, Marii, Marthæ, Audifax et Abacuc, Stephani Papæ, de lapide S. Stephani prothomartyris, Chrysanthy et Dariæ, et Sociorum ejus, Eventii et Alexandri, Cæsarii martyris, Aureliæ, Superantiæ, de vestimento sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.

Ipso die et ipsa hora consecratum est altare S. Pauli Apostoli, quod est situm in porticu prædictæ ecclesiæ per manus D. Oddonis vener. Verulani episcopi, de reliquiis istis : Marcellini et Petri, Marci et Marcelliani, Maurici martyris, Naboris martyris, Abundi, Nerei, de sanguine B. Luciliæ, Secundinæ virginis. Eo die et eadem hora altare S. Quirici, quod est situm in alio porticu sæpe nominatæ ecclesiæ, consecratum est per manus D. Thaddæi vener. Alatrini episcopi, de reliquiis istis : de ligno Domini, de petra sepulchri, Sebastiani, Quadraginta Martyrum, et Barbaræ. Ipso die et ipsa hora ecclesia B. Matthæi Apostoli, quæ est juxta sæpe dictam ecclesiam, cum altare consecrata est per manus D. Petri ven. episcopi Signini, assistente et cooperante ei D. Tedelgario ven. Tarracinensi episcopo, de reliquiis istis : de vestimento Virginis Mariæ, Philippi et Jacobi, Marci et Marcelliani, Chrysanthi et Dariæ, Concordii martyris, et aliorum Sanctorum quorum nomina Deus novit.

Expletis divinis Officiis, reversus est ad Curiam. In apparatu ciborum, centum panes, sex urnæ vini, una vacca, duo porci, duo castrati, sex gallinæ, quindecim pulli, unus anser, media libra piperis et cinamomo, et (*a*) sofferanæ. D. Episcopus Anagninus ad ecclesiam Sancti-Joannis, nonaginta panes, quinque urnæ vini, una vacca, unus porcus, quatuor gallinæ, decem pulli, unus anser, novem qua..... de annona, unum par (*b*) bacillium, duæ (*c*) tuallæ, una libra de cera pro candelis et duæ pro faculis. D. Episcopus Alatrinus tantundem ad ecclesiam Sancti-Petri. D. Episcopus Verulanus tantundem ad ecclesiam Sancti-Quintiani. D. Episcopus Terracinensis ad ecclesiam Sancti-Nicolai, quinquaginta panes, duæ urnæ vini, media vacca, medius porcus, duæ gallinæ, sex pulli, unus anser, tres unciæ piperis et cinamomi, tres quartæ annonæ, duo bacili, duæ tuallæ, una libra de cera pro candelis, duæ pro faculis. D. Episcopus Signinus tantundem ad domum Stephani de Natoni. Magister Joannes Ferentinus, unus porcus, viginti panes, una urna vini, tres pulli, una quarta de annona, una uncia piperis ad domum Joannis Gaetani. Omnes ecclesiæ de Ceccano secundum quantitatem habuerunt panem et carnem. D. Bernardus episcopus Ferentinus remansit ad ecclesiam Sanctæ-Mariæ prope Ferentinates, quibus volebat dare expensas, et dedit omnibus illis qui recipere voluerunt, et corpus ecclesiæ tantis hominibus dedit cibaria, ut illi qui scribere vellet, fastidium generaret ; sed gratia Dei nullus venit eo tempore pro cibariis qui vacuus recederet.

Finita consecratione ecclesiarum et altarium, primam oblationem, quæ ei oblata fuit, D. Cardinalis obtulit, et manibus suis posuit super majus sæpe nominatum altare, suum paramentum pretiosum, videlicet bonum amictum frisatum, bonum camisium (*d*) frisatum, bonum cingulum frisatum, pulchram stolam cum manule (*e*), optimam tunicam cum dalmatica, et planetam frisatam cum tali friso, quod D. Cardinalis emerat in Colonia pro novem marcis de argento, optimam thiaram frisatam super altare, pulchra sandalia cum caligis, bonum faldestorum. Secundam oblationem D. Joannes de Ceccano obtulit, videlicet chartam libertatis,

(*a*) Vox barbara, quæ latine *crocum* significat.

(*b*) Bacille, sive bacile, itemque baccinium barbaræ voces, *pelvim* seu *vas aquarium* significant. Vide Carolum Ducange in suo *Glossario*, verbo *Bacile*, ubi inter alia scriptorum loca chronici etiam hujus meminit.

(*c*) Tuallæ hic, sive tobaleæ, idem sunt ac lintea seu mappæ.

(*d*) Occurrit hæc vox camisii, seu camisi, sive camisiæ apud scriptores Ecclesiasticos quam frequentissime, vestemque illam significat quæ etiam *Alba* dicitur.

(*e*) Manules certe hic *manipulum* significat, vocaturque apud alios scriptores *manulus*.

Digitized by Google

quam ipse manibus suis supra sæpe nominatum (a) altare posuit, taliter scriptam :

« In nomine Domini, anno Dominicæ Incarnationis 1196, Pontificatus D. Celestini III Papæ anno VI, indictione XIV, mense julii, hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia D. Jordani cardinali S. Pudentianæ carissimi patrui mei, et venerabilium Episcoporum, Berardi Ferentinatis, Petri Signini, Joannis Anagnini, Thaddæi Alatrani, et Oddonis Verulani, Tedelgarii Terracinensis, et multorum hominum totius Campaniæ et Maritimæ, tam Clericorum quam laicorum, inductus amore divino, et pro redemptione animæ meæ, atque meorum parentum præteritorum, præsentium et futurorum, concedo ecclesiæ Sanctæ-Mariæ de Flumine, et D. Landulpho dilecto abbati ejusdem ecclesiæ, et universæ familiæ ejus, tam Clericis quam etiam laicis, præsentibus et futuris, plenam et perpetuam libertatem, abrenunciando dare malo usui et omnibus exactionibus; et si quis pro quocunque crimine commisso, ad ecclesiam ipsam confugerit, nec ego nec successores mei, per me vel per ministros meos, ei, dum ibidem fuerit, nec violentiam aliquam, nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum hæredum, vel in proditione castrorum meorum, vel in combustione castrorum ipsorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum et destitutione me nullatenus intromittam. Si vero Clericus aut laicus ejusdem ecclesiæ in aliquo offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam salvo jure patronatus. De consilio igitur communi D. Jordani cardinalis et omnium Episcoporum, et consensu D. Joannis de Ceccano institutum est ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, et partem cum Dathan et Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, presbytero Benedicto dilecto notario id scribere mandavimus, et chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri. »

ORDO III.

Ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Barensis, quod Romæ in Bibliotheca FF. Eremitarum S. Augustini asservatur.

In primis erunt præparata in ecclesia quæque necessaria, id est ysopus, vas cum aqua, vinum, sal et cinis, et illuminentur XII super uncinos ferreos XII ad hoc ibi deputatos candele intrinsecus per circuitum ecclesiæ; et ejectis cunctis ab ecclesia, solus Diaconus recludatur in ea, et Episcopus antes fores benedicat aquam cum ceteris ordinibus, et Scola incipiat Letanias, dicendo : « Christe, audi nos, » tribus vicibus. Deinde sequitur exorcismus, et non dicitur *Dominus vobiscum*, nec *Oremus*. « Exorcizo » te, creatura salis, per Deum ✠ vivum, per » Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per » Deum qui te per Elyseum prophetam in aqua » mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut » efficiaris sal exorcizatus in salutem credentium » et sis omnibus te sumentibus sanitas animæ » et corporis, et effugiat, atque discedat ab eo » loco quo aspersum aspersus fuerit omnis fan- » tasia, et nequitia, vel versutia diabolicæ frau- » dis, omnisque spiritus immundus adjuratus. » Per eum qui venturus est. »

Benedictio salis. Hic dicitur : « Oremus. » Immensam clementiam tuam, omnipotens » æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc » creaturam salis, quam in usum generis hu-

(a) Est antiquus ritus ut donationum, quæ ecclesiis fiebant, instrumenta super altare ponerentur, ut nimirum ipsæ donationes solemniores essent, easdemque ipsi Deo factas esse constaret. Varia ejus rei exempla legere est apud Ughellum et alios scriptores, quorum loca describit eruditus Carolus Ducange in suo laudato *Glossario*, verbo *Altare*, § *In altari offerre*. Vide *Capitulare* Caroli Magni, lib. VI, cap. CCLXXXV, ubi fuse ritus ipse ac formula describitur traditionis et oblationis instrumenti, sive scripturæ super altare, in qua donationes factæ ecclesiis continentur : « Facit, inquit, scripturam de ipsis rebus quas Deo dare desiderat, et ipsam scripturam coram altari, aut » supra tenet in manu, dicens ejusdem loci Sacerdotibus atque custodibus : *Offero Deo atque dedico omnes res,* » *quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, et filiorum* (aut pro » quocumque illas Deo deliberare voluerit), *ad serviendum ex his Deo in sacrificiis Missarumque solemniis, ora-* » *tionibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, et cæteris divinis cultibus* (atque illius Ecclesiæ » utilitatibus). *Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Do-* » *mino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* » Ponit etiam alias conjurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas postea inde aufert, quid agit nisi sacrilegium?

Digitized by Google

» mani tribuisti, bene ✠ dicere et sancti ✠ fi-
» care tua pietate digneris, ut sit omnibus su-
» mentibus salus mentis et corporis, et quicquid
» ex eo tactum, vel aspersum fuerit, careat
» omni immunditia, omnique impugnatione
» spiritualis nequitiæ. Per virtutem Domini
» nostri Jesu Christi. Qui venturus est, etc. »

Exorcismus aquæ. Hic non dicitur *Dominus vobiscum* nec *Oremus*. « Exorcizo te, creatura
» aquæ, in nomine De ✠ i Patris omnipotentis,
» et in nomine Je ✠ su Christi Filii ejus, Do-
» mini nostri, et in virtute Spiri ✠ tus sancti,
» ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem
» potestatem inimici, et ipsum inimicum era-
» dicare et explantare valeas cum Angelis suis
» apostaticis. Per virtutem ejusdem Domini
» nostri Jesu Christi. Qui ven. »

Benedictio aquæ. Hic dicitur : « Oremus.
» Deus qui ad salutem humani generis maxima
» quæque Sacramenta in aquarum substantia
» condidisti; adesto propitius invocationibus
» nostris, et elemento huic multimodis purifi-
» cationibus præparato virtutem tuæ bene ✠ di-
» ctionis infunde, ut creatura tua misteriis tuis
» serviens, ad abiciendos demones, morbosque
» pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum, ut
» et quicquid in domibus, vel in locis fidelium
» hæc unda resperserit, careat omni immundi-
» tia, liberetur a noxa, non illic resideat spiritus
» pestilens, non aura corrumpens. Discedant
» omnes insidiæ latentis inimici, et si quid est,
» quod aut incolumitati habitantium invidet, aut
» quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut sa-
» lubritas per invocationem sancti tui nominis
» expetita, ab omni sit impugnatione defensa.
» Per eundem. »

Hic mictat salem in aquam, sic dicens : « In
» nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus
» ✠ sancti, hæc commixtio salis et aquæ efficia-
» tur salutare sacramentum. »

Benedictio salis et aquæ pariter. Hic dicitur :
« Dominus vobiscum. Oremus. Deus, invictæ
» virtutis auctor et insuperabilis imperii Rex,
» ac semper magnificus triumphator, qui ad-
» versæ dominationis vires reprimis, qui inimici
» rugentis seviciam superas, qui hostiles nequi-
» tias potenter expugnas : te, Domine, tremen-
» tes et supplices deprecamur et petimus ut
» hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspi-
» cias, benignus illustres, pietatis tuæ more san-
» cti ✠ fices, ut ubicumque fuerit aspersa, per
» invocationem tui sancti nominis, omnis infe-
» statio immundi spiritus abjiciatur, terrorque
» venenosi serpentis procul pellatur, et præ-
» sentia sancti Spiritus nobis misericordiam
» tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per
» virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi.
» Qui venturus. Benedictio Dei Pa ✠ tris omni-
» potentis, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti
» descendat super hanc creaturam salis et aquæ.
» Amen. »

Tunc Episcopus circumeat ipsam ecclesiam, incipiens a sinistra parte ad fundamenta, cum Clero et populo spargendo aquam, et Scola cantet Responsorium : « Fundata est domus Domini
» super verticem montium, et exaltata est super
» omnes colles. Et venient ad eam omnes gen-
» tes, et dicent : Gloria tibi, Domine. ℣. Venien-
» tes autem venient cum exultatione, portantes
» manipulos suos. Et venient. »

Tunc Episcopus stans ante hostium dicat :
« Oremus. Flectamus genua. Levate. *Oratio.*
» Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni
» loco dominationis tuæ totus assistis, totus
» operaris, adesto supplicationibus nostris, et
» hujus domus, cujus es fundator, esto prote-
» ctor; nulla hic nequitia contrariæ potestatis
» obsistat; sed virtute Spiritus sancti operante
» fiat hic tibi semper purum servitium et devota
» libertas. Per Dominum. »

Tunc accedat Pontifex ad hostium, percutiens cum gambutta sua super liminare semel, et dicat : « Tollite portas, principes, vestras, et ele-
» vamini, portæ æternales, et introibit Rex glo-
» riæ. » Et Dyaconus deintus respondeat : « Quis
» est iste Rex gloriæ? » Contra Pontifex : « Do-
» minus fortis et potens, Dominus potens in
» prælio. »

Et recendens ab hostio, iterum circumeat ipsam ecclesiam cum Clero et populo, spargendo aquam altius, et Clerus cantet Responsorium :
« Benedic, Domine, domum istam, quam hedi-
» ficavi nomini tuo : venientium in loco isto,
» Exaudi preces in excelso gloriæ tuæ. ℣. Do-
» mine, si conversus fuerit populus tuus, et ege-
» rit penitentiam, veniensque adoraverit san-
» ctuarium tuum. Exaudi. »

Tunc iterum veniens ante hostium, dicat :
« Oremus. Flectamus genua. Levate. *Oratio.*
» Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium

Digitized by Google

» tuum, angularem scilicet lapidem, duos e di-
» verso venientes, ex circumcisione et præputio
» parietes, duosque greges ovium sub uno eo-
» demque Pastore unisti : da famulis tuis per
» hæc nostræ devotionis officia indissolubile
» vinculum caritatis, ut nulla divisione mentium,
» nullaque perversitatis varietate sequestrentur
» quos sub unius regimine Pastoris, unus grex
» continet, uniusque, te custode, ovilis septa
» concludunt. Per Dominum. »

Post hæc Episcopus accedens percutiat secundo super liminare, et dicat : « Tollite portas, » ut supra, et Diaconus deintus respondeat, ut supra : « Quis est iste Rex gloriæ. » Deinde tertio circumeat ecclesiam, aquam spargendo altius quam secundo, et Clerus cantet Responsorium : « Tu, » Domine universorum, qui nullam habes in-
» digentiam, voluisti templum tuum fieri in
» nobis; conserva domum istam immaculatam
» in æternum, Domine. ℣. Elegisti domum
» tuam, Domine, ad invocandum nomen tuum
» in ea. Conserva. »

Et cum venerit Pontifex ante hostium ecclesiæ dicat : « Oremus. Flectamus genua. Levate.
» *Oratio.* Omnipotens et misericors Deus, qui
» Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam
» contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne
» perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur :
» quæsumus immensam clementiam tuam, ut
» quicquid modo visitaturi sumus, visites; quic-
» quid benedicturi, benedicas; sitque ad nostræ
» humilitatis introitum, Sanctorum tuorum
» meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingres-
» sus. Per Dominum. »

Tunc accedens iterum ad hostium, percutiat tertio super liminare, et dicat : « Tollite portas. » Et Dyaconus deintus : « Quis est iste Rex glo-
» riæ, » ut supra. Contra Pontifex : « Dominus
» virtutum, » et adjiciat : « Aperi. » Tunc aperto hostio, intrans ecclesiam solummodo cum Clericis, dicat : « Pax huic domui. ℣. In introytu
» nostro. Amen. » Et claudatur hostium ecclesiæ, et dicatur Antiphona quæ sequitur : « Za-
» chee, festinans descende, quia hodie in domo
» tua oportet me manere; et festinans descendit,
» et suscepit illum gaudens. Alleluia. Hodie
» huic domui salus facta est. Alleluia. »

Deinde incipiat Chorus Letaniam : « Kyrie-
» leyson. Christeleyson. Christe, audi nos.
» Pater de Cœlis, Deus, miserere nobis. Fili
» Redemptor mundi, Deus, miserere nobis.
» Spiritus sancte, Deus, miserere nobis. Sancta
» Trinitas unus Deus, miserere nobis. Sancta
» Maria, ora pro nobis. Sancta Dei Genitrix,
» ora pro nobis. Sancta Virgo virginum, ora
» pro nobis. Sancte Michael, ora pro nobis.
» Sancte Gabriel, ora pro nobis. » Et Pontifex prosternat se super stramenta in medio ecclesiæ usque dum dicat Scola : « Agnus Dei qui tollis. »

Finita vero Letania, cum surrexerit Pontifex ab oratione, stans in medio ecclesiæ, non dicat « Dominus vobiscum, » sed tantum excelsa voce : « Oremus. Flectamus genua. Levate. » Sequitur Oratio « Præveniat nos, quæsumus,
» Domine, misericordia tua, et intercedentibus
» omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia
» tuæ propitiationis anticipet. Per. »

Interim unus ex Ministris aspergat cinerem per pavimentum ecclesiæ in modum crucis, ita ut de sinistro angulo orientali pergat ad dextrum occidentalem rursusque de dextro orientali vadat ad sinistrum occidentalem. Oratio. « Ma-
» gnificare, Domine Deus noster, in Sanctis tuis,
» et hoc in templo tibi ædificato appare, ut qui
» cuncta in filiis adoptionis operaris, ipse sem-
» per in tua hæreditate lauderis. Per. »

Deinde incipiat Pontifex a sinistro angulo ecclesiæ ab oriente scribere græce per pavimentum cum gambutta sua totum alphabetum usque in dextrum angulum occidentalem, hoc (*a*) modo :

(*a*) Admonendum hic quidem lectorem existimo nullam in ipso manuscripto Pontificali Barensi exstare alphabeti græci descriptionem, prout exstat latini alphabeti descriptio, quam in sequenti pagina videre est.

Digitized by Google



Accipiensque similiter a dextro angulo orientali Alphabetum latinum, scribat usque in sinistrum angulum occidentalem; interim qui cum eo sunt, canant hanc Antiphonam : « O quam » metuendus est locus iste ! vere non est hic » aliud nisi domus Dei, et porta cœli. » Psalmus « Benedictus » usque in finem, et postea repetitur Antiphona « O quam metuendus est locus » iste ! »

Deinde veniens ante altare (*a*) dicat : « Deus, » in adjutorium meum intende, » cum « Gloria » Patri » absque « Alleluia. » Sequitur benedictio salis et aquæ; et prius exorcismus salis ita fiet : « Exorciso te, creatura salis, etc. »

Benedictio salis. « Domine Deus, Pater om- » nipotens, bene ✠ dic hanc creaturam salis ad » effugandum inimicum, et ei salubrem me- » dicinam imitte, ut ad animæ et corporis se su- » mentium proficiat sanitatem. Per Dominum. »

Exorcismus aquæ. « Exorciso te, creatura » aquæ, in nomine Dei Pa ✠ tris omnipoten- » tis, etc. »

» Benedictio aquæ. « Domine Deus, Pater om- » nipotens, statutor omnium elementorum, etc. »

Benedictio cineris. « Omnipotens sempiterne » Deus, parce metuentibus, propiciare suppli- » cibus, et mittere dignare sanctum Angelum » tuum, etc. »

Tunc misceantur aqua, sal et cinis, et Episcopus ter faciat inde crucem super aquam, dicens : « Hæc commixtio salis et cineris cum aqua » benedicta, sit sanctificata ad consecrationem

(*a*) In margine legitur : *Hic incipit benedictio altaris.*

Digitized by Google

» hujus ecclesiæ et altaris. In nomine Pa ✠ tris, » et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen. » Sequitur Oratio « Deus, invictæ (a) virtutis » auctor, et insuperabilis imperii Rex, etc. »

Benedictio vini. « Deus omnipotens, qui in » Chana Galileæ vinum ex aqua fecisti, quique » es vitis vera, bene ✠ dicere et sancti ✠ » ficare digneris, ut ubicunque fusa fuerit, vel a » quolibet potata, divinæ benedictionis tuæ opu- » lentia repleatur. Salvator mundi, qui vivis. »

Deinde ponat vinum in ipsam aquam, et dicat : « Fiat commixtio aquæ et vini ad conse- » crationem hujus ecclesiæ et altaris. In nomine » Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. » Amen. »

Sequitur Præfatio, quæ alta voce dicatur : « Deum omnipotentem, Fratres karissimi, in » cujus domo mansiones multæ sunt, supplices » deprecemur ut habitaculum istud bene ✠ di- » cere et custodire dignetur per aspersionem » hujus aquæ cum vino mixtæ, ut tenebras ab » eo repellat, et lumen infundat, nullam sæ- » vienti adversario potestatem tribuat, sed pro- » pria sit domus Dei, ut nullam inimicus in ea » habeat licentiam nocendi. Per Dominum. »

Benedictio aquæ cum vino mixtæ. « Omnipotens » sempiterne Deus, creator et conservator hu- » mani generis, et dator graciæ spiritualis, atque » largitor æternæ salutis, mitte Spiritum tuum » sanctum super hoc vinum cum aqua mixtum, » ut armatum cœlestis defensione virtutis, ad » consecrationem hujus ecclesiæ et altaris tui » proficiat. Per Dominum. »

Tunc ingrediens Episcopus ad altare, primum cum pollice suo de ipsa aqua sancta faciat crucem in medio altaris, dicens : « Sancti ✠ fice- » tur hoc altare, in nomiue Pa ✠ tris, et Fi- » ✠ lii, et Spiri ✠ tus sancti. Amen. Pax tibi. » Et cum spiritu tuo. »

Deinde in dextera parte atque sinistra per quatuor cornua altaris et cum ysopo aspergat ipsum altare tribus vicibus, canendo Antiphonam : « Asperges me, Domine, ysopo, et mun- » dabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. » Psalmus : « Miserere mei, Deus. ℣. Gloria. »

Deinde circueat ipsam ecclesiam intus, aquam sanctam spargendo per parietes usque ad fundamenta, incipiens a dextera parte orientis usque dum iterum redeat in orientem, et cantet Antiphonam « Hæc est domus Domini firmiter » ædificata, bene fundata est supra firmam pe- » tram. » Psalmus « Lætatus. »

Iterum similiter circueat ecclesiam, spargendo aquam altius, canendo Psalmum « Exurgat » Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui » oderunt eum a facie ejus. » Et cum eodem Psalmo, tertio similiter circueat ipsam ecclesiam, spargendo aquam altius quam secundo, canendo hanc Antiphonam : « Qui habitat in adjutorio » Altissimi, in protectione Dei cœli commora- » bitur. » Psalm. Ipsum.

Deinde aspergat aquam in modum crucis per medium ecclesiæ in longum, et in altum per pavimentum, canendo Antiphonam « Domus » mea domus orationis vocabitur. ℣. Narrabo » nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ » laudabo te. ℣. Gloria Patri. » Tunc dicat Episcopus stans in medio ecclesiæ : « Oremus. Fle- » ctamus genua. Levate. Deus, qui loca nomini » tuo dicanda, etc. »

Iterum dicit excelsa voce : « Oremus. Flecta- » mus genua. Levate. » Sequitur Oratio in consecratione basilicæ : « Deus, qui sanctificatis » omnipotens es Dominator, cujus pietas sine » fine sentitur. Deus, qui cœlestia simul et » terrena complecteris, etc. »

Deinde dicat excelsa voce in modum Præfationis : « Per omnia secula seculorum. » ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad » Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo » nostro. ℟. Dignum et justum est. Æterne » Deus, adesto precibus nostris, etc. »

Post hæc eat Pontifex ante altare, et dicat Antiphonam « Introibo ad altare Dei, etc. » Psalmus. « Judica me, Deus, etc. »

Tunc fundat de ipsa aqua ad basim altaris, et de ea quæ remanserat, facit maltam. Hiis itaque peractis, extergatur mensa mundo lintheo cum calce, et tegula, et aqua benedicta. Deinde vadat Pontifex cum Clero et populo ad eum locum, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, sed antequam ingrediatur in tentorium, dicat Episcopus hanc Orationem : « Aufer a no-

(a) Vide hanc Orationem in § IV tituli primi hujus tomi II, *De benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda.*

Digitized by Google

» bis, Domine, cunctas iniquitates nostras, etc. »

Post ingressum tentorii, Clerus cantet ibi istas Antiphonas : « O quam gloriosum est re» gnum in quo, etc. » Alia Antiphona : « Mo» vete, Sancti, de mansionibus, etc. » Alia Antiphona : « Ecce populus, etc. » Psalmus « Venite. »

Hoc finito, dicit hanc Orationem : « Fac nos, » Domine, Sanctorum tuorum, etc. »

Tunc elevent ipsas reliquias in feretro preparatas, Presbyteris portantibus eas cum honore et laudibus, cum cruce et thuribulis incensantis, ac luminaribus, et exeant psallendo Antiphonam « Cum jucunditate exhibitis, etc. » Antiphona « Ambulate, Sancti Dei, ingredimini, etc. » Antiphona « Ambulate, Sancti Dei, ad locum » destinatum qui vobis præparatus est. »

Tunc antequam Pontifex introeat ecclesiam, portantes feretrum cum reliquiis circueant ecclesiam cum Clero, psallendo hoc Responsorium : « Erit mihi Dominus, etc. ℣. Si reversus, etc. » Decimas, » Populus vero sequens cum mulieribus et parvulis cantent « Kyrieleyson. »

Hiis ita per ordinem gestis, cum redierit Pontifex ad hostium ecclesiæ, facto silentio, habeat verbum ad populum vel ad plebem de honore Ecclesiastico, de decimis, oblationibus ecclesiarum ac de anniversaria ecclesiæ ipsius dedicatione. Et annunciet tam Clero quam populo in honorem cujus constructa et dedicata sit ecclesia, et nomina Sanctorum ibi quiescentium. Ipse autem dominus et constructor ipsius loci admoneatur de dote illius, et qualem honorem ecclesiæ et Presbyteris debeat exibere. Illo autem proferente se jussa Præsulis impleturum, Episcopus, antequam intret ecclesiam, signet hostium ecclesiæ et ipsam ecclesiam signo crucis, et dicit : « Oremus : Flectamus genua. » Levate. Oremus. Domum tuam, Domine, etc. »

Hac finita, accipiat feretrum Pontifex cum Presbyteris, et ingrediendo cantat Scola hanc Antiphonam : « Ingredimini, Sancti Dei : præ» parata est vobis, etc. »

Et cum pervenerit ad locum in quo reliquiæ recondendæ sunt, extenso velo inter Clerum et populum ante altare, Episcopus ponat crisma in confessione per quatuor angulos in cruce, dicens : « Consecretur, etc. » Deinde recondit reliquias veneranter cum tribus granis incensi, et qui circa eum sunt, cantent Antiphonam « Exultabunt Sancti in gloria, etc. » Psalmus « Cantate Domino canticum novum, laudatio » ejus manet in seculum seculi. »

Crisma pro altari : « Consecretur sepulcrum » in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus » ✠ sancti. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu » tuo. »

Deinde recondit reliquias cum tribus granis incensi, et dicit hanc Orationem : « Deus, qui » omni loco dominationis tuæ clemens ac beni» gnus assistis, exaudi nos, quæsumus, et con» cede ut inviolabilis hujus loci permaneat » consecratio, et beneficio tui muneris univer» sitas, quæ supplicat, mereatur. Per. »

Et accipiens tabulam confirmet cum crismate in medio, dicens : « In nomine Patris, et Filii, » et Spiritus sancti. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum » spiritu tuo. »

Tunc imponat tabulam super reliquias, et Clerus cantet hanc Antiphonam : « Sub altare » Dei, etc. » Psalmus « Exultate Deo. » Sequitur Oratio « Deus, qui ex omni coaptatio» ne, etc. »

Tunc induat se usque ad dalmaticam, et dum se induat, liniant Ministri, et optime firment ipsam cum calce quæ ante fuerat præparata cum aqua benedicta. Postea deferatur incensum, et dum Episcopus facit crucem super altare, dicit hanc Antiphonam : « Dirigatur, Domine, ora» tio mea sicut incensum in conspectu tuo. » Antiphona. « Ascendit fumus aromatum in con» spectu Domini de manu Angeli. »

Tunc oleo sanctificato ad cathecumenum facit Episcopus crucem in medio altaris, et per quatuor angulos altaris, et ungat totum ipsum lapidem manu sua de oleo sanctificato, per unamquamque infusionem dicens : « Conse» crare et sanctificare digneris, Domine Deus, » lapidem istum per istam unctionem et nostram » benedictionem. Per Christum Dominum no» strum. Amen. »

Et cantet interim Chorus hanc Antiphonam : « Erexit Jacob lapidem, etc. » Psalmus « Quam » amabilia. » Et semper Sacerdos præparatus faciat incensum per circuitum altaris, donec consecratio finiatur. Item de eodem oleo sancto faciat Pontifex crucem in medio altaris, et per quatuor angulos altaris, et dicat hanc Antiphonam : « Mane surgens Jacob, etc. » Psalmus « Dominus noster refugium. »

Digitized by Google

Hoc facto, accipiat crisma, et faciat similiter canendo Antiphonam « Ecce odor filii mei. » Psalmus « Fundamenta. »

Deinde in circuitu ecclesiæ eat Episcopus intus, et faciat crucem cum pollice suo de ipso crismate in XII locis dicendo in unoquoque : « Sanctificetur hoc templum in nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Pax tibi. ℣. Et cum spiritu tuo. » Et Scola dicat hanc Antiphonam : « Hæc est domus Domini, etc. » Psalmus « Lauda, Jerusalem. »

Iterum autem Episcopus offerat incensum super altare, et cantet : « Ædificavit Moyses altare » Domino Deo. » Et dicat Episcopus : « Oremus. » Flectamus genua. Levate. Dei Patris omnipo- » tentis misericordiam deprecemur, dilectissimi » Fratres, ut hoc altare sacrificiis spiritualibus » consecrandum vocis nostræ exoratus officio, » præsenti benedictione sanctificet, et in eo » semper oblationes famulorum suorum, studio » devotionis impositas benedicere et sanctificare » dignetur, et spirituali placatus incenso pre- » canti familiæ suæ promptus exauditor existat. »

Hic ponatur incensum in medio, et in quatuor angulis altaris, et incendatur, et dicatur hoc Graduale cum suo versu : « Dirigatur ora- » tio mea sicut incensum in conspectu tuo. » ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium » vespertinum. Oremus. Domine sancte, Pater » omnipotens, æterne Deus, clemens et propi- » tius preces humilitatis nostræ exaudi, et respice » ad hujus altaris holocaustum, quod non igne » visibili probetur, sed infusione sancti Spiritus » in odorem suavitatis ascendat, et legitime se » sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, et ad » vitam proficiat sempiternam. Per Dominum. »

Sequitur consecratio altaris : « Oremus. Flectamus genua. Levate. Quæsumus, omnipo- » tens Deus, in cujus honore altare hoc conse- » cramus, clemens et propitius preces nostras » exaudi, et præsta ut in hac mensa sint tibi » libamina accepta, sint grata, sint pinguia, et » sancti Spiritus tui rore perfusa, ut omni tem- » pore hoc in loco supplicantis familiæ tuæ » anxietates releves, egritudines cures, preces » exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, » et postulata concedas. Per. »

« Per omnia secula seculorum. ℟. Amen » Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. » ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Di- » gnum et justum est. Vere dignum et justum » est. Æterne Deus, et ut propensiori cura et » attentiori famulatu tibi servitutis officia defe- » ramus, hoc præsenti in tempore quo religio- » sarum mentium habitum ultra parietum » ornatum delegisti, templum istud, in quo » Sanctorum tuorum *Ill.* mentio habetur, bene- » ✠ dicere et sanctificare dignare, per quorum » sacram reverentiam et honorem sanctissimo » nomini tuo hoc altare dedicamus. Horum igi- » tur, Domine, efflagitatus precibus, dignare » hoc altare cœlesti sanctificatione perfundere » et benedicere. Assistant Angeli claritatis, et » sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit » illius quoque apud te gratiæ cujus fuit illud, » quod Abraham Pater fidei in nostræ figuram » redemptionis filium immolaturus extruxit; » quod Isaac in conspectu tuæ majestatis insti- » tuit; quod Jacob Dominum magna videns » visione erexit; ut hic orantes exaudias; hic » oblata sanctifices; hicque superposita benedi- » cas; hic quoque benedicta distribuas. Sit » quoque Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus, sit » mensa cœlestis, spiritualique convivio præ- » parata. Tu ergo, Domine, proprio ore tuo » hostias super eum impositas benedicito, et » benedictas suscipito; atque nobis omnibus tri- » bue ut participatione earum vitam acquiramus » sempiternam. Per. » Et dicat submissa voce. « Per Dominum. In unitate ejusdem. »

Hanc legat quasi Lectionem sine *Oremus.* « Domine sancte, Pater omnipotens, æterne » Deus, clemens et propitius preces humilitatis » nostræ exaudi et respice, ad hujus altaris ho- » locaustum, etc. »

Alia Oratio. « Majestatem tuam, Domine, » humiliter imploramus, ut altare hoc sacræ » unctionis libamine ad suscipienda populi tui » munera inunctum, potenter bene ✠ dicere et » sanctificare digneris; et quod nunc a nobis » indignis sub tui nominis invocatione, in ho- » nore et nomine S. Martyris tui *Ill.* sacrosancti » crismatis unctione est delibutum, placeat tibi, » atque altare maneat perpetuum, ut quicquid » deinceps super illud oblatum sacratumque » fuerit, dignum fiat holocaustum, atque om- » nium hic offerentium sacrificia a te pio Do- » mino benigne suscipiantur, et per ea pecca- » torum nostrorum vincula absolvantur, maculæ

Digitized by Google

» delcantur, veniæ impetrentur, gratiæ acqui-
» rantur; quatinus una cum Sanctis et electis
» tuis vitam percipere mereamur æternam.
» Per. »

Hic ungatur frons lapidis in modum crucis crismate. Antiphona « Confirma hoc Deus, quod
» operatus es in nobis, a templo sancto tuo,
» quod est in Jerusalem. Alleluia, alleluia,
» alleluia. »

Deinde (a) teneant Subdiaconi vel Acoliti linteamina, vel omnia ornamenta ecclesiæ, seu vasa sacrata, quæcumque ad cultum Dei et ecclesiæ pertinere videntur, et benedicat ea Pontifex juxta hunc morem.

Benedictio linteaminum. « Domine Deus om-
» nipotens, qui ab initio hominibus, etc. »

Oratio ad linteamina, et quæ opus fuerit sacro ministerio : « Exaudi, Domine, preces
» nostras, et hæc linteamina atque indumenta,
» nec non et vasa sancti altaris atque ecclesiæ
» tuæ, cunctaque sacri ministerii usui præpa-
» rata bene ✠ dicere et sanctificare digneris.
» Per Dominum. »

Quibus finitis, Episcopus cum Clero canunt hanc Antiphonam : « Corpora Sanctorum in
» pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in
» æternum. »

Dyaconi vestiant altare, Episcopo et Scola canentibus Antiphonam : « Circumdate, Syon
» Levitæ, altare Domino Deo vestimentis albis;
» estote et vos canentes ymnum novum, dicen-
» tes Alleluia. Psalmus : Mirabilis Deus in San-
» ctis suis. ℣. Gloria Patri, et Filio. »

Postea offeratur incensum, et facta cruce super altare, dicit ter hanc Antiphonam : « Om-
» nis terra adoret te, et psallat tibi; Psalmum
» dicat nomini tuo, Domine. » Et dicit Episcopus hanc Orationem : « Discendat, quæsumus,
» Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus
» super hoc altare, qui et dona populi tui san-
» ctificet, et sumentium corda purificet. Per. »

Post velatum altare Oratio : « Omnipotens
» sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo de-
» dicatum cœlestis virtutis benedictione sancti-
» fica, et omnibus in te sperantibus auxilii tui
» munus ostende, ut hic Sacramentorum virtus
» et votorum obtineatur effectus. Per Domi-
» num. »

Deinde revertatur Episcopus in sacrarium, donec ornetur ecclesia, et accendantur luminaria, et incipiatur Missæ Introitus : « Terribilis
» est locus iste, hic domus Dei est, et porta cœli,
» et vocabitur aula Dei. » Psalmus « Quam
» amabilia. ℣. Gloria Patri. » Oratio. « Deus,
» qui invisibiliter omnia contines, et tamen pro
» salute generis humani, signa tuæ potentiæ
» invisibiliter ostendis; templum hoc majestatis
» tuæ inhabitatione illustra, et concede ut omnes
» qui huc deprecaturi venerint, ex quacumque
» ad te tribulatione clamaverint, consolationis
» tuæ beneficia consequantur. Per. »

Epistola : « Vidi civitatem sanctam Jerusa-
» lem. »

Responsorium : « Locus iste a Deo factus est
» inextimabile Sacramentum, irreprehensibilis
» est. ℣. Deus, cui adstat Angelorum chorus,
» exaudi preces servorum tuorum. Alleluia.
» ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et
» confitebor nomini tuo. »

Evangelium : « Egressus Jesus perambu-
» labat. »

Offertorium : « Domine Deus, in simplicitate
» cordis mei lætus obtuli universa, et popu-
» lum tuum, qui repertus est, vidi cum ingenti
» gaudio; Deus Israel, custodi hanc voluntatem. »

Secreta : « Omnipotens sempiterne Deus,
» altare hoc nomini tuo dedicatum cum præ-
» sentibus muneribus cœlesti benedictione
» sanctifica, et omnibus in te sperantibus auxilii
» tui munus ostende, ut hic Sacramentorum
» virtus et votorum obtineatur effectus. Per. »

Communio : « Domus mea domus orationis
» vocabitur, dicit Dominus : in ea omnis qui
» petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pul-
» santi aperietur. »

Postcommunio : Oratio. « Quæsumus, omni-
» potens Deus, ut hoc in loco, quem nomini
» tuo dedicavimus, cunctis petentibus aures tuæ
» pietatis accommodes. Per. »

Oratio. « Deus, qui sacrandorum tibi auctor
» es munerum, effunde super hanc orationis
» domum benedictionem tuam, ut ab omnibus
» invocantibus nomen tuum, defensionis tuæ
» auxilium sentiatur. Per. »

(a) In margine : « Quando linteamina non sunt consecrata. » Id quod etiam varii auctores docent.

Digitized by Google

ORDO IV.

Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod exstat in celeberrima Vaticana Bibliotheca num. 4744.

DE ECCLESIÆ DEDICATIONE RUBRICA.

De necessariis ad hujusmodi ecclesiæ dedicationem.

Sane præcedenti sero ante diem dedicationis, Pontifex paret reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo vitreo, vel eneo, vel alio cum tribus granis thuris, vel, deficientibus reliquiis, ponat Corpus Domini. Ponat etiam ibi cartulam de corio scriptam de grossa littera, continentem cujusmodi reliquiæ sunt ibi inclusæ, et ad cujus Sancti honorem et nomen ecclesia ipsa et altare dedicantur; nomen Consecratoris, et Indulgentiam quam in anniversario dedicationis die concedit; anni quoque mensem et diem quibus dedicatur, sigillans ipsum vasculum diligenter, et illud in mundo et honesto loco, vel sub tentorio ante fores ecclesiæ consecrandæ præparato, vel in sacristia veteris ecclesiæ, vel in alio loco ponens, et super ordinatum feretrum honeste collocans : celebrandæque sunt vigiliæ ante reliquias ipsas, canendi nocturni et matutinæ laudes in honorem plurimorum Sanctorum, vel eorum quorum reliquiæ sunt condendæ ; imagines vero, cruces et Corpus Domini, et alia, ipsa nocte remaneant in ecclesia consecranda. In crastinum vero ponuntur in ecclesia, quæ ad dedicationem ecclesiæ et altaris sunt necessaria, videlicet omnia quæ præparanda sunt in altaris dedicatione. Et insuper parentur duo vasa cum aqua pro duplici aqua benedicenda, unum extra januam, aliud intra in presbyterio. Item depingantur in parietibus ecclesiæ intrinsecus per circuitum duodecim cruces, circa decem palmos super terram ; videlicet, tres ab oriente, tres ab occidente, tres a septentrione, et tres ab aquilone, super quas figuntur duodecim candelæ. Item paretur schala, vel aliud hædificium, super quo ascendens Episcopus, possit attingere ipsas duodecim cruces. Item fontes ecclesiæ vacui sint et bene mundi. Item provideatur quod ecclesia possit libere exterius circuiri. Interim autem dum præmissa præparantur, Pontifex debet annuntiare populo in cujus Sancti honorem et nomen est ecclesia dedicanda, et quorum reliquiæ sunt in altari recondendæ. Quo facto, ordinantur in ecclesia consecranda quæ ordinanda sunt..... Et illuminentur præmissæ duodecim candelæ, et faldistorium ponatur super tappetum in medio ecclesiæ, et mox exit ecclesiam, cunctis inde abjectis, uno tantum Dyacono, amictu, stola et alba parato, intus remanente recluso, et ecclesiæ fores clauduntur. Tunc Episcopus cum Clero et populo accedit ad locum ubi pridie reliquiæ repositæ fuerunt, et ibi incipit, et dicit voce submissa cum Clericis septem Psalmos. Induens interim admictum, albam, stolam et pluviale sine manipulo, gerens mitram simplicem in capite, et cambucham in manu. Quotiescumque enim Pontificalia agit, non in Sacerdotali, sed in Pontificali habitu esse debet. Alter quoque paratur Diaconus similiter amictu, alba et stola; Subdiaconus etiam, et Accoliti, et alii ministri parantur. Eis igitur paratis, et præmissis expletis, redeunt ante fores ecclesiæ consecrandæ, et parato ibi alio super tappetum faldistorio, Pontifex inchoat, Scola prosequente, Antiphonam : « Adesto, Deus » unus omnipotens, etc. »

Alia Rubrica similis de necessariis fieri et præparari in ecclesiæ dedicatione, videlicet : ecclesiarum consecrationes quamvis omni die de jure fieri possunt, decentius tamen in Dominicis diebus, vel in Sanctorum solepnitatibus fiunt. Quando autem ecclesia fuerit dedicanda, debet Archidiaconus annuntiare Clero et populo quibus est ecclesia consecranda, et prinsquam consecretur, jejunent, et Episcopus etiam qui dedicare debet. Si enim, ut B. Leo in Epistola ad Dyoscorum, is qui Pontificem, Presbyterum, vel Dyaconum benedicturus est, et hii, qui benedicuntur, jejunant, multo magis in tanta et tam sancta solepnitate tam consecrans quam qui sibi petunt ecclesiam consecrari, jejunare tenentur. Sane die præcedenti sero ante diem consecrationis vel dedicationis Pontifex paret reliquias, etc., ut prima Rubrica.

Eis igitur paratis, et præmissis VII Psalmis expletis, redeunt ante fores ecclesiæ consecrandæ, et parato ibi alio super tappetum faldistorio, Pontifex inchoat et Scola prosequitur Antiphonam : « Adesto, Deus unus omnipotens, Pater, » et Filius, et Spiritus sanctus. » Deinde dicit

Digitized by Google

Pontifex : « Oremus. » Oratio. « Actiones no- » stras, quæsumus, Domine, aspirando præ- » veni, etc. »

Qua dicta, prosternit se ibidem super faldistorium et tappetum, et Cantor incipit Letaniam, et prosequitur usque ibi : « Ab omni malo, etc. » Require eam supra super ordinatione Subdiaconi ad cartas v.

Tunc surgens Pontifex ab accubitu benedicit ibidem, vel sub tentorio, aquam simpliciter, prout in diebus Dominicis benedici consuevit, incipiens absolute sine « Dominus vobiscum, » et sine « Oremus, » dicens extensa dextera super salem :

Exorcismus salis. « Exorcizo te, creatura salis, » per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, » per Deum ✠ sanctum, etc., » *ut in nostro Pontificali Romano.*

Benedictio salis. « ℣. Domine, exaudi oratio- » nem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. » ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oremus. » Oratio. « Immensam clementiam » tuam, etc. »

Exorcismus aquæ, quem inchoat absolute sine « Dominus vobiscum, » et sine « Oremus, » dicens, extensa dextera super aquam : « Exor- » cizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa- » tris ✠ omnipotentis, etc. »

Benedictio aquæ. « ℣. Domine, exaudi oratio- » nem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. » ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oratio. « Deus, qui ad salutem humani gene- » ris, etc. »

Hic in modum crucis immictat salem in aquam, sic dicendo : « Hæc commistio salis et » aquæ efficiatur salutare Sacramentum, in » nomine Pa ✠ tris, etc. »

Benedictio salis et aquæ pariter; et hic dicatur : « ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. Oremus. » Oratio. « Deus, in- » victæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii » rex, etc. »

Expleta aquæ benedictione, Episcopus aspergit se et circumstantes cum illa, inchoans, Scola prosequente, Antiphonam : « Asperges me, » Domine, ysopo, et mundabor; lavabis me, et » super nivem dealbabor. »

Qua dicta, stans ante fores ecclesiæ incipit circuire eam a latere dextro, procedens versus meridiem cum Clero et populo, aspergens cum ipsa aqua forinsecus parietes ecclesiæ in superiori parte eorum, et totum cimiterium, dicens semper : « In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spi- » ritus ✠ sancti. Amen. » Et interim Scola cantat sequens Responsorium : « Fundata est » domus Domini, etc. »

Demum expleto circuitu ecclesiæ, perveniens ante hostium, dicit ibi : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. ℟. Levate. » Oratio. « Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni » loco, etc. »

Qua dicta, Pontifex ad hostium ecclesiæ appropinquans, percutit semel cum inferiori parte cambucæ seu baculi Pastoralis superliminare ipsius hostii, dicens alta voce ad modum Collectæ seu Capituli : « Tollite portas. » Et Diaconus deintus respondet : « Quis est iste Rex » gloriæ. » Et Pontifex respondet : « Dominus » fortis, etc. »

Deinde Pontifex circuit ecclesiam iterum cum Clero et populo incipiens ab eodem latere dextro aspergendo parietes juxta fundamenta ipsorum per totum circuitum, dicens semper : « In no- » mine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, etc. » Et iterum Scola cantat Responsorium : « Benedic, Domine, » domum istam, etc. » Tunc veniens iterum expleto circuitu ante hostium, dicit : « Oremus; » et Dyaconus, qui cum eo est : « Flectamus » genua. Levate. » Oratio. « Omnipotens sem- » piterne Deus, qui per Filium tuum, etc. »

Et tunc appropinquans iterum ad hostium, percutit secundo cum cambucha superliminare, dicens : « Tollite portas, etc. » Et Dyaconus deintus respondet : « Quis est ipse Rex » gloriæ. » Et Pontifex respondet : « Dominus » fortis, etc. »

Deinde circuit tertio ecclesiam cum Clero et populo, incipiens a latere sinistro, procedens usque ad aquilonem, aspergendo exterius cum eadem aqua parietes in media parte eorum, et cimeterium, dicens semper : « In nomine Pa- » ✠ tris, etc. » Interim Scola cantat Responsorium : « Tu, Domine universorum, etc. » Et cum expleto circuitu pervenerit ante hostium, dicens : « Oremus, » et Dyaconus, qui cum eo est : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdo- » tibus tuis, etc. »

Et tunc appropinquans tertio ad hostium ecclesiæ, percutit iterum superliminare, dicens :

Digitized by Google

« Tollite portas, etc. » Et Dyaconus deintus respondet : « Quis est iste Rex gloriæ. » Et Pontifex, et universus Clerus respondet : « Do- » minus virtutum, ipse est Rex gloriæ. » Addiciens : « Aperi, aperi, aperi. » Et faciat crucem super liminare hostii cum inferiori parte cambucæ, dicens : « Ecce crucis signum, fugiant » fantasmata cuncta. »

Tunc, aperto hostio, intrat ecclesiam solus cum Ministris, et cementariis qui linire debent lapidem super sepulchrum reliquiarum, et mensam altaris, clauso ecclesiæ hostio post eos.

Ingressus ante ecclesiam, dicit mox alta voce in tono Lectionis : « Pax huic domui, et omni- » bus habitantibus in ea. » Et Dyaconus, qui erat intus, respondet : « In introitu vestro. » Et respondent omnes : « Pax æterna ab æter- » no, etc. » Et dum cantatur, Pontifex procedit usque ad medium ecclesiæ, ubi primo fuit faldistorium positum. Ex expleta prædicta Antiphona, inchoat ibi, flexis genibus, Scola prosequente, ypnum : « Veni, creator Spiritus. » Quo finito et dicto, accumbit super faldistorium, tenens mitram albam simplicem in capite. Et Scola iterum incipit Letaniam, in quo bis nominetur Sanctus ille in cujus nomine ecclesia vel altare dedicatur, et eorum quorum reliquiæ ibi reconduntur.

Postquam autem Scola dixit in Letania : « Ut obsequium servitutis nostræ rationabile » facias, etc., » et idem a Choro responsum fuit : tunc Pontifex ab accubitu se erigens, junctis ante pectus manibus, dicit in eodem tono : « Ut locum istum visitare digneris, te rogamus, » audi nos. Ut in eo Angelorum custodiam de- » putare digneris, te rogamus, audi nos. » Et deinde tenens baculum Pastoralem in sinistra manu, et dexteram in altum extendens, producat communiter super ecclesiam et altare consecrandum ter signum crucis dicens : « Ut hanc » ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum, et » nomen talis Sancti consecranda, bene ✠ di- » cere digneris. » Secundo dicit : « bene ✠ dicere » et sancti ✠ ficare digneris. » Tertio dicit : « bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare, et conse- » ✠ crare digneris. » Quo facto et dicto, sibique a Choro responso, iterum accumbit, Scola Letaniam resumente. Qua finita, ab accubitu surgens, dicit ibidem excelsa voce : « Ore- » mus ; » et Dyaconus minister : « Flectamus » genua. Levate. » Oratio. « Præveniat nos, » quæsumus, Domine, misericordia tua, etc. »

Interim autem, dum ypnus, et Letania, et alia dicuntur et fiunt, unus ex Ministris aspergat cinerem per pavimentum ecclesiæ in modum crucis faciendo duas ex ea lineas, latitudinis vero minus palmi, ducens unam de sinistro angulo orientali ad dextrum occidentalem, et aliam de dextro angulo orientali ad sinistrum occidentalem.

Præmissa itaque Oratione finita, dicit Pontifex aliam Orationem : « Magnificare, Domine » Deus noster, in sanctis tuis, etc. »

Deinde incipiat Pontifex a sinistro angulo ecclesiæ ab oriente scribere cum summitate cambucæ super lineam cineris totum alphabetum græcum, prout hic est scriptum :

Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Θ Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ Χ Ψ Ω.

Incipiensque similiter a dextro angulo orientali scribit super lineam cineris totum alphabetum latinum :

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Vel sic ubi fieri solitum est, fiant viginti quatuor areolæ de cinere a sinistro angulo orientali usque ad dextrum occidentalem seriatim, in quibus scribatur alphabetum, et XXIII a dextro angulo orientali usque ad sinistrum occidentalem, in quibus scribatur alphabetum, latine scribendo singulas litteras in singulis areolis. Interim ergo dum hæc fiant, cantat Scola Antiphonam « O quam metuendus » est, etc. » Psalmus « Benedictus Dominus » Deus Israel, etc., » totus dicatur sine « Gloria » Patri. » Et per singulos versus dicatur præmissa Antiphona, quandiu opus fuerit, et repetatur.

Post hæc veniens Pontifex versus altare, distans tantum ab illo spatio congruente, dicit ter, semper genua flectendo ac semper vocem elevando : « Deus, in adjutorium meum intende. » ℟. Domine, ad adjuvandum me festina, » cum « Gloria, » absque « Alleluia. »

Tunc benedicit ibi aliam aquam cum sale, cinere et vino, incipiens absolute : « Exorcizo » te, creatura salis, in nomine Domini nostri » Jesu Christi, qui Apostolis suis, etc. »

Benedictio salis. « ℣. Domine, exaudi oratio- » nem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. » ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

» Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens, » qui hanc gratiam sali tribuere dignatus es, ut » ex illo possent universa condiri, quæ homi- » nibus ad escam procreasti : bene ✠ dic hanc » creaturam salis, ad effugandum inimicum, » et cuncta ejus præsagia omnesque fantasias, » et in ea salubrem medicinam immitte, ut ad » animæ et corporis se sumentium proficiat sa- » nitatem. Per Dominum nostrum. ℟. Amen. »

Sequitur Exorcismus aquæ, et incipiat absolute : « Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine » Dei Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ san- » cti, ut repellas diabolum a termino justorum, » ne sit in umbraculis hujus ecclesiæ et altaris, » vel tabulæ ; et tu, Domine Jesu Christe, in- » funde Spiritum sanctum tuum in hanc eccle- » siam tuam, vel in hunc cimiterium, vel altare, » vel tabulam, ut proficiat, etc. »

Benedictio aquæ. « ℣. Domine, exaudi oratio- » nem meam. ℟. Et clamor meus, etc. ℣. Do- » minus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oremus. » Oratio : « Domine Deus, Pater om- » nipotens, statutor, etc., et mala omnia te pro- » pitiante procul recedant per eum qui ventu- » rus est, etc. ℟. Amen. »

Alia aquæ benedictio, quam quidam dicunt, non tamen dicatur. « Discede (*a*), immunde » spiritus, ab omnibus quibus fides nostra » usura est religiosi officii sacramentis, nec » prætendas culpas criminis, qui agnoscis po- » tentiam Salvatoris : non est meriti confidentia, » sed præcepti, licet ipsa pietas ministerii digni- » tas sit ministri. Te igitur per communem » Dominum, aquæ creatura, convenio, ut con- » servato motu sensibilitatis, intelligens subici » servitio, quo placere Deo nitimur, non recu- » ses : omne a te communionem demonum, » omne collegium iniquitatis expurges, totam » fantasmatis labem capax Dominicæ protectio- » nis extermines, ut gratia sanctificationis adepta » tuo nostroque Creatori pariter debito famulatu » deserviens, omnium spirituum pravorum » nequitiam, quocunque loco fueris aspersa, » dejicias, et sancte copiam benedictionis infun- » das. Per Dominum nostrum, qui venturus » est, etc. ℟. Amen. »

Benedictio cinerum. « ℣. Domine, exaudi, etc. » ℟. Et clamor, etc. ℣. Dominus vobiscum. » ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. » Oratio. « Omnipotens sempiterne Deus, parce metuen- » tibus, etc. »

Tunc Episcopus misceat in modum crucis salem et cinerem, dicens : « Fiat commistio » salis et cineris. In nomine Pa ✠ tris, et Fi- » ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen. »

Exorcismus cineris. « Exorcizo te, cinis, in » nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, in nomine » Jesu ✠ Christi, Filii Dei, et in nomine Spi- » tus sancti ✠ qui per te ignem in favillam » converti præcepit, ut sicut jussione Dei per » sanctum famulum ejus Moysen cinis vitulæ » in populo aspersus omnem congregationem » Israel sanctificavit, ita et tu excitatus sis » in nomine sanctæ Trinitatis ad dedicationem » hujus basilicæ, et cum fueris aspersus, dia- » bolus non lateat, sed manifestetur, et expel- » latur, ut sinceri et puri inveniamur. Te au- » tem petimus et rogamus, Pater omnipotenes » ut sicut Ninivitarum populum ad prædicatio- » nem Jonæ Prophetæ, misericordiam tuam, » Domine, exorantes, suorum veniam meruc- » runt consequi peccatorum, ita et his qui ad » tuam gratiam percipiendam ad hanc basilicam » venire desiderant, amputatis carnalibus ma- » culis per sacri baptismatis regenerationem, » suorum finem constituant vitiorum. Per » eundem Dominum nostrum Jesum Christum, » qui venturus est judicare vivos et mortuos, » et seculum per ignem. »

Deinde hanc misturam mittat in aquam benedictam, in modum crucis, dicens : « Fiat » commistio salis et cineris cum aqua benedicta » ad consecrationem hujus ecclesiæ et altaris, » *vel* cimiterii, *vel* altaris, *vel* tabulæ. In no- » mine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. » Amen. »

Alia Oratio (*b*), quam quidam dicunt, non tamen dicatur. Oratio. « Omnipotens sempiterne » Deus, qui nobis a te conditam creaturam » aquæ in fide distinxisti, ut liquorem simpli- » cem ad lavacrum, salsam soliditatem præberes » ad condimentum, quatenus et sordida possent

(*a*) Exstat hæc Oratio in manuscripto Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis annorum circiter septingentorum.

(*b*) Exstat hæc Oratio in eodem Pontificali, dicebaturque ubi Episcopus sal et cinerem miscebat, faciens ter inde crucem super ipsam aquam.

Digitized by Google

» ablui, et futua imbui, quo et noxa tolleretur » originalis, et corrigeretur error ad viam sa- » lutis. Te officii nostri functione immeriti » deprecamur, ut hæc salis, cineris et aquæ in » tuo nomine facta permistio, clementiæ tuæ » sanctificetur obtutu, quod misterialiter bap- » tismo accommodum, culpæ traduci inimicum, » sapientiæ aptum, errori præstas adversum, » sancti Spiritus tui sanctitate reddas sanctifi- » catum, nec ullo contagio reddatur immun- » dum, quod tua credimus majestate beatum, » sed ita per te præbeat plenum sanctificationis » effectum, ut ubicunque invocato nomine tuo » fuerit manu emissum, vel quolibet modo » assumptum, expulsis, et explosis omnibus » contrariæ potestatis insidiis, et cuncta demo- » num machinamenta ex eodem loco fugata » deficiant, et sanctorum Angelorum custodia » semper inibi mansura consistat. Per Domi- » num. ℟. Amen. »

Sequitur alia Oratio quæ dici debet. « Deus, » invittæ virtutis auctor et insuperabilis imperii » Rex, etc. »

Benedictio vini. « ℣. Domine, exaudi, etc. » ℟. Et clamor, etc. ℣. Dominus vobiscum. » ℟. Et cum spiritu tuo. Domine Jesu Christe, » qui in Chana Galileæ, etc. »

Deinde mittat in modum crucis vinum in aquam ipsam, dicens : « Fiat hæc commistio » aquæ et vini cum sale et cinere ad consecra- » tionem hujus ecclesiæ vel altaris, vel cimiterii, » vel tabulæ. In nomine, etc. »

Benedictio aquæ cum vino mistæ. « ℣. Domine, » exaudi, etc. ℟. Et clamor, etc. ℟. Dominus » vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. » Oratio. « Omnipotens sempiterne Deus, creator » et conservator, etc. »

Quædam autem Ecclesiæ dicunt Præfationem sequentem, aliæ non. Et bene, si dicunt ibidem sequentem Orationem. « Per omnia secula se- » culorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. » ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum corda. » ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus » Domino Deo nostro. Dignum et justum est. » Sancti ✠ ficare per verbum Dei, unda cœle- » stis; sancti ✠ ficare, aqua calcata, etc., pro- » tegat et defendat. » Quod sequitur, dicit plane legendo. « Per Dominum nostrum Jesum Chri- » stum Filium tuum, qui tecum vivit et re- » gnat, etc. ℟. Amen. »

Tunc redeat ad locum ubi aquam benedixit, dicens ibi : Oratio. « Deum Patrem omnipoten- » tem, Fratres charissimi, in cujus domo man- » siones multæ sunt, supplices deprecemur ut » habitaculum istud bene ✠ dicere et custodire » dignetur per aspersionem hujus aquæ cum » vino, sale et cinere mistæ, ut tenebras ab eo » repellat, et lumen infundat; nullam sevienti » adversario tribuat potestatem, sed propria sit » domus Dei, et nullam in ea habeat inimicus » licentiam nocendi. Per Dominum nostrum » Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit » et regnat, etc. ℟. Amen. »

DE CONSECRATIONE ALTARIS RUBRICA.

Ingrediens itaque Pontifex ad aram sive tabulam altaris, inchoat Antiphonam, et Scola prosequitur : « Introibo ad altare Dei, ad Deum » qui lætificat juventutem meam. Judica me, » Deus, etc., » totus dicitur sine « Gloria Patri ; » et si necesse fuerit, Antiphona per singulos versus repetatur. Incepta autem Antiphona ipsa, mox Pontifex cum pollice dextræ manus facit crucem ex prædicta aqua in medio tabulæ, dicens : « Sanctificetur hoc altare in honore » omnipotentis Dei et gloriosæ Virginis Mariæ, » et omnium Sanctorum, et ad nomen et me- » moriam talis Sancti. Pax tibi. ℟. Amen. »

Deinde incipiens in sinistra parte posteriori, et postmodum in dextera anteriori, et deinde in sinistra anteriori, et post in dextera posteriori, facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa. Quo facto dicit : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. » Levate. Singulare illud propitiatorium, etc. »

Oratione expleta, Pontifex incipit Antiphonam : « Asperges me, Domine, etc. » Et Psalmus « Miserere mei, Deus, » totus dicitur sine « Gloria Patri. » Et dum dicuntur Antiphona et Psalmus, circuit septies aram altaris, aspergens eam, et titulum in quolibet circuitu cum aspersorio de herba ysopi facto. Quod fit hoc modo : stans enim ante medium altaris, inchoat, Scola prosequente, Antiphonam « Asperges, etc., » incipiens etiam pariter aspergere et circuire altare pariter et titulum sive stipitem, prout dictum est. Et ea dicta, mox incipitur Psalmus « Miserere mei, Deus, etc. » Et dicuntur tantum

Digitized by Google

tres primi versus. Antiphona ergo et versibus ipsis dictis et circuitu expleto, iterum inchoat hanc Antiphonam, et aspergit, et circuit, et dicuntur alii tres versus sequentes in ipso Psalmo, ut prius. Quo facto et circuitu expleto, iterum inchoat tertio Antiphonam, et aspergit, et circuit, ut supra, et alii tres versus Psalmi dicuntur. Sicque fit septies cum versibus qui in Psalmo secuntur. Ultima tamen vice dicuntur duo ultimi versus Psalmi, nec cum illis dictis dicitur ulterius Antiphona ipsa. Subsequenter circuit ter basilicam interius tantum, aspergendo parietes ejus cum præmissa aqua sancta, in primo circuitu prope fundamenta; in secundo quidem in medio parietum; in tertio vero aliquantulum altius : incipiens primum circuitum ab oriente videlicet post altare, et procedens ad dexteram partem ecclesiæ, scilicet versus meridiem usque dum iterum redeat in orientem ad locum ubi incepit. Et tunc cantatur Antiphona « Hæc est » domus Domini, etc. » Psalmus « Lætatus sum » in hiis quæ dicta sunt mihi » sine « Gloria » Patri. » In secundo circuitu, in quo incipiet, procedit sicut in principio. Cantatur Antiphona « Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et » fugient qui oderunt eum a facie ejus. In ec- » clesiis benedicite Deo, » usque in finem sine « Gloria Patri. » In tertio vero circuitu incipit similiter post altare, sed tunc procedit ad sinistram partem ecclesiæ, scilicet versus aquilonem, et tunc cantatur Antiphona « Qui habitat » in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli » commorabitur. Dicet Domino : Susceptor meus » es tu, » usque in finem sine « Gloria Patri. »

Post hæc incipiens Antiphonam, altare aspergit cum præmissa aqua sancta, et pavimentum ecclesiæ per medium ecclesiæ in longum, et in latum, et dum hoc fiat cantatur Antiphona « Domus mea domus orationis vocabitur. » Psalmus « Narrabo nomen tuum fratribus meis, » in medio ecclesiæ laudabo te, » sine « Gloria » Patri. » Alia ad idem Antiphona : « Domine, » dilexi decorem domus tuæ, et locum habita- » tationis gloriæ tuæ. » Psalmus « Benedictus » Dominus Deus Israel, » sine « Gloria Patri. » Ad idem Antiphona : « Non est hic aliud nisi » domus Dei, et porta cœli. » Deinde stans in medio ecclesiæ, ad altare conversusque incipit, et Scola prosequitur, Antiphonam : « Vidit Ja- » cob scalam, summitas cujus cœlos tangebat, » et descendentes Angelos, et dixit : Vere locus » iste sanctus est. » Et dum cantatur, spargit aquam per pavimentum ecclesiæ versus orientem, occidentem, aquilonem et austrum. Qua finita, stans in medio ecclesiæ, conversusque ad orientem, dicit ibidem : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. Deus qui loca no- » mini tuo dicanda, etc. » Et mox dicit ibidem iterum excelsa voce : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio ad basilicam consecrandam : « Deus sanctificationum, » omnipotens dominator, etc. » Deinde dicit ibidem media voce junctis manibus ante pectus hanc Præfationem : « Per omnia secula seculo- » rum. ℟. Amen. Dominus vobiscum. Et cum » spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Do- » minum. Gratias agamus Domino Deo nostro. » Dignum et justum est. Vere dignum et justum » est, æquum et salutare nos tibi semper et » ubique gratias agere, Domine sancte, Pater » omnipotens, æterne Deus, adesto precibus » nostris, etc. »

Præfatione finita, inchoat iterum ibidem præmissam Antiphonam : « Introibo ad altare Dei, » ad Deum qui lætificat juventutem meam, » et mox Scola illam prosequente, procedat coram altare, et ibi cum præmissa aqua benedicta faciat maltam seu cimentum, et benedicat illud, prout habetur infra *De altaris consecratione* ad cartas XXXVII, *Quæ fit sine ecclesiæ dedicatione.*

Deinde procedit processionaliter cum Clero cantando Letaniam, si velit, ad locum in quo reliquiæ nocte præterita observatæ fuerunt, et deferat eas usque ad fores ecclesiæ. Sed priusquam locum ipsum ingrediatur, dicit : « Ore- » mus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Le- » vate. » Oratio. « Aufer a nobis, etc. »

Deinde locum ipsum ingresso, Scola ibi cantat Antiphonam « O quam gloriosum est re- » gnum, etc. Movete vos, etc. Ecce populus, etc. » Via Sanctorum recta facta est, etc. Venite, » exultemus Domino » totus dicitur sine « Glo- » ria Patri. » Vel Scola similiter cantet aliquid Responsorium de illo Sancto cujus fuerint reliquiæ ipsæ. Hiis dictis, dicit Pontifex : « Ore- » mus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Le- » vate. Fac nos, quæsumus, Domine, etc. » Et tunc Presbyteri elevent ipsas reliquias super ornatum feretrum præparatas, portantes eas cum honore et laudibus, cruce, luminaribus, et tur-

Digitized by Google

ribulo cum incenso fumigante, præcedentibus, Pontifice sequente. Et dum exeunt locum istum, Episcopus inchoat, Scola prosequente, Antiphonam « Cum jucunditate exibitis, etc. » Antiphona II. « Surgite, Sancti, etc. » Antiphona III « Ambulate, Sancti Dei, ad locum destinatum, » qui vobis præparatus est. » Antiphona IV. « Ambulate, Sancti, ad locum, ingredimini in » civitatem Domini, etc. » Antiphona V. « Istorum est enim regnum cœlorum, etc. »

Eis igitur ad ecclesiæ consecrandæ fores pervenientibus, priusquam ingrediantur, circuit Pontifex illam cum ipsis reliquiis, populo sequente, et clamante « Kyrie eleison, » cantando præmissas Antiphonas, donec iterum perveniat ad fores ecclesiæ. Tunc Pontifex facit ibidem breviter verbum ad plebem de virtute et privilegiis dedicationis ecclesiæ, de decimis et aliis proventibus Ecclesiasticis illi ecclesiæ integre restituendis. Et fundator quoque ecclesiæ, et plebs diligenter admoneantur de dote illius, et qualem honorem ecclesiæ et Presbyteris exhibere debeant; quibus profitentibus se jussa Præsulis impleturos, et satisfieri precibus pro eo qui ecclesiam constituit et dotavit, et pro eo qui illam consecrari juxit. Concessaque eis parte in omnibus bonis quæ ibi fieri contingent, tunc præ foribus ecclesiæ Scola cantat Responsorium « Erit mihi Dominus in Deum, etc. » Tunc Pontifex dicit : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Domum » tuam, etc. »

Qua Oratione finita, priusquam ingrediatur, signat hostium ecclesiæ cum crismate ad modum crucis, dicens : « In nomine Pa✠tris, et » Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Porta sis benedi- » cta, etc. Porta sis hostium pacis per eum qui » se hostium et hostiam appellavit, etc. »

Tunc Presbyteri levent feretrum cum reliquiis, et ingrediendo ecclesiam cum Clero et populo, Pontifex inchoat, et Scola prosequitur, Antiphonam : « Ingredimini, Sancti Dei, præ- » parata est enim vobis a Domino habitatio sedis » vestræ, et populus fidelis cum gaudio insequi- » tur iter vestrum, ut oretis pro nobis majesta- » tem Domini. Alleluia. » Item si necesse fuerit, priusquam pervenerint ad altare, incipiatur et dicatur Antiphona « Gaudent in cœlis animæ » Sanctorum, etc. »

Cum autem ad titulum seu altare, in quo debent includi, pervenerint cum reliquiis, super illud, vel in alio loco honesto cum luminaribus ante illas reverenter depositis, Episcopus incipit Antiphonam « Exultabunt Sancti in gloria, etc. » Psalmus : « Cantate Domino canticum novum, » laus ejus in ecclesia Sanctorum, » et dicatur totus sine « Gloria Patri. » Et post Psalmum repetitur Antiphona. Qua dicta, Episcopus dicit : « Oremus. » Oratio. « Deus qui in omni loco » dominationis tuæ, etc., » prosequens hanc Orationem, et omnia quæ secuntur postea continue infra in tractatu *De consecratione altaris, quæ fit sine ecclesiæ dedicatione*, ad cartas XXXVII, usque ad Missam, salvo hoc quod loco illius Præfationis, quæ ibi dicitur. « Domine sancte, » Pater et clemens, cujus nec initium, etc., » cantetur hic Præphatio in voce mediocri junctis manibus ante pectus. Præphatio. « Per omnia » secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vo- » biscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum » corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias » agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et » justum est. Vere dignum et justum est, æquum » et salutare nos tibi semper et ubique gratias » agere, Domine sancte, Pater omnipotens, » æterne Deus : et ut propensiore cura, et atten- » tiore famulatu tibi servitutis officia defera- » mus, hoc præsertim in tempore quo religio- » sarum mentium habitum intra parietum » ornatum delegisti, et templum istud, quo san- » ctorum tuorum S. mentio habetur, bene✠di- » cere et sancti✠ficare digneris, per quorum » Sanctorum reverentiam et honorem sacratis- » simo nomini tuo hoc altare dedicamus; horum » igitur, Domine, efflagitatus precibus, dignare » hoc altare cœlesti sancti✠ficatione perfundere » et bene✠dicere : assistant Angeli claritatis, et » sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit il- » lius quoque apud te gratiæ, cujus fuit illud » quod Abraam pater fidei in nostræ figuram » redemptionis tibi filium suum ymolaturus, » extruxit; quod Isaac in conspectu tuæ maje- » statis instituit; quod Jacob Dominum magna » videns visione erexit : ut hic orantes exaudias; » hic oblata sancti✠fices; hicque superposita » bene✠dicas; hic quoque benedicta distribuas. » Sit ergo Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus; sit » mensa cœlesti spiritualique convivio præpa- » rata. Tu ergo, Domine, proprio ore tuo ho- » stias super eum impositas bene✠dicito, et be-

Digitized by Google

» nedictas suscipito, atque nobis omnibus tribue » ut participatione earum vitam acquiramus » æternam. » Quod sequitur dicitur plana voce: « Per Dominum nostrum Jesum Christum in » unitate Spiritus (*a*). »

Omnibus expeditis, revertitur Pontifex in sacrarium, et dum ornatur ecclesia et luminaria accenduntur, induit se ad Missam celebrandam, Cantore incipiente Introytum : « Terribilis est » locus iste. » Psalmus : « Quam dilecta. » Require sub festo Dedicationis ecclesiæ. Quædam tamen Ecclesiæ dicunt : « ℣. Vidit Jacob in sopnis scalam erectam, et Angelos Dei ascendentes et » descendentes, et ait : Vere non est aliud hic, » nisi domus Dei et porta cœli. » Ad Missam, Oratio : « Deus, qui invisibiliter omnia contines, » et tamen pro salute humani generis, signa » tuæ potentiæ visibiliter ostendis; templum » hoc majestatis tuæ illustratione illustra, et » concede ut omnes qui huc deprecaturi convenerint, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per Christum Dominum nostrum. »

Epistola. « Vidi civitatem sanctam Jerusalem, etc. »

Graduale. « Locus iste a Deo factus est, etc. » ℣. Deus, cui adstat Angelorum chorus, etc. (*b*) » Domus mea domus orationis vocabitur, etc. »

Evangelium. « Egressus Jesus perambulabat » Jerico, etc. » Et dicatur « Credo. » Offertorium. « Domine Deus, in simplicitate, etc. » Require omnia ista præmissa in festo Dedicationis ecclesiæ.

Secreta. « Deus, qui sacrandorum auctor es » munerum, etc. (*c*) »

Postcommunio. « Quæsumus, omnipotens » Deus, ut in hoc loco, quem nomini tuo indigni dedicamus, cunctis petentibus aures tuæ » pietatis accommodes. Per Dominum, etc. »

Missa finita, secundum morem quorumdam locorum, Episcopus consecret cymiterium, si hora patitur, cujus consecrationis formam require infra ad cartas XLII. Sunt tamen qui dicunt præmissos circuitus ecclesiæ deforis et aspersionem cymiterii ad hoc sufficere, aliamque cymiterii consecrationem necessariam non esse.

DE ALTARIS CONSECRATIONE QUÆ FIT SINE ECCLESIÆ DEDICATIONE.

Quando altare solum sine ecclesia consecratur, quod fieri potest omni die, convenientius tamen fit in diebus Dominicis et festivis, præparentur ad hoc quæ necessaria sunt. In primis præparetur in ecclesia sacristia, vel alius locus ydoneus, ubi reponantur reliquiæ in altari recludendæ. Item parentur ipsæ reliquiæ in altari, et paratæ vel in sero præcedentis diei, vel mane, priusquam consecratio fiat, includantur in aliquo decenti et mundo vasculo, quod super ornatum feretrum, si velit, collocatum ponat cum luminaribus in loco ad hoc parato; secundum ea quæ sub ecclesiæ dedicatione in principio sunt ascripta. Item parentur chrisma et oleum sanctificatum, sive cathecumenorum, et duo calices, uno pro crismate, altero pro oleo sancto ibi superponendis. Item thus, turribulum, et prunæ pro turribulo. Item unum vas aqua plenum, quod in Presbyterio ponatur. Item cinis, sal et vinum. Item aspersorium de herba ysopi factum. Item mantilia ad extergendum altaria consecranda, quatenus expedierit. Item coopertura linea cerata ad mensuram ipsius altaris. Item quinque parvæ cruces factæ de subtilibus candelis, vel etiam duplo plures, ut melius et citius comburatur thus. Item quatuor spatulæ ligneæ parvæ ad abradendum de altari combustiones (*d*). Item calx, sabulum, seu tegula trita ad faciendum cementum pro liniendo sepulchrum reliquiarum, et juncturam mensæ altaris cum stipite. Item cementarius, qui hoc agat. Item duo cerei qui semper Episcopum, quocumque ierit, præcedant. Item aqua ad lavandas manus, quoties expedierit, et manutergia ad tergendum digitos inunctos cum medulla panis et bumbace. Pontifex igitur se ad conse-

(*a*) In margine ita legitur : Post Præfationem cantetur : « Lapides pretiosi, etc. » Fiant duodecim cruces.

(*b*) In margine : « Alleluia. ℣. Adorabo ad templum. »

(*c*) In margine eodem charactere legitur : *Super populum benedictio solemnis :* « Omnipotens Deus, quæsumus, » hodierna die, etc. » *Require inter benedictiones Pontificales.* Sequitur statim post hæc verba : *Communio :* « Domus mea domus orationis vocabitur, etc. »

(*d*) In margine : « Cineres turis et candelarum. » Et immediate ibidem : « Item vas ad deponendum ibi hujusmodi combustiones. »

Digitized by Google

crationem parans, incipit voce submissa VII Psalmos penitentiales, et interim induit amictum, albam, stolam, et pluviale albi coloris sine manipulo. Et sic paratus, finitis illis Psalmis, habens mitram simplicem in capite, et cambucham in manu, accedit Presbyterium ibi coram altare, et inchoat, Scola prosequente, Antiphonam : « Adesto, Deus unus omnipotens, » Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » Qua finita, dicit : « Oremus. » Oratio. « Actiones no- » stras, etc. » Qua dicta, prosternit se ibidem super faldistorium et tapeta, et Cantor incipit Letaniam, nominando bis in ea nomen illius Sancti in cujus honorem et nomen dedicatur altare. Cumque dixerit : « Ut obsequium servi- » tutis nostræ, etc., » et idem a Choro responsum fuerit, tunc Pontifex se erigens, cambuchamque in sinistra manu tenens, et dexteram elevando extendens, producit ter signum crucis communiter super aram et stipitem, dicens primo : « Ut altare hoc ad honorem tuum, et me- » moriam sancti tui S. consecrandum bene ✠ di- » cere digneris, te rogamus, audi nos. » Idem respondetur a Choro. Secundo dicit : « bene- » ✠ dicere et sancti✠ficare digneris, » ut supra. Tertio dicit : « bene✠dicere, et sancti✠ficare, » et conse✠crare, » ut supra. Et responso a Choro, idem iterum super faldistorio accumbit, et Cantor prosequitur Letaniam ; qua finita, surgens ab accubito, distans ab altari spatio congruenti, benedicet aquam cum sale, cinere et vino, eam commiscendo incipiens et dicens ter, semper genua flectendo : « ℣. Deus, in ad- » jutorium meum intende. ℟. Domine, ad adju- » vandum me festina, » et « Gloria Patri » sine « Alleluia, » et procedit in ipsa aquæ benedictione per omnia, ut habetur supra sub ecclesiæ dedicatione in secunda aquæ benedictione, ad cartas XXXVIII, usque ad præphationem illam : « Sanctificare per verbum, etc., » quæ hic non dicitur. Ubicumque fit mentio de ecclesia simul et altare, dicatur hic de altari tantum.

Aqua igitur benedicta, ingrediatur ad altare, inchoans Antiphonam « Introibo ad altare » Dei, etc., » et dicitur tota sine « Gloria Patri, » et si necesse fuerit, Antiphona illa repetatur per singulos versus. Incepta autem Antiphona, mox cum pollice dextræ manus facit crucem ex prædicta aqua in medio tabulæ altaris jam prius collocatæ, dicens : « Sancti✠ficetur hoc altare » in honore omnipotentis Dei, et gloriosæ Vir- » ginis Mariæ, et omnium Sanctorum, et in » memoriam talis S. Pax tibi. ℟. Amen. »

Deinde incipiens in sinistra parte posteriori, et postmodum in dextera anteriori ; et deinde in sinistra anteriori, et post in dextera posteriori facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor partibus altaris, repetens in qualibet cruce verba prima. Quo facto dicit : « Oremus ; » et Dyaconus : « Flectamus genua. » Levate. » Oratio. « Singulare illud propitia- » torium, etc. »

Oratione expleta, Pontifex inchoat Antiphonam « Asperges me, Domine. » Psalmus « Mi- » serere mei, Deus, » totus dicitur sine « Gloria » Patri. » Et dum dicuntur Antiphona et Psalmus, circuit septies aram altaris, aspergens eam et titulum in quolibet circuitu cum aspersorio de herba ysopi facto, et fit hoc modo : stans enim ante medium altaris, inchoat, Scola prosequente, Antiphonam « Asperges me, etc., » incipiens etiam pariter aspergere et circuire altare, et titulum sine stipite, ut dictum est. Et ea dicta mox incipitur Psalmus « Miserere mei, » Deus. » Et dicuntur tantum tres primi versus. Antiphona igitur et versiculis dictis, et circuitu expleto, iterum inchoat Antiphonam, et aspergit et circuit iterum ; et dicuntur alii tres versus subsequentes in ipso Psalmo, ut prius. Quo facto et circuitu expleto, inchoat tertio Antiphonam, et aspergit, et circuit, et alii tres versus Psalmi dicuntur ; sicque fit septies cum aliis versibus qui in ipso Psalmo secuntur. Ultima tamen vice dicuntur tantum ultimi duo versus Psalmi, nec illis dictis dicatur Antiphona ipsa. Quo facto, dicit : « ℣. Domine, exaudi oratio- » nem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. » Oratio. « Deus, qui es invisibilium rerum, etc. »

Deinde ex eadem aqua benedicta facit maltam seu cementum ex calce, vel sabulo, seu tegula trita ad hoc præparatis.

Benedictio calcis et sabuli commistorum. « ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oremus. Domine Deus, qui summa, et me- » dia, ymaque custodis, qui omnem creaturam » intrinsecus ambiendo concludis, sancti✠fica » et bene✠dic has creaturas calcis et sabuli. » Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. » Cementum itaque benedictum reservetur, et residuum aquæ fundat ad basim, sive pedem

Digitized by Google

stipitis altaris per circuitum, et hiis peractis, procedit processionaliter cum cereis, cruce et turribulo ad locum ubi reliquiæ positæ fuerunt, et priusquam locum ipsum ingrediatur, dicit : « Oremus ; » et Dyaconus : « Flectamus genua. » Levate. » Oratio. « Aufer a nobis, quæsumus, » Domine, etc. » Ingressus vero, reliquias priusquam contingat, dicit : « Oremus. » Oratio. « Fac nos, quæsumus, Domine, Sanctorum » tuorum spiritualiter dicata membra contin- » gere, quorum cupimus patrocinia incessanter » habere. Per Christum Dominum nostrum. » ℟. Amen. »

Qua dicta, accipiat Pontifex reverenter vasculum reliquiarum, deportans eas solemniter, et processionaliter ad altare consecrandum, vel si sint super feretrum, per Sacerdotes ferri faciat, inchoans Antiphonam : « Cum jucunditate » exibitis, et cum gaudio deducemini, nam et » montes, et colles exilient, expectantes vos cum » gaudio. Alleluia. » Possunt etiam dici, si expediet, subsequentes : « Surgite, Sancti, de » habitationibus vestris, etc. » Alia : « Ambu- » late, Sancti, ad locum destinatum, etc. » Cumque cantando præmissas Antiphonas pervenerit ad ipsum altare, deponit eas reverenter cum luminaribus super illud, et mox inchoat coram illo, Scola prosequente, Antiphonam : « Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in » cubilibus suis. » Psalmus : « Cantate Domino » canticum novum, laus ejus in Ecclesia San- » ctorum. » Post Psalmum Antiphona repetatur; qua dicta, Pontifex dicit : « Oremus. » Oratio. « Deus, qui in omni loco dominationis » tuæ, etc. » Et mox facit cum pollice singulas cruces de crismate in quatuor angulos confessionis, seu foraminis, sive sepulcri, in quo reliquiæ debent recludi, dicens faciendo unamquamque crucem : « Conse✠cretur et sanctifi- » cetur hoc sepulcrum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. » Deinde recludit ibi vasculum cum reliquiis reverenter, quibus reclusis, inchoat, et Scola prosequitur, Antiphonam : « Sub altare Dei sedem accepistis, » intercedite pro nobis ad Dominum nostrum » Jesum Christum. Psalmus, « Exultate, justi, in » Domino, » totus dicitur sine « Gloria Patri ; » et Antiphona repetatur. Item, si velint, cantent Responsorium « Sub altare Dei audivi voces » occisorum dicentium, etc. Vidi sub altare » Dei animas interfectorum propter verbum » Dei, etc. » Et post thurificat ante reliquias inclusas.

Quo facto, accipiens tabulam, seu lapidem cum quo debet claudi foramen seu sepulcrum, facit cum pollice crucem de crismate in medio ejus desubtus, dicens : « Consecretur et sancti- » ficetur hæc tabula, *vel* hic lapis, per istam » unctionem et Dei benedictionem. In nomine » Pa✠tris, etc. » Et mox ponit, cohactat tabulam seu lapidem super foramen seu sepulcrum, claudens illud, et inchoans, Scola prosequente, Antiphonam : « Corpora Sanctorum in pa- » ce, etc., » cum « Gloria Patri. » Post hæc dicit Orationem. Oratio. « Deus, qui ex omni » cohactatione Sanctorum, æternum majestati » tuæ condis habitaculum, da hedificationi tuæ » incrementa cœlestia, ut quorum reliquias hic » pro amore tuo complectimur, eorum semper » meritis adjuvemur. Per Christum Dominum » nostrum. ℟. Amen. »

Tunc eo prius incipiente hæc facere, ministri, et cementarii cum cemento benedicto liniant, et bene firmant ipsam tabulam, seu lapidem super foramen seu sepulcrum : quo facto facit crucem cum pollice de crismate desuper, dicens : « Si- » gnetur et sanctificetur hoc templum. In no- » mine Pa✠tris, etc. »

Deinde offerens manibus junctis turribulum cum thure inchoat, Schola prosequente, Offertorium : « Stetit Angelus juxta aram templi » habens turribulum aureum in manu sua, et » data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus » aromatum in conspectu Dei, etc., » et finitur sine « Gloria. » Et dum cantatur thurificat altare undique ad dextrum et sinistrum latus, ante et desuper, donec præmissum Offertorium finiatur. Quo facto, dicit coram altari : « Oremus. Diri- » gatur oratio mea, quæsumus, Domine, etc. »

Præmissa autem observantur, quando foramen seu sepulcrum sit in medio aræ seu altaris in parte superiori, vel etiam in stipite altaris a parte interiori vel posteriori. Tunc enim ara seu ipsum altare, priusquam hæc fiant, super stipite levatur, et collocatur, atque firmatur, et postea reliquiæ includuntur, etc. Et fiunt inunctiones et alia, ut præmissum est. Si vero sepulcrum sit in medio summitatis stipitis, tunc immediate post aquæ benedictionem, quæ terminatur supra in capitulo *Aqua igitur*, debet

Digitized by Google

fieri reliquiarum deportatio et reclusio, quæ incipit supra in capitulo *Hiis peractis*, et proceditur usque ad principium hujus Rubricæ, etc.

Ante illam reclusionem non potest ara super stipitem poni seu collocari, nec altare consecrari; unde tunc reclusione facta statim Sacerdotes et Levitæ mensam seu altare levant et collocant in titulum, sive super stipitem, et cementarii cum calce prædicta liniunt et firmant; et dum hæc fiunt, Schola cantat Antiphonas : « Vos, Sacerdotes et Levitæ, sanctifi- » camini, et afferte aram Domini Dei Israel ad » locum qui ei paratus est. Vos, Sancti Dei, » vocabimini Ministri Dei nostri; dicetur vobis : » Sit timor Dei vobiscum, et cum diligentia » cuncta facite. Et afferte aram. Levate sacrifi- » cium, et venite in conspectu Domini, et ado- » rate Dominum in decore sancto. Ad locum. » Confortamini, et agite diligenter, et erit » Dominus vobiscum in bono. Et afferte. De- » ducamus archam federis Domini in jubilo, et » in sonitu buccinæ, et in cymbalis, et cytaris » concrepantes. Ad locum. »

Levata itaque ara, collocata, et bene cum cemento firmata et linita, tunc Pontifex ingreditur altaris consecrationem, faciens super illud cum pollice cruces de supradicta aqua benedicta, faciens etiam circuitus altaris et ecclesiæ, si illa consecretur, et alia quæ suprascripta sunt in paragrapho *Aqua igitur*, usque ad reliquiarum deportationem, videlicet usque ad *Aqua igitur*.

Hiis peractis, post hæc, vel si prius ara levata et collocata fuerat, statim præmissa Oratione « Dirigatur, etc., » Pontifex extergit mensam altaris cum linteo mundo, et mox turificat super illam in modum crucis in medio, et in quatuor ejus cornibus, inchoat, Scola prosequente, Responsorium « Dirigatur oratio mea, etc. » Et dum cantatur, circuit ter altare semper et continue thurificando.

Finito Responsorio, inchoat Scola prosequente Antiphonam « Erexit Jacob lapidem, etc. » Psalmus, « Quam dilecta tabernacula, » totus dicatur sine « Gloria Patri, » et unus Sacerdos continue thurificat altare per circuitum, donec consecratio finiatur. Dum autem dicuntur Antiphona et Psalmus, Pontifex facit crucem de oleo sancto cathecumenorum cum pollice in medio altaris, et in quatuor ejus cornibus, in locis illis in quibus fecerat prius cruces de aqua benedicta, dicens faciendo singulas cruces : « Sanctificetur et consecretur lapis iste. In no- » mine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti, » in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, » et omnium Sanctorum ad nomen et memo- » riam talis Sancti. S. Pax tibi. »

Deinde incipiens iterum thurificare altare, inchoat, et Scola prosequitur, Antiphonam « Dirigatur ad te, Domine, etc. » Et dum cantatur, circuit semel altare, thurificando illud; deinde dicit : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Adsit, » quæsumus, Domine, misericordiæ tuæ, etc. »

Oratione finita, inchoat, et Scola prosequitur, Antiphonam « Mane surgens Jacob, etc. » Psalmus, « Bonum est confidere in Domino, » totus dicitur sine « Gloria Patri, » repetendo Antiphonam per singulos versus, si necesse fuerit. Et dum dicuntur Antiphonam et Psalmus, Pontifex facit iterum cruces cum pollice de crismate, sicut fecit de oleo sancto in eisdem locis, dicens : « Sanctificare (*a*), etc., » et thurificans, et inchoans Antiphonam « Dirigatur, » prout in præcedenti unctione dixit et fecit usque ad Rubricam illam § *Et dum cantatur, etc.* Quibus expletis, dicit : « Oremus, » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Adesto, » Domine, dedicationi hujus, etc. » Alia Oratio quam quidam dicunt : « Omnipotens sempiterne » Deus, altare hoc, etc. »

Deinde incipit Episcopus, et Schola prosequitur, Antiphonam « Unxit te Dominus, etc. » Psalmus, « Eructavit cor meum, etc., » totus dicitur repetendo ipsam Antiphonam, si necesse fuerit, per singulos versus. Dum autem Antiphona et Psalmus dicuntur, facit Episcopus cruces de crismate sancto, cum eodem pollice, in eisdem locis in quibus prius eas fecit de oleo sancto, dicens et thurificans, inchoans Antiphonam « Dirigatur, » ut in prima unctione de oleo dixit et fecit. Post hæc dicit : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. De- » scendat, quæsumus, Domine Deus noster, » Spiritus tuus sanctus, etc. » Qua dicta inchoat, et Scola prosequitur, Antiphonam « Sanctificavit » Dominus tabernaculum, etc. » Psalmus, « Deus

(*a*) Puto legendum *sanctificetur, etc.* Sunt etiam et alii errores, quos lectoris judicio corrigendos relinquo.

Digitized by Google

» noster, refugium et virtus, » totus dicitur sine « Gloria Patri, » et si necesse fuerit, repetatur Antiphona per singulos versus. Dum vero dicuntur Antiphona et Psalmus, fundit et spargit oleum et crisma, confricans, liniens et perungens totum manu sua. Quo facto, incipit, et Scola prosequitur, Antiphonam « Ecce odor filii » mei, etc. » Psalmus, « Fundamenta ejus in » montibus sanctis, » totus dicitur sine « Gloria » Patri. Oremus. » Oratio. « Lapidem hunc, » Fratres charissimi, in quo unguentum, etc. »

Qua dicta, inchoat Scola et prosequitur Antiphonam « Lapides pretiosi, etc. » Psalmus, « Lauda, Jerusalem, Dominum, » totus dicitur cum « Gloria Patri. » Quod in superioribus non dicitur. Et si ecclesia consecratur, dum ipsa Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex circuit ecclesiam, et facit cruces intrinsecus; incipiens enim post altare ab oriente girat se, et procedit versus aquilonem, faciens XII cruces de crismate cum pollice super XII cruces in parietibus depictas, super quas sunt XII candelæ illuminatæ affixæ, dicens faciendo unaquamque crucem : « Sanctificetur et consecretur hoc » templum, etc., » thurificando singulas cruces; et cum expletus fuerit prædictus Psalmus cum Antiphona, dicat Sequentiam : « Laudes crucis » attollimus, » vel Responsorium « Hæc est Je» rusalem civitas sancta. » Et si necesse fuerit, Responsorium « Plaude, Jerusalem. »

Hiis peractis, ad altare revertitur, et thurificans super illud, inchoat Antiphonam sequentem : « Ædificavit Moyses altare Domino Deo. » Quando vero ecclesia non consecratur, sed solum altare, non fiunt prædicti circuitus et cruces, sed statim dictis prædicta Antiphona et Psalmo, inchoat, Scola prosequente, Antiphonam « Ædificavit Moyses, etc. » Et mox dicit : « Oremus; » et Dyaconus : » Flectamus genua. » Levate. » Oratio. « Dei Patris omnipotentis » misericordiam deprecemur, dilectissimi Fra» tres, ut hoc altare sacrificiis spiritualibus, etc. »

Deinde benedicat incensum super altare cremandum. Benedictio incensi. « ℣. Domine, exaudi » orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te ve» niat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu » tuo. Oremus. » Oratio. « Domine Deus omni» potens, cui astat exercitus Angelorum, etc. »

Incenso itaque benedicto, format propria manu quinque cruces ex eo, videlicet quamlibet de quinque granis incensi super illa quinque loca altaris in quibus cruces de aqua benedicta, et oleo, et crismate prius factæ fuerunt; et super quamlibet crucem thuris ponat unam crucem factam de subtili candela ad mensuram illius; et cujuslibet crucis capita sint illuminata, et sic etiam thus incendatur et cremetur, et, si velit, ponat binas cruces de candela, ut thus citius comburatur. Omnibus autem crucibus accensis, flexis coram altari genibus, inchoat, et Scola prosequitur, « Alleluia. Veni, sancte Spiritus, » reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in » eis ignem accende. Ascendit fumus aromatum » in conspectu Domini de manu Angeli. » Offertorium. « Stetit Angelus juxta aram tem» pli, etc., » et finitur sine « Alleluia. » Potest etiam repeti, si necesse fuerit, præmissum Responsorium « Dirigatur oratio mea. » Quibus finitis, Pontifex ante altare stans, dicit : « Ore» mus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. » Levate. » Oratio. « Domine sancte, Pater » omnipotens, æterne Deus, clemens et propi» tius, etc. »

Post hoc combustis candelis et thure, cineres illius combustionis abrasi ab ara altaris cum spatulis ligneis parvis collecti in aliquo vase, projiciantur in fontes, et Pontifex ante altaris gradus dicit iterum : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Deus » omnipotens, in cujus honore, et beatissimæ » Virginis Mariæ, etc. »

Deinde dicit media voce junctis manibus ante pectus Præphationem : « Per omnia secula se» culorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. » ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum corda. » ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus » Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum » est. » Præfatio S. Ambrosii. Hæc Præphatio non dicitur, quando ecclesia consecratur. « Vere » dignum et justum est, æquum et salutare, » nos tibi semper et ubique gratias agere, Do» mine sancte, Pater clemens, cujus nec initium, » nec finis, etc. »

Præphatione finita, ungit cum crismate frontem altaris in modum crucis, inchoans, Scola prosequente, Antiphonam « Confirma hoc, » Deus. » Psalmus « Exurge, Deus, » et dicitur totus cum « Gloria Patri. » Oremus. « Majes» tatem tuam, omnipotens Deus, humiliter im-

Digitized by Google

» ploramus, ut hoc altare sacræ unctionis li-
» bamine, etc. »

Subsequenter cum crismate inungit in modum crucis conjunctiones mensæ seu tabulæ, et tituli seu stipitis in quatuor angulis quasi illa conjungens et singula, dicens in qualibet cruce : « In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et » Spiritus ✠ sancti. Amen. » Deinde dicit : « Oremus. Supplices, te deprecamur, omnipo- » tens æterne Deus, per unigenitum Filium » tuum, etc. »

Postea Subdiaconi abstergant diligenter cum mundo linteamine mensam altaris; et deinde ipsis præsentantibus linteamina nova, et munda vasa, et ornamenta quæcumque ad cultum Dei et ecclesiæ pertinentia, Pontifex illa benedicit, dicens : « ℣. Adjutorium nostrum in nomine » Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram. » ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oremus. Omnipotens et misericors Deus, qui » ab initio utilia et necessaria, etc. »

Hiis peractis, Ministri vestiant altare linteaminibus et ornamentis benedictis, superposito prius crismali, sive panno lineo ad mensuram altaris facto, et iterum Scola cantet Antiphonam : « Circumdate, Syon Levitæ, altare Do- » mini Dei, vestite vestimentis albis, estote et » vos canentes ymnum novum, dicentes : Alle- » luia. » Psalmus « Mirabilis Deus in Sanctis » suis. Gloria Patri. » Alia Antiphona : « Cir- » cumdate Syon, et complectimini eam, narrate » in turribus ejus. » Psalmus « Magnus Domi- » nus. » Quidam etiam dicunt sequentem Antiphonam; non dicatur tamen : « Induit te Do- » minus tunica jucunditatis, et imposuit tibi » coronam. Et ornavit te ornamentis sanctis. » Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ » adorabunt te. » Post : « Et ornavit te. Natio- » nes de longinquo ad te venient, et munera » deferentes adorabunt Dominum, et terram » tuam in sanctificatione habitabunt, et nomen » magnum invocabunt te. » Post : « Et ornavit » te. Benedicti erunt qui te hedificaverunt, tu » autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes » benedicentur, et congregabuntur ad Domi- » num. » Post : « Et ornavit te. In velamento » alarum tuarum protege nos, Domine, et in » laude tua gloriemur. » Psalmus, « Deus, Deus » meus, » totus dicitur. Postea dicitur Responsorium « Ornaverunt faciem templi, etc. ℣. Ada- » periat Dominus. » Require in Responsorio.

Hiis dictis, thurificat ter super altare in modum crucis, dicendo ad quamlibet thurificationem Antiphonam : « Omnis terra adoret te, et » psallat tibi; Psalmum dicat nomini tuo, Do- » mine. Oremus. » Oratio. « Descendat, quæsu- » mus, Domine Deus noster, Spiritus sanctus » tuus, etc. »

Post vero velatum et thurificatum altare dicitur coram eo hæc Oratio : « Omnipotens » sempiterne Deus altare hoc, etc. ℣. Dominus » vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Benedica- » mus Domino. Deo gratias. »

Prædictis omnibus expeditis, Pontifex ingreditur sacrarium, et parat se, si velit, ad Missam. Introitus : « Dicit Dominus : Sermones mei, etc. » Require in festo S. Clementis. Collecta. « Exau- » di, Domine, preces nostras, ad sanctificandum » nomini tuo hoc altare benignus adesto, ut » Sacramentorum hic virtus et votorum omnium » obtineatur effectus. Per Dominum nostrum. » ℟. Amen. »

Alia collecta dicatur in commemoratione Sancti in cujus honore altare dedicatur, vel quorum reliquiæ ibi recluduntur, et dicantur ambæ sub uno « Per Dominum, etc. » Oratio. « Magnificet te sanctorum tuorum S. ꝟ beata » solemnitas, qui et illis gloriam sempiternam, » et opem nobis ineffabili providentia contulisti. » Per Dominum. »

Epistola. Lectio Isayæ Prophetæ : *Hæc dicit Dominus : In illa die deferetur Domino munus exercitium, et Rex fortis dominabitur eorum. In illa die erit altare Domini in medio terræ, et cognoscetur Dominus, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent. Et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos, in die illa; et erit illis benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus, et opus manuum mearum, et hæreditas mea Israel, dicit Dominus omnipotens.* « ℟. Tollite hostias. » Require sub feria v, sub Dominica de passione. « Alleluia. ℣. Redemptionem. » Require sub Dominica III post Pascha.

Evangelium. « Amen dico vobis, nisi abundaverit. » Require sub Dominica v post Pentecosten. Offertorium. « Ædificavit Moyses. » Require sub Dominica XIX post Pentecosten. Secreta. « Omnipotens Deus, altare hoc nomini tuo, etc. »

Digitized by Google

Require superius sub altaris consecratione ; et alia Secreta, et dicuntur ambæ sub uno « Per » Dominum. »

Postcommunio. « In tuorum, Domine, pretiosa » morte justorum sacrificium illud offerimus, a » quo Martyrum sumpsit omne principium. » Per Domiuum, etc. »

Benedictio super populum. « Omnipotens » sempiterne Deus, qui nos hodierna die ad » consecrationem, etc. » Communio. « Tollite » hostias, etc. » Require in eadem Dominica. Postcommunio. « Ostendat, quæsumus, etc. » Require sub Rubrica in altaris consecratione. Alia Postcommunio, et dicuntur ambæ sub uno « Per Dominum. Sit nobis, Domine, Sacra- » menti tui certa salvatio, quæ beatorum san- » ctorum tuorum S. meritis imploratur. » Require infra sub altaris portatilis consecratione.

ORDO V.

Ex Euchologio, seu Rituali Græcorum, a viro clarissimo Jacobo Goar edito, pag. 655 et seqq.

Die præcedente Præfectus ordinationibus, qui sacer (*a*) Suggestor est, aut quivis alius cui ministerium Ecclesiasticum est commissum, in templum illud se confert, providetque lapicidas mensam præparare, columnisque, prout locari debet, imponere. Hisque ita dispositis, adveniens Pontifex, sanctorum Martyrum particulas tres, post sacra celebrata, deponendas assumit. Et columnæ (*b*) quidem, in præparato velut sepulcro, mensam sustentant in solo, columnarum videlicet interstitio ad Orientem urgente : sin autem illam fulcit ara, sive unico lapide excitata, sive pluribus coagmentata ; in effosso ab artifice loculo in aræ medio, ad illam ejus partem quæ recta consessum respicit. Tres vero particulas prædictas folliculo (*c*) kanstrio, id est sacculo, cum quo etiam deponi debent, inclusas, ipsumque sacculum in sancto Disco ordinant, et imposita stella Disci, cooperit velamine, cunctaque asportata in venerando aliquo templo vicino, ubi et Lucernarium, Vigiliæque (*d*) Nocturnæ, et Matutinum celebratur, collocat.

Sequenti vero luce cunctos prævenit memoratus Ecclesiæ Minister, et commoda cuncta præparat ut pote quæ nova et intacta esse debent;

(*a*) Suggestor apud scriptores idem est ac cæremoniarum Magister. Est quidem in Ecclesia Constantinopolitana officium, cui curæ erat Patriarchæ celebranti cæremonias et verba suggerere. De sacro Suggestore ita legimus in Catalogo officialium Constantinopolitanæ Ecclesiæ recensito a viro clarissimo Leone Allatio ex manuscripto codice antiquissimo : *Sacer Suggestor codicem Missalem ecclesiæ servat : si Patriarcha defuerit, Lectores crucis signo instituendi, et novas ecclesias dedicandi curam assumit.* Suggestorem sacrum solo Diaconatus ordine promotum esse debere admonet Joannes Citrius, responso IX, lib. V *Juris orientalis.* Ejus siquidem sicut et reliquorum Græcorum opinio est, a nullo gradus vel ordinis sui limites transcendendos, nec a Sacerdote Diaconi, nec a Diacono Sacerdotis munus propter decorum et rectum ordinem exsequendum : ut nimirum recte et inconfuse munia sua obeant. Vide Balsamonem in can. XXXIV Carthaginensem. Porro sacro Suggestori disponendorum præviæ cunctorum dedicationi necessariorum curam imponunt Græci ; ipse etenim ut Ordinationibus sacris, ita et consecrationi cuilibet præficitur. Etsi autem auctores passim de Officialibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ dicant, si Episcopus non adfuerit, sacro Suggestori Ecclesias recens exstructas dedicandi curam incumbere ; id quidem non ita intelligendum est, ut ipse velut præcipuus consecrationis minister eam perficiat, sed ut Pontificem advocet, et in hac provincia substitutus assecla præsto adsit, facienda dicendave cuncta suggerat, admotaque auxiliaria manu cuncta consecrationi requisita et accommoda subministret, ut scite docet memoratus Jacobus Goar aliique docti scriptores.

(*b*) Quod pluribus columnis, vel uni soli, mos olim fuerit ut altaris mensa superjaceret, dictum superius fuit initio tituli IV.

(*c*) Junius apud Gretserum κάνστριον thuribulum interpretatur : Gretserus ipse κάνστριον, quasi κανίστριον *canistrum* a Græcis modernis vocitatum dici asserit. Cui sententiæ concinit Isaacius Haberti in nota marginali ad II partem Liturgiæ Ordinum, pag. 18, ubi ait castrisium idem esse ac vestiarium in Romana Ecclesia : tum Codinum citat, apud quem legitur *Canstrisius canistro præfectus, et mutandis Pontificis vestibus.* Dominicus Macryus in suo *Hierolexico*, verbo *Canstrisius*, ait quod is *sacra Patriarchæ paramenta custodiebat, et eumdem ad induendum coadjuvabat, thuribulum deferebat, populumque aqua benedicta aspergebat.* Existimant alii κάνστριον a voce græca derivari, proprieque ac germane naviculam incensi, non vero ipsum thureum vas significare. Ejusque opinionis inter alios est eruditissimus Goar.

(*d*) Stephanus Durantus, lib. III *De ritibus Catholicæ Ecclesiæ*, cap. V, Vigilias nocturnas sanctas illas et antiquas Vigilias esse censet, quibus cultui divino deputati totam noctem in quatuor Vigilias sive *Nocturna* dispertiebantur. De ritu celebrandarum Vigiliarum ante reliquias Sanctorum, quæ in altari condi deberent, itemque Nocturnorum canendorum nocte dedicationem ecclesiæ præcedente, vide quæ superius fuse diximus in Commentario § IV tit. III.

Digitized by Google

hocque numero singula quæque comprehenduntur : sabana, sive linteamina alba duo : mantilia, hoc est manutergia, tria : cingula tria : tapetes et pulvinar : charta canabina (*a*) in medio divisa, id est duplicata, sive pergamenum ad labra, sive latera columnarum mensam suffulcentium extensum : cinctoriola quæ tenues funiculi sunt, mastix (*b*), cera, tritumque marmor, simulque cum eis aloe, myrrha, thus, gemma Ladani (*c*), et oculis adorata, quæ quidem in olla simul mixta diluuntur : ollæ vas focarium, situla, sive infundibulum dicere mavis, ærea, vel testacea; spongiæ insuper quatuor, linteamen tersorium, lampas, quæ et lucerna dicitur, et luminare : ellychnii fulcrum, ipsumque ellichnium, vasaque profundiora duo, hoc quidem oenanthe, vel vino, et aliud colathus nomine unguento sacro plenum : eo quod colathus mensuram continet mediam hygrosaitæ, id est sextaria viginti quinque, libras unam supra quadraginta, unciasque octo conflantia.

His itaque præparatis, ceram ferventem cum reliquis speciebus in olla liquefieri jubet, et eorundem quantitati, columnarumque multitudini tritum marmor correspondens admisceri. Mobile deinde quodcunque (*d*) e templo educi. et neque lampadem accendi præcipit.

Adveniente autem Pontifice, mensa quidem e columnis inferius demittitur, et muro alicui suffulcienda apponitur, laicus vero quilibet (*e*) foras ejicitur, solique intus reliqui Clerici et Ministri cum necessariis ad consecrationem remanent. Mox undique clausis templi valvis, Pontificium omnem ornatum Pontifex assumit, assistentesque pariter Sacerdotes et Diaconi propriis sibi induuntur vestibus. Ipsi vero consecrationis opus jamjam aggressuro, super sacro amictu, linteum (*f*) adjicitur a pectore ad pedes usque, a parte anteriori defluens, a posteriori vero utrumque ejus extremum axillas submeat, et ad deorsum delatum, unum cum alio colligatur, zonaque tandem circa corpus medium constringitur. Ad utramque pariter brachium mantile fasciis vinciendum apponitur.

Hoc pacto ornatus, cum comitantibus ad altare ingreditur; eoque præcipiente (*g*) chartam, ii quibus est ingenium, accipiunt, ut locis ex ea dependentibus, quæque ad vinciendum sint satis, unamquamque mensæ columnam circumdent. Secant igitur illam, quantum sufficit. Oportet vero superiorem chartæ partem columnæ capiti applicari; illamque complicant, non ex æquo, sed breviori plica, quæ introrsum vergit, et columnæ eminet, inferior autem ejus pars simpla manet. Fervens namque mastiche ceræ admixta desuper infundenda est ; ideoque chartam esse duplam necesse est, ut mastichen contineat, sed et eminere illam convenit circumcirca, quantum digiti mensura capit, ne ceromastiche diffluat. Hoc itaque pacto, ut præfatum est, columnam unamquamque charta involvunt, et exterius, ter supra, terque infra, corrigia circumplexa adstringunt : tum superni infernique vinculi extrema in hunc finem dependentia, ad invicem circa medium adducunt, et ad invicem permutant, ut inter superam inferamque colligationem in medio, ex anteriori parte crucis figura efformetur. His peractis columnarum circumferentiis supernis marmor tusum circumponunt juxta effluentes chartæ plicas, id est in medio inter columnas chartasque alligatas spatio, ne vel tenui rimula ceromastiche elabatur.

(*a*) Canabis, seu cannabis, herba est ex qua tela conficitur, ex qua deinde conficitur charta, estque inter ipsam et pergamenum discrimen.

(*b*) Mastichen, ceram, marmor tritum, et alia simul misceri cæmento, seu glutino conficiendo, quo altaris basi tenaciter adhæreat, quilibet intelligit. Videatur in *Euchologio* Officium de stabilienda altaris mensa, si quandoque mota fuerit. Simeon Thessalonicensis, in libro *De Sacramentis*, ait ea adhiberi in dedicatione ecclesiæ ad significandum *Christi ad mortem usque propter nos amorem et unionem.*

(*c*) De hac voce sicut et de aliis plurimis quæ in hoc Ordine occurrunt longum esset disserere, consulere poterit lector *Hierolexica Ecclesiastica Græca*, ac præsertim Carolum Ducange in suo *Mediæ et infimæ græcitatis Glossario.*

(*d*) Suppellex cuncta mobilis e templo consecrando cur educatur, rationem hanc reddit Simeon episcopus Thessalonicensis : *Templum ipsum perfectum esse oportet : neque deinceps quidquam ab eo amoveri.*

(*e*) Est is quidem Ecclesiæ Latinæ ritus, ut, Pontifice consecraturo ecclesiam, cunctis inde exire jussis, unus solus Diaconus in templo consecrando remaneat, amictu, alba, cingulo et stola albi coloris paratus.

(*f*) Ob quem finem tribus linteaminibus pectus et brachia Pontificis Græci templum consecraturi præcingantur, fuse ac mystice memoratus Thessalonicensis explicat.

(*g*) Charta hæc quomodo unicuique altaris columnæ aptanda sit, ibidem satis exprimitur.

Digitized by Google

Olla deinde delata columnis ceromastiche infunditur, quousque mediæ chartarum cavitates et labra compleantur. Sibi vero aliquo tempore relinquitur, ut frigescat, ferventem enim esse oportet; et Orationem istam dicit Pontifex :

« Domine Deus, et Salvator noster, qui pro » generis humani salute cuncta præstas et mo» deraris, nostri indignorum servorum tuorum » preces suscipe, et in hora præsenti ad hujus » templi laudibus tuis celebrandis, sub nomine » sancti N. erecti, encænismum absque crimine » perficiendum, et in eo extructionem altaris » absolvendam, idoneos nos redde. Quia conve» nit tibi omnis gloria, honor et adoratio : Patri, » et Filio, et sancto Spiritui. »

Et audito « Amen, » cum assistentibus sibi Sacerdotibus et Diaconis, mensam Pontifex apprehendit, advocato etiam in auxilium, si opus fuerit, aliquo artifice, eamque columnis superimponunt, cantantes usque tertio (*a*) Psalmum centesimum quadragesimum quartum : « Exal» tabo te, Deus meus Rex : et benedicam no» mini tuo in seculum seculi; » et reliqua usque in finem.

Deinde gloriam Deo reddunt; et erasa ceromastiche defluente, et expurgatis in quos defluxit locis, iterum Psalmum vigesimum secundum recitant : « Dominus regit me, et nihil » mihi deerit; » et reliqua usque in finem.

Mox gloriam Deo reddunt. Et dicit Pontifex : « Benedictus Deus noster, perpetuo, nunc, et » semper, et in secula seculorum. Amen. » Et dicto « Amen, » manibus undique sensim mensam premunt, ut columnis coaptetur et recte stabiliatur. Hæc autem cuncta fiunt, cum pluribus vel una sola columnis mensa sustentatur : sin autem aræ quadratæ quadrata quoque mensa superponatur, quatuor angulis ceromastiche infunditur; eodemque pacto propria sede mensa locatur; at si ex variis marmoribus sit compacta, cetera quidem ab artifice coagmentantur, quadratum vero medium ceromastiche, nulla tamen alligata charta, aliove quopiam adjecto, collocatur.

Erecta itaque hac ratione mensa, ad sacras fores pulvinar confestim apponitur; et Archidiacono : « Adhuc et insuper genua flectite, » exclamante, Pontifex flexis genibus hanc Orationem dicit :

« Deus, principii expers et æterne, qui e ni» hilo cuncta ad esse adduxisti, qui lucem ha» bitas inaccessibilem, cœlum in thronum pos» sides, et in pedum tuorum scabellum, terram : » qui Moysi præceptum et exemplar dedisti, » Beseleel vero sapientiæ spiritum contulisti, ut » ad tabernaculi testimonii, in quo cultus sin» ceri, legitimæ et veritatis imagines et figuræ » eminebant, perficiendam compagem idoneos » illos redderes; qui cordis latitudinem Salo» moni contulisti, vetusque templum ejus erexis» ti ministerio; veri autem in spiritu cultus, » verique tabernaculi gratiam in celebrandis » tuis Apostolis innovasti, per eos autem san» ctas ecclesias tuas et altaria tua, Domine vir» tutum, in quibus sacræ et incruentæ sunt tibi » hostiæ offerendæ, ubique disseminasti ; qui et » hocce templum in nomine sancti N. ad tuam, » et unigeniti Filii tui, et sanctissimi tui Spiri» tus gloriam extrui præcepisti, ipse immorta» lis, et magnifice Rex misericordiæ, et pietatis » tuæ recordare, nec nos peccatorum copia in» quinatos abomineris, neque propter impuri» tatem nostram testamentum tuum prophanum » reddas : verum præteritis delictis nostris cor» robora nos, et gratia, adventuque vivifici et » sancti tui Spiritus, hujus templi tui dedicatio» nem ejusque altaris consecrationem absque » peccato absolvere nos permitte, ut in eo in » Psalmis, et Hymnis, et mysticis ministeriis » tibi benedicamus, et clementiam tuam jugiter » extollamus. Ita fiat, dominator Domine Deus » noster, spes omnium finium terræ, peccato» res nos te rogantes exaudi, et Sanctum tuum, » et adorandum, et omnipotentem Spiritum » tuum mitte, et domum istam sanctifica. Luce » sempiterna comple illam, in habitationem » tuam elige illam, sedem gloriæ tuæ constitue, » divinis et supramundanis gratiis exorna; flu» ctuantium portum, dolorum remedium, in» firmorum refugium, dæmonum terriculum » illam effice, ut sint oculi tui aperti super illam » die ac nocte, et aures tuæ intentæ ad preces » cum timore et pietate in eam intrantium, et » honorandum adorandumque nomen tuum

(*a*) Multis precibus, Orationibus ac Psalmis celebrari jam olim consuevisse ecclesiarum dedicationem apud Latinos, notavimus supra in Commentariis nostris ad titulum II. Hunc morem et in Ecclesia Græca servatum, ex præsenti Ordine liquet.

Digitized by Google

» invocantium : cum rogaverint, tu exaudies » illos in cœlo desuper, et facies misericordiam, » et propitius eris. Inconcussam ad finem usque » seculi conserva, et erectum in ea altare San- » ctum Sanctorum esse, sancti tui Spiritus vir- » tute et opera, manifesta. Præter legale propi- » tiatorium illam gloria adauge, ut sacra in ea » peracta, ad Sanctum, et intellectuale altare » tuum penetrent, et inviolatæ tuæ protectionis » gratiam nobis referant : non enim in manuum » nostrarum ministerio, sed inenarrata tua pie- » tate spem reponimus. »

Diaconus erectus dicit : « Suscipe, salva, mi- » serere, et custodi nos, Deus, tua gratia. » Populus respondet tertio : « Domine, miserere. » Deinde Diaconus : « In pace Dominum prece- » mur. Pro superna pace et salute animarum » nostrarum, Dominum precemur. Pro pace » totius mundi, bono statu sanctarum Dei Ec- » clesiarum, et cunctorum concordia, Domi- » num precemur. Pro Archiepiscopo nostro N. » et opere manuum ejus, pro assistentibus ipsi » Sacerdotibus, et Diaconis, et reliquis, Domi- » num precemur. Ut ædes hæc erectumque in » ea altare, adventu, virtute et opera sancti Spi- » ritus sanctificetur, Dominum precemur. Pro » pientissimis, et a Deo custoditis imperatoribus » nostris, omni populo, et eorum exercitu, Do- » minum precemur. Pro urbe hac, omni civitate » et regione, fidelibus in eis habitantibus, Do- » minum precemur. Ut liberemur ab omni an- » gustia, flagello et necessitate, Dominum pre- » cemur. Suscipe, salva, miserere, et conserva » nos, Deus, tua gratia. Sanctissimæ, illibatæ, » super omnes benedictæ Dominæ nostræ Dei- » paræ, et semper Virginis Mariæ, et Sancti, » cujus est dedicatum templum, cum omnibus » Sanctis memoriam agentes, nos ipsos et invi- » cem Christo Deo commendemus. » Exclamando : « Quia tu sanctus es, Deus noster, et » in sanctis venerandis Martyribus pro te præ- » liatis requiescis. Et tibi gloriam referimus, » Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et » semper, et in secula seculorum. Amen. »

Et dicto « Amen, » ingreditur Sacerdos, et coram sancta mensa stat, et mantili candido assumto, tres cruces illo exprimit, medium unam, et hinc inde duas : et ex olla fervida in situlam aut malluvium (*a*) aqua tepida infunditur; et capite inclinato hæc precatur : « Domine Deus » noster, qui per salutarem tuum adventum, » Jordanis fluenta sanctificasti, ipse nunc Spiri- » tus tui sancti gratiam mitte, et aquam istam » ad consecrationem et consummationem altaris » tui benedic. Quia benedictus es in secula se- » culorum. Amen. »

Oratione hac finita, tepidam illam aquam cruciformiter altari superinfundit, dicens : « In » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Tum ipsam mensam columnasque mantili extergunt, Pontifex, inquam, et assistentes ipsi Sacerdotes, et Pontifices spongiis idem officium præstant : exiccant deinde purioribus et subtilioribus linteis, qualibus magna feria quinta solent uti in sanctæ mensæ (*b*) ablutione, aut certe, si tamen consecranda sint antimensia adhibent, superinfusa illis, quantum satis est, aqua tepida. Dum hæc peraguntur, dicitur Psalmus octogesimus tertius : « Quam dilecta » tabernacula tua, Domine; » et reliqua usque in finem.

Perfecta vero ablutione et abstersione, laudem Deo reddunt; et dicit Pontifex : « Gloria » Deo nostro in secula. » Sacerdotibus autem alicubi vicino in loco antimensia reponentibus, accipit Pontifex bocale vino (*c*) plenum, terque

(*a*) Aqua tepida jamjam in crucis modum conformiter ad latinum morem altari infundenda hic benedicitur; ejusque ritum exponit Simeon episcopus Thessalonicensis. Unde vero Latini frigida, Græci calida aqua in altari benedicendo utantur, ex aquæ calidæ in eorum Liturgia usu, et ex Græcorum auctorum interpretatione alibi declaravimus.

(*b*) Non modo apud Græcos, ut in *Euchologio* videre est, sed et in aliquibus Ecclesiis Latinis, ex antiquo more, servatur hodieque ritus abluendi altare majus in die Cœnæ Domini. De quo ritu vide virum clarissimum Joannem Christophorum Battellum.

(*c*) Vino separatim non utitur Latina Ecclesia in dedicando altari, admistum est enim sali, cineri et aquæ benedictæ, uti videre est in Commentariis ad tit. II; sed et apud Græcos purum simplexque vinum non adhiberi in dedicando altari, sed fragrans valde, docet Thessalonicensis; aquamque rosaceam, de qua *Euchologium* hoc tacet, cum illo post primam ablutionem docet altari infundendam : « Postquam, inquit, abstersa fuerit mensa, vinum » odoratum et aqua rosacea producitur : et hæc sunt divino unguento prævia in sepulturæ Christi honorem, simul » et signum, quod altare hoc odoratum propter gratiam vinum, et ad exemplum Melchisedech vivificum offert Deo. »

Digitized by Google

ex eo in crucis modum, mensæ superinfundens, dicit : « Asperges me hyssopo, et mundabor; » lavabis me, et super nivem dealbabor. »

Hoc dicto, subjungit Psalmi reliqua usque ad finem, et laudem Deo reddens, dicit : « Bene- » dictus Deus noster, jugiter, nunc et semper, » et in secula seculorum. » Accepto deinde vase (*a*) chrismate puro pleno, et Archidiacono dicente « Attendamus, » infundit mensæ, prout moris est in baptismate, dum dicitur « Alleluia ; » et ex eo tres cruces efformat, unam mediam, et utrinque duas. Vase deinde sibi tradenti reddito, omnium superne e crucium unguento mensam ungit : et in unaquaque columna tres cruces exprimit, in medio nimirum, et in lateribus. Sacræ vero mensæ a Sacerdotibus repositis iterum antimensiis, e vino defœcato, vel alio simplici vino, et e chrismate, quantum sufficit, infundit ; diciturque præsens Psalmus centesimus trigesimus secundus : « Ecce quid bo- » num, et quid jucundum, quam habitare ; » et reliqua usque ad finem. Deinde laudant Deum, et dicit Pontifex : « Gloria tibi, sancta Trinitas, » Deus noster in secula. »

Mensa vero (*b*) antimensiis expurgata, auferuntur iterum illa a Sacerdotibus. Accipit autem Pontifex ad carnem dictum quod est sabanum (*c*) novum, aut purum linteum, e cujus quatuor extremis pendent tenues funiculi : quo in mensa expanso, nectuntur ad invicem funiculi subtus mensam cruciformiter, aut certe columnis circumligantur, atque ita rursus super mantile ad carnem vocatum, consecrata ponuntur antimensia.

Dum hæc aguntur, recitatur et hic Psalmus centesimus trigesimus primus : « Memento, » Domine, David, et omnis; » et reliqua usque ad finem. Hoc opere absoluto, laudem Deo dicunt : « Gloria Deo nostro in secula. »

His peractis, Pontifex lotis manibus, et novo mantili detersis, accipit mappam, hoc est sanctæ mensæ superiorem ornatum : quo expanso, dicitur et hic Psalmus nonagesimus secundus : « Dominus regnavit, decorem indutus est ; » et reliqua usque ad finem. Atque ita gloriam Deo reddunt.

Apponit quoque corporale, et tandem Evangeliorum librum. Et « Amen » dicto, traditur Pontifici thuribulum, eoque in sacra mensa, in sacrario et in toto templo thus (*d*) adolente, dicitur Psalmus vigesimus quintus : « Judica me, » Domine. » Assistentium vero (*e*) Sacerdotum aliquis pone Pontificem sequitur, unguenti (*f*) vas deferens, ex eoque in columnis singulis, et pilis, stelisve per templum (*g*) crucem pingit, et dicitur Psalmus vigesimus quintus : « Judica » me, Domine, etc., » usque ad finem. Suffimigationibus et Psalmis completis, laudem Deo dicunt ; et Diacono consuetam recitante Collectam, auditis his verbis, « Suscipe, etc., » et pariter, « sanctissimæ immaculatæ, etc., et san- » cti N. cujus est templum dedicatum, » et reliqua, Pontifex corum sancta mensa consistit, nec genuflectit, sed precatur hoc pacto.

(*a*) Quam antiquus sit ritus in Ecclesia Græca æque ac Latina adhibendi chrisma in dedicatione templi atque altaris, satis ostendimus supra in Commentariis nostris ad titulum II. Ait autem *Euchologium* infundi mensæ chrisma *prout moris est in Baptismate;* ut innuat, quod sæpe a nobis observatum fuit, ritus fere omnes in dedicatione templi adhiberi ad repræsentandum nobis dedicationis templi spiritualis per sacrum baptisma.

(*b*) Antimensia apud Græcos sunt quidam panni, altarium ritu et vice consecrati, quibus a multis sæculis utitur Ecclesia Orientalis, cum Liturgiam celebrari contingit in altari non consecrato. Theodorus Balsamon in *Expositione canonis* XXXI *Concilii Trullani :* « Ideo, inquit, reperta sunt antimensia, et fiunt a Pontificibus, quo tem- » pore celebrant dedicationem ecclesiæ, ut ponantur in sacris mensis, quando permissu Antistitis oblatio Liturgiæ » fit in oratorio. » Manuel Charitopolus, lib. III *Juris Orientalis*, antimensia non in omnibus altaribus poni docet, sed in his tantum de quibus nescitur an sint consecrata.

(*c*) Pannus ita dictus, manifestatque sindonem mortuum propter nos divinum corpus involventem, uti Simeon Thessalonicensis docet.

(*d*) Thus adhibitum in consecratione ecclesiæ et altaris, sat constat ex pervetustis Latinis Pontificalibus. Thessalonicensis ait quod in tota sacra æde thus incenditur, propter cœlestem Christi gratiam in orbe universo sparsam.

(*e*) Plures sacerdotes ac Episcopos in Ecclesia Latina dedicationibus templorum non modo ut testes, sed et cooperatores interfuisse, fuse in Commentariis nostris ad titulum II ostendimus.

(*f*) Nedum altaria, sed et parietes columnasque Ecclesiæ chrismate ungi solitas, utriusque Ecclesiæ consuetudo demonstrat.

(*g*) Usus antiquitatem conjicit eruditissimus Goar ex S. Gregorio Nazianzeno, qui in poemate *Somnium de Anastasia* inscripto ita inquit : « Inter alia templa ædes est etiam augusta Christi Discipulorum, lateribus cruce » signatis quadrifariam divisa. »

Digitized by Google

« Domine cœli et terræ, qui secreta sapien-
» tia sanctam tuam Ecclesiam fundasti, et Sa-
» cerdotii ordinem, ad instar Angelici in cœlo
» ministerii, super terram constituisti : tu, ma-
» gnifice Domine, suscipe nos deprecantes, non
» quasi pro talibus simus digni exposcere, sed
» ut tuæ pietatis immensitas declaretur : nun-
» quam enim variis modis humano generi be-
» nefacere desiisti, summamque tandem hono-
» rum omnium contulisti, unigeniti Filii tui in
» carne præsentiam, qui in terris visus, et ut
» salutis lux positis in tenebris irradians, obtulit
» seipsum pro nobis hostiam, totiusque mundi
» propitiatio factus, propriæ nos resurrectionis
» consortes effecit : et in cœlum assumptus,
» virtute ex alto, quæ et Spiritus sanctus, ado-
» randus et omnipotens, ex te Deo et Patre
» procedens, Discipulos et Apostolos, prout
» promiserat, induit : per quem potentes in
» opere et sermone effecti, adoptionis baptismum
» contulerunt, ecclesias erexerunt, statuerunt
» altaria, Sacerdotii leges et normas posuerunt;
» a quibus nos traditione accepta, tibi æterno
» Deo procidimus, et rogamus te, o clemens, hoc
» ad laudem tuam celebrandam templum condi-
» tum divina tua reple gloria, et erectum in eo
» altare sanctum sanctorum effice, ut et nos ipsi,
» velut tremendi regni tui throno adstantes,
» precesque pro nobis et populo facientes, et
» incruentam hostiam tuæ afferentes pietati ad
» spontaneorum, et non voluntariorum pecca-
» torum veniam, ad vitæ regimen, ad rectæ
» conversationis directionem, ad omnis justitiæ
» complementum, absque noxa tibi serviamus.
» Quia benedictum est sanctissimum nomen
» tuum, Patris, et Filii, et sancti Spiritus, nunc,
» et semper, et in secula seculorum. »

Et responso « Amen, » dicit : « Pax omnibus. »
Et Diacono dicente : « Capita vestra Domino
» inclinate, » dicit Orationem sequentem : « Gra-
» tias tibi agimus, Domine Deus virtutum, qui,
» super Apostolos tuos sanctos et beatos Patres
» nostros gratia tua primum effusa, usque ad
» nos peccatores et inutiles servos tuos magna
» tua benignitate illam extendere dignatus es :
» roganus ideo, valde misericors Domine, glo-
» ria, sanctitate et gratia altare hoc reple; ut
» oblatæ in illo incruentæ hostiæ illibati cor-
» poris et pretiosi sanguinis unigeniti Filii tui
» et Salvatoris nostri Jesu Christi, in populi tui
» nostræque indignitatis salutem transmutentur.
» Tu enim es Deus noster, et tibi gloriam re-
» ferimus, Patri, et Filio, et Spiritui sancto,
» nunc, et semper, et in secula seculorum. »

Responso « Amen, » dicit Diaconus : « In
» pace procedamus. » Et officium omne termi-
natur.

His peractis, præsentatur Pontifici lampas nova, et ellychnii fulcrum, ipsumque ellychnium et oleum : ipse vero oleo propriis manibus lampadem replens, ellychnio accenso, deponit eam (*a*) in altari. Ceterum deposito sabano, et mantili, et omni Pontificia veste, lampades, cereos, et reliquum templi ornatum Ministris ecclesiæ depromere permittit.

Dum hæc peraguntur, quiescit ipse tantisper. Et si quidem valeat totam illa die perficere templi consecrationem et dedicationem, cunctis rursus Pontificiis instructus ornamentis, cum Sacerdotibus reliquoque Clero, in aliud, in quo Martyrum reliquiæ sunt depositæ, templum se confert. Si vero inceptum opus ea die perficere nequeat, secedit quidem ipse. Rursum autem vespere Nocturnæ vigiliæ (*b*) et Matutinæ preces in templo Martyrum reliquias suscipiente celebrantur. Sequenti itaque die una cum Clero et populo ad illud Pontifex progreditur, et Diacono Collectæ Orationem pronunciante, Hymnoque ter sancto dicto, ipse precatur hoc pacto :

« Domine Deus noster, qui fidelis es in verbis

(*a*) Ut latinus Episcopus cereos cum thure et chrismate in altari comburendos accendit, ita et Græcus propria manu lampadem a se in altari reponendam et accendendam præparat; cujus arcanum sensum Simeon Thessalonicensis exponit his verbis : « Manibus vero suis super sacra mensa lampadem accensam in ejus honorem deponit, » eo quod Christi altare est, et Ecclesiam gratiæ lumine coruscantem, lumenque illud mundo suppeditantem » præfigurat. »

(*b*) Consentit et in hoc ritus Latinus cum Græco, ut in dedicatione templi Nocturnæ vigiliæ et Matutinæ preces celebrentur coram Sanctorum reliquiis, antequam ad ipsum templum deferantur. Ab alio autem templo in recens dedicatum solemniter reliquiæ inducuntur, ut novum templum novis quoque patrociniis protegatur, et velut e domo Obededom cœlestium benedictionum imbre inundata bonorum etiam spiritualium stillæ domum David irrigent, et felicem reddant.

Digitized by Google

» tuis et pollicitis stas, qui sanctis Martyribus » tuis bonum certamen decertare, et pietatis » cursum perficere, et veræ confessionis fidem » incolumem servare concessisti : ipse, sanctis- » sime Domine, precibus illorum flexus, par- » tem et sortem cum eis nancisci nobis indignis » servis tuis largire, ut illorum imitatores effecti, » repositorum ipsis bonorum consortes efficia- » mur, misericordia et humanitate unigeniti » Filii tui, cum quo benedictus es, cum sanctis- » simo, et bono, et vivifico Spiritu, nunc, et » semper, et in secula seculorum. »

Et dicto « Amen, » exclamat : « Pax omni- » bus. » Et Diacono dicente : « Capita vestra » Domino inclinate, » precatur hoc pacto :

« Domine Deus noster, precibus sanctæ Do- » minæ nostræ Deiparæ, et omnium Sanctorum » tuorum, nostrorum indignorum servorum » tuorum opera dirige, et in omnibus tuæ boni- » tati placere concede. » Exclamando : « Sit » virtus regni tui benedicta et laudata, Patris, » et Filii, et Sancti spiritus, nunc, et semper, et » in secula seculorum. »

Et responso « Amen, » cum sancto disco reliquias super caput elevat, et præcedentibus Sacerdotibus, Pontificibus, Clero et populo progrediuntur, præsentemque modulum dicunt Cantores tono tertio : « Qui in fidei petra Ec- » clesiam tuam fundasti, o bone, in ea preces » nostras dirige; et suscipe populum in fide tibi » clamantem : Salva nos, Deus noster, salva » nos. »

Vicini vero templo consecrato facti, præsentes modulos cantant tono gravi : « Sancti Mar- » tyres præclare præliati, coronati, etc. Gloria » tibi, Christe Deus, Apostolorum gloria, Mar- » tyrum, etc. » Alium tono tertio : « Firma- » mentum in te confidentium, etc. » Alium tono obliquo quarto : « Cœlestis artis conditor, etc. » Si vis, adde et alium tono obliquo primo : « Qui » terram super nihilo condidisti, etc. »

Cum autem ad templi portam adhuc clausam cum reliquiis advenerit Pontifex, exclamat : « Benedictus es, Christe Deus noster jugiter, » nunc, et semper, et in secula seculorum. » Et super mensam ad hoc pro dedicationis more præparatam Pontifice discum deponente, cantant illud : « Attollite portas (*a*). » Alii vero Cantores vicissim canunt ter illud : « Quis est » iste Rex ? »

Dum hæc canuntur, dicit Pontifex hanc Orationem : « Deus, et Pater Domini nostri Jesu » Christi, qui es benedictus in secula, qui per » carnis velamentum, ingressum Ecclesiæ pri- » mogenitorum in cœlis descriptorum, ubi fe- » stum agentium sedes est, et vox lætitiæ, dedi- » casti : ipse, Domine, respice in nos peccatores » et indignos servos tuos venerandi templi sancti » N. celebrantes dedicationem, in sanctissimæ » Ecclesiæ tuæ, id est tabernaculi nostri, ab » Apostolo quoque et percelebri Paulo templi » tui vocati, typum : inconcussum illud, et in » te gloria redundans, ad usque seculi finem » confirma, et in eo laudes et hymnos innoxios » gloriæ tuæ, et unigenito Filio tuo Domino » nostro Jesu Christo, et sancto tuo Spiritui, in » cognitione et omni legitimo sensu te cum tre- » more venerantes offerre, misericordiæ tuæ » dignos, acceptasque preces nostras pro nobis » et omni populo tuæ pietati oblatas, acceptas » fieri concede. Intercessionibus illibatæ Do- » minæ nostræ Deiparæ, et semper Virginis » Mariæ. Quia Sanctus es Deus noster, in San- » ctis requiescis; et tibi gloriam referimus, » Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et » semper, et in secula seculorum. Amen. »

« Pax omnibus. » Diaconus : « Capita vestra » inclinate. » Et hanc ingressus Orationem Pontifex recitat : « Dominator, Domine Deus » noster, qui ordines et exercitus Angelorum et » Archangelorum ad gloriæ tuæ ministerium » in cœlo statuisti : præsta in ingressu nostro » sanctorum quoque Angelorum pietati tuæ » nobiscum ministrantium ingressum cele- » brari. » Elata voce : « Quia convenit tibi omnis » gloria, honor, et adoratio, Patri, et Filio, et » sancto Spiritui, nunc, et semper, et in secula » seculorum. Amen. »

Et confestim iterum sacras reliquias cum disco (*b*) capiti superimponit, signatis omnibus,

(*a*) Dicuntur et hi versiculi juxta ritum Latinum, ubi Episcopus una cum sacris reliquiis ingressurus est templum dedicandum. Ex Simeone Thessalonicensi, « observatio et reclusio sanctarum valvarum, Sanctorum in » cœlum Ingressum, et quæ acta sunt ab Angelis in Christi ascensione significat. » De eo ritu fuse in Commentariis nostris disseruimus.

(*b*) Cur in sacro disco repositas capiti supposito deportet Pontifex reliquias, et in ipso Christi throno, altari

Digitized by Google

et reseratis valvis, ingredientibus, et dicunt Cantores præsentem modulum tono quarto : « Ut superni firmamenti decorem, et inferius » sancti tabernaculi gloriæ tuæ venustatem de- » monstrasti, Domine; in seculum seculi con- » firma illud, et in Deiparæ nomine nostras » preces jugiter in eo tibi oblatas accepta, o vita » et resurrectio omnium. »

Deinde primos dedicationis versus proprium habentes cantum concinunt. Quære in Menæo. His cantatis, venerandæ reliquiæ in præparato loculo, sive versus pavimentum inter columnas (*a*) altaris orientalem partem respicientes, si tamen columnæ mensam fulcierint, si vero ara solida illam sustentaverit, circa ejus mediam partem, versus Pontificiam Sedem *Consessum* dictam deponuntur. Unguentum (*b*) vero illis superinfundente Pontifice, loculo ab illo superponitur operculum, ejusque juncturæ ceromastiche (*c*), gypso vel plumbo conglutinantur : tum vero hanc Orationem tacitus apud se Pontifex recitat : « Domine Deus noster, qui gloriam » hanc pro te præliatis quondam Martyribus » contulisti, ut in omni terra, in sanctis tuis » ædibus eorum reliquiæ curationum fructibus » scaturientes disseminentur : ipse, Domine, » bonorum omnium largitor, precibus Sancto- » rum, quorum reliquias in venerando hocce » templo deponi voluisti, incruentam in illo tibi » hostiam a nobis offerri permitte, et omnia » nobis ad salutem pertinentia postulata con- » cede, in hoc quoque pro sancto tuo nomine, » Martyribus præliatis mercedem largitus, ut » opera miranda pro salute nostra perpetrent. » Quia tuum est regnum, Patris, et Filii, et » sancti Spiritus, nunc, et semper, et in secula » seculorum. Amen. »

Tum Missa (*d*) celebratur, et fit populi dimissio. Post Hymnum *Ter sanctus*, in Missa, dicitur Propositum. Tonus quartus. « Domum tuam, » Domine, decet sanctitudo. » Versus : « Do- » minus regnavit, decorem indutus est. »

Ad Hebræos Epistolæ lectio, cap. 3. *Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis vestræ, Jesum Christum, quia fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantum ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam; omnis namque domus fabricatur ab aliquo : qui autem omnia creavit, Deus est.*

« Alleluia. » Tonus quartus. « Te decet » hymnus, Deus. » Versus : « Replebimur in » bonis. »

Evangelium ex eo quod est secundum Matthæum. *In illo tempore : Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem me dicunt homines, esse filium hominis? At illi dixerunt : Alii Joannem*

nempe, collocet, ita memoratus Episcopus Thessalonicensis explicat : « Sanctificatæ sunt reliquiæ, membra Christi » sunt Sancti, et ejus altaria, et ut pote ejusdem hostiæ, in sacratissimo reponuntur disco, quia æqualis cum Do- » mino consortes sunt gloriæ, pro eo præliati, et in dedicata mensa recumbunt, quandoquidem commortui sunt » Christo, et divino gloriæ ejus throno adstant; propterea que in capite cum disco reliquias attollit Pontifex, ut et » divina Mysteria, Corpus et Sanguinem Domini. Sic namque fidelibus cunctis edidit Paulus : *Vos estis corpus » Christi; et membra utique ejus erunt, qui pro eo decertaverunt, et ejus mortem sunt imitati.* »

(*a*) Sub altari audivit Joannes in Apocalypsi, cap. 6, Sanctorum animas clamantes, quia jam in ecclesiis sub altaribus sedem repererant eorum corpora, vel ex Apostolico instituto, vel ex primorum Christianorum pia consuetudine, qua sacris conventibus circa Martyrum sepulcra primo celebratis, eadem sepulcra in Christi altaria sint immutata, et quælibet altaria substratis Sanctorum reliquiis deinceps consecrata. De quo ritu abunde in Commentariis dictum est.

(*b*) Tabulæ cui in altaris sepulcro includuntur reliquiæ, chrisma quidem Latini infundunt; Græci reliquias ipsas chrismate superfuso irrigant, eumque ritum sic exponit Episcopus Thessalonicensis : « Reliquiæ in loculo » argenteo, æreo aut lapideo reconduntur, illisque sacrum unguentum infunditur; conjuncti sunt enim Christo » Deo unguento vero, et odore gratiæ Martyres pleni sunt; sepulturamque Christi manifestant, sub sepulcro siqui- » dem Christi, sacra nempe mensa, cum eo sepulti sunt. » Tum ita subjungit inferius : « Subtus mensam vero » reponuntur intra theram in duarum columnarum ad orientem vergentium medio; columnæ siquidem et ipsi » fidei sunt; et confessione sua, et sanguine Christum occasus expertem æmulati, et imitati suffulcierunt » Ecclesiam. »

(*c*) Quemadmodum apud Latinos cum malta seu cæmento benedicto firmatur tabula seu lapis, quo sepulcrum in quo positæ sunt reliquiæ, clauditur; ita et apud Græcos ceromastiche, gypso vel plumbo juncturæ operculi, quod loculo reliquiarum superponitur, conglutinantur.

(*d*) De Missa celebranda in dedicata ecclesia, statim peracta illius dedicatione, jam superius locuti sumus.

Digitized by Google

Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis : Vos autem quem me esse dicitis ? Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Communio. « Domine, dilexi decorem domus » tuæ, et locum habitationis, etc. Alleluia. »

Ad septem (*a*) usque dierum terminum quotidie in hujusmodi ecclesia celebratur Missa, substratis antimensiis, sanctæ mensæ mappæ. Antimensia post diem septimum auferuntur : et sacra deinceps absque antimensiis in eo fiunt; quia plene consecratum est altare.

Sciendum antimensia ante consecrationem scindenda, consuenda et lavanda esse; post eam siquidem nil hujusmodi fit circa illa, verum hoc tantum pacto inscribuntur (*b*) : *Altare sancti N. consecratum a metropolita N. mense N. anni N.* Si vero in urbe CP. hæc celebrantur, additur : *Tempore N. sanctissimi et œcumenici Patriarchæ.*

TITULUS V.

DE ALTARIS PORTATILIS CONSECRATIONE.

I. Turpiter profecto labuntur scriptores cæteroqui eruditi, Joannes Thiers, in dissertatione *De præcipuis altaribus*, cap. II; Zegerus Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici*, tit. V, cap. VIII, num. X, et alii plures qui altarium portatilium, seu viaticorum, originem ad VIII Christi sæculum referunt. At vero quis est Ecclesiasticæ historiæ adeo ignarus, ut ad ipsa Ecclesiæ nascentis incunabula illorum institutionem esse repetendam, usumque portatilium fixis altaribus multo longe præivisse nesciat ? Nam cum primis Christi sæculis nulla essent Christianis templa, nullaque ad sacros conventus stata et permanentia loca, sed, ut ait apud Eusebium, lib. VII, cap. XXII, Dionysius Alexandrinus, « quivis locus, ager, inquam, solitudo, » navis, stabulum, carcer, instar templi ad sa- » cras synaxes peragendas esset; » portatilibus quidem altaribus, et ad quemlibet locum facile transferendis uti necesse erat.

II. Multa afferri hac in re possent veterum scriptorum testimonia luculentissima, sed referre hoc loco sufficiet id quod in Vita S. Luciani martyris legimus apud Surium ad diem VII januarii; erat enim presbyter Antiochenus, pridieque ejus diei quo decessit, nempe solemni die Epiphaniæ, cum in carcere constitutus altare non haberet, ubi tam in suam ipsius quam discipulorum, qui aderant, consolationem, Sacrificium celebraret, mirando prorsus modo, ut erat stratus atque supinus, jussis suo pectori imponi signis divini Mysterii, ejus solemnia celebravit, incruentum Deo Sacrificium obtulit, et tam se quam circumstantes communicavit, partemque ad absentes misit. Obiit, teste Baronio, gloriosissimus Martyr anno 311, persequente Ecclesiam nequissimo imperatore Diocletiano.

III. Sed audiamus, quæso, quid de ea Sacrificii celebratione ejusdem Martyris Acta narrent : « Cum ergo, inquiunt, advenisset dies festus, » qui exspectabatur, desiderabant quidem disci- » puli hanc ultimam a Magistro consequi Mys- » terii divini celebrationem. Videbatur autem » esse dubium quonam modo mensam quidem

(*a*) Breviori nusquam dierum spatio, sicut nec religione minori, qua Judaica observantia templum, Gratiæ lex ecclesias suas consecrat. Singulis diebus ad septimam usque in consecrata ecclesia Græci celebrant, « propter » septenas Spiritus gratias, » uti exponit Thessalonicensis. De septenario dierum numero post celebritatem aliquam agendo, egregie disserit Goar.

(*b*) De antiquo more insculpendi inscriptionem dedicationis ipsis ecclesiis satis alibi disseruimus.

Digitized by Google

» in carcerem inferrent, aut laterent impiorum » oculos, cum multi quidem tunc partim illic » adessent, partim autem accederent. Ille vero : » *Mensa quidem*, inquit, *erit vobis hoc meum* » *pectus, non, ut arbitror, Deo futura minus* » *honesta ea quæ fit inanima materia. Templum* » *autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex* » *parte circumdantes.* Et sic hæc facta quidem » sunt hoc modo. Jam enim, ut quia esset san- » ctus in fine vitæ, et remissi erant custodes, » Deo, ut ego quidem arbitror, qui Martyrem » honorare volebat, et suorum discipulorum » non sustinebat inconsolabile videri deside- » rium, efficiente, ut citra impedimentum fierent » ea quæ erant proposita. Nam cum omnes eos » Martyr fecisset in orbem consistere, ut inter » se invicem alter prope alterum stantes cum » tuto comprehenderent, jussit suo pectori im- » poni signa divini Sacrificii. Postquam autem » hæc fecissent, et in cœlum protinus sustulit » obtutum, cum jam vix posset extollere, et » preces peregit consuetas. Deinde cum divina » plurima esset effatus, et sacro ritu omnia per- » egisset proposita, ipse et fuit particeps Sa- » cramentorum, et transmisit ad eos qui aberant, » ut ipse quoque ostendit in ultima ad eos epi- » stola. » Placuit totam hanc narrationem describere, quod multa in ipsa contineantur quæ usum altarium portatilium, tempore persecutionis, ante datam Ecclesiæ pacem, egregie confirmant.

IV. Pacatis jam Ecclesiæ temporibus, etsi hujusmodi portatilia altaria, quæ etiam *viatoria*, *gestatoria* et *itineraria* dicebantur, ex plurimis sacris canonibus proscripta ac penitus eliminata fuerint, semper tamen locus fuit Episcopali dispensationi, ubi in memoratis altaribus celebrare necessitas aliqua cogebat. Hinc, venerabilis Beda in *Historia Anglorum*, lib. v, cap. xi, agens de duobus Ewaldis : « Cotidie, inquit, » sacrificium Deo victimæ Salvatoris offerebant, » habentes secum vascula, et tabulam altaris » vice dedicatam. » Hinc etiam Hincmarus Remensis, qui floruit sæculo ix, in *Capitulis* editis anno xii sui Episcopatus ita de ipsis altaribus sancivit, cap. iii : « Nemo Presbyte- » rorum in altario ab Episcopo non consecrato » cantare præsumat. Quapropter, si necessitas » poposcerit, donec ecclesia, vel altaria conse- » crentur, et in capellis etiam, quæ consecra- » tionem non merentur, tabulam quisque Pre- » sbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, » vel nigra petra, aut litio honestissimo, se- » cundum suam possibilitatem, honeste affec- » tatam habeat, et nobis ad consecrandum » afferat, quam secum, cum expedierit, deferat, » in qua sacra Mysteria secundum ritum Eccle- » siasticum agere valeat. » Ex quo decreto palam fit quinam veteri ritu altaris portatilis usus sit, nimirum cum in altaribus fixis nondum consecratis, vel in oratoriis privatis, quæ consecrari nec solent, nec debent, celebrandum est, ut scite observat Joannes cardinalis Bona, lib. i *Rerum Liturgicarum*, cap. xx, numero ii.

V. Exemplum illustre celebrandi venerabile Missæ sacrificium extra ecclesiam et locum specialiter consecratum in casu gravis necessitatis refert S. Augustinus, lib. xxii *De Civitate Dei*, cap. viii, his verbis : « Tribunitius Hesperius, » qui apud nos est, habet in territorio Fussa- » lensi fundum Zubedi appellatum; ubi cum » afflictione animalium et servorum suorum, » domum suam spirituum malignorum vim » noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, » me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum eo » pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit » unus, obtulit ibi Sacrificium corporis Christi, » orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexa- » tio. Deo protinus miserante cessavit. »

VI. Etsi vero, ut ex subsequentibus S. Augustini verbis constat, in eo loco nulla esset ecclesia, ac ne quidem oratorium, obtulit tamen Presbyter in loco non sacro, ob necessitatis scilicet causam explicatam ; quemadmodum et plerosque alios sanctos Episcopos fecisse, ex eorum gestis perspicuum est. Quod quidem non ita intelligendum est, ut super communem ac profanam mensam incruentum Sacrificium sancti ipsi Antistites celebraverint, sed super aliquem locum consecratum. Hinc Presbyter ille, cujus Sacrificium Deo gratum fuisse S. Augustinus memorat, altare, ut reor, viaticum, seu portatile, a suo Episcopo consecratum ad hoc attulit, et sancti illi Episcopi, vel consimile attulerunt, aut sane invenerunt in locis illis privatis, ubi divinam actionem obierunt; vel denique ibidem, prius quam mystica munera offerrent, consecrarunt. Id quod ante nos observavit clarissimus Andreas Saussay, *Panopliæ Sacerdotalis* lib. i, cap. viii, articulo ii, § ii, p. ii, ubi etiam docet

Digitized by Google

hinc natum fuisse privilegium ut Episcopi altaria portatilia seu viatica secum deferrent, ipsumque antiquum morem fuisse ipsis confirmatum in cap. XII *De Privilegiis*, in VI.

VII. Concilium Parisiense, anno 829 celebratum, can. XLVII, in Presbyteros quidem invehitur, qui adduci se patiebantur ad conficiendum Sacrum « in hortis, vel domibus, vel certe ædi- » culis : » non tamen vetat quin ii qui se itineri commisissent, longeque ab ecclesiis abessent, sub dio celebrare possent in ara minuscula, quam Episcopus consecrasset : « Excepto quando » in itinere pergitur, et locus basilicæ procul » est, et id in altaribus ab Episcopis consecratis » fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine » Missarum celebratione, et corporis, et san- » guinis Dominici perceptione maneat. » Ergo portatiles hæ aræ minusculæ ab Episcopo consecratæ in usu frequenti jam tum erant; duabusque ex causis ductum esse initium videtur eorum lapidum sacrorum ab Episcopo consecratorum, qui altaris loco sunt, et facile quocumque transferuntur. Primo, ne pietas fraudaretur Mysteriorum participatione optatissima, dum longa itinera fideles emetiuntur. Secundo, ut celebrari possent Mysteria vel in oratoriis domesticis, vel in capellis ædiculisque quæ minores sunt quam ut dedicationum solemnitatem augustissimam capiant, uti perspicue colligitur ex recitatis Hincmari verbis : « Capellæ » quæ consecrationem non merentur. »

VIII. Cujusnam materiæ essent memorata altaria, addiscere licet ex laudato Hincmari loco : « De marmore, inquit, vel nigra petra, » aut litio honestissimo. » Litium est species lapidis quem quidam etiam vulgo *ardesiam* appellant ; estque lapidis cærulei species, ex quo in tenues lamellas seu scandulas fisso, ædium tecta operiuntur. Sed de his vocibus vide Carolum Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*. Porro figuram portatilium altarium fuisse quadratam, quatuor circiter pedum, docet nos quidem Vita S. Vulframni episcopi Senonensis, qui Fontanellensi monasterio legavit « altare consecratum in quatuor » angulorum locis, et in medio reliquias conti- » nens Sanctorum in modum clypei, quod se- » cum, dum iter ageret, vehere solitus erat. » Spectat formam altarium portatilium, quod in epistola LXXII ad Gerardum Sancti-Gandregesilii abbatem scribit S. Ivo Carnotensis episcopus, sic inquiens : « Portatilia altaria non aliter » consecramus, nisi vel in tabulis ligneis, vel in » aliquo competenti substratorio compacta et » firmiter sint affixa. Unde licet de loco ad » locum portentur, non tamen de loco, in quo » consecrata sunt, moventur. A quo si avulsa » fuerint, sicut cætera altaria, denuo sunt con- » secranda. » Quod ipsum repetit in Epistola LXXX ad Gulielmum Fiscanensis monasterii abbatem. Loquitur autem de his altaribus, tanquam de re antiqua.

IX. Licet autem sæculo XI, quo vixit Ivo, portatilia altaria in usu fuerint, ab ipsoque etiam probarentur, hanc tamen opinionem minime amplexus est S. Anselmus Cantuariensis episcopus, qui eodem Christi sæculo XI floruit. Sic enim scribit ad Willelmum abbatem, a quo rogatus fuerat quid ipsi agendum foret, si altare motum esset : « Cavendum existimo ne altare » gestatorium consecretur sine fundamento; » quod multi custodiunt et fere ubique custo- » ditur; quamvis in Normannia, cum ibi eram, » non servaretis, sed nudi lapides nusquam affixi » consecrarentur. Quod ego non damno, nec » tamen facere volo. » Cur ipse altaris portatilis consecrationem minime probaret, hac utitur ratione quam in eadem Epistola superius retulerat : « Altare, inquit, vicem fidei Christianæ » tenet, et sicut nonnisi in altari Sacrificium » nostrum offerimus, ita nonnisi recta fide sa- » crificia bonorum operum offeramus, si et Deo » placere volumus : sicut igitur fides mota a » suo fundamento, quod est Christus, et a sua » stabilitate, jam non est fides, ita altare motum » a suo fundamento, jam non est altare, sive » quod de eadem materia totum, sive de alia » fiat altare novum, et aliud quod fuerat altare » videtur ideo consecrandum. » Propter hanc inquit rationem cavendum se existimare, « ne » altare gestatorium consecretur. »

X. Primis sæculis etiam post datam Ecclesiæ pacem, usum aliquando fuisse ut Episcopus, vice altaris, Diaconorum manibus ad Sacrificium uteretur, docet nos exemplum pervetustum Theodoreti episcopi Cyri, qui floruit initio sæculi V. Is enim de S. anachoreta Mari ac de semetipso ita scribit in sua *Monastica Historia*, cap. XX : « Cum Maris, spiritualis et mystici » sacrificii videndi desiderio diuturno teneretur,

Digitized by Google

» rogavit ut illic divini doni fieret oblatio. Ego » vero libenter obtemperavi, et sacra vasa offerri » jussi, Diaconorumque manibus usus pro al- » tari, mysticum, et divinum, ac salutare Sa- » crificium obtuli. » Quamvis autem Theodori Cantuariensis episcopi ævo, qui floruit VII Christi sæculo, in usu altaria gestatoria essent, ipse tamen in Pœnitentiali suo libro ait licere Presbytero « Missam in campo dicere, si Diaconus, » vel Presbyter, vel ipse calicem et oblationem » manibus tenuerit. » Ubi nota non licuisse uti mensa profana in Sacrificium, ut necesse fuerit adhibere manus Ministri sacri vice altaris.

XI. Sequioribus Christi sæculis, etsi passim mandarint canones ut nonnisi in altaribus fixis immobilique loco adhærentibus celebraretur, Summi tamen Pontifices frequenter religiosis viris privilegium concessere ut, ubicumque vellent, altari portatili uterentur. Tale est privilegium quod Honorius III Fratribus ordinis Prædicatorum ac Minorum indulsit, ut nimirum ubicumque fuerint, sine parochialis juris præjudicio, cum altari viatico valeant celebrare; eamque gratiam ita intelligendam docet, in cap. XXX *De privilegiis*, ut ea etiam sine licentia Prælatorum uti queant. Queritur de quibusdam Episcopis qui illud privilegium prava interpretatione truncabant. Fortasse alicubi ea gratia Regulares abutebantur, uti refert Matthæus Parisius ad annum 1235, sic inquiens : « Eodem quoque tempore quidam de Fratribus » Minorum, nec non et aliqui de ordine Præ- » dicatorum impudenter nimis suæ professionis » et Ordinis immemores, in tentoria aliquorum » nobilium cœnobiorum se clam ingesserunt » sub prætextu officii sui adimplendi, et velut » post crastinam prædicationem recessuri, sed » vel infirmitatem, vel quippiam aliud simu- » lantes manserunt; et fabricato ex ligno altari, » superpositoque altariolo lapideo benedicto se- » cum allato, Missas clandestinas demissa voce » celebrarunt. »

XII. Privilegium utendi altari portatili confirmavit quidem præfatis Fratribus ordinis Prædicatorum Gregorius XI, uti in ejus Constitutione VII videre est. Carthusianis quoad suas grangias indulsit Urbanus V, Benedictinis Pius IV, Societati Jesu etiam quoad castrenses Missiones Gregorius XIII, Trinitariis in Africa degentibus Urbanus VIII. Aliis quoque alii Pontifices eamdem gratiam concessere, uti docent Regularium privilegia. Græcis orthodoxis Clemens VIII id facultatis tribuit ut vel suis antimensiis, de quibus inferius dicemus, vel nostris portatilibus altaribus uterentur. Porro in ea concedenda gratia adeo largum fuisse aiunt Bonifacium IX, ut inter ejus excessus Thomas Walsingamus hunc articulum posuerit : « Bonifacius altaria » portatilia nulli pecuniam offerenti negavit. » Accusant et alii ipsum Pontificem de nimia congerendarum pecuniarum aviditate, quem tamen alii necessitate reum ea de re excusant. In codice manuscripto apud Papebrochium in conatu chronico-historico habetur, eum multos de sanguine suo in dominio temporali exaltasse : « qui omnes Domino disponente ad magnam » inopiam postea redacti sunt; et per D. regem » Ladislaum de regno Siciliæ pulsi. » Hasce, et alias nihilominus maculas eluere potuit summa ejus castitas; scribit siquidem S. Antoninus, tit. XXII, cap. III, § III, de ipso a multis vulgatum fuisse, « quod cum secundum » medicinam carnalem diceretur sibi, quod per » coitum cum muliere liberaretur a calculo, ex » quo decessit, minime acquiescere voluit tanto » sacrilegio contra divinam legem; eligens po- » tius pudice mori quam impudice vivere, et » ideo valde commendandus fuit. » Sed nec desunt alii scriptores qui Pontificem uberius commendant.

XIII. Quod etiam Episcopi decimo tertio Christi sæculo potuerint aliis gratiam concedere utendi altari portatili, supponit quidem in laudato cap. XXX *De privilegiis, etc.*, Honorius III, ubi ita inquit : « Cum autem eis nihil conferret » memorata indulgentia, sine qua id, Prælatis » annuentibus, liceret eisdem. » Puto autem sublatam paulo post fuisse Episcopis hujusmodi facultatem; nam eisdem, quod quandoque diœceses suas egredi ex causis, et quotidie Missam audire debeant, ubicumque locorum in altari viatico seu portatili celebrandi facultatem, labente eodem XIII Christi sæculo, impertitus est Bonifacius VIII, uti in sexto *Decretalium* libro videre est, capite XII *De privilegiis*. Atque ita servatum fuisse usque ad Concilium Tridentinum, a quo et omnia hæc Regularium privilegia et Episcoporum etiam potestatem esse sublata, diserte affirmat in privilegio Societati Jesu concesso Gregorius XIII. Concilii Tridentini verba,

Digitized by Google

sessione XXII, in Decreto *De observandis et vitandis in celebratione Missæ*, hæc sunt : « Ne » patiantur (Ordinarii locorum Episcopi) privatis » in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et » ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, » ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, » sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus aut » Regularibus quibuscumque peragi. » Adjungit in fine ejus Decreti Concilium : « Non ob» stantibus privilegiis, exemptionibus, appella» tionibus ac consuetudinibus quibuscumque. » Notat Lupus, tomo IV, in *Dissertatione de S. Leonis XI Actis*, cap. XIII, non qualemcumque, sed solum extra ecclesias aut oratoria portatilis altaris usum a Concilio prohiberi; oratoriaque in suis conventibus ab exemptis Regularibus erecta nec designari debere ab Episcopo, nec visitari.

XIV. Sunt qui docent, ex laudato Concilii decreto non modo esse sublatum privilegium concessum Fratribus ordinis Prædicatorum et Minorum utendi altari viatico seu portatili, uti post Barbosam, *De Officio Episcopi*, parte II, allegatione XXIII, et alios, docet Fagnanus in dicto cap. *In his*, XXX *De privilegiis, etc.*, verum etiam ademptam fuisse Episcopis auctoritatem concedendi licentiam celebrandi quacumque de causa in domibus privatis, tametsi in illis essent exstructa oratoria ad divinum tantum cultum destinata; eamque interpretationem secutam sæpius fuisse sacram Cardinalium Congregationem docet. Cui sententiæ non acquiescens Zypeus in titulo *De celebratione Missarum*, num. VIII, ita inquit : « Certe salva Sedis Apo» stolicæ censura, locus hic tantum est, abusus » exstirpandos eorum, qui id sua auctoritate » præsumunt, quos ne patiantur, monentur » Episcopi : sed ea verba, *ne patiantur*, si ad » rigorem examinentur, non inferunt, ut per» mittere non possunt; vel derogationem aucto» ritatis Episcopis competentis, ne id queant, » ubi justa ex causa, id permittendum cen» suerint. »

XV. Quidquid sit de variis circa eam rem juris canonici peritorum opinionibus atque Episcoporum praxi, standum est hodie Decreto sanctæ memoriæ Clementis Papæ XI, emanato die XV decembris, anno 1703, relatumque est in Appendice Concilii Romani, anni 1725, Benedicti XIII, qui etiam tit. XV ipsius Romani Concilii, cap. II, ita statuit : « Quod a felicis » recordationis Clemente XI, suo lato Decreto » sub die XV decembris 1703, in allegata ipsa Ap» pendice proferendo opportune mandatum fuit » circa usum altaris portatilis et Missarum cele» brationem in oratoriis domesticis, volumus ut » Ecclesiarum omnium Episcopi in suis diœce» sibus publicent quamprimum et exequutioni » demandent; cuivis insuper in privatis, ubi » dormiri solet, cubiculis celebrandi facultate » sublata. Hæc ut ab omnibus Regularibus præ» sertim serventur, invigilent; adversusque » contravenientes, speciali adhuc privilegio » exemtos Episcopi ipsi tanquam Sedis Aposto» licæ delegati, censuris etiam Ecclesiasticis » procedant; indultis aut consuetudinibus qui» buscumque non obstantibus. »

XVI. Tum capite tertio ejusdem tituli XV declarans supradictum Decretum favore Episcoporum, ita inquit : « Suprarelati vero Decreti » a recolendæ memoriæ Innocentio XIII inno» vati, sed in eo quod ad Episcopos pertinet, » sua Constitutione super Ecclesiastica disciplina » pro Hispaniarum regnis anno 1723 declarati, » et a nobis alia consimili nostra præterito anno » 1724 confirmati, declarationem hic subjungi » jubemus, tenoris sequentis : *Declaramus ta» men quod, cum in prædicto Decreto statuatur » non licere Episcopis extra domum propriæ ha» bitationis, in domibus laicis erigere altare, ibi» que sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare, » sive celebrare facere, hujusmodi prohibitio in» telligenda non sit de domibus etiam laicis, in » quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, » vel itineris, hospitio excipiantur; et hoc etiam » quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel » de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes a » domo propriæ ordinariæ habitationis, moram » iccirco faciant in aliena domo per modum similis » habitationis : his enim casibus licita iis erit » erectio altaris ad effectum prædictæ celebra» tionis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ » habitationis.* »

XVII. Nunc operæ pretium duco referre Decretum sanctæ memoriæ Clementis Papæ XI, quod ita legitur in laudato Concilii Romani Appendice, pag. 304 secundæ editionis. « Nonnulli Episcopi, et complures Regulares sub prætextu privilegiorum, ea sibi licere putant quæ prohibita sunt : siquidem Episcopi etiam

Digitized by Google

in aliena diœcesi extra domum propriæ habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum nobilium personarum privatis oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent vel plures Missas quam in iis sit indultum, vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, vel post meridiem, vel illis etiam diebus quibus per constitutiones diœcesanas, aut etiam Decreta sacræ Congregationis Concilii celebrari prohibentur, aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in illis celebrari possint, aut etiam altari portatili uti non verentur, in sanctarum Sanctionum contemptum, ac sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem tremendo mysterio debitam, sanctissimus Dominus noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat Episcopis et his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhibeatur, erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis militaris, etiam Sancti-Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis : in reliquis vero diebus, prædictis Regularibus et Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post meridiem : demandando ulterius, et declarando in omnibus hujusmodi casibus, personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quod vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. *In his, De privilegiis*, per alios Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili in eoque celebrandi, absque Ordinariorum licentia, in locis in quibus degunt, revocata esse per idem Concilium (Tridentinum), atque idcirco eosdem Regulares prohibendos ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant. etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ad pœnas præscriptas per idem sacrum Concilium in dicto Decreto, *Sess.* XXII, cap. unico, usque ad censuras latæ sententiæ; tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset : et ita Sanctitas Sua declarat et servari mandat, etc. »

XVIII. Porro optanda est summa moderatio et cautio in hujusmodi oratoriis domesticis concedendis, quæ quidem ut plurimum a potentioribus et ditioribus ex innata quadam superbia, quæ singularitatem, et a reliquis distinctionem appetit, sollicite quæruntur; ut scite observat Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici*, tit. V, cap. VIII, num. XIV, ubi etiam notat hunc abusum jam pridem invaluisse, cum ea de re ita querantur Patres Concilii Parisiensis anni 829 habiti, cap. XLVII : « Consuetudines ad quorum» dam libitum repertæ, licet contra auctoritatem » Ecclesiasticam existant, non facilem tamen » correctionem accipiunt. E quibus est illud, » quod plerique Presbyteri, neglectis basilicis » Deo dicatis, in domibus et hortis Missarum » celebrationes contra divinam auctoritatem et » canonicam institutionem facere præsumunt. » Statimque adjungunt, « et hoc similiter ad » Episcoporum culpam pertinere; » proinde necesse esse « ut unusquisque Episcoporum » hujuscemodi temerariam consuetudinem a » parochia sua penitus amoveat. » Legendum integrum caput, quo merito suggillantur Pre-

Digitized by Google

sbyteri, Episcopi, iique homines qui, basilicis Deo dicatis omnino neglectis, Missas celebrari in domesticis oratoriis sinunt.

XIX. Sed cum hodie aliis vivamus moribus, illud saltem obtineri posset, ut dum hæc oratoria domestica exigentibus causis conceduntur, ea serventur quæ in suo Mediolanensi I Concilio, parte II, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, S. Carolus Borromæus statuit : « Ne » sint, inquit, in interiorum ædium partibus, » in quibus domini, vel familia frequentius ver- » sentur, sed commodo et honesto loco, e cubi- » culis, tricliniis et ab aula separato, ad templi » formam et regulam propius accedant. Nec » ita angusta sint, ut qui Missam audierint, ad » ostium aut fenestram stare cogantur, aut de- » nique ibi Sacris interesse, ubi promiscue pro- » fanum aliquod exerceatur, quod fieri omnino » prohibemus. » Addit S. Carolus ut cui id permissum fuerit, is eo rarius utatur, ne distracti homines illa commoditate, ecclesiam Dei minus frequentent. Certe ne populus per hæc oratoria a frequentatione parochialis ecclesiæ nimium distrahatur, addi consuevit de stylo Curiæ Romanæ, quod hæc concessio fiat sine præjudicio ecclesiæ parochialis, uti notat Barbosa, parte II, *De officio Episcopi*, allegatione XXIII. Et in formulario Episcopali, quod exstat ad calcem ejusdem operis, refertur numero LXXXV formula facultatis exstruendi oratorium simplex, cum hac clausula : « Sine paro- » chialis ecclesiæ præjudicio. »

XX. Expeditus ab iis quæ ritum Latinum spectant circa altaria gestatoria, adnotandum censeo Græcos altaria portatilia non habere, sed eorum vice uti antimensiis, cujus nominis ratio hæc est, quod ea adhibeant loco mensæ sive altaris; uti docet Joannes cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum* lib. I, cap. XX. Exstat antimensium consecratio in *Euchologio* Græcorum, titulo inscripto *Ordo fieri consuetus in antimensiorum consecratione*. In cujus Notis Jacobus Goar longam et insulsam affert Joannis Citri episcopi disputationem cæcutientis in hujus nominis assignanda etymologia. Quid sint autem antimensia, explicat idem Goar ex Græcis scriptoribus. Ait esse quosdam pannos altarium ritu et vice consecratos, quibus a multis sæculis utitur Ecclesia Orientalis, cum liturgiam celebrare contingit in altari non consecrato. Theodorus Balsamon in Explicatione canonis XXXI Trullanæ Synodi : « Ideo, inquit, reperta sunt » antimensia, et fiunt a Pontificibus, quo tem- » pore celebrant consecrationem ecclesiæ, ut » ponantur in sacris mensis, quando permissu » Antistitis oblatio liturgiæ fit in oratorio. » Et Manuel Charitopolus, lib. III *Juris Orientalis*, antimensia non in omnibus altaribus poni docet, sed in his tantum de quibus nescitur an sint consecrata. Curiosas et scitu dignas varias de antimensiis quæstiones enarrat Lupus eruditissimus tomo IV, in Dissertatione *De S. Leonis IX Actis*, cap. XIII.

XXI. Quod demum nostram rem spectat, fuit quidem antiquus ritus consecrandi altare portatile seu gestatorium, ut ex hactenus enarratis licet addiscere, tum vero ex antiquissima Ecclesiæ regula, quæ non permittit alibi Sacrificium celebrare quam in lapidea tabula ab Episcopo rite benedicta. Etsi autem in pervetustis compluribus Pontificalibus nullus exstet titulus benedictionis altaris itinerarii seu portatilis, habetur tamen in multis a Martenio allatis lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XVII, et in aliis quæ ego in Urbis insignioribus bibliothecis vidi, quæque non admodum antiqua sunt. Porro in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Cameracensis annorum circiter sexcentorum præsens inscribitur titulus : *Consecratio altaris gestatorii*. In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria et Barensis in regno Neapolitano : *Benedictio altaris itinerarii*. In Pontificali manuscripto Ecclesiæ Moguntinæ : *Ordo ad consecrandum lapidem itinerarium, sive altare viaticum*. Quædam scitu digna quæ spectant altare portatile, in fine hujus tituli, in Commentario § ultimi dilucidabimus.

XXII. Sciendum denique, præter altare portatile, fuisse olim in usu etiam ecclesiam portatilem, quam sibi quidem fieri curavit Constantinus imperator, ut ubicumque locorum esset, et maxime in bello, circumferri illa posset, ut ne in solitudine quidem agens ædibus sacris careret. Testes sunt ejus rei Sozomenus, lib. I *Historiæ*, capite VIII; Socrates, lib. I, cap. XIV; Nicephorus, lib. VII, cap. XLVI, additque Sozomenus Romanas cohortes in proprio tabernaculo Sacerdotes atque Diaconos eodem ordine et ministerio distributos habuisse. S. Hieronymus in Epistola ad Lætam, quam docet quomodo in-

Digitized by Google

stituere filiam debeat, uti in selectis ipsius Epistolis a nobis editis videre est lib. II, pag. 185, commemorat quoque rutilum et flavum Getarum exercitum ecclesiarum circumferre tentoria consuevisse : « Et ideo forsitan, subjungit idem » Hieronymus, contra nos æqua pugnant acie » quia pari religione confidunt. »

XXIII. Nec illud quoque nos præteribit, tentoria ipsa in quibus Sacrum fiebat, dum huc illucque homines irent, ab Episcopis consecrari consuevisse, non aliter quam vestes sacræ et sacra vasa. Id quidem liquet ex lib. VII *Capitularium Caroli Magni*, cap. CCCXXXIV : « Sunt » etiam ab Episcopis consecranda et benedicenda » corporales pallæ ac alia vestimenta Sacerdo» talia..., Sacrificia offerre nullo modo licet, » nisi in locis Deo ab Episcopo dicatis, nisi causa » hostilitatis aut summæ necessitatis; et hoc non » in mansionibus aut in domibus non sacratis, » sed in tabernaculis dedicatis ab Episcopis. » Porro ex Concilio Moguntino anni 888, can. IX, concessum est ut in tentoriis minime consecratis Sacra fierent in itinere : « In itinere vero positis, » si ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, » si tabula altari consecrata cæteraque ministeria » sacra ad id officium pertinentia adsunt, Mis» sarum solemnia celebrari permittimus. » Paulo superius edixerat Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ille permiserit, celebrari debere. Sed de his satis.

§ I.

Altaris portatilis consecratio fieri potest quocumque die ac loco, jejuno tamen stomacho. Parantur in loco, ubi consecratio hujusmodi fieri debet, in primis aliquæ reliquiæ cum tribus granis incensi in altari recludendæ; sanctum chrisma in vasculo et ampulla; oleum sanctum catechumenorum etiam in vasculo et ampulla; media libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas aquæ mundæ; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum ex herba hyssopi; mantilia ex tela grossa ad abstergendum altare consecrandum, quoties expedierit; quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris; vas in quo ipsæ rasuræ deponantur; duo candelabra cum duobus cereis continuo ardentibus prope reliquias; vas cum aqua ad abluendas manus Pontificis, et medulla panis ac mantilia pro abstergendis manibus.

COMMENTARIUS.

Consecrationem altaris portatilis fieri posse quocumque die ac loco, mane tamen, et a jejuno Episcopo, ex iis quæ superius dicta sunt in Commentario tituli II addiscere licet; tum præsertim quod in fine hujus nostri tituli hæc exstet Rubrica : *Postremo extergitur tabula per Ministros cum panno lineo. Tum Pontifex parat se ad celebrandum, si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem super dictam tabulam consecratam Missam celebrari. Missa dicitur, ut in Missali, in ipsa die dedicationis altaris.* Quod ad illa attinet quæ ad consecrationem altaris portatilis necessaria sunt, ex infra dicendis perspicuum fiet. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Arelatensis, annorum circiter quingentorum, paranda in primis admonet salem, aquam, cinerem, vinum, ysopum, oleum Exorcistarum, et chrisma. Vide in Appendice quid de ipsa re præcipit manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, ubi initio Rubricæ edicitur ut ad consecrandam tabulam, sive altare portatile, parentur in primis quæ in titulo *De consecratione altaris* dicta sunt, *quæ* scilicet *sine ecclesiæ dedicatione fit :* « Excepto quod de reliquiis, nec » quod vas ponatur in Presbyterio, sed alibi, » ubi Prælato placuerit, ponatur, nec de cooper» tura linea cerata, nec de calce et sabulo, vel » cementario, nec de duobus cereis hic procu» randum. » Vide etiam in Appendice ordinem Pontificalis Barensis.

Digitized by Google

§ II.

Pontifex igitur paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, si consecrationem hujusmodi publice facere velit, vel, si in camera sua, aut alio loco secrete, stolam habeat supra rochetum, vel supra superpelliceum, si sit Regularis, ab humeris dependentem, et mitram simplicem, stans ante tabulam ipsam, sive altare consecrandum positum super aliquam mensam vel altare, mitram in capite tenens, absolute dicit : *Deum omnipotentem, Fratres charissimi, votis exsultantibus deprecemur, ut qui per omnem mundum fidem sparsit, et Ecclesiam congregavit, qui est lapis de monte sine manibus abscissus, qui angularem compagem solidavit, hanc petram serenus illustret, eamque æterno lumine irrigatam ita multiplicibus et diversis charismatibus locupletet, ut super illam administrandam sui corporis hostiam bene✠dicat, et suscipiat consecratam. Qui cum Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quali habitu ornatus esse debeat Pontifex consecraturus altare fixum, tali etiam debet uti quoties erit portatile altare consecraturus : « Pontifex ergo paratus, prout ibidem dicitur » (id est in titulo *De consecratione altaris, quæ » fit sine ecclesiæ dedicatione*), stans ante ipsam » tabulam, dicit, mitra deposita, Orationem. » Oremus : Deum Patrem omnipotentem, Fra- » tres dilectissimi, votis exsultantibus, etc. » Verba sunt manuscripti Pontificalis Gulielmi Durandi in Rubrica de altaris portatilis consecratione. Eamdem Orationem legere est in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis ad initium ejus ordinis, qui inscribitur *Benedictio lapidis itinerarii.* Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Cameracensis annorum circiter sexcentorum, et manuscripto Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, cautum quidem est ut « in pri- » mis aspergatur aqua benedicta lapis conse- » crandus, et tabula in qua infigi debet, et tunc » cantetur Antiphona *Asperges me, Domine,* » cum Psalmo : *Miserere,* et Oratione : *Deum » omnipotentem, Fratres dilectissimi, etc.,* » quam Orationem una cum alia, quæ incipit « Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipo- » tens, preces effundimus, etc., » uti habetur in Ordine antiquo Romano, dicendam præscribit laudatum Pontificale Ecclesiæ Apamiensis ; nam in Pontificali Ecclesiæ Cameracensis, post Antiphonam « Asperges me, Domine, hyssopo, etc. » et Psalmum « Miserere, » sequitur Schola, et dicitur Antiphona « Introibo ad altare Dei, etc., » cum Psalmo « Judica me, Deus; » iisque ita peractis, extergitur mensa mundo linteo, postea offertur incensum ; et dum Episcopus facit crucem super altare, dicit Antiphonam « Dirigatur, » Domine, oratio mea ad te ; » tum de oleo sanctificato facit crucem in medio altaris, et per quatuor ejus angulos: de quo ritu nos infra juxta ordinem nostri Romani Pontificalis disseremus.

II. Interim illud non omittendum, ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, primum dicere Episcopum : « Adjutorium nostrum in » nomine Domini, etc. Sit nomen Domini be- » nedictum, etc. Dominus vobiscum. » Orationem : « Deum Patrem omnipotentem, Fratres di- » lectissimi, etc., » itemque aliam : « Exaudi » nos, Deus salutaris noster, et precum nostrarum » libenter accipe vota, etc. ; » deinde aspergere tabulam ligneam cum aqua Pontificali vel Presbyterali, et thurificare eam. Cæterum docet ipsum Moguntinæ Ecclesiæ Pontificale, juxta morem aliarum Ecclesiarum, ubi lapis itinerarius seu viaticus consecrabatur, consuevisse primum concavari tabulam ligneam, et postea aptari desuper lapidem quadratum, politum et planum, et imponi in ipsam tabulam immobiliter

Digitized by Google

et fixe, dicente Episcopo super eam : « Adjuto- » rium nostrum, etc. Sit nomen Domini, etc. » Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui ex » omni coaptatione, etc., » itemque hanc aliam Orationem : « Supplices tibi, Domine, etc. » Vide infra in nostra Appendice Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Barensis, quid nimirum de eo ritu mandet.

§ III.

Deinde, detecto capite, genuflexus ante altare consecrandum, dicit : *Deus, in adjutorium meum intende.* Quo dicto, Pontifice surgente, Chorus respondet : *Domine, ad adjuvandum me festina.* Tum Pontifex stans sine mitra, in eodem loco dicit : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Chorus respondet : *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen,* sine *Alleluia.* Et id, eisdem modo et loco, secundo et tertio fit, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra, benedicit aquam cum sale, cinere et vino, incipiens absolute exorcismum salis, prout habetur supra sub ecclesiæ dedicatione, pagina 96, usque ad Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc.*, inclusive, hoc salvo quod, ubicumque fit mentio de ecclesiæ consecratione, dicit solum *de altaris* vel *tabulæ.*

COMMENTARIUS.

Ex iis quæ in superiori dicta sunt Commentario, abunde constat quænam fuerit de eo ritu in præsenti § descripto variarum Ecclesiarum disciplina. Porro in nullo manuscripto Pontificali adhuc reperi, ubi agitur de consecratione seu benedictione altaris portatilis, seu itinerarii aut viatici, quod ter ab Episcopo dici debeat *Deus, in adjutorium meum intende;* terque Clerus respondeat : *Domine, ad adjuvandum me festina.* Videtur desumptus hic ritus ex titulo *De dedicatione ecclesiæ,* uti superius in tit. II legere est, in cujus Commentariis plura a nobis allata fuerunt veterum Pontificalium atque antiquorum scriptorum testimonia, quæ hic repetere supervacaneum censendum est. Quamobrem quæ ibi diximus curiosus lector consulere potest.

§ IV.

Aqua igitur benedicta, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta, per eum benedicta, et cum eo et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ vel altaris, dicens : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur hæc tabula. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in quatuor crucibus verba præmissa : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur hæc tabula, etc.* Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori lapidis, id est Evangelii, secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ, tertiam in dextera anteriori, quartam in sinistra posteriori tertiæ transversa, in hunc modum :

Digitized by Google





Quo facto, inchoat, Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus L. *Miserere mei, Deus,* * *secundum magnam misericordiam tuam.* Et totus dicitur sine *Gloria Patri.* Sed in fine repetitur ipsa Antiphona; et interim, dum dicuntur Antiphona et Psalmus prædicti, Pontifex cum mitra aspergit cum aspersorio de herba hyssopi facto, de ipsa aqua in tabulam per ejus circuitum tribus vicibus. Quo facto, tabula abstergitur cum mundo panno lineo : deinde Pontifex, deposita mitra, dicit :

℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui es visibilium omnium rerum et invisibilium conditor, et cunctarum sanctificationum consecrator, ad dedicationem hujus Dominicæ mensæ adesse dignare; et quæ sacrato oleo et chrismate a nobis indignis est linienda et benedicenda, tuæ sanctificationis in eam infunde virtutem et consecrationem ut omnes, qui ad eam te deprecaturi accesserint, tuæ propitiationis auxilium sentiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. De aquæ, salis, cineris ac vini benedictione in dedicatione ecclesiæ et consecratione altaris abunde suis locis locuti fuimus. Quod Episcopus, uti in præsenti § præscribitur, debeat cum eadem aqua in consecratione altaris portatilis facere crucem in medio et in quatuor angulis ejusdem altaris, cum ea verborum formula : *Sancti ficetur et con secretur hæc tabula. In nomine Pa tris, et Fi lii, et Spiritus sancti. Pax tibi,* ex præcedentibus hujus tituli Commentariis liquido constat. Notandum tamen; ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, dicere Episcopum : « Sanctificetur hæc tabu» la, etc., » omisso verbo *et consecretur.* Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Arelatensis, postquam dixit faciendam a Pontifice crucem in medio altaris et per quatuor ejusdem cornua, sub ipsa formula : « Sanctificetur hæc tabula in » nomine Patris, etc., » mandat quidem ut cum « ysopo ipse Pontifex aspergat ipsam tabulam » septem vicibus cantando *Asperges me,* et Psal» mum *Miserere mei* totum ; » deinde vero dicat Orationem *Deus, qui es visibilium, etc.* Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, bis quidem aspergitur lapis, et tabula in qua lapis ipse infigebatur, aqua benedicta; tum ponebatur in thuribulo incensum, et sine intermissione incensum ipsum adolebatur, donec altaris consecratio finiretur; sequebatur Oratio « Exaudi nos, Deus noster, etc., » eaque finita, crucem faciebat Episcopus cum pollice suo de aqua benedicta in medio et per quatuor cornua altaris, sic dicens : « Sanctificetur hic lapis, in » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Digitized by Google

» ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo; » moxque eam Orationem subjungebat : « Deus » omnipotens, universarum rerum rationabilis » artifex, etc. » Quid de eo ritu præscribat manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Barensis, vide in Appendice, in qua ipsum una cum aliis integrum exhibebitur.

II. Notanda priora nunc verba sunt Orationis in hoc § descriptæ, in qua Deus esse dicitur *visibilium omnium rerum et invisibilium conditor*. Desumpta sunt quidem ex Nicæno et Constantinopolitano Symbolo, uti omnibus notum est, qui Nicæni I et Constantinopolitani I Concilii Symbolum legerunt. Unde satis mirari nequeo cur in sexta Florentinæ Synodi sessione, Andreas Rhodiorum archiepiscopus de iis vocibus ita ad Marcum Ephesium dixerit : « In Symbolo » primæ non dicebatur, *visibilium omnium et* » *invisibilium ;* et tamen secundæ Synodi Patres » addiderunt. » Ex quo fonte asserit ignoro ; nullus enim Symboli Nicæni sine istis vocibus codex reperietur. Per vocem *visibilium* non modo perfecta, sed et minutissima quæque usque ad muscam et culicem intelliguntur; per *invisibilium* vero vocem, Angeli et animi nostri, quos quidam duplicis divinitatis fabulones increatos esse nugabantur.

§ V.

Tum inchoat, Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* Qua incœpta, Pontifex, accepta mitra, thurificat tertio tabulam per circuitum ejus. Finita incensatione, Pontifex inchoat. Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.* Psalmus. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini :* et totus dicitur, prout supra habetur in benedictione et impositione primarii lapidis, sed in fine non dicitur *Gloria Patri.* Dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex, stans cum mitra, intingit pollicem in oleum catechumenorum, et cum eo facit quinque cruces, videlicet in medio altaris et in quatuor ejus cornibus, in locis in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet primam in medio altaris, secundam in dextero cornu posteriori, id est Evangelii, tertiam in sinistro anteriori, quartam in dextero anteriori, quintam in sinistro posteriori, hoc ordine :





dicens dum singulas cruces facit : *Sanctifi✠cetur et conse✠cretur hæc tabula. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.* Deinde Pontifex inchoat, Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.* Et dum Antiphona dicitur, Pontifex thurificat semel tabulam per circuitum; deinde restituto thuribulo et Antiphona finita, deposita mitra, dicit : *Oremus ;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Adsit, Domine, misericordiæ tuæ ineffabilis pietas, et super hanc tabulam opem

Digitized by Google

tuæ bene✠dictionis, et virtutem tuæ unctionis infunde; ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Præter chrismatis unctionem, nulla alia sacri olei legitur unctio in manuscriptis Pontificalibus, Ecclesiæ Barensis, Ecclesiæ Apamiensis in Syria, et Moguntinæ, ubi agunt de benedictione lapidis itinerarii. Ex manuscripto quidem Pontificali Ecclesiæ Cameracensis annorum circiter sexcentorum, postquam Episcopus dixit Antiphonam *Dirigatur, Domine, oratio mea ad te*, cantum est « ut de oleo sanctificato » faciat crucem in medio altaris et per quatuor » angulos altaris, et ungat totum ipsum lapidem » in manu sua de oleo sanctificato, et interim » cantent Antiphonam : *Erexit Jacob titulum,* » *fundens oleum desuper*, cum Psalmo *Quam* » *dilecta*, et semper Sacerdos præparatus faciat » incensum per circuitum altaris, donec conse- » cratio finiatur. »

II. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis annorum circiter quingentorum, tabula altaris aqua benedicta septem vicibus aspersa, ut superius dictum fuit, abstergitur; postea defertur incensum, adoleturque ab Episcopo per quinque loca altaris ubi prius fecerat cruces de aqua benedicta, cantando Responsorium « Di- » rigatur, etc., » et Versiculum « Elevatio, etc., » deinde Offertorium : « Stetit Angelus, etc., » sine « Alleluia ; » eoque dicto, Episcopus ipse facit cruces in medio tabulæ et per quatuor angulos dicens : « Consecretur et sanctificetur hæc tabula » in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti » in honore Sanctorum *Ill.*, ut per eorum merita » et intercessionem fiant hic hostiæ super oblata, » et libamina accepta, ad purgationem pecca- » torum nostrorum, et eorum pro quibus tibi » offeruntur. Pax tecum. Amen. » Tum cantatur Antiphona « Erexit Jacob, etc., » cum Psalmo « Quam dilecta, » qui totus dicitur sine « Gloria, » incensatque Episcopus ipsam tabulam per singulas unctiones. Porro nostræ Rubricæ in omnibus fere consentit manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, quamvis sua et ibidem sit varietas, ut in Appendice videre est, in qua illius integrum ordinem describemus.

§ VI.

Oratione finita, Pontifex inchoat, Ministris prosequentibus, Antiphonam : ***Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino : vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.*** Psalmus XCI. ***Bonum est confiteri Domino,* et psallere nomini tuo, Altissime.*** Et totus dicitur, prout supra habetur in altaris consecratione sine dedicatione ecclesiæ, pag. 214, et in fine non dicitur *Gloria Patri*. Incœpta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, facit iterum quinque cruces cum pollice de eodem oleo catechumenorum in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens, dum singulas cruces facit : ***Sancti✠ficetur et conse✠cretur hæc tabula. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax tibi.*** Deinde Pontifex inchoat, Ministris prosequentibus, Antiphonam : ***Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*** Interim, dum Antiphona dicitur, Pontifex, retenta mitra, thurificat iterum semel tabulam per circuitum. Quo facto, Pontifex, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Adesto, Domine, dedicationi hujus mensæ tuæ, et in eam, quæ a nobis indignis sancto linita est oleo, bene✠dictionis et sancti✠ficationis tuæ virtutem et consecrationem infunde. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Eadem quæ in hoc § habentur, et in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi leguntur. Ritui ungendi bis altare, in medio scilicet et per quatuor ejus angulos, *de oleo sanctificato* concinit quidem manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Cameracensis annorum circiter sexcentorum, in quo paulo post factam primam de ipso oleo unctionem, edicitur ut « iterum de eodem oleo » perungat lapidem Episcopus sicut prius can- » tando Antiphonam *Mane surgens Jacob*, cum » Psalmo : *Deus noster refugium, et virtus.* » Factam quoque bis unctionem in Ecclesia Arelatensi, constat in ejus manuscripto Pontificali annorum circiter quingentorum, ubi eadem pene ac in memorato Cameracensi Pontificali verba habentur. Fit et in eisdem Pontificalibus mentio quidem thurificationis præfati altaris portatilis non modo prima, sed et altera vice *per singulas unctiones :* Oratio autem *Adesto, Domine, etc.*, ex titulo *De dedicatione Ecclesiæ*, sive altaris, desumpta, omnino desideratur, si excipias laudatum manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, in quo etiam in eo titulo, ubi agit de altaris portatilis consecratione, Oratio ipsa exstat.

II. Apud Græcos in consecratione antimensium, quæ vice sunt altaris portatilis, postquam illis vinum conditum infundit, « magni un- » guenti vase accepto et Diacono dicente *At-* » *tendamus*, illo tres cruces efformat, medium » quidem unum et utrinque duos; interim di- » citur Psalmus : *Ecce quam bonum et quam* » *jucundum* usque in finem. » Ita *Euchologium*, cujus integrum ordinem fieri solitum in antimensium consecratione vide in Appendice.

§ VII.

Qua finita, Pontifex incipit, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psalmus. *Deus noster refugium, et virtus : * adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Et totus dicitur, prout habetur supra sub dedicatione Ecclesiæ; nec in fine dicitur *Gloria Patri.* Incœpta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto chrismate cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ altaris et in quatuor ejus angulis, ordine supraposito, ad quamlibet crucem dicens : *Sancti-✠ficetur et conse✠cretur hæc tabula. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠sancti. Pax tibi.* Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito et benedicto incenso, stans cum mitra inchoat, et Schola seu ministri prosequuntur, Antiphonam : *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Qua incœpta, Pontifex, retenta mitra, iterum semel thurificat tabulam per circuitum : deinde, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Exaudi nos, Deus noster, et precum nostrarum libenter accipe vota, et altare hoc ad celebranda divina mysteria præparatum cœlestis unguenti odore asperge, et aromata divinæ sanctificationis illi infunde; et sicut lapidem Jacob Patriarchæ erectum unguenti perfusione dicasti, et angelicis visionibus per scalam gradus Ecclesiæ figurasti, sic quoque super hunc lapidem altari coaptandum cœlestis gratiam sancti✠ficationis immitte; ut dum tibi super eum sacri corporis et sanguinis unigeniti Filii tui mysteria consecrantur, petentibus peccata dimittantur, et merentibus influe gratiam sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Mandat manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Cameracensis annorum circiter sexcentorum, ut, postquam Episcopus bis in quinque locis de oleo sanctificato unxit altare, « hoc facto offera» tur chrisma, et similiter, sicut de oleo, pe» rungat (cum ipso utique chrismate) cantando » Antiphonam *Ecce odor filii mei, etc.*, cum » Psalmo *Fundamenta;* deinde dicat Episcopus: » hanc Orationem : *Consecretur et sanctificetur,* » *quæsumus, Domine, hoc altare ad laudem et* » *gloriam nominis tui, in honorem et veneratio*» *nem omnium Sanctorum, per istam unctionem* » *et nostram benedictionem. Qui vivis et regnas* » *per omnia.* » Addit ut Episcopus « iterum » offerat incensum, cantans Antiphonam *Ædi*» *ficavit Moyses;* » eaque dicta, dicat Episcopus: « Oremus. » Et dicente Diacono, « Flectamus » genua. Levate, » sequatur Oratio superius descripta : *Dei Patris omnipotentis misericordiam deprecamur, etc.* In Pontificali Apamiensi, expleta unctione de aqua benedicta in modum crucis in medio et per quatuor altaris cornua, et dicta Oratione *Deus omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, etc.*, cautum est ut « faciat cum pollice crucem de chrismate in » medio et in quatuor angulis confessionis, quæ » est in ipsa tabula, ubi reliquiæ sunt recon» dendæ, sic dicens : *Consecratur hoc sepul*» *chrum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus* » *sancti.* ℟. *Amen. Pax tibi.* ℟. *Et cum spi*» *ritu tuo :* deinde recondat reliquias cum tri» bus granis incensi, et cantet Antiphonas : *Sub* » *altare Dei. Exultate Deo adjutori, etc.* »

II. Quod spectat Orationem, alludit profecto ipsa ad factum Jacob, de quo ita legitur in c. XXVIII *Geneseos : Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, quæ jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ.* Item post pauca : *Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque : Quam terribilis, inquit, est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Prolixum hunc locum descripsi, quod ad eum Oratio alludat, itemque Antiphonæ, quæ frequenter in Officio ad dedicandum altare occurrunt.

III. Describunt eumdem hunc locum sancti Ecclesiæ Patres, ubi nempe de altaris consecratione agunt. Aquisgranensis II Synodus habita anno 836, lib. I, cap. XXII, post allatum integrum caput XXVIII aliaque nonnulla ex eodem libro *Geneseos*, ita cap. XXIII subjungit : « Ecce quo» modo major in Jacob divini cultus amplifi» catio facta est, qui non solum altaria erexit, » oleum desuper fudit, victimas obtulit, et Deo, » si prospere ad propria illum redire fecisset, » de omnibus quæ illi dedisset, decimas et ho» stias illi daturum promisit, locumque, ubi in » somnis scalam pertingentem usque ad cœlos, » Angelosque per eam ascendentes et descen» dentes, et Dominum innixum scalæ vidit, » terribilem, et vere domum Dei, ac portam » cœli esse dixit. » Terribilis plane locus est, et dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur, ut scite inquit *Sermone* VI *in dedicatione Ecclesiæ* sanctus Bernardus, num. I, in fine.

§ VIII.

Oratione dicta, Pontifex, accepta mitra, intingit pollicem dexteræ manus in sanctum chrisma, et cum eo signat confessionem, id est sepulcrum in quo reliquiæ sunt reponendæ, in medio formando signum, dicens : *Conse✠cretur et sancti✠ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Pax huic domui.* Deinde, deposita mitra, recondit veneranter reliquias cum granis

Digitized by Google

thuris in tabula sive altari, et sepulcrum reliquiarum hujusmodi claudit. Quo facto, adhuc stans sine mitra, dicit :

OREMUS.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum Majestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia; et præsta ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Ex descripto in superiori Commentario Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria demonstratum jam fuit, juxta ejusdem Ecclesiæ ritum, primam quidem chrismatis unctionem fieri ab Episcopo in medio et in quatuor angulis confessionis, quæ est in ipsa tabula, ubi reliquiæ sunt recondendæ, dicente ipso Episcopo *Conse✠cretur, etc.*, et deinde recondente reliquias cum tribus granis incensi, et cantante Antiphonas : « Sub altare Dei, etc. » et « Exultate Deo » adjutori nostro. » Sequitur mox in ipso Pontificali Oratio, quæ post impositas reliquias nuncupatur, diversa omnino ab illa quæ in hoc præsenti § descripta est. Sic enim incipit : « Deus, qui altaria nomini tuo dicanda, etc. »

In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis nihil aliud legimus quam ut Episcopus « ponat » chrisma in confessione, per quatuor angulos » in cruce dicens : *Consecretur hoc sepulcrum.* » *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* » *Amen.* » Addit ut « ponat deinde reliquias in » medio cum tribus granis incensi, et superpo» sito lapide, liniat capsellam colla, deinde li» niat de chrismate lapidem, faciens crucem » in medio et in quatuor angulis, dicens : *Con» secrare et sanctificare digneris, Domine, la» pidem istum per istam unctionem et nostram » benedictionem. Per.* » Quid eo de ritu disponat manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, vide in nostra ad hunc titulum Appendice.

§ IX.

Tum inchoat Pontifex, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus : crescere te faciat Deus meus, sicut arenam maris, et donet tibi de rore cœli benedictionem.* Psalmus LXXXVI. *Fundamenta.* Et non dicitur *Gloria Patri.* Dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, accepta mitra, fundit et spargit oleum catechumenorum et sanctum chrisma, manu dextera confricans, liniens et perungens totum lapidem. Finito Psalmo, Pontifex stans cum mitra, dicit : *Lapidem hunc, Fratres charissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vota et sacrificia, oremus ut Dominus noster bene✠dicat et conse✠cret; et quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine ejus; ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Quo dicto, inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta, et immolans victimas; fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.* Qua finita, stans adhuc cum mitra Pontifex, dicit : *Dei Patris*

Digitized by Google

omnipotentis misericordiam supplices imploremus, Fratres charissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti bene✠dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctæ devotionis impositas bene✠dicere et sancti✠ficare dignetur; et spirituali placatus incenso, precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Consonat fere hæc nostra Rubrica cum manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, ex cujus præscripto, dum Antiphona *Ecce odor filii mei, etc.*, et Psalmus, *Fundamenta ejus,* totus sine *Gloria Patri* cantatur, fundit et spargit Episcopus oleum et chrisma, undique confricans, et liniens, et perungens cum manu totum lapidem; quo facto, dicit Orationem : *Lapidem hunc, Fratres charissimi, etc.*, et deinde thurificans super lapidem, inchoat Antiphonam *Ædificavit Moyses, etc.*, et dicto « Oremus, » ac admonente Diacono « Flectamus genua, » et respondente « Levate, » subjungit Orationem : « Dei Patris omnipotentis misericordiam deprecemur, dilectissimi Fratres, etc. » Ex manuscripto Pontificali Barensi, Oratio : *Deus, qui ex omni coaptatione Sanctorum, æternum majestati tuæ, etc.*, descripta in § VIII et alia quæ in hoc præsenti § habetur, incipitque, *Lapidem hunc, Fratres dilectissimi, in quo unguentum, etc.*, dicitur quidem post accensa quinque grana incensi in medio et in quatuor altaris angulis. De quo ritu loquemur in § sequenti.

II. Ex Pontificali tandem Ecclesiæ Arelatensis annorum circiter quingentorum, dum prædicta Antiphona et Psalmus cantantur, Episcopus sacro chrismate perungit tabulam, dicens : « Conse- » ✠ crare et sancti ✠ ficare digneris, Domine, » hoc altare per istam unctionem et nostram » benedictionem in nomine Domini nostri Jesu » Christi, ut hujus altaris tui holocaustum, » infusa sancti Spiritus tui gratia, in odorem » suavitatis ascendat, et accipientibus atque » sumentibus nobis sive aliis legitima permaneat » Eucharistia, quæ hæreat in visceribus nostris, » et vitam concedat æternam. Per. » Mox ex eodem Pontificali, ubi totam tabulam cum manu linit Episcopus, dicit Antiphonam *Ædificavit Moyses altare, etc.*, et Psalmum « Lauda, Je- » rusalem, » cum « Gloria Patri ; » qui versiculus in superioribus Psalmis non dicitur : eoque facto, dicit Episcopus « Oremus, » et admonente Diacono « Flectamus genua, » ac respondente « Levate, » subjungit Orationem : « Dei Patris » omnipotentis misericordiam deprecemur, di- » lectissimi Fratres, ut hanc tabulam, etc., » itemque alias de quibus infra.

III. Hæc Oratio alludit quidem ad veterem Ecclesiæ ritum, cum ipsorum nimirum fidelium oblationes, panis scilicet et vinum, de quibus alibi dictum est, ad altare deferebantur, in eoque a sacris Ministris, ut sacrarentur, imponebantur. Liber *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, a Pamelio editus, postquam præcepit cantari Offertorium, ita inquit : « Et offeruntur a populo » oblationes et vinum, e quibus in altari ponun- » tur, ut sacrentur. » Cui consonat vetus Ordo Romanus his verbis : « Archidiaconus accipiens » oblatas, ponit tantas super altare, quantæ » possunt populo sufficere. » Ubi nota officium fuisse Archidiaconi oblationes super altare ponere. Non enim permittebatur populo dona sua oblaturo cancellos ingredi et ad altare accedere. Apud Græcos laici omnes, etiam imperatores, a sacrario semper fuere exclusi, uti constat ex canone LXIX Concilii Trullani, etsi ipse, contra veterem Ecclesiæ usum, imperatorem dona sua offerre volentem excipiat, eique permittat ad altare accedere. Apud Latinos cautum est, ex *Capitulari Caroli Magni*, lib. V, cap. CCXIX, « ut per omnes dies Dominicos oblationes Deo » offerant, et ut ipsa oblatio foris septa altaris » recipiatur. » Quod oblationes spectat, egregie de iis scripsit peculiare opusculum vir clarissimus Franciscus Berlendus Ordinis Clericorum Regularium ; nosque de iis non semel in decursu hujus operis locuti sumus.

Digitized by Google

§ X.

Deinde benedicit incensum super altare cremandum, et stans ibidem, deposita mitra, dicit :

℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene✠dicere et sancti✠ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate; ut nunquam lædatur a morsu antiqui serpentis, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XI.

Deinde aspergit ipsum aqua benedicta. Et accepta mitra, format propria manu ex ipso quinque cruces, quamlibet de quinque granis super illa quinque loca altaris, in quibus cruces de aqua, oleo et chrismate factæ prius fuerunt, et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela ad mensuram crucis de granis incensi factæ, et cujuslibet crucis capita accenduntur, ut cum ipsis thus comburatur et cremetur. Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex, deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, et Schola seu Ministri prosequuntur : *Alleluia.* ℣. *Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.* Nisi consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimæ et festum Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, quia tunc omisso *Alleluia,* dicitur versus tantum. Quo dicto, surgit Pontifex stans ibidem versus ad altare sine mitra, et Schola seu Ministri dicunt Antiphonas duas sequentes : *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* Alia Antiphona : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua; et data sunt ei incensa multa; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei;* sine *Alleluia.* Quibus finitis, Pontifex adhuc stans ante altare sine mitra, dicit : *Oremus;* et ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Hujus altaris, Domine, holocaustum sancti Spiritus tui gratia infusum in odorem tuæ suavitatis ascendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Eadem quæ in duobus hisce §§ habentur, totidem fere verbis legere est in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, post Præfationem quidem, de qua nos in § sequenti juxta ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis agemus, præscriptum est « ut ponatur » incensum in medio et in quatuor angulis al- » taris, et incendatur, et cantetur Antiphona » *Dirigatur;* Antiphona *Omnis terra;* deinde » dicatur : *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Ky- » rie, eleison. Pater noster. Exultabunt Sancti*

Digitized by Google

» *in gloria. Exultent justi in conspectu Dei.* » *Pretiosa in conspectu Domini. Lætamini in* » *Domino, et exultate justi. Domine, exaudi.* » *Dominus vobiscum.* Oratio. *Omnipotens sem-* » *piterne Deus, altare hoc nomini tuo dica-* » *tum, etc.* »

II. Omittendum *Alleluia* in Dominica Septuagesimæ decreto suo constituisse Alexandrum II Pontificem Maximum, testis est *Micrologus*, cap. XLVII, et quidem anno 1073, ut refert Baronius. At vero ambo longe labi videntur; constat enim jam longe ante Alexandrum II Pontificem omitti in Septuagesima consuevisse *Alleluia*. Cujus rationem hanc reddit Alcuinus, vel ejus nomine auctor sæculi IX in lib. *De divinis Officiis*, cap. *De Septuagesima* : « Ideo » auctor Officii nostri Septuagesimam posuit in » Officiis nostris ut hoc tempore a deliciis ab- » stinendo ostenderemus in nostra conversatio- » ne, qualiter per omne tempus seculi vivere » debeant, qui post baptismum peccatis se alie- » nant a cœlesti Jerusalem. Nam quod post » septuaginta annos populus de captivitate re- » vertitur, quis non videat, post evoluta tem- » pora, quæ septenario dierum numero trans- » currunt, etiam nobis, id est, Ecclesiæ Dei ad » illam cœlestem Jerusalem, ex hujus seculi » peregrinatione redeundum ? Quapropter *Al-* » *leluia* illo tempore non cantatur apud nos, » nec *Gloria in excelsis Deo*, quæ sunt cantica » lætitiæ. Dicit enim Psalmus : *Quomodo can-* » *tabimus canticum Domini in terra aliena ?* » Sane Alexander II in can. *Hi duo*, de consecratione, distinctione I, non ipse primum constituit ut *Alleluia* in Septuagesima omittatur, sed solum ejus omissionis in Septuagesima rationem assignat : « Non decet, inquit, cantare » *Alleluia*, quando lapsus Protoplasti in Ecclesia » recitatur. » Alludit ad lectiones libri *Genesis* de lapsu primi hominis in Dominica Septuagesimæ recitari solitas. Qui mos apud nos in Ecclesia latina hodieque servatur.

III. Olim non addubito in Quadragesima solum intermitti *Alleluia* consuevisse; id enim insinuat S. Augustinus *in Psalmum* C. Concilium Toletanum IV, can. XI, S. Isidorus, lib. I *De Ecclesiasticis officiis*, cap. XIII, et in sua *Regula* S. Benedictus, cap. XV. Videtur autem post S. Benedicti ævum in Ecclesia introductum ut a Septuagesima usque ad Pascha *Alleluia* omitteretur. Nam de S. Gregorio Magno ita inquit Breviarium Romanum : « Constituit ut » extra id tempus, quod continetur Septuage- » sima et Pascha, *Alleluia* diceretur. » Hinc optime Aquisgranensis Conventus sancivit, can. XXX, « ut *Alleluia* in Septuagesima dimit- » tatur. » Cujus decreti mentionem facit quidem Smaragdus abbas, sic dicens : « Quamvis beatus » Benedictus a Pentecoste usque ad caput Qua- » dragesimæ cum sex posterioribus Psalmis » jubeat ad Nocturnos dicere *Alleluia;* placuit » tamen Synodo in Francorum regno congre- » gatæ, ut, sicut Romanæ Principes Ecclesiæ » in Septuagesima dimittunt *Alleluia*, ita dimit- » tant et Monachi qui in eodem regno sunt » constituti. »

IV. Testatur nihilominus Rodulphus decanus Tungrensis in lib. *De canonum observantia*, propositione XVI, quod « Benedictini et Ambro- » siani servant *Alleluia* usque ad Dominicam » Quadragesimæ. » Id quod etiam hodieque legitur in Ambrosiano Breviario a sancto Carolo edito, ut nempe sabbato ante Dominicam Quadragesimæ dimisso *Alleluia*, assumatur ejus loco, *Laus tibi, Domine*. Quod autem Benedictinos spectat, *Alleluia* retinuit *Usus Cisterciensis*, cap. X. Unde est illa Abaelardi in S. Bernardum exprobatio, Epistola V : « *Alleluia* nec in » Septuagesima communi Ecclesiæ more inter- » mittitis, sed usque ad Quadragesimam retine- » tis. » Plura de hac voce *Alleluia* videri possunt apud Joannem cardinalem Bona, Benedictum Haeftenum, Bartholomæum Gavantum et alios.

§ XII.

Post hæc combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex Ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase projiciuntur in sacrarium. Interim Pontifex, sine mitra stans ante gradus altaris versus ad altare, dicit :

Digitized by Google

OREMUS.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, ut metalli hujus expolitam materiam supernis sacrificiis imbuendam ipse tuæ ditare sancti✠ficationis ubertate digneris, qui quondam legem in tabulis scripsisti lapideis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Deinde eodem modo stans, mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem hanc : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui post offendicula lapsus primi hominis, instituisti tibi offerri propitiatorii delibamenta libaminis, ut culpa, quæ præcesserat superbiam, futuris temporibus expiaretur per munera quibus honorarentur altaria, honorificarentur et templa. Quod tibi primus Noe præparavit officio, rursus Abraham immolaturus filium, dehinc Jacob erigens et ungens lapidem in titulum. Te, Redemptor mundi, exoramus, ut lapidem istum seu mensam in honorem tuum, gloriosæque Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum conse✠crare et sancti✠ficare digneris benedictionis tuæ illapsu, manibus nostris opem tuæ benedictionis infundens; et sacri hujus mysterii sicut institutor, ita etiam ut sanctificator appare, qui angularem lapidem et saxum sine manibus abscissum nominari voluisti. Inhæreas hic placido æternæ majestatis obtutu, ut quicquid sacro ritu super hoc immolabitur, sicut Melchisedech, oblatum tibi placeat holocaustum. Adsit misericordiæ tuæ ineffabilis pietas, ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum.* Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc Rubrica una cum Oratione *Supplices tibi, Domine, etc.*, et Præfatione in manuscripto Pontificale Gulielmi Durandi. Pontificale Ecclesiæ Cameracensis annorum circiter sexcentorum, post Orationem *Supplices tibi, Domine, etc.*, quam *Consecrationem altaris* appellat, dicendam hanc aliam præscribit Orationem, *Deus omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, etc.*, deinde vero Præfationem, ut in nostro Romano Pontificali. Eadem Oratio una cum ipsa Præfatione, insigniter tamen decurtata, legitur quidem in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, et in manuscripto Pontificali Arelatensis Ecclesiæ annorum circiter quingentorum, in quibus etiam Pontificalibus ipsa Oratio *Supplices tibi, Domine, etc.*, appellatur *Benedictio tabulæ.*

II. De erecto primum altari a Noe, ut in hac nostra Præfatione edicitur, *Quod tibi primus Noe præparavit, etc.*, testatur quidem Aquisgranensis II Synodus celebrata anno 836. Ubi enim lib. I, cap. XIII, dixit quod « religio primum » cœpit sine altari ab Abel justo ; » cap. XIV ita subjunxit : « Noe quoque ingentis cataclysmi periculo, Domino se protegente, liberatus, » eoque jubente, de arca egressus, non extra » altare, sed jam supra altare, ob liberationem » sui, holocausta Deo obtulit, sicut in eodem

Digitized by Google

» libro *Geneseos* legitur, cap. VIII : *Ædificavit* » *autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis* » *pecoribus et volucribus mundis, obtulit holo-* » *causta super altare, odoratusque est Dominus* » *odorem suavitatis.* » Tum alia altaria enarrat, quæ deinde in veteri Testamento alii Patriarchæ Domino erexerunt.

III. Laudatur tandem in hac nostra Præfatione Melchisedech, oratque Deum inter alia Episcopus, ut quicquid sacro ritu super altari quod ipse dedicat, immolabitur, sicut Melchisedech oblatum, sibi placeat holocaustum. Laudant sane passim sancti Ecclesiæ Patres Melchisedech, quod fuit typus et figura Christi in oblatione panis et vini : « In Sacerdote Mel- » chisedech, » inquit S. Cyprianus in Epistola LXIII ad Cæcilium, « Sacrificii Dominici sa- » cramentum præfiguratum videmus, secundum » quod Scriptura divina testatur et dicit (*Genesis* » cap. XIV) : *Et Melchisedech rex Salem pro-* » *tulit panem et vinum.* Fuit autem Sacerdos » Dei summi, et benedixit Abraham. Quod au- » tem Melchisedech typum Christi portaret, » declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex per- » sona Patris ad Filium, dicens : *Ante Lucife-* » *rum genui te. Tu es Sacerdos in æternum se-* » *cundum ordinem Melchisedech.* Qui ordo uti- » que hic est de sacrificio illo veniens, et inde » descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei » summi fuit, quod panem et vinum obtulit, » quod Abraham benedixit. Nam quis magis » Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster » Jesus Christus qui sacrificium Deo Patri ob- » tulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech » obtulerat, id est panem et vinum, scilicet cor- » pus et sanguinem. »

IV. Eadem et alii Patres docent. Hinc recte Christus *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, et non secundum ordinem Aaron appellatur : quia nimirum ille, non is, in Sacrificio instituendo, figura et typus Christi fuit, qui in ultima cœna non obtulit Sacrificium ex animalibus, ut Aaron obtulit, sed ex pane et vino, ut obtulit Melchisedech.

§ XIII.

Præfatione finita, Pontifex inchoat, et Schola seu Ministri prosequuntur, Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.* ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Deinde repetitur Antiphona. Qua dicta, Pontifex sine mitra dicit :

OREMUS.

Quæsumus, omnipotens Deus, universarum rerum rationabilis artifex, qui inter cæteras creaturarum formas lapideum metallum ad obsequium tui Sacrificii condidisti, ut legitimæ libationi præpararetur altare : annue dignanter ut quicquid hic oblatum sacratumve fuerit, nomini tuo assurgat, religioni proficiat, spei innitatur, et fidei sit honori. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XIV.

Postea inchoat, Schola seu Ministris prosequentibus, Antiphonam : *Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo, Domine.* Qua incœpta, Pontifex, accepta mitra, thurificat super tabulam in modum crucis. Deinde deposita mitra dicit :

Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Utraque oratio una cum Antiphonis, *Confirma hoc, Deus, etc.*, et *Omnis terra, etc*, ac ritu thurificandi super tabulam in modum crucis, eo ipso ordine quo in duobus hisce §§ et in Pontificali manuscripto Gulielmi Durandi habetur. Ex manuscripto Pontificali Cameracensi, Antiphona, *Confirma hoc, Deus, etc.*, dicebatur ante Orationes, *Supplices tibi, Domine, etc.*, et, *Deus omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, etc.*, et Præfationem, de qua supra in § XII. Tum dicebantur binæ aliæ Orationes, quarum prima appellatur *Benedictio altaris;* incipitque, *Majestatem tuam, Domine, etc.*, altera *Benedictio tabulæ*, et incipit, *Deum omnipotentem, Fratres dilectissimi, etc.* Quibus finitis, cantabatur Antiphona *Corpora Sanctorum, etc.*, et postea offerebatur incensum, « et facta cruce super altare, dicebatur Anti- » phona : *Omnis terra adoret te, Deus, et psal- » lat tibi,* cum Oratione *Descendat, quæsu- » mus, etc.*, ut in § XIV. »

II. Pontificale Ecclesiæ Arelatensis mandat ut statim post Præfationem dicatur Antiphona *Confirma hoc, Deus, etc. Alleluia* cum *Gloria Patri*, itemque ut iterum Consecrator ungat tabulam cum chrismate in quatuor locis, et sic conjungat lapidem cum ligno, dicens hanc Orationem : *Oremus. Deus omnipotens, universarum rerum rationabilis artifex, etc.;* tandem vero, ut offeratur incensum, et, facta cruce cum thuribulo super tabulam, dicatur Antiphona *Omnis terra, etc.*, cum Oratione ipsa, *Descendat, quæsumus, Domine, etc.*, quam Orationem solus utique consecrator Episcopus dicit. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis post Præfationem, nihil aliud nobis innuit quam illam Orationem dicendam : *Deus omnipotens, Dominus, universarum rationabilis artifex, etc.* In Pontificali tandem Ecclesiæ Moguntinæ, in eo titulo qui inscribitur : *Ordo ad consecrandum lapidem itinerarium seu viaticum secundum morem aliquarum Ecclesiarum sine impositione reliquiarum*, postquam Episcopus dixit Orationem *Lapidem hunc, Fratres, etc.*, ut supra, ita legimus : « Item Episcopus thurificet lapi- » dem, et dicat : *Confirma hoc, Deus, quod » operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod » est in Jerusalem. ℣. Verbo Domini cœli firmati » sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Confirma hoc.* Episcopus. *Dominus vobiscum. » Oremus. Deus omnipotens, universorum rex » rationabilis, etc.* His dictis Episcopus con- » cludat Officium, et dicat : *In nomine Patris* ✠, » *et Filii* ✠, *et Spiritus sancti* ✠, *benedictus » sit lapis iste.* » Porro etsi juxta Ostiensem et alios theologos in *Summis* suis, ordo iste Pontificalis tanquam canonicus acceptetur, licet reliquias ab altari viatico excludat; rectissime tamen nos admonet Rubrica memorati Moguntini Pontificalis, illum potius acceptandum ordinem Pontificalem qui sacras reliquias in altari viatico, seu gestatorio, imponendas præscribit.

§ XV.

Postremo extergitur tabula per Ministros cum panno lineo. Tum Pontifex parat se ad celebrandum, si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem super dictam tabulam consecratam Missam celebrari. Missa dicitur, ut in Missali, in ipsa die Dedicationis altaris.

COMMENTARIUS.

I. Idem edicit manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi. In aliis Pontificalibus libris nihil de hac Rubrica invenio, ubi scilicet agunt de ordine consecrandi itinerarii seu viatici lapidis. Cæterum quod altare spectat portatile, illud quidem non omittendum, quod docet Sylvester Prieras, Dominicanæ familiæ theologus, in *Summa*, verbo *Altare*, tribus ipsum fieri posse modis, quantum ex Ecclesiarum praxi et variorum Pontificalium præscripto colligitur. Nam aliquando fit ex ligno et lapide; ita quod lapis est sigillum, et sepulcrum est in ligno : ali-

Digitized by Google

quando ex lapide solum, ita quod in ipso lapide est sepulcrum : aliquando ex ligno et lapide, ita tamen quod in lapide est sepulcrum, et sigillum, et lignum ponitur pro augenda latitudine : aliquando etiam fit ex lapide solo sine sepulcro et reliquiis; sed iste quartus modus non est tutus ob communem usum, et consuetudinem Ecclesiæ, eum hodie modum non admittentis, ut scite observat laudatus Sylvester : licet non desint auctores qui aiunt non esse de substantia consecrationis altaris, ut reliquiæ ibidem ponantur. Quibus favet Rubrica antiquorum Missalium, dicens quod si reliquiæ in altari non fuerint, Sacerdos ad altare accedens Missam celebraturus, in Oratione, *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum, etc.*, particulam illam dimittat : *Quorum reliquiæ hic sunt.*

II. Quid autem dicendum de illa quæstione : Utrum institui possit altare portatile ex duobus lapidibus insertis duobus lignis invicem colligatis ad modum tabulæ altaris, quæ claudi potest et aperiri ad instar libri, ut in uno lapide hostia, in alio calix collocetur ? Respondet laudatus Sylvester hoc fieri licite et sine peccato minime posse, ut in eo celebretur; quia est contra universalem Ecclesiæ consuetudinem, et contra mysterium, quod altare Christum significat, in quo non est nisi una persona; quia in isto casu cum sint duo altaria, sicut et duo lapides, consequenter in Christo significaretur duplex persona. Id quod absurdum omnino est.

[Præterire haud possumus plurimas a sacra Rituum Congregatione emanatas responsiones, his ultimis temporibus, quæ valde inservire possunt rectæ et congruæ portatilium altarium dedicationi, circa quam nonnulli abusus irrepserant : directæ sunt istæ solutiones ad Episcopum Civitatensem in Hispania, die 11 martii 1820, et ad Episcopum Ambianensem in Gallia, die 22 maii 1841. Ex illis igitur patet, 1° præceptum Romani Pontificalis, quo Episcopus altarium portatilium consecrator jejunio adstringitur, urgere etiam in casu quo plurimi lapides ab eodem dedicandi sunt. 2° Psalmi, Antiphonæ, preces recitandæ a Choro, vel etiam a solo Episcopo, quæ cum actionibus non conjunguntur, semel et respective in plurali dicuntur; actiones vero cum adjunctis formulis, uti sunt cruces et unctiones, super singulis aris ab Episcopo reiterentur. 3° Eidem non licet verba consecratoria semel tantum proferre, et non quinquies, quamvis ex eo longius functio protrahatur. Tolerandus non est usus ille modernus et nunquam ab Ecclesia approbatus, cujusdam styli spongia muniti quo unctiones peragerentur, sed pollex est adhibendus. 5° Sufficit aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium tabularum; postrema tamen thurificatio ante Orationem, *Descendat, quæsumus, Domine*, iteranda est supra singulas aras. 6° Non potest Episcopus, postquam sacras reliquias in sepulcro propria manu collocavit, alicui Sacerdoti committere curam idem sepulcrum signandi. 7° Item, nequit Pontifex Sacerdoti demandare curam liniendi et confricandi lapidem, postquam ipse propria manu oleo sancto totam conspersit tabulæ superficiem. 8° Caveatur ut adsit thuris quantitas sufficiens tum ad thurificandum, tum ad cremandum in aris, pro numero tabularum. 9° Propria manu debet Episcopus ponere super unamquamque tabulam incensi grana, in numero a Pontificali præscripto, nec Ministris curam relinquere disponendi cruces de subtili candela super quamlibet crucem thuris. 10° Post peractam plurimorum altarium portatilium consecrationem, Missa ab Episcopo vel ab aliquo Sacerdote celebranda est super unam duntaxat ex tabulis consecratis.]

Digitized by Google

APPENDIX,

In qua duo manuscripti Ordines ad benedicendum altare portatile referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod Romæ in Bibliotheca Angelica asservatur ordinis Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini.

BENEDICTIO LAPIDIS ITINERARII.

Oratio. « Deum omnipotentem, Fratres dilectissimi, votis exultantibus deprecemur, » ut qui per omnem mundum fidem sparsit, et » Ecclesiam congregavit, qui et lapis excisus de » monte sine manibus angularem compagem » solidavit, hanc petram serenus illustret, » eamque æterno lumine irrigatam ita multiplicibus ac diversis charismatibus locupletet, ut » super illam ad ministrandam sui corporis hostiam benedicat, et suscipiat consecratam. » Qui vivit et regnat. »

CONSECRATIO LAPIDIS.

Oratio. « Exaudi nos, Deus noster, et precum » nostrarum libenter accipe vota, et hoc altare » ad celebranda divina munera præparatum » odore unguenti cœlestis asperge, et aromata » divinæ sanctificationis illi infunde; et sicut » lapidem Jacob Patriarchæ erectum unguenti » perfusione dicasti, et angelicis visionibus per » scalam gradus Ecclesiæ figurasti; sic super » hunc lapidem altari coaptandum cœlestis gratiam benedictionis immitte, ut dum tibi super » eum sacri corporis et sanguinis Unigeniti tui » mysteria consecrantur, petentibus peccata » dimittantur, merentibus influat gratia sempiterna. Per. »

Tunc accipiens Pontifex tabulam, aspergat eam aqua benedicta, datis odoribus incensi, et confirmet eam crismate in medio, dicens : « In » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo. »

Tunc ponat crisma in confessione per quatuor angulos in cruce dicens : « Consecretur hoc sepulcrum In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Amen. »

Et ponat reliquias in medio cum tribus granis incensi, et superposito lapide liniat capsellam colla; deinde liniat de crismate lapidem, faciens crucem in medio et in quatuor angulis, dicens : « Consecrare et sanctificare digneris, Domine, » lapidem istum per istam unctionem et nostram benedictionem. Per. »

Et tunc accendantur v grana incensi in medio et in quatuor angulis, et dicat : « Dirigatur, » Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. »

Deinde dicuntur Orationes sequentes : « Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum, » æternum Majestati tuæ condis habitaculum, » da ædificationi tuæ incrementa cœlestia, ut » quorum hic reliquias pio amore amplectimur, » eorum semper meritis adjuvemur. »

Oratio. « Lapidem hunc, Fratres dilectissimi, » in quo unguentum sacræ unctionis effunditur » ad suscipienda populi sui vota et sacrificia, » oremus ut Dominus consecret et benedicat, et » quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine ejus, ut plebis vota suscipiat, et altario » per sacram unctionem perfecto dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores dici esse mereamur. Per Christum. »

BENEDICTIO TABULÆ.

« Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, ut metalli hujus » expolitam materiam supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ ditare sanctificationis » ubertate digneris, qui quondam scripsisti lapideis legem in tabulis. Per.

» Per omnia secula seculorum. ℟. Amen. » ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. » ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

» Æterne Deus, qui post offendicula lapsus » primi hominis instituisti tibi offerri propitiatorii delineamenta libaminis, ut culpa, quæ

Digitized by Google

» præcesserat superbiam, futuris temporibus » expiaretur per munera quibus honorarentur » altaria, honorificaretur et templum. Adsit » igitur misericordiæ tuæ ineffabilis pietas, et » super hunc lapidem opem tuæ benedictionis » infunde, ut te largiente referat præmium » quisquis intulerit votum, per eum qui se an- » gularem lapidem, saxum sine manibus excisum » nominari voluit, Dominus noster Jesus Chri- » stus Filius tuus. Qui tecum. »

Alia Oratio. « Deus omnipotens, Dominus, » universarum rerum rationabilis artifex, qui » inter ceteras creaturarum formas lapideum » metallum ad obsequium tui sacrificii condidi- » sti, ut legitimæ libationis pararetur altare : » annue dignanter ut quicquid hic oblatum » sacratumque fuerit, nomini tuo assurgat, re- » ligioni proficiat, spei innitatur, fidei sit honori. » Per Dominum. »

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi.

DE ALTARIS PORTATILIS CONSECRATIONE RUBRICA.

Ad consecrandam tabulam, sive altare portatile, parentur imprimis quæ superius in præcedenti titulo ad cartas XXXVI diximus in consecratione altaris, quæ fit sine ecclesiæ dedicatione, excepto quod de reliquiis, nec quod vas aquæ ponatur in presbyterio, sed alibi, ubi Prælato placuerit, ponatur, nec de coopertura linea cerata, nec de calce et sabulo, vel cementario, nec de duobus cereis hic procurandum. Pontifex ergo paratus, prout ibidem dicitur, stans ante ipsam tabulam, dicit, mitra deposita, Orationem : « Oremus. Deum Patrem omnipotentem, » Fratres dilectissimi, votis exultantibus, etc. »

Deinde benedicat aquam cum sale, cinere et vino, ea commiscendo, incipiens, et dicens ter flexis genibus : « Deus, in adjutorium meum » intende, » prout sub ecclesiæ dedicatione dictum est ad cartas XXXIII, usque ad Præfationem illam, « Sanctificare per verbum, » quæ hic non dicitur; hoc salvo quod ubicumque fit ibi mentio de ecclesiæ et altaris dedicatione, hic tantum de altare vel tabula.

Aqua igitur benedicta, mox ille faciat crucem cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ seu altaris et per quatuor cornua, dicens faciendo quamlibet crucem : « Sanctificetur hæc tabula. » In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus » ✠ sancti. Amen. Pax tibi. ℟. Amen. »

Deinde incipiat, et Scola prosequitur : « As- » perges me. » Require sub dedicatione ecclesiæ ad cartas XXXII. Psalmus, « Miserere mei, Deus, » totus dicitur sine « Gloria Patri, » et repetitur ipsa Antiphona : et dum dicitur Antiphona et Psalmus, aspergit Episcopus cum aspersorio de herba ysopi facto, ex ipsa aqua tabulam septem vicibus, nullo circuitu facto, interpositis ternis versibus ipsius Psalmi inter unam aspersionem et aliam. Quo facto, astergitur cum mundo panno lineo; et mox dicit Pontifex : « Oremus. » Oratio. « Deus, qui es visibilium rerum omnium » et invisibilium conditor, etc. »

Deinde Episcopus inchoat, et Scola prosequente, Antiphonam : « Dirigatur, Domine, » oratio mea sicut incensum, etc. » Et dum Antiphona cantatur, thurificat ter tabulam in circuitu ejus. Post hæc facit crucem cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ seu altaris et per quatuor ejus angulos de oleo sancto chatecumenorum, in eisdem locis in quibus eas fecit cum aqua sancta, dicens in unaquaque unctione : « Consecretur et sanctificetur hæc tabula. In » nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus » ✠ sancti. Pax tecum. Amen. » Et mox inchoat, et Scola prosequitur, Responsorium « Dirigatur oratio mea, etc. » Et dum Responsorium cantatur, thurificat semel altare in circuito ; quo facto, dicat : « Oremus. Adsit, » quæsumus, Domine, misericordia tuæ inef- » fabilis pietas, etc. »

Oratione finita, inchoat Antiphonam « Mane » surgens Jacob, etc. » Et dum cantatur, iterum de oleo eodem sancto facit crucem in eisdem locis tabulæ, dicens : « Consecretur, etc., » ut supra. Et inchoans Responsorium « Dirigatur, » thurificans prout fecit et dixit in præcedenti unctione cum oleo sancto. Quo facto, dicit : « Oremus. » Oratio. « Adesto, Domine, dedi- » cationi hujus tabulæ tuæ, et in ea quæ no- » bis, etc. »

Deinde Pontifex inchoat, et Scola prosequitur, Antiphonam « Unxit te Dominus, etc. » Psalmus, « Eructavit, » totus dicatur, repetendo, si necesse fuerit, ipsam Antiphonam per singulos versus, et iterum Episcopus facit cruces de crismate sancto in eisdem locis tabulæ in qui-

Digitized by Google

bus prius eas fecit de aqua et oleo sancto, dicens : « Consecretur, etc. » Et inchoans Responsorium « Dirigatur, » et thurificans prout in prima unctione de oleo sancto dixit et fecit. Post hæc dicitur « Oremus ; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Exaudi » nos, quæsumus, Domine Deus noster, etc..... » penitentibus peccata, etc. »

Oratione dicta, inchoat Antiphonam, et Scola prosequitur : « Ecce odor filii mei, etc. » Psalmus, « Fundamenta ejus, » totus dicitur sine « Gloria Patri, etc. » Et dum cantatur Antiphona et Psalmus, fundit et spargit oleum et crisma undique confricans, et liniens, et perungens cum manu totum lapidem. Quo facto, dicit : « Oremus. » Oratio. « Lapidem hunc, » Fratres karissimi, etc. »

Deinde thurificans super lapidem, inchoat Antiphonam « Ædificavit Moyses, etc. » Et mox dicit : « Oremus ; » et Dyaconus : « Flectamus » genua. Levate. » Oratio. « Dei Patris omni» potentis misericordiam deprecemur, dilectis» simi Fratres, etc. »

Post hæc benedicat incensum super altare cremandum, dicens : « ℣. Dominus vobis» cum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. » Oratio. « Domine, Deus omnipotens, cui astat » exercitus Angelorum cum tremore, etc. »

Incenso itaque benedicto, formet quinque cruces, videlicet quamlibet de quinque granis incensi seu thuris super illa quinque loca altaris in quibus quinque cruces de aqua, oleo, crismate prius factæ fuerunt. Et super quamlibet crucem thuris ponat unam crucem factam de subtili candela ad mensuram illius cujus crucis capita sunt igne accensa, ut sic etiam crux incendatur et cremetur. Luminibus autem accensis, flexis coram altari genibus, inchoat, et Scola prosequitur : « Alleluia, Veni, sancte Spiritus : » exstat supra sub altaris dedicatione ad cartas XXXIX. Cantatur etiam Antiphona « Ascendit » fumus aromatum, etc. » Offertorium : « Stetit Angelus, etc. » Require sub festo Dedicationis beati Michaelis, et finitur sine « Alleluia. »

Quibus finitis, ante altare stans, dicit : « Oremus ; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Hujus altaris, Domine, etc. »

Post hæc combustis candelis et thure, cineres illius combustionis abrasi ab ara altaris cum spatulis ligneis parvis in aliquo vase collecti projiciantur ad fontes. Deinde ad ipsum altare respiciens, dicit : « Oremus. » Oratio. « Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, etc. » Et mox junctis manibus ante pectus, voce mediocri dicat Præfationem : « Per » omnia secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Domi» nus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sur» sum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gra» tias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum » et justum est. Vere dignum et justum est, » æquum et salutare, nos tibi semper et ubique » gratias agere, Domine sancte, Pater omnipo» tens, æterne Deus. Qui post offendicula lap» sus primi hominis, etc. »

Deinde Pontifex inchoat, Scola prosequente, Antiphonam : « Confirma hoc, Deus, etc. Ore» mus. Quæsumus, omnipotens Deus, univer» sarum rerum rationabilis artifex, etc. »

Postea thurificat sub tabulam in modum crutis, et inchoat, Scola prosequente, Antiphonam « Omnis terra adoret te, etc. Oremus. » Oratio. « Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, » Spiritus tuus sanctus super hoc altare, etc. »

Postremo aspergitur tabula cum lineo panno, et cinis ejus combustionis projiciatur in fontes. Quibus expletis, Pontifex, si velit, dicit Missam, quæ est supra, sub consecratione altaris.

ORDO III.

Ex Græcorum Euchologio apud virum clarissimum Jacobum Goar, pag. 517 editionis Venetæ, ubi Ordo describitur fieri solitus in antimensium consecratione.

Postquam Sacerdotes (*a*) antimensia sacræ

(*a*) Altaria Episcopi benedictione consecrata cuicumque sacris operanti necessaria esse, unanimi Orientalis Ecclesiæ et Occidentalis consensu statutum est. Non dedicatis autem oratoriis quamplurimis cum abundet Orientis plaga, nec lapideis altaribus huc illuc deportandis facile sit; quibusdam pannis, altarium ritu et vice consecratis uti jam a multis sæculis Ecclesia Græca decrevit; quorum consecrationem præsens hic Ordo exhibet. porro a Sacerdotibus præparantur antimensia ipsis solis deservitura, ut docet Balsamon in can. VII Concilii VII; dedicato autem templo, et non alias consecrantur antimensia : « Nullo enim pacto, » inquit Joannes Citri episcopus, « recep» tum est ut antimensia aliter fierent, quam in novi templi dedicatione. » Quid sint antimensia, variaque de iis scitu digna, alibi diximus.

Digitized by Google

mensæ imposuerint, Pontifex illis e vino (*a*) condito, quantum sufficiat, infundit, dum dicitur Psalmus (*b*) « Asperges me hyssopo, et » mundabor; lavabis me, et super nivem deal- » babor. » Hoc autem ter repetito, subjungit et Psalmi reliqua. Et gloriam reddens Deo, ait : « Benedictus Deus noster ubique, nunc, et » semper, et in secula seculorum. Amen. »

Deinde magni unguenti (*c*) vase accepto, et Diacono dicente « Attendamus, » illo tres cruces efformat : mediam quidem unam, et utrinque duas. Interim dicitur Psalmus « Ecce quam bo- » num et quam jucundum, » usque ad finem. Et dum gloriam Deo reddunt, dicit Pontifex : « Gloria tibi, sancta Trinitas, Deus noster in » secula. » Mox Pontifici thuribulum traditur; et thus (*d*) adolens, ait : « Judica me, Domine, » quoniam ego in innocentia ingressus sum. » Et Diacono dicente : « Dominum precemur, » subjungit Orationem Pontifex hoc pacto :

« Domine cœli et terræ, qui sanctam Eccle- » siam tuam ineffabili sapientia fundasti, et » Angelici in cœlis ministerii ordinem Sacer- » dotalem exemplar esse in terris disposuisti : » suscipe nos nunc supplicantes, non quasi di- » gni simus pro talibus deprecari, sed ut boni- » tatis tuæ in nobis demonstretur excessus : » neque enim variis cessas humanum genus » afficere beneficiis, summam etiam beneficio- » rum tuorum Unigeniti tui in carne præsen- » tiam contulisti : qui in visus et salutis lumen » in tenebris considentibus effulgens, seipsum » pro nobis hostiam obtulit, et nobis propriæ » resurrectionis sociis redditis, ipse communis » universi orbis factus est reconciliatio : atque » inde in cœlos assumtus, Discipulos suos et » Apostolos, prout pollicitus fuerat, induit ex » alto virtute, quæ est Spiritus sanctus, ado- » randus et omnipotens, qui a te Patre procedit : » quo illi verbo et opere potentes effecti, Ba- » ptismum contulerunt adoptionis, ecclesias » statuerunt, erexerunt altaria, Sacerdotii de- » creta legesque sanxerunt : a quibus nos tra- » ditione accepta, tibi æterno Deo procidimus, » et te benigne rogamus ut hoc ad laudes tuas » celebrandas templum erectum tua gloria re- » pleas, et præsens altare Sanctum Sanctorum » efficias : ut ipsi adstantes tamquam tremendo » regni tui throno gloriam inculpate rependa- » mus, et in sponte, vel non sponte offensarum » commissarum remissionem, in recte conver- » sationis dispositionem, et in omnis justitiæ » complementum incruentas tuæ bonitati hostias » offeramus. Quia benedictum est sanctissimum » nomen tuum, Patris, et Filii, et sancti Spiri- » tus, nunc, et semper, et secula seculorum. » Amen. »

Pontifex : « Pax omnibus. » Diaconus : « Ca- » pita vestra Domino inclinate. » Et Pontifex dicit Orationem : « Gratias tibi, Domine Deus » noster, quod plurima tua clementia, quam » super sanctos Apostolos tuos et beatos Patres » nostros gratiam effundere dignatus es, eam » quoque ad nos usque peccatores et inutiles » servos tuos extendisti : propterea te, Domine » valde misericors, rogamus, altare hoc gloria, » sanctitate et gratia reple, ut oblatæ tibi in eo » incruentæ hostiæ, in corpus illibatum et san- » guinem pretiosum magni Dei et Salvatoris » nostri Jesu Christi unigeniti Filii tui, ad om- » nis tui populi et nostræ indignitatis salutem » convertantur. Tu enim es Deus noster et tibi » gloriam referimus, Patri, et Filio, et sancto » Spiritui, nunc, et semper, et in secula secu- » lorum. »

Prolatis deinde reliquis (*e*), et ceromastice

(*a*) Vinum hic conditum aromatibus intelligitur; quod quidem juxta ritum Græcorum antimensiis Pontifex infundit.

(*b*) Utitur et hoc Psalmo Ecclesia Latina, ubi ecclesiam vel altare aqua benedicta Pontifex aspergit.

(*c*) Est antiquus Ecclesiæ ritus Latinæ pariter ac Græcæ ut sacrum chrisma in templorum atque altarium dedicatione adhibeatur : « Sanctissimi unguenti sacra effusione » sanctum reddi altare testatur quidem S. Dionysius, vel auctor ejus nomine in lib. *De Ecclesiastica hierarchia*. Fuse de hoc ritu disseruimus nos in superioribus Commentariis.

(*d*) Thus adhibendum apud Latinos, ubi ecclesia sive altare consecratur, ostensum jam alibi fuit.

(*e*) Ex quo sub altari Dei auditæ sunt voces occisorum pro Dei nomine, uti habetur in libro Apocalypsis, sumpsit Ecclesia morem suis sub altaribus Martyrum corpora sepelire. Est quidem vetus Ecclesiæ mos ut non nisi cum sacris Sanctorum reliquiis ecclesiæ et altaria consecrentur, ut in Commentariis ad titulum II et III diximus. Porro ne facile in pulverem abeant, et deperdantur leviora reliquiarum fragmenta, ceromastice admiscent Græci moxque sacro perfundunt chrismate; cujus ratio ex textu officii non obscure deduci potest. Minus autem sufficit antimensiis

Digitized by Google

immixtis, unguento sacro superfundit illas Pontifex, et in superiori parte antimensii in disposito loculo iisdem positis, et recte inclusis, sequentem Orationem recitat : « Dominum » precemur, Domine Deus noster, qui etiam » decertantibus pro te Martyribus gloriam hanc » contulisti, ut in sanctis ædibus tuis per uni- » versam terram dispergerentur eorum reli- » quiæ, ut sanationum fructibus scaturirent : » ipse, Domine, bonorum omnium administra- » tor, intercessionibus Sanctorum, quorum » depositionem reliquiarum in venerando hoc » altari fieri voluisti; in eodem incruentam » hostiam inculpate nos offerre concede, et » omnia saluti congrua postulata largire, mer- » cede etiam in hoc pro sancto nomine tuo de- » certantibus repensa, ut nostræ salutis gratia » per eos nova miranda opereris. Quia tuum » est regnum, et virtus, et gloria, Patris, et » Filii, et sancti Spiritus, nunc, et semper, et » in secula seculorum. Amen.

TITULUS VI.

DE CŒMETERII BENEDICTIONE.

I. Docet Joannes Belethus in *Explicatione divinorum Officiorum*, cap. CLIX, cœmeterium suam ducere originem ab Abraham, qui emit agrum ab Ephron Hethæo, in quo duplex erat spelunca, ubi ipse sepultus est cum suis, Sara, Isaac, Jacob et aliis. Ad hoc enim emit, ut sibi et suis sepultura esset. Duplicem speluncam ex eo dictam putat Belethus, quod ibi duo sepeliebantur contigue, maritus et uxor; vel quia in una viri, in altera mulieres sepeliebantur. In multis Ecclesiis mos iste servatur, ut in alio viri, in alio sepulcro feminæ humentur. Quod quidem de iis intellige qui propriis sepulcris carent, in quibus viri æque atque uxores, fratres sororesque simul sepeliuntur.

II. Quod cœmeterium latine, dicitur græce κοιμητήριον a κοιμάω *sopio*, quod idem est ac *dormitorium*. Unde locum sepulturæ destinatum vocant passim antiqui scriptores cœmeterium, quia ibi mortui dormire dicuntur, quasi mortuorum dormitorium : « Vide quomodo ubique » mors nominetur somnus : qua de causa locus » cœmeterii, quasi dicas dormitorii, nomen in- » venit. » Verba sunt sancti Joannis Chrysostomi, *Oratione in Cœmet. appell.* Certe in novo Testamento Christiani mortui dormire dicuntur; Lazarum Christus dixit dormire, cum tamen obiisset, uti habetur in Evangelio Joannis, cap. XI. Id quod etiam constat ex aliis Evangelii locis, et ex Apostolo in Epistola ad Thessalonicenses, cap. IV, ubi Christianos, qui mortem obierunt, non quidem mortuos, sed dormientes appellat; quia certum est eos resurrecturos, ut ibidem docet S. Hieronymus : vel, ut ait S. Au-

consecrandis reliquiarum in eis inclusio, ritusque in hoc præsenti Ordine descriptus, nisi per septem dies super iis Missa celebretur. Ultimam hanc conditionem requirit Matthæus Blastares in primo Nomocanonis elemento, sic dicens : « Antimensia sanctificationis virtutem participant, eamque illis templorum nuper consecratorum Officium et » septemdiale in altari sacrificium elargiuntur. » Atque huc spectat quod in eodem *Euchologio* legitur, ubi agit de Officio in dedicatione templi, quod in Appendice ad titulum III descripsimus, notisque illustravimus : « Ad » septem, inquit, usque dierum terminum, quotidie in hujusmodi ecclesia celebratur Missa, substratis antimensiis » sanctæ mensæ mappæ. Antimensia post diem septimum auferuntur; et sacra deinceps absque antimensiis in eo » fiunt, quia plene consecratum est altare. » Plura de antimensiis legere est apud eruditissimum Lupum, tomo IV editionis Venetæ, in Dissertatione de S. Leonis IX Actis, cap. XIII, ubi etiam observat, uti nostra portatilia altaria, ita Græcorum antimensia sine sepulcro, et in ipso reconditis Sanctorum reliquiis non posse consecrari. Sunt etenim antimensia, ut scite docet Jacobus Goar, « quasi sacræ mensæ vice assumpta, Græcorum altaria portatilia. Lintea » nimirum sacris reliquiis ditata, unguento quoque sacro delibuta, et Pontificis benedictione ad Missam in eis cele- » brandam dedicata. »

Digitized by Google

gustinus in Epistola CXXII, et aliis quibusdam locis, propter futuram resurrectionem, velut evigilationem.

III. Cum ergo non modo Patres Ecclesiæ, sed et sacræ etiam Scripturæ mortem somnum et dormitionem appellent, cœmeterium vero quasi dormitorium et dormitionis locum, rejicienda est interpretatio Gulielmi Durandi, Dominici Geminiani, et aliorum qui inter alia docent cœmeterium dici a *cimen*, quod est dulce, et *sterion*, quod est statio; vel quia ibi sunt cimices et vermes ultra modum fœtentes; rejicienda etiam est interpretatio Silvestri Prieratis, qui in *Summa*, verbo *Cœmeterium*, a *cis* appellari autumat, quod est *ante*, quia *ante ecclesias fieri solet*. Rejicienda insuper est opinio Lucæ Tudensis, qui lib. I *contra Valdenses*, cap. XXII, cœmeterium dictum ait, eo quod sit Christiani corporis cineribus consecratum; quasi nihil aliud sit cœmeterium quam ciniterium, in quo cineres defunctorum terantur : quam opinionem haudquaquam immerito refellunt auctores docti.

IV. Christianos olim loca quædam habuisse sibi pecularia pro sepeliendis mortuis, inde patere inquit Joseph Binghamus tomo III *Originum Ecclesiasticarum*, cap. I, § I, quod persecutionis temporibus peracturi cultum divinum, sæpe ad Martyrum suorum sepulcra et monumenta convenerunt; quæ non fuissent loca istiusmodi conventibus accommoda, si ipsis cum gentilibus fuissent communia. Quod antiquitus in cœmeteriis Episcopi suas Synodos congregarent, Psalmos canerent, et Sacramenta administrarent, Christianisque insuper cœmeteria ipsa, templa et orationum loca essent, docet nos quidem eruditus Stephanus Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ catholicæ*, cap. XXIII, allatis ibidem veterum Patrum testimoniis. Itaque cum profani imperatores persecutionem in Christianos instaurabant, in primis eos a cœmeteriis arcere solebant, ne in unum conveniendi facultas esset; dum vero persecutionem intermittebant, cœmeteria Christianis restitui jubebant. Vide Eusebium, lib. VI, cap. XIII, et lib. VII, cap. XI, ubi Æmilianus præfectus Romanus, loquens ad Dionysium episcopum Alexandrinorum, ita inquit : « Nullatenus licebit vobis, nec quibus» cumque aliis, conventus agere, aut ea quæ » vocantur cœmeteria adire. » In quo loco, et aliis plurimis quæ afferri possent, manifestum est cœmeterium promiscue accipi pro locis sepulturarum, et pro locis conventuum ad cultum peragendum religiosum. Vide Joannem Bona cardinalem, lib. I *Rerum Liturgicarum*, c. XIX, num. III, et eruditum Spondanum, lib. I *De Cœmeteriis*, parte III, cap. XIII, ubi late docet in cœmeteriis mysteria Sacramentorum et sacras functiones frequenter obiri consuevisse. Vide Mendozam, et Gonzalez in canonem XXXV Concilii Illiberitani.

V. Romæ in suburbanis, quod amplissima esset civitas, et Christianis a nascente Religione pene innumeris abundaret, quadraginta tria istiusmodi cœmeteria recenset ad annum CCXXVI magnus *Annalium* parens cardinalis Baronius; et Onuphrius Panvinius *De Cœmeteriis*, c. XII, sigillatim commemorat eorum nomina, desumpta a nominibus conditorum suorum, vel talium beneficorum hominum, præsertim vero Romanorum Pontificum, quibus curæ fuit ea ædificare vel instaurare, uti in Vitis ipsorum Pontificum videre est. Observat autem idem Panvinius cœmeteria non in Urbe, sed in publicis viis extra mœnia Roma ad alia loca ducentibus exstructa fuisse, ut in via Appia, Aurelia, Ostiensi, Nomentana, Tiburtina, Latina, Salaria, Flaminia, Portuensi, Ardeatina, Lavicana et aliis. Quæ notæ viæ sunt, ad vicina Romæ oppida ducentes. Atque hac ratione intelligere possumus loqui S. Hieronymum de istis cryptis, quæ secundum diversas vias circa Romam constructæ sunt, cum ait se adhuc adolescentem, Romæ studiorum causa commorantem, habuisse in more positum, diebus Dominicis istiusmodi cryptas et cœmeteria una cum adolescentibus circuire, quorum etiam in Commentario ad c. XL Ezechielis elegantissimam habet descriptionem : « Dum essem Romæ puer, et liberalibus studiis » erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis » et propositi diebus Dominicis sepulchra » Apostolorum et Martyrum circuire, crebro» que cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda » defossæ, ex utraque parte ingredientium, per » parietes habent corpora sepultorum; et ita » obscura sunt omnia, ut propemodum illud » propheticum compleatur : *Descendant in infer» num viventes;* et raro desuper lumen admis» sum horrorem temperet tenebrarum, ut non » tam fenestram quam foramen dimissi luminis » putes : rursumque pedetentim acceditur, et

Digitized by Google

» cæca nocte circumdatis illud Virgilianum pro-
» ponitur :

« Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent. »

VI. Quod huc usque soluta oratione narravit de Romanis cœmeteriis S. Hieronymus, graphice quidem expressit versibus in Hymno XI *De coronis* antiquissimus et christianus poeta Prudentius :

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum :
Occurrunt celsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc in le recessus
Arcta sub umbrosis atria porticibus.
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.

In his cryptis sepultum fuisse S. Hippolyti corpus ait Prudentius; inde enim effossa arena sepeliendis Martyribus ampli recessus relicti sunt.

VII. Quod laudati paulo superius S. Hieronymus et Prudentius de urbis Romæ cœmeteriis narrant, non semel nos oculis nostris perspeximus; ut enim verbis utamur eminentissimi cardinalis Baronii, qui ad an. Christi CXXX, num. II, unum quoddam ipsorum suo tempore inventum, et cœmeterium Priscillæ dictum, egregie describit : « Vidimus sæpiusque lustra-
» vimus Priscillæ Cœmeterium haud pridem
» inventum, atque refossum via Salaria, tertio
» ab Urbe lapide, quod nullo magis proprio vo-
» cabulo dixerimus, præ ejus amplitudine,
» multisque atque diversis ejusdem viis, quam
» subterraneam civitatem : quippe quod ipsius
» ingressu primaria via cæteris amplior pateat,
» quæ hinc inde diversas vias habeat, easdemque
» frequentes, quæ rursus in diversos viculos
» dividantur, et angiportus. Rursus ut in civita-
» tibus, statis locis velut fora quædam, ampliora
» sint spatia ad conventus sacros agendos, ea-
» demque Sanctorum imaginibus exornata ; nec
» desint, licet nunc obstructa, ad lumen reci-
» piendum desuper excisa foramina. Obstupuit
» Urbs, cum in suis suburbiis abditas se novit
» habere civitates, Christianorum tempore per-
» secutionis olim colonias, modo autem sepul-
» chris tantum refertas. » Hæ catacumbæ urbis Romæ omnium quidem sermone celebratæ sunt; erant autem et aliis civitatibus suæ catacumbæ extra mœnia, quas lato atque erudito calamo describit Marcus Antonius Buldethus, in celeberrimo opere italice scripto : *De cœmeteriis sanctorum Martyrum, et antiquorum Christianorum urbis Romæ.* Porro catacumbas civitatis Neapolis, quas nos non semel vidimus, dum ibi longo temporis spatio studiorum causa degeremus, in Epistola IV describit Gilbertus Burnetus, easque nobiliores ac spatiosiores Romanis catacumbis esse testatur.

VIII. Nostri hic non est instituti eam quæstionem discutere, ab ethnicisne, an vero a Christianis istiusmodi cœmeteria fuerint constructa. Etenim sive ab his (quod de quibusdam saltem est probabilius), sive ab illis facta fuerint; quod præsentem nostram rem spectat, cuncta extra civitates sunt. Apud Romanos jam pridem vetitum fuisse in civitatibus hominem sepeliri, notum est ex lege duodecim Tabularum, c. XXXI : « Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve
» urito. » Meminit hujus capitis Cicero in lib. II *De legibus;* causamque adjiciens : « Credo,
» inquit, vel propter ignem, vel periculum. »
Legem hanc ex Græcia Romam fuisse allatam dubium profecto non est; Athenienses autem nullam magis quam ipsam retinuerunt, diutiusque et constantius observarunt. Nam et tempore Ciceronis annis post Solonem plusquam quingentis, adeo quemquam intra suam urbem sepeliri non patiebantur, ut Servius Sulpitius, ad Ciceronem scribens, testetur nunquam se potuisse ab iis impetrare ut locum sepulturæ darent M. Marco Marcello intra suam urbem, neque id antea utique concessisse. Solos Tarentinos morem alium observasse, cum oraculum accepissent futuros beatiores, si cum pluribus habitarent, ac propterea intra urbem suos mortuos sepelisse, scribit Polybius lib. VIII. Cæterum etsi aliæ Græcorum ac Romanorum leges erant, non erant tamen omnes semper tam severæ, quin aliquando veluti privilegio concederetur viris magnis sepultura in Urbe honoris causa, ut ex pluribus veterum scriptorum testimoniis ostendit auctor eruditissimus Franciscus Balduinus in dictam legem XXXI duodecim Tabularum.

Digitized by Google

IV. Apud ipsos Romanos, cum multæ deinde municipales leges permitterent in civitatibus sepeliri, Ulpianus quidem in lege III, § V, ff. *De sepulchro violato*, respondit ad eas tollendas imperialia nihilominus statuta, quæ generalia sunt, suam vim obtinere, et in omni loco valere. Ait Adrianum rescripto suo pœnam statuisse quadraginta aureorum, et in eos qui aliquem in civitate sepeliunt, et in magistratus qui hoc passi sunt; locumque publicari jussisse, et corpus transferri. Sed et Diocletianus legem hanc rursus confirmans in lege *Mortuorum*, Cod. *De religiosis et sumtibus funerum*, hunc in modum rescripsit : *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi, jam pridem vetitum est.* Verum cum harum legum observatio sensim variis prætextibus exolesceret, secuta est anno 381 constitutio Theodosii Junioris quæ refertur in lege VI Cod. Theodosiani, *De sepulchro violato.*

X. In hac lege Theodosius primo quidem mortuos in ecclesiis æque hac in civitatibus sepeliri prohibet; idque sive solum cineres et reliquiæ corporum essent, supra terram urnis clausæ, sive integra corpora sarcophagis detenta, omnia extra Urbem deferri jubet, ex iisdem rationibus quas veteres leges adsignarunt, nimirum : « Ut et humanitatis instar exhibeant, et relinquant incolarum domicilio sanctitatem. » Pœnam deinde in prævaricatores præfatæ legis denuntians, ita inquit : « Quisquis hujus præcepti negligens fuerit, atque aliquid tale ab hujus interminatione præcepti ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte mulctetur : officium quoque quod sibi paret, quinquaginta librarum auri adfectum dispoliatione merebitur. Ac ne alicujus fallax, et arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum vel Martyrum sedem humandis corporibus æstimet esse concessum, ab his quoque ita ut a reliquo civitatis noverint se atque intelligant esse submotos. » Ea verba, *Apostolorum et Martyrum sedem*, sepulcrum quidem seu conditorium significant, in quo reliquiæ vel corpora Apostolorum vel Martyrum condita erant. Sane S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. XIV *Originum*, cap. XII, vetitæ sepulturæ in civitate hanc rationem reddit, ne fœtore ipso corpora viventium inficerentur. Quam rationem et alii assignant.

XI. Theodosinæ legis meminit quidem sanctus Joannes Chrysostomus, *Homilia* XXXVII *in Matthæum*, ubi peccatores, quos nihilo meliores esse sepulcris judicat, si in peccatis suis moriantur, redarguens, ita loquitur : « Cogita, quia nullum in civitate sepulchrum struitur, quare nec tu in supernam poteris civitatem introire. Nam si in terrestri civitate hoc interdictum est, multo magis in cœlesti. » Idem Chrysostomus, sive alius scriptor sub ejus nomine delitescens, fortasse Severianus Gabaleensis, qui eodem tempore floruit, in *Homilia* XVII *de fide, et lege naturæ*, de eadem re sic inquit : « Si mortua corpora extra urbem sepelimus, multo magis eos qui verba mortua, et qui talia proferunt, et ne tegere, aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet. Hujusmodi enim ora sunt communis civitatis pernicies. » Auctor ipse sub nomine Chrysostomi, in præfata *Homilia de fide, et lege naturæ*, ad eamdem Theodosii legem respicere videtur, quando id scriptum reliquit : « Omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulchra habet, ut contendens intrare in civitatem, quæ imperat, et floret divitiis, et potentatu, aliisque dignitatibus, priusquam videt quod secum concepit, videat primum quod fit. Ante civitates sunt sepulchra; ante agros sunt sepulchra. Ubique ante oculos est nostræ humilitatis schola; et docemur in quid desinamus tandem, et tunc videmus quæ intus sunt spectacula.

XII. In Gallia, in Hispania, in Africa eumdem morem obtinuisse, ut mortui extra civitates sepelirentur, apertissime indicant prisci Patres et Episcoporum Synodi. Sidonius Apollinaris episcopus Arvernensis in Gallia, lib. III, epistola XII quam ad Secundum scripsit, loquens de avi sui tumulo, campum esse dicit, in quo sepultus sit, tam bustualibus favillis quam cadaveribus refertum in publicis viis ac suburbiis urbis Arvernæ. Idipsum de Hispanis testatur Concilium Bracharense, anno 563 celebratum, can. XVIII, eoque argumento utitur cur nullus intra ecclesiam in Hispania sepeliri debeat. Ex Concilio V Carthaginensi, anno 401 in Africa celebrato, can. XIV, addiscere licet debuisse mortuos in campis sepeliri. Sed de hac universi

Digitized by Google

fere orbis consuetudine supervacaneum est fusiori orationis ambitu disputare, cum nihil tam frequens apud scriptores antiquos legatur, quam mortuos extra civitatum muros sepulturæ traditos.

XIII. Si quis autem causas quærat, ob quas intra civitates et ecclesias sepultura introducta est, multæ quidem ab eruditis viris recensentur. Prima est quod cum Martyrum sepulcra in ipsis civitatibus permitterentur, nonnullorum *fallax et arguta solertia* contendebat hæc sepulcra a lege generali vetante loca civitatis sepulturæ deputari, esse excepta, quasi in hisce saltem sepulcris Martyrum, privatorum quorumcumque cadavera sepelire licitum esset. Hanc persuasionem etsi Theodosius in laudata lege *fallacem et argutam solertiam* appellarit, atque ut talem rejecerit, adhuc tamen privatos quosque summopere desiderasse apud Martyrum loca sepeliri, ex ipsa Theodosii lege constat. De hoc desiderio videri potest sanctus Augustinus, *De octo Dulcitii quæstionibus*, quæstione II, et in libro *De cura pro mortuis agenda*. Hoc itaque Christiani populi desiderio, partim pietate, partim æmulatione, et fortasse etiam ambitione subnixo, sensim sepulcra urbana invaluerunt, donec tandem Leonis imperatoris constitutione in *Novella* LIII data fuit plena libertas eligendæ sepulturæ, vel intra, vel extra urbem, abrogata contraria lege civili.

XIV. Altera causa fuit exemplum imperatorum ac regum qui, primis quidem sæculis, peculiare præ reliquis mortalibus habuisse videntur privilegium, ut in atrio, sive porticu, aliisve quibusdam exterioribus ecclesiæ ædificiis sepelirentur. Constantinum imperatorem tradit Eusebius, lib. IV *De vita Constantini*, cap. VI, juxta Apostolos sepeliri voluisse, quorum memoriam, ecclesiam, nominibus eorum appellatam, ædificando honoravit. Constantini voluntatem religiose fuisse exsecutum filium Constantium, diserte docet S. Joannes Chrysostomus *Homilia* XXVI *in Epistolam* II *ad Corinthios*, sic dicens : « Constantinum Magnum » filius ita demum ingenti honore se adfecturum » existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo » conderet. Quodque imperatoribus sunt in aulis » janitores, hoc in sepulchro piscatoribus sunt » imperatores. Atque illi quidem velut domini » inferiores loci partes obtinent ; hi autem velut » accolæ ac vicini, præclare secum agi puta- » runt, si vestibuli janua ipsis assignetur. » Idem in eo libro, qui inscribitur *Quod Christus sit Deus*, cap. VIII, illud præterea testatur, Constantinopoli reges magnam putare gratiam ut corpora sua, si non prope Apostolos, extra eorum vestibula sepeliantur, *fiantque Piscatorum ostiarii reges*. Unde non mirum si apud Nicephorum, lib. IV, cap. LVIII, legamus Theodosium Juniorem, patrem quoque Arcadium, nec non avum Theodosium Seniorem in templi Apostolorum porticu Constantinopoli sepultos.

XV. Quod Episcopi olim in ecclesiis etiam conderentur, celebre est testimonium S. Pulcheriæ Augustæ in Epistola ad S. Leonem Papam, quæ inter ejusdem Pontificis Epistolas exstat post LVIII, ubi ita de S. Flaviano Constantinopolitano episcopo ait : « Super hæc sciat » tua Sanctitas, quoniam præcepto nostri domini » et tranquillissimi principis mei conjugis, in » gloriosam civitatem Constantinopolitanam » sanctæ memoriæ episcopi Flaviani corpus » allatum est, et in basilica Apostolorum, in » qua consueverant prædecessores Episcopi se- » peliri, competenter est positum. » S. Joannes Alexandrinus, ob insignem in pauperes liberalitatem per antonomasiam *Eleemosynarius* nuncupatus, teste auctore ejus Vitæ, num. XLIX, in oratorio S. Tychonis conditus fuit. Eumdem ritum servatum in Galliis atque in aliis Christiani orbis partibus, ut nempe Episcopi in sacris templis humarentur, docet passim S. Gregorius Turonensis, aliique prisci auctores apud Laurentium Surium, atque Bollandianos in Vitis Sanctorum. Ut enim alios omittam, de sancto Fulgentio Ruspensi episcopo, qui obiit anno Domini 529, vitæ suæ 65, ut cardinalis Baronius annotat tomo VI *Annalium*, scribit ejus Vitæ auctor apud laudatum Surium die I januarii : « Mane postquam multitudo maxima » populorum de locis finitimis ad exsequias ve- » nit, Sacerdotum manibus ad ecclesiam civita- » tis, quæ *Secunda* dicitur, ubi etiam reliquias » Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus » est honorabile monumentum. Primus plane » in eadem basilica Pontifex poni meruit, ubi » nullum mortuum, neque Sacerdotem neque » laicum, sepeliri consuetudo sinebat antiqua. » Et de S. Epiphanio Metaphrastes refert, eum Arcadii imperatoris jussu, renitentibus ob ec-

Digitized by Google

clesiæ reverentiam et consuetudinem nonnullis, in illa sepultum; quod qui supra leges humanas vixisset, communi et a lege definito loco deponi nequaquam deberet.

XVI. At non modo in ecclesia, sed in ipso ecclesiæ sanctuario, imo sub ipso altari sepultos olim Episcopos, luculenter ostendit Edmundus Martene lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIII, num. XIII, ubi describit egregium S. Ambrosii Mediolanensis episcopi testimonium, qui in Epistola XXII ad sororem suam ita inquit : « Hunc ego locum (sub altari scili» cet) prædestinaveram mihi; dignum est enim » ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre con» suevit. » Cujus ritus eam reddit rationem Joannes cardinalis Bona lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XIX : « Hac eadem de causa veteres » Ecclesiæ Patres Episcopos orthodoxos sub al» tari sepelire consueverunt, ut cum ipsis sacri» ficia et ordinationes fierent; quia ad servandam » fidei unitatem, et ad legitimam successionem » indicandam, communionem viventis Episcopi » cum antecessore defuncto necessariam existi» mabant. » Addit apparere moris hujus vestigium in collatione Catholicorum cum Donatistis tempore Innocentii Papæ I, *Cognitione* I, c. CCIV. Ibi enim Donatus episcopus Sitifensis orthodoxus dixit : « Supra corpus Episcopi Catholici » Presbyterum ordinavi, et Deo volente ordina» bitur illic Episcopus. » Alios Episcopos, si non sub altari ipso, saltem ante illud, vel in alio insigni ecclesiæ loco sepultos legimus apud laudatum Gregorium Turonensem, in lib. *De Gloria Confessorum*, cap. LXXXIV, ubi agit de sepultura S. Valerii Conseranensis episcopi; et apud memoratum Laurentium Surium, ubi de sepultura sanctorum Episcoporum loquitur. Cæterum præter Episcopos, fuse ostendit Martenius, lib. V *De antiquis Monachorum Ritibus*, Abbates in ecclesia sepeliri consuevisse.

XVII. Etsi autem sacri canones etiam posterioribus sæculis sepeliri in ecclesia interdicant, adeo ut Theodorus Cantuariensis archiepiscopus in suo *Capitulari*, num. LXVIII, statuat ut in ecclesia sanctificata nulli mortui sepeliantur, et, si antequam fuerit sanctificata sepulti sunt, non sanctificetur; res tamen eo tandem devenit, ut arbitrio Episcoporum atque Presbyterorum relictum sit quos in ecclesia sepeliri aut non sepeliri oporteret. Sæculo IX, cum quædam familiæ in Galliis hæreditarias sepulturas sibi assererent, Patres Concilii Meldensis, quod anno 845 habitum fuit, hoc decretum edidere : « Nemo quemlibet mortuum in ecclesia, quasi » hæreditario jure, nisi quem Episcopus et Pre» sbyter pro qualitate conversationis et vitæ » dignum duxerit, sepelire præsumat. » Idipsum edixerat sæculo VIII Theodulphus episcopus Aurelianensis in Epistola ad suos Presbyteros, quibus, postquam prohibuit ut nemo in ecclesia sepeliatur, hanc clausulam addidit : « Nisi forte » talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet ju» sti hominis, quæ per vitæ meritum, talem, » vivendo, suo corpori defuncto locum acqui» sivit. » Non absimilis exceptio in pluribus ejusdem ac sequentis sæculi Decretis legitur.

XVIII. At vero cum vitæ merita, ob quæ istiusmodi prærogativa indulgetur, determinata minime essent, illa profecto exceptio latum aperuit campum laicis ambiendi sepulturam in templis, et Sacerdotibus plenam illam concedendi libertatem; quod nempe ex sepulturis intra ecclesiam frequenter emolumentum notabile in ipsos Sacerdotes redundaret; dum vel laici, ut honoratiorem sepulturæ locum acciperent, in faciendis oblationibus erant liberaliores, vel ipsi Sacerdotes pro locis honorabilioribus pretium exigere non erubescerent; ut scite observat Zegerus Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici*, tit. XXXVIII, cap. II, ubi etiam hæc adjungit : « Mirum quanta velocitate duobus hisce, » scilicet laicorum ambitione et Clericorum » cupiditate impellentibus, disciplina hæc an» tiquitus religiose observata de non sepelien» dis mortuis in ecclesiis quasi ad interitum » descenderit, ipsæque ecclesiæ factæ sint di» vitum quorumcumque cœmeteria, in sepultu» ram pauperum duntaxat relictis cœmeteriis. » Sane quod magnæ olim personæ et quidem sæculo Christi XIII in cœmeteriis sepelirentur, docet nos Matthæus Parisius, qui ad annum 1254 suæ Anglicanæ *Historiæ*, agens de Henrico III, Angliæ rege, ait quod « veniens ad sepulchrum » matris suæ, quod erat in cœmeterio, fecit » transferri corpus in ecclesiam, et superposito » mausoleo, obtulit ibi et alibi in eadem ecclesia » pannos sericos pretiosos, illud adimplens » præceptum Dominicum : *Honora patrem et* » *matrem, etc.* »

XIX. In Italia etsi passim tam divites quam

Digitized by Google

pauperes, tam nobiles quam plebei in ecclesiis hodie sepeliantur, ab omnibus tamen aliquid exigitur emolumentum, quod alicubi etiam simoniam sapit, datque laicis occasionem de summa avaritia Ecclesiasticos redarguendi. Quod vel olim in Latina Ecclesia fuerit aliquid oblatum, imo et exactum pro exsequiarum officio, improbatumque a S. Gregorio Magno, constat ex ejusdem Epistolis passim. Libro VII, epistola LVI ad Januarium Sardiniæ metropolitam, ita scribit : « Questa est nobis Nereida clarissima femina, » quod ab ea centum solidos pro filiæ suæ se- » pultura Fraternitas vestra non erubescat exi- » gere : atque ei super doloris gemitum studeat » majorem impendii inferre molestiam. » Ait grave id nimis esse, et procul nimis a Sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium. Tum ita sequitur : « Hoc autem » vitium et nos postquam Deo auctore ad Epi- » scopatus honorem accessimus, de ecclesia » nostra omnino vetuimus, et pravam denuo » consuetudinem nequaquam usurpari permisi- » mus, memores quia dum Abraham a filiis » Emor, hoc est Efron, filio Sejor, sepulchrum » pretio ad humandum corpus conjugis postu- » laret, pretium accipere renuit, ne commodum » videretur de cadavere consecutus. »

XX. Duo adhuc sunt in hac S. Gregorii Epistola quæ adnotari debent quo magis magisque Christiani Sacerdotes erubescant, addiscantque aliquando quæ lucra ex defunctorum exsequiis sua jure facere possint. Primo itaque ait : « Si » ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, » quanto magis nos, qui Sacerdotes dicimur, » hoc facere non debemus ? » nempe pro sepultura pretium exigere. Deinde ita loquitur : « Sed si quando aliquem in ecclesia vestra se- » peliri conceditis, siquidem parentes ipsius, » proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte » quid offerre voluerint, accipere non vetamus ; » peti vero, vel exigi aliquid, omnino prohibe- » mus ; ne, quod valde irreligiosum est, aut ve- » nalis fortasse, quod absit, dicatur ecclesia, aut » vos de humanis videamini mortibus gratulari, » si ex eorum cadaveribus studeatis quærere » quolibet modo compendium. » An non de hominum morte gratulari videbatur quidem in urbe conspicua Parochus, cujus nomini parco, qui pactum cum femina iniit ut, cum funebrem campanæ sonum audiret, pipionem statim pararet, et assum igni ad ipsum deferret quo mane vesceretur ? Novi alium Parochi vices gerentem summopere doluisse, et a parochiæ servitio recessisse, quod vir nobilis, quem sacra extrema unctione donaverat, eamque ob causam binas noctes insomnes duxerat, convalesceret. Possem et alios suggillare, quos nunquam lætiores videas, quam cum funus in ecclesiam suam ducunt. Sed de hujusmodi Parochorum avaritia sat sacri loquuntur canones, præsertim in Decretalibus libris ad titulum *De Simonia*. Vide eruditissimum Lupum, tomo IV operum, in secunda proœmiali dissertatione *De simoniæ crimine, et variis ad ipsum spectantibus*, cap. XII.

XXI. Si veterem disciplinam spectamus, fuerunt jam olim in primitiva Ecclesia *Copiatæ*, sive *Fossarii*, quos exsequiarum curam agere gratis, et mortuis honestam sepulturam prospicere oportebat. Speciatim ipsi hoc ultimum officium pauperibus sine ulla mercedis, hoc intuitu, ab eorum cognatis sibi solvendæ exactione præstare debebant. Ita Constantinopoli obtinuisse ex *Novella* Justiniani, constitutione LIX, liquet, qua nos certiores facit Anastasium imperatorem certa prædia huic societati assignasse, certumque tabernarum et officinarum numerum in civitate constituisse, quæ omnis generis tributis solutæ essent, ex quarum mercedibus et prædiorum vectigalibus defensores et curatores ecclesiæ Copiatis ipsis exsequiisque impensas subministrare oportebat. Justinianus non solum hanc constitutionem confirmavit, sed etiam facta de abusu quodam querimonia, quod, lege Anastasii non obstante, stipendium pro exsequiis exigeretur, publicata *Novella* sua abusum istum corrigi jussit. Ait Binghamus, lib. III *Originum Ecclesiasticarum*, cap. VIII, § IV, se minime reperisse an hujusmodi constitutio in reliquis Ecclesiis omnibus facta sit : verisimilius autem esse inquit, « hos Co- » piatas partim ex communi ærario fuisse su- » stentatos, partim ex suo ipsorum labore » et mercatura, quæ animos eis addendi causa, » generatim vectigalium et tributorum munere » soluta erat, vitæ sibi subsidia comparasse. »

XXII. Tradit ibidem Binghamus, § II, Copiatarum ordinem Constantini imperatoris primum tempore institutum videri, quia scilicet Constantius ejus filius in lege I Cod. Theodos. *De*

Digitized by Google

lustrali conlatione, de eo Ordine tanquam novissime instituto loquitur; nec ullus priorum trium sæculorum scriptor reperiatur, qui ullam unquam ejus injecerit mentionem, sed per omne illud tempus cura sepeliendi mortuos officium tantummodo caritatis erat, ad quod perficiendum Christianus quisque, occasione ita ferente, sese obligatum esse credebat. At vero cum inter S. Ignatii episcopi Antiocheni Epistolas, una ad Antiochenos missa reperiatur in ipsaque Copiatarum mentio fiat, jam constat fuisse Copiatas in Ecclesia institutos I Christi sæculo, quo vixit Ignatius. Scio Eusebium, lib. VII *Historiæ*, cap. XXX, et S. Hieronymum, septem enumerare Ignatii Epistolas, unam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphios, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Verum præter has et aliæ quinque recensentur, una scilicet ad Mariam Cassabolitam, ad Antiochenos altera, tertia ad Tarsenses, quarta ad Philippenses, et quinta ad Heronem; quæ quidem Epistolæ, quamvis ad manus Eusebii et Hieronymi non pervenerint, ob styli tamen similitudinem, et spiritum vere Apostolicum, a viris doctis omnino recipiuntur, ut testatur cardinalis Bellarminus in lib. *De scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi de sancto Ignatio agit.

XXIII. Ergo antiquissimi sunt in Ecclesia *Copiatæ*, quos a Græco vocabulo κοπάζειν, quod *quiescere* significat, derivat Gothofredus in Commentario ad legem I Cod. Theodos. *De lustrali conlatione*. Alii ἀπὸ τοῦ κοπετοῦ, id est *planctu* et *lamentatione*. Generatim autem hoc iis nomen datum esse creditur a κόπος et κοπιάσθαι quod significat *laborare* : unde a nonnullis *laborantes* appellantur. Auctor sub nomine Hieronymi, in lib. *De septem Ordinibus Ecclesiasticis*, eos *Fossarios* nuncupat a fodiendis tumulis; ipseque Hieronymus in Epistola ad Innocentium de muliere septies icta eamdem denominationem innuere videtur, cum de quopiam, qui terræ mandandus erat, loquens : « Clerici, inquit, quibus id officii erat, cruen- » tum linteo cadaver obvolvunt, et fossam hu- » mum lapidibus construentes ex more tumulum » parant. » Ubi obiter nota fuisse Copiatas seu Fossarios inter Clericos adnumeratos; vocanturque a Justiniano, in *Novella* XLIII et LIX, *Lecticarii*, a portandis emortuis corporibus, vel sandapilis. Dicti sunt etiam *Decani* et *Collegiati*, aliisque etiam nominibus quæ non est ita facile explicare. Cæterum testatur Justinianus in ipsa *Novella* XLIII Constantinum, cum in nova sede Constantinopoli posita quiete viveret, homines mille et centum nomine Copiatarum ad peculiare ministerium sepeliendi gratis defunctos in istam civitatem cooptasse : atque ita ad tempus usque Honorii et Theodosii Junioris duraverunt, qui eos, uti habetur in lege LV Cod. *De sacrosanctis Ecclesiis*, ad nongentos quinquaginta reduxerunt; Anastasius autem ad primum numerum eos rursus auxit, quod Justinianus duabus memoratis *Novellis*, constitutionibus XLIII et LIX, in hanc rem publicatis confirmavit.

XXIV. Placuit hæc fuse describere, ut videas nostrorum temporum iniquitatem, in quibus alicubi qui officium hodie sepeliendi mortuos habent, importunis gravibusque exactionibus defunctorum cognatos hæredesque onerant; eisque non contenti defunctos ipsos spoliant. Utinam is abusus aliquando corrigatur! Sed prosequamur nos quod nostri est instituti. De cœmeteriis nempe illud quoque adnotemus, postremis etiam hisce sæculis varias Episcoporum Synodos exoptasse ut, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, Christiani homines, quibus sepultura non est interdicta, in cœmeteriis, non autem in ecclesiis sepelirentur. Id quidem, ut alia omittam Concilia, expressum legimus in Concilio Mediolanensi provinciali I, parte II, cap. LXI, ubi S. Carolus Episcopos monet « ut » morem multis locis intermissum mortuos in » cœmeteriis sepeliendi restituendum curent. » Quod ipsum Rituale Romanum, Pauli V Pontificis Maximi jussu editum, perspicue edicit his plane verbis : « Ubi viget antiqua consuetudo » sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur, » et ubi fieri potest, restituatur. » Cæterum, quid etiamnum hodie Ecclesia specialem illum ritum benedicendi cœmeteria retinet, ut ex tituli inscriptione et ex infra dicendis patebit, nisi ut ostendat locum proprium sepeliendis mortuorum corporibus esse cœmeterium?

XXV. Quandonam autem ritus consecrandi seu benedicendi cœmeteria initium sumpserit, difficile est definire. Est quidem res antiquissima, cum de ea non tanquam suo tempore adinventa luculentissimam mentionem fecerit S. Gregorius Turonensis episcopus, qui floruit VI

Digitized by Google

Christi sæculo, in libro *De gloria Confessorum*, cap. CVI, ubi refert quod cum ipse monuisset Abbatissam monasterii Pictaviensis ut corpus B. Radegundis Francorum reginæ sepeliret, illa responderit : « Quid faciemus, si Episcopus urbis » non advenerit ? quia locus ille, in quo sepeliri » debet, non est Sacerdotali benedictione sacra- » tus. » Hoc responsum non obscure innuit jam tunc moris fuisse ut locus sepulturæ prævie sacraretur, et quidem benedictione Sacerdotali seu Episcopali. Laudat hoc Gregorii Turonensis testimonium lib. I *De Ritibus Ecclesiæ catholicæ*, cap. XXIII, ubi agit de cœmeteriis, Stephanus Duranti, quem inepte carpere videtur Joseph Binghamus lib. XXIII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. II, § I, quod originem consuetudinis benedicendi cœmeteria altius repetere non potuerit. Verum profecto Binghamus ipse Protestantium hæreticorum ritus, quorum ipse sectator est, antiquiores ostendere minime poterit, cum illos constet in nostra hac temporum fæce ab impiissimis apostatis introductos fuisse.

XXVI. Sæculo X, et quidem anno 967, cœmeteriorum consecratorum mentio illustris habetur in legibus ab Eggaro Anglorum rege editis, can. XXII. Post annum Christi millesimum multa apud scriptores consecratorum cœmeteriorum exempla invenio. Ut autem alios omittam, Matthæus Parisius in Vitis XXIII Sancti-Albani Abbatum, de Gaufridio decimo sexto abbate agens, qui anno 1140 monasterium virginibus fundavit, inter alia, hæc habet : « Assignavit- » que eis cœmeterium, et fecit dedicari, in quo » nullus, nisi de eisdem sanctimonialibus, sepe- » liretur, sicut charta super his confecta testifi- » catur, quam præsenti paginæ duximus inscri- » bendam : Notum sit omnibus fidelibus sanc- » tæ Ecclesiæ, ipsa die qua benedictum est cœ- » meterium Virginum de Sopwella, videlicet » VII idus octobris, perpetua conventione statu- » tum quod in illo cœmeterio nullus habebit » sepulturam, neque vir, neque femina, nec » Clericus, neque laicus, neque serviens, nec » forinsecus, præter Virgines tantum quæ in- » clusæ fuerint, etc. » Idem Parisius, in Vita Roberti decimi octavi Sancti-Albani abbatis, ait quod Rodulphus Ruffensis episcopus, qui postea fuit archiepiscopus Cantuariensis, « dedicavit » ecclesiam de Hecstanestum in honorem sanctæ » Fidei virginis et martyris, benedixitque cœ- » meterium Sancti-Stephani eodem tempore, » testibus Duntasno et Nicolao. » Et de Gulielmo abbate vicesimo secundo ait, quod ab ipso vocatus Thomas Dunensis episcopus « dedicavit » polyandrium conventuale apud Sanctum- » Albanum, in quo sepulta fuerunt corpora » fidelium in interdicto XVI kal. januarii. Item » idem dedicavit cœmeterium beati Petri in Vita » S. Albani VII kal. januarii. Item idem dedi- » cavit cœmeterium Sanctæ-Mariæ de Prato VI » kal. januarii. »

XXVII. Altissime quidem consecrandi cœmeterii ritum ea ratione probat eruditus Zegerus Van-Espen, p. II *Juris Ecclesiastici*, c. XXXVII, quod ipsa cœmeterii consecratio cum ipsa quodammodo ecclesiæ consecratione cœperit; seu potius cœmeterium tanquam pars et appendix una quasi consecratione cum ipsa ecclesia consecratum fuerit, cum nempe alicubi, vel priscis sæculis cœmeterium prope ecclesias construeretur. Cui opinioni mirifice suffragari videtur Innocentius III Pontifex Maximus in cap. VII *De consecratione ecclesiæ*, ubi ita inquit : « Cœ- » meteria vero, in quibus excommunicatorum » corpora sepeliuntur per suorum violentiam » propinquorum, reconcilianda erunt aspersio- » ne aquæ solemniter benedictæ, sicut in eccle- » siarum dedicationibus consuevit. » Similiter declarat Bonifacius VIII quod polluta ecclesia, etiam pollutum censeatur cœmeterium, tanquam nimirum ecclesiæ accessorium, ut idem significat. Hinc ortum autumant vix in antiquissimis variis libris Pontificalibus inveniri peculiarem ritum benedicendi cœmeterium, quod benedictum censeretur, ubi ecclesia dedicabatur, cujus ipsum erat accessorium. Fuisse hanc aliquorum opinionem, et quidem ab annis circiter quingentis docet nos manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, in cujus Rubrica *De poliandri seu cimeterii benedictione*, ita legimus : « Quamquam plerique asserant cimite- » rii benedictionem necessariam non esse, » dicentes ad hoc sufficere circuitus extra eccle- » siam, et cimiterii aspersiones quæ fiunt quan- » do ecclesia dedicatur; non tamen supervaca- » neum est sequentem benedictionem fieri, etc. »

XXVIII. Exstant nihilominus quidam pervetusti manuscripti Pontificales, qui benedictionis seu consecrationis cœmeteriorum ordinem describunt. Tale est Pontificale manuscriptum

Digitized by Google

Egberti Eboracensis archiepiscopi annorum circiter mille, et manuscriptum Pontificale monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, in quibus titulus ita inscribitur : *In consecratione cimiterii.* Pontificale Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria, et aliud Ecclesiæ Senonensis, annorum quingentorum, itemque Pontificale Christiani Moguntini archiepiscopi, atque alia plura hunc præ se ferunt titulum : *Benedictio cimiterii.* In multis vero, quale est illud Vaticanum Gulielmi Durandi manuscriptum Pontificale, is exstat titulus : *De poliandri seu cimeterii benedictione.* In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod asservatur Romæ in Bibliotheca Angelica ordinis Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini, is præfixus est titulus : *Benedictio poliandri seu cimiterii.* Porro polyandrum etsi apud quosdam inferioris ævi scriptores pro sepultura unius hominis accipiatur, uti videre est apud Carolum Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario,* verbo *Polyandrum :* in præsenti tamen titulo, et juxta communem opinionem, pro loco in quo plurium mortuorum cadavera reconduntur, sumitur; ejusque varias etymologias legere est apud Gulielmum Durandum, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. v, num. v et sequenti.

XXIX. Quanta virtus sit benedictionis cœmeteriorum, addiscere licet ex Vita S. Malachiæ episcopi Hiberniæ, de quo ita scribit S. Bernardus ejusdem Vitæ auctor, cap. XVIII : « Perveniens » ad portum Laperasperi, transitum ibi per aliquot dies præstolabatur; sed mora minime » transit otiosa. Construitur interim de virgis » in septem textis oratorium, ipso jubente, ipso » operante pariter. Consummatum circumdedit » vallo, atque interjacens spatium in cœme» terium benedixit. » Addit merita benedicentis miraculis satis declarari, quæ suo adhuc tempore ibidem actitari dicebantur : « Inde est, in» quit, quod de finitimis locis infirmos et male » habentes illo portare consueverunt, et sanan» tur multi. » Varios ritus, qui multis abhinc sæculis in benedictione cœmeterii servari solent, egregie explicat vir doctus æque ac pius, Dominicanæ familiæ scriptor antiquus, Humbertus de Romanis, in celebri opere *De modo cudendi prompte sermones,* lib. II, cap. XXII. Rarum opus ac utilissimum exstat tamen tomo XXV Bibliothecæ Patrum ultimæ editionis.

XXX. Denique cur multis gravissimisque cæremoniis cœmeteria consecrentur, variæ afferri possunt causæ ; quarum prima illa esse potest, ut inde inferorum monstra abigantur, quorum sæpe in monumentis sedes atque domicilium est; ut disertissimus omnium sanctorum Ecclesiæ Patrum S. Joannes Chrysostomus asserit *Homilia* XXXV *in Matthæum*, in cujus cap. VIII verba hæc sunt : *Cum venisset (Jesus) trans fretum, in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* Morantur autem ibidem, tum ut humanis corporibus insultent, tum ut eisdem ad nefandas præstigias abutantur, tum etiam, ut ex eodem Chrysostomo addiscimus, « quia perniciosam » opinionem ingerere hominibus conantur, » quod hominum, qui obierunt, animæ dæmo» nes fiant. » Erat hæc quidem una ex hæresibus Tertullianistarum, a Platone hausta, teste S. Augustino in lib. *De hæresibus* ad Quodvultdeum, cap. LXXXVI, et lib. IX *De Civitate Dei*, cap. XI, ubi ita inquit : « Dicit quidam, et ani» mas hominum dæmones esse, et ex hominibus » fieri lares, si meriti boni sunt ; lemures, seu » larvas, si mali. » At non solum propter hanc causam dici potest cœmeteria sacris cæremoniis expiari, sacrasque in eisdem cruces figi ; verum etiam, ut viatores admoneantur eos qui inibi conditi sunt, in fide Christi Jesu lucis hanc usuram reddidisse, ut scite post alios scriptores docet eruditus Petrus Cotonus, Societatis Jesu theologus, in sua *Catholica Institutione,* libro II, capite XLVIII.

XXXI. Solet et hodie juxta Rituale Romanum sacris precibus sepultura toties benedici, quoties mortuos in ea humari contigerit. Rituale Fratrum Prædicatorum prolixiores de ea re cæremonias exhibet, quas rite non semel servatas vidimus in complurium ipsorum Fratrum exsequiis. Etenim inter alios ritus in subterraneis fornicibus mortuos deponentes, illos prius terra, ut terræ terram commendent, respergunt, ut testatur Jacobus Goar, ejusdem inclyti Ordinis scriptor eruditissimus, in Notis ad Officium exsequiarum, num. XX. Hoc humanitatis officium refert S. Bernardus *Sermone* XXVI *in Cantica* se fratri exhibuisse : « Indutus, inquit, sacer» dotalibus solitam orationem proprio ore » complevi : terram meis manibus ex more jeci

Digitized by Google

» super dilectum corpus, terram et ipsum fu-
» turum.» Apud Græcos in Officio exsequiarum, ubi cadaver in monumento deponitur, « Sacer-
» dos terram batillo tollens, superinjicit cadaveri,
» dicens : *Domini est terra, et plenitudo ejus;*
» *orbis terrarum, et qui habitant in eo.* His
» peractis, cadaveri superinfundunt lampadis
» oleum, aut e thuribulo cinerem ; atque ita,
» ut moris est, sepulchrum operiunt. » Narrat Bonsignorius Cacciaguerra, unus e primis nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, in Vita Felicis de Barbarano virginis religiosissimæ, quam ipse ad omnem sanctitatem informavit, peractis illius exsequiis, se super illam jecisse terram, et dixisse : « Dormi in
» pace, o filia, donec Christus te excitabit, et
» interim ora Deum, pro me. »

XXXII. Quoniam vero mentio incidit nostri Bonsignorii Cacciaguerræ, ejusque in spiritu filiæ Felicis de Barbarano, lubet hoc loco describere antiquam marmoream inscriptionem quæ statim post ipsius virginis obitum in ejus tumulo posita fuit, in ecclesia scilicet Sanctæ-Cæciliæ ad Montem Jordanum, ubi fuit sepulta. Est autem hujusmodi : « Felicis de Barbarano
» ancillæ Christi, quam purissimam virginem
» alumnam ad omnem sanctitatem educavit
» homo Dei Bonsenior Cacciaguerra Senen.
» presbyter Congregationis in ædibus Charitatis
» hic depositum redivivum in pace expectat
» censorium diem. Obiit XII kalend. maii
» MDLIII. » Tractu temporis solo æquata ecclesia Sanctæ-Cæciliæ, et unita fabricæ Sanctæ-Mariæ in Vallicella, ossa virginis translata fuere in ipsam Sanctæ-Mariæ in Vallicella ecclesiam, exstantque hodie in sacello Sanctæ Mariæ Virgini in cœlos assumptæ dicato, in quo alia a prænotata, marmorea inscriptio legitur. Agendæ sunt itaque gratiæ D. Florico canonico de Silvestris, Felicis consanguineo, qui nobis antiquum monumentum conservavit in suo parvo libello italice scripto, *Corona duodecim sanctarum virginum, etc.*, quem Romæ edidit anno 1664 typis Stephani Cavalli, exstatque in celebri Bibliotheca Sapientiæ Urbis.

XXXIII. Hinc patet luculentissime nomen Congregationis jam anno 1553 nostris patribus tribui consuevisse, publicisque incidi lapidibus. Dices : Unde illud deinde Oratorii additamentum Congregationi Presbyterorum Sancti-Hieronymi Charitatis ? Respondeo ab Oratorio, ejusque exercitationibus in ædibus hisce jam olim institutis, annuente et promovente piissima ac religiosissima Charitatis Archiconfraternitate, ad quam ædes ipsæ pertinent. Quamobrem non mirum videri debet, si denominatione Presbyterorum Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis a centum quinquaginta et supra annis, non modo a scriptoribus, sed et ab ipsis Romanis Pontificibus, atque ab Eminentissimis S. R. E. cardinalibus Vicariis Urbis usque ad præsentem diem appellitemur. Sed de his et aliis plura, Deo dante, dicentur in Historia, quam quidam e nostris pararunt, *De Ecclesia et Domo Sancti-Hieronymi Charitatis ;* et in opere *De viris illustribus Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis.*

§ I.

Die præcedenti ponuntur in cœmeterio benedicendo quinque ligneæ cruces, videlicet una altior in medio et quatuor aliæ, quælibet ad staturam hominis, quarum una in extremitate cœmeterii ante crucem mediam, alia in alia extremitate cœmeterii retro crucem mediam, tertia in tertia extremitate a dextris, et quarta in quarta extremitate cœmeterii a sinistris crucis mediæ; et ante quamlibet ex dictis quinque crucibus ponitur, seu figitur in terram aliquod lignum in ejus summitate aptum ad affigendum illi tres candelas, trium unciarum quamlibet, vel circa; scala, super quam ascendens Pontifex possit attingere summitates ipsarum crucum; vas magnum aqua plenum benedicenda; vas cum sale.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quinque cruces die præcedenti benedictionem cœmeterii, in ipso cœmeterio primum esse ponendas eo quidem ritu, qui in hac Rubrica præscriptus est, docet nos manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi : « Die præce- » denti, inquit, in cœmeterio benedicendo fiant » quinque ligneæ cruces altæ ad hominis sta- » turam. Una in medio sit altior, alia ad ortum » solis, tertia ad occasum, quarta ad septen- » trionem sive ad aquilonem, quinta ad austrum » sive meridiem. » Idipsum docet manuscriptum Pontificale Christiani Moguntini archiepiscopi, qui floruit sæculo Christi XIII : « Primo po- » nantur quatuor cruces secundum amplitudi- » nem cimiterii ad orientem et occidentem, ad » aquilonem et austrum, quinta in medio. » Ex quodam Pontificali Ecclesiæ Romanæ, annorum circiter quadringentorum, quod in Bibliotheca Colbertina asservabatur, « in primis debent » quatuor cruces esse paratæ, et una debet poni » supina in parte orientali, et alia in occiden- » tali, tertia in australi, quarta in aquilone, » donec induat se Episcopus. » Ubi nota supinas primum fuisse hasce cruces in memoratis cœmeterii locis depositas, solemnique cum ritu deinde ab Episcopo elevatas, ac in terram fixas, ut infra in Commentario § V dicemus.

II. At vero quicquid de eo ritu sit, constat in usu quidem sæculi XII fuisse ut cruces in benedictione cœmeterii apponerentur. Testantur id enim litteræ Callisti Secundi, qui initio ejus sæculi floruit, ad Matisconensem et Cabillonensem Episcopos, quibus se Trenortiensis monasterii altaria et cœmeteria benedixisse ait : « Dilectioni vestræ notum facimus, quia nos » nuper Trenortium venientes, Abbatis et fra- » trum ejusdem loci petitionibus, altaria conse- » cravimus, cimiterium benediximus : ibique » aquam benedictam fundentes, terminos cir- » cumquaque poni præcepimus. Infra quos vi- » delicet terminos, sicut per cruces juxta terræ » consuetudinem distinctæ sunt, captiones, de- » prædationes, assultus, vel aliquid hujusmodi » fieri, et prohibuimus, et penitus prohibemus. » Exstant litteræ apud Labbæum, tomo XII *Conciliorum*, columna 1268 editionis Venetæ.

III. Quinto Christi sæculo morem fuisse ut crux in cœmeteriis locaretur, eaque benedictione Episcopi sacrarentur, non obscure innuit Vita S. Patricii Hibernorum apostoli, auctore Jocelino monacho de Furnesio, cap. VII, num. LIX, apud Bollandianos ad diem XVII martii, ubi de ipso Patricio hæc legimus : « Sanctus signifer » Dominici vexilli, ut ipse agere consuevit, » constituit ad caput cujuslibet Christiani extra » cœmeterium sepulti crucem figere, quia in » regione ad fidem noviter conversa præ pau- » citate ecclesiarum noverat omnes defunctos » in cœmeteriis funerandos non fore. » Mox assignans rationem cur ipse Patricius crucem ad caput defunctorum figeret, ita inquit : « Vo- » luit etiam optimus Pastor tam felici charactere » oves ab hœdis, sepultos scilicet Christianos a » paganis distinguere : sic profecto Christicolæ » venientes, viso vitæ signo, funeratum fuisse » famulum fidei, crucis Christi signo valerent » agnoscere, atque pro ejus anima non cuncta- » rentur cunctorum conditori preces offerre. » Subdit fidelem plane esse consuetudinem, constitutionemque omnium acceptione dignam, « ut qui in morte Christi baptizatus, et in fide » ipsius esset mortuus, stigmata mortis ejus se- » cus se, vel supra se haberet sepultus. »

IV. Plura in hac narratione observanda sunt. Primo quidem constructa fuisse cœmeteria prope ecclesias, saltem in Hibernia. Secundo, ut sepultura Christiani hominis, ad cujus caput crux ponebatur, a sepultura ethnicorum distingueretur. Tertio, ut viso crucis signo Christi fideles pro anima defuncti orare moverentur. Quarto laudabilem fuisse eam consuetudinem, ut in fide Christi baptizatus Christi signum vel mortuus penes se haberet. Eam consuetudinem posterioribus sæculis religiose servatam, docent nos leges Ecclesiasticæ a Chenetio Scotorum rege editæ anno 844, quæ habentur tom. VII *Conciliorum*. Capite siquidem quinto de ea re sic inquit : « Sepulcrum omne sacrum habeto, idque crucis » signo adornato, quod ne pede conculces ali- » quando, caveto. » Hujusmodi fuit sepulcrum Burchardi comitis, de quo Odo Fossatensis in ejus Vita sic scribit : « Illa autem tabula sepulcri » ipsius ab antecessoribus nostris optime operata » ac decorata fuit : super pectus ejus crux deau-

Digitized by Google

» rata cum litteris A et Ω superposita fuit. »

V. Post annum Christi millesimum, et quidem sæculo Christi XIII, hunc morem viguisse, ut in quocumque loco extra cœmeterium Christianus sepeliatur, semper crux capiti illius poni deberet, testes sunt Joannes Belethus in *Explicatione divinorum Officiorum*, capite CLIX, et Gulielmus Durandus libro VII sui *Rationalis*, capite XXXV, numero XXXIX : « Ad notandum, » inquit, illum Christianum fuisse, quia hoc » signum diabolus valde veretur, et timet acce» dere ad locum crucis signaculo insignitum. » Cujus rei praxim videre est in Prologo *Historiæ peregrinorum euntium in Jerusalem* ad liberandum sanctum Sepulcrum, ubi inter alia leguntur hæc verba : « Ita plenæ omnes viæ se» pulcris Sanctorum peregrinorum habentes » fixas cruces ad capita. » Hanc eamdem praxim hodieque observant Carthusiani, qui mortuos suos in cœmeteriis sepeliunt, ad eorumque capita cruces ligneas figere solent.

VI. Porro non omittendum quod rem præsentem quam maxime illustrat, factum scilicet laudati Hibernorum apostoli S. Patricii, qui, ut ait memoratus ejus Vitæ auctor, cum in egressu suo de Connactia, duorum hominum recenter tumulatorum sepulcra intueretur, videretque ad caput unius eorum signum crucis erigi, sedens in curru, aurigæ suæ lorum retrahere jussit, ipseque oratione facta, quasi ad viventem ad sepulcra loquens, quis et cujus sectæ esset inquisivit : « Vox vero de tumulo emissa re» spondit se hominem fuisse sectæ paganum » divini cultus penitus ignarum. » At Sanctus : « Quid tibi, inquit, et cruci Christi, cujus cultor » nunquam fuisti? » Et vox ad ipsum : « Qui » juxta me sepelitur, Christianus exstitit, ve» niensque quidam fidei vestræ professor igno» rantia ductus ad meum caput crucem posuit. » Ait mox auctor quod « descendens illico amovit, » illamque ad caput baptizati fixit, oravit, et » inde discessit. »

VII. In multis Conciliis illud quidem cautum invenio ut in cœmeteriorum medio crux firmiter erecta sit, aliquo etiam decenti tegumento operta; uti videre est in Concilio Mediolanensi IV sancti Caroli, anni 1576; Aquensi, anni 1585, et Avenionensi, anni 1594, in quo inter alia hæc exstat de cœmeteriis constitutio : « Locus autem aliquis separatus tegulisque sal» tem contectus ibi sit, in quo sacrosanctum » Christi vexillum conspicietur, vel etiam sub » dio, modo decenti loco collocetur. » Id quod religiose constitutum est ad conciliandum cœmeteriis venerationem, quæ aliquando irreligiosi homines choreis ludisque profanare minime erubuerunt, uti non semel zelantissimi Præsules in Synodis suis conquesti sunt. Olim longe ante annum Christi millesimum crucem semper in medio cœmeterii fuisse erectam, addiscimus ex delineatione monasterii Sancti-Galli, quale erat Ludovici Augusti temporibus, in quo habetur quidem cœmeterium extra claustrum cum cruce in medio. Id etiam alii scriptores tradunt, præsertim vero Bollandiani.

VIII. De ligno insuper ante quamlibet crucem in cœmeterii benedictione parando, in cujus summitate tres candelæ affigi debent præclarum est testimonium manuscripti Pontificalis Gulielmi Durandi, qui tamen duodecim tantum candelarum meminit, ut infra dicemus. Ejusdem numeri duodecim cereorum in quatuor angulis cœmeterii ponendorum mentionem etiam facit Pontificale monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, et alia nonnulla, licet in quodam Remensi Pontificali S. Remigii annorum circiter sexcentorum quatuor candelæ super quatuor crucibus accensæ memorentur; in quibusdam vero de hujusmodi candelis nullum verbum fiat. Quod autem vas magnum cum aqua benedicenda, aliudque vas cum sale parari debeat ad cœmeterii benedictionem, omnes fere Pontificales libri supponunt, uti ex infra dicendis aperte constabit.

§ II.

Mane vero Pontifex in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, mitra simplici et baculo Pastorali, accedit cum ministris ad cœmeterium benedicendum, ubi faldistorium ante crucem in medio positam sibi paratur, super quo residens facit populo brevem sermonem de sanctitate et libertate cœmeterii.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Præter manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, nullum aliud profecto invenio quod vestium Episcopi cœmeterium benedicturi, aut sermonis ab ipso habendi de sanctitate et libertate cœmeterii mentionem faciat. De sanctitate cœmeterii nonnulla diximus in explicatione hujus tituli. Apud ethnicos lapidem a cœmeteriis movere, terram sollicitare, et cespitem vellere proximum sacrilegio erat, uti constat ex lege v Cod. Theod. *De sepulcris violatis*, in qua etiam dicitur ornamenta tricliniis aut porticibus auferre de sepulcris piaculum esse, et contaminationem religionis, pœna manium vindice cohibendum. Legem ipsam Justinianus repetens in Codice suo, lib. IX, tit. XIX *De sepulcro violato*, pro *pœna manium*, legit *pœna sacrilegii*. Si itaque apud gentiles tanta erat sepulcrorum religio, ut qui ea quoquo modo violarent, variis pœnis afficerentur, nil mirum videri debet si passim in sacris canonibus constitutum legimus ne in cœmeteriis ubi Christianorum corpora, qui templa sunt Dei vivi, ut ait Apostolus in Epistola II ad Corinthios, cap. VI, requiescunt, aliquid fiat quod ejus loci sanctitatem offendere possit. « Sacra loca, » inquiunt PP. Synodi Exoniensis anni 1287, cap. XIV, « ab omnibus » venerari tam juris civilis est ratio, quam sa» crorum canonum jubet auctoritas. Idcirco » ecclesiarum cœmeteria tum quia sancta, tum » quia Sanctorum reliquiis sanctificata existunt, » ab omni immunditia præcipimus custodiri. » Ubi nota dici in hac Synodo cœmeteria Sanctorum reliquiis sanctificata, fortasse quia instar dedicationis ecclesiarum, in cœmeteriorum benedictione reliquiæ Sanctorum adhiberentur.

II. Spectat sanctitatem cœmeterii quod in Lugdunensi generali Concilio statuit Gregorius X Pontifex Maximus, ubi ita dicit : « Cessent in » ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes, » et præcipue nundinarum ac fori cujuscunque » tumultus, omnis in eis secularium judiciorum » strepitus conquiescat : nulla inibi causa per » laicos criminalis agitetur : sint loca eadem a » laicorum cognitionibus aliena. » Idipsum jam ante constituerat Lucius III in cap. V *De immunitate Ecclesiæ, etc.* De reverentia cœmeteriis ob ipsorum sanctitatem exhibenda saluberrimas constitutiones zelantissimi Præsules in suis Conciliis edidere, quas longum esset hic recensere. Vide S. Caroli provinciales Synodos et canonici juris consultos, ac sacros theologos passim in titulo *De Immunitate*, præsertim vero eruditissimum Anastasium Germonium in suo *De Sacrorum immunitatibus* opere.

§ III.

Quo facto, affiguntur et accenduntur quindecim candelæ, tres ante quamlibet crucem super ligna, ut supra ordinata : quibus ardentibus, Pontifex ante mediam crucem et candelas stans, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis, et fides credentium, respice propitius ad nostræ servitutis officium, ut ad introitum nostrum purgetur, bene✠dicatur, sancti✠ficetur et conse✠cretur hoc cœmeterium, ut humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Accendendas in benedictione cœmeterii candelas, non modo libri manuscripti Pontificales, sed et antiqui scriptores fidem luculentissimam faciunt, inter quos Humbertus de Romanis, quintus generalis Dominicanæ familiæ Magister, qui floruit sæculo Christi XIII, initio nascentis

Digitized by Google

Ordinis, in celebri opere *De modo prompte cudendi sermones*, lib. II, cap. XXXII, ubi ritum explicans accensionis candelarum in cœmeterii benedictione, ita inquit : *Et accenduntur candelæ, in quibus intelligitur fidei charitas.* Quoad ipsum candelarum numerum variant plane libri Pontificales; nam etsi Vaticanus manuscriptus Pontificalis codex, a Gulielmo Durando exaratus, duodecim candelarum mentionem faciat, totidemque etiam jam ante meminerit manuscriptus liber Pontificalis monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, alii tamen vel de eo ritu omnino silent, vel quatuor tantum super quatuor crucibus accendendas candelas docent. Atque hunc quidem ritum legere est in manuscripto Pontificali Remensi annorum circiter sexcentorum, et in Ordine antiquo Romano, ubi ita inquit : « Et illuminentur in circuitu » quatuor candelæ. »

II. In editis ante Clementis VIII et Urbani VIII emendationem Pontificalibus, quindecim candelas accensas in benedictione cœmeterii invenio, cum Oratione *Omnipotens Deus, qui es custos animarum, etc.*, quæ etiam legitur in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, et in cæteris fere omnibus libris Pontificalibus, quibus ad illustrandum præsentem hunc titulum usi sumus, præsertim vero in manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi annorum circiter mille, et in Pontificali monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, ex quorum præscripto in aquilonari angulo cœmeterii Oratio dicebatur. Deest tamen in quibusdam, ac præsertim in antiquo Romano Ordine a Melchiore Hittorpio in lucem edito, et in manuscripto Ecclesiæ Barensis Pontificali, in quo tota benedictio polyandri seu cœmeterii unica tantum Oratione continetur, quæ incipit : « Domine sancte, Pater omnipotens, æterne » Deus, locorum omnium sanctificator, etc., » uti in Appendice videre est.

III. Forte adversus ritum accendendi candelas in cœmeteriis objiciet quispiam canonem XXXIV Concilii Illiberitani, ubi Patres ita statuunt : « Cereos per diem placuit in cœmeteriis non » incendi : inquietandi enim Sanctorum spiri- » tus non sunt. Qui hæc non observaverint, » arceantur ab Ecclesiæ communione. » Sunt quidem qui audacter asserunt canonis hujus sententiam a Christianæ doctrinæ et antiquæ Ecclesiæ moribus esse alienam, quod cereos in defunctorum vel Sanctorum monumentis accendi memoratæ Illiberitanæ Synodi Patres in eo canone judicarint. Alii complures in ea fuerunt opinione, Synodum ipsam Illiberitanam tanquam multis conspersam erroribus ab Ecclesiastico sacrorum Conciliorum canone rejiciendam. Melchior Canus, lib. V *De locis theologicis*, cap. IV, inter Hispanos, et acumine ingenii, et litterarum cognitione clarus, ubi agit de auctoritate Conciliorum, docens concilium provinciale sine Summi Pontificis auctoritate coactum, nec confirmatum, errare posse, post alia allata exempla, et illud adjecit: « Illa rursum » non imprudenter modo, verum etiam impie » a Concilio Eliberitano lata est de tollendis » imaginibus lex, can. XXXVI. » Et post alia idem auctor : « Nec mihi, inquit, Concilium » Eliberitanum objicias, nam in ea parte qua » erravit, semper a Catholicis explosum est. »

IV. Similia et longe graviora his ad labefactandam hujus Concilii auctoritatem scribunt Franciscus Padilla in *Chronographia Conciliorum;* Cæsar cardinalis Baronius, sub annum Christi LVII ; Thomas Bozius, *De signis Ecclesiæ*, aliique plurimi auctores, quos tamen egregie confutat eruditissimus Ferdinandus de Mendoza in suo eximio opere *De Concilio Illiberitano confirmando ad Clementem* VIII *Pontificem Maximum.* In quo difficultates omnes enodat, quæ ex sacris ipsius Concilii canonibus oriri possunt; præsertim vero nostrum hunc canonem fuse ac eleganter explicans, conatur evidenter ostendere Patres Concilii recitato canone, non pietatis documentum in accendendis cereis in cœmeteriis, sed antiquæ superstitionis radices convellere voluisse.

V. Addubitari nequit quin canon ipse interpretibus alioqui doctis crucem fixerit, qui in eo explicando, ut fatetur Albaspinæus, « perridicu- » las et valde absurdas explicationes excogita- » runt. » Crucem merito canonem hunc fixisse interpretibus tum ob ejus prohibitionem, tum ob prohibitionis rationem, observat eruditus Gonzalez. Prohibitio quippe adversari videtur generali totius Ecclesiæ usui, quæ cereos accendit in cœmeteriis Christianorum. S. Athanasius in eleganti oratione quam de iis qui e vita discesserunt, edidit, referente Damasceno in oratione de Fidelibus defunctis, inter alia ita inquit :

Digitized by Google

« Etiamsi in aere collocatus sit ille qui cum » pietate diem vitæ extremum egit, tamen, im- » plorata Christi Dei ope, oleum ac ceram ad » ipsius sepulchrum accendere ne recuses. » Hunc morem miraculo divinitus comprobatum legimus apud Gregorium Turonensem, in lib. *De gloria Confessorum*, cap. CIV, ubi agens de transitu Pelagiæ matronæ matris B. Aredi abbatis, hæc quidem habet: « Cum, postquam sepulta » esset, posuissent cereum ad caput ejus dicen- » tes: Parum est nobis ceræ, et jam nox prolixior » habetur; cum ad Matutinum consurgimus, » tunc accendatur cereus iste : expleto somno » ingressos basilicam, invenisse cereum arden- » tem quem extinctum reliquerant. »

VI. Lampadum cereorumque usum in Ecclesia semper inolevisse, tam in divinis Officiis quam in funeribus, docent nos passim prisci Ecclesiæ Patres, quos refert Baronius ad annum Christi XXXIV. Hinc in antiquis Christianorum cœmeteriis passim lucernæ reperiuntur, quas in Urbis cœmeteriis nos ipsi non semel vidimus, aliquasque etiam ab eorum custode Joanne Marangono dono accepimus. De eisdem non modo in suo *De Cœmeteriis* opere mentionem facit Spondanus; sed et Marcus Antinius Buldethus varias lucernarum in cœmeteriis Urbis repertarum figuras in opere suo italice scripto exhibuit, quod *De Cœmeteriis* inscripsit.

VII. Quid autem Concilii Patribus in mentem venerit, ut cereos in cœmeteriis accendi prohiberent, putat equidem Martinus Lopez *De sacramento Ordinis,* tractatu IX, num. XIV, omissis aliorum interpretum opinionibus atque explicationibus, Patres ipsos, qui primitivæ Ecclesiæ temporibus floruerunt, luminarium usum absolute minime prohibuisse, sed duntaxat interdiu cereos in cœmeteriis Christianorum a fidelibus piis incendi, ne scilicet lucentibus luminibus gentiles fidem Christi Christianosque persequentes, de ipsorum sepulcris certiores facti, inde corpora abducerent, atque in ipsa sævirent. Tertullianus quidem in *Apologetico* suo, c. XXXVII, ita de gentilium rabie in Christianos loquitur : « Nec mortuis parcunt Christianis, quin illos » de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis » jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, » distrahant. »

VIII. Tandem quid ea canonis verba significent, « Inquietandi enim Sanctorum spiritus » non sunt? » Docet Garcias Loaysa Sanctorum nomine significari fideles, « quorum spiritus, » dum orationis causa ad ecclesiam veniunt, » inquietantur frequentia et cura immodica » cereorum ardentium. » Quod enim *Sancti* Christiani olim vocarentur, docent nos passim Epistolæ quas Paulus Apostolus ad varios populos scripsit. In Epistola ad Philippenses, cap. I. ita inquit : *Omnibus Sanctis qui sunt Philippis*. Et in Epistola ad Ephesios, cap. IV : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos..... ad consummationem Sanctorum :* id est fidelium, quos quidem eodem insignivit titulo Apostolorum Princeps in prima sua Epistola, cap. II, ubi ita inquit: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.*

IX. Probabile itaque est quod Garcias inquit canonem hunc de spiritibus fidelium adhuc viventium intelligendum esse, quorum spiritus seu mentes hac cæremonia eo tempore perturbabantur, scandalumque patiebantur, propter quemdam subreptitium ritus superstitiosi et gentilis abusum, accendendi scilicet ad defunctorum tumulos faces; aut certe propterea scandalo inquietabantur, quod animas Martyrum cereis accensis juvari putantes, in errorem inducerentur. Observat hæc quidem Binius, qui tamen veriorem ac probabiliorem ait esse cardinalis Baronii interpretationem, ad annum Christi XXXIV, ubi per *Sanctorum spiritus*, mortuorum animas intelligit quæ quidem non proprie, sed metaphorice duntaxat perturbari et inquietari dicuntur, quod valde displiceant ipsis ritus superstitiosi, quos a quibusdam in sui honorem aut utilitatem vanam fieri et exerceri cognoscunt, vel quod carminibus magicis aliisve superstitionibus adhibitis animas suas ritu gentili advocari, sollicitari et inquietari doleant.

X. Gentiles defunctorum animas accensis facibus et incantationibus advocare, et, ut illi loquuntur, sollicitare et inquietare consuevisse, constat ex Plinio, lib. XXVIII, cap. II, ubi hæc ait : « Cur ad mentionem defunctorum testamur » memoriam eorum a nobis non sollicitari ? » Quæ de ritu et errore gentilium in Sanctorum defunctorum invocationem superstitiosa facum accensio ad animas defunctorum sollicitandas in Ecclesiam irrepserat, a Patribus Concilii recte est prohibita. Et sicut lib. I *Regum*, c. XXVIII,

Digitized by Google

anima Samuelis hujusmodi superstitionibus evocata et inquietata dixit : *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* ita Patres hujus Concilii locuti sunt, qui, ne animæ Sanctorum inquietentur, superstitiosam cereorum accensionem prohibuerunt.

XI. Docet hæc Baronius, quem etiam sequitur Franciscus Suarez, adjungens certum esse, superstitione, omnique illius occasione, ac periculo cessante, cæremoniam ipsam accendendi cereos ad defunctorum sepulcra, non malam, sed potius honestam ac religiosam esse, ut pote quæ ad divinum amorem, et ad fidelium animos in spem gloriæ et æternæ vitæ futuræ excitandos ordinatur; uti recte docet S. Hieronymus in lib. *Contra Vigilantium*. Sicut autem, ut scite observat Binius, luxuriose apud sepulcra Martyrum convivari, teste Augustino lib. I *De moribus Ecclesiæ*, cap. XXXIV, malum est et reprehensione dignum ; contra vero, moderate, et religiose, ac recta fide et intentione ibidem cum fidelibus cibum sumere, eodem Augustino attestante lib. VIII *De Civitate Dei*, cap. XXVII, honestum est : ita cereos apud sepulcra Martyrum contra omnem superstitionem accendere, non modo licitum, sed et pium profecto est atque religiosum.

XII. Jam non desunt qui volunt canonem hunc difficilem fuisse habitum, quia ex scriptorum incuria mendum irrepsit; et forte etiam transpositus est, et qui nunc est trigesimus quintus, sit canon trigesimus quartus et hunc in modum legendus :

« Canon XXXIV. Ne feminæ in cœmeteriis » pervigilent.

» Placuit prohiberi ne feminæ in cœmeteriis » pervigilent, eo quod sæpe, sub obtentu ora- » tionis, scelera latenter committant.

» Canon XXXV. Ne cerei in cœmeteriis incen- » dantur.

» Cereos per diem (*legendum* perinde) placuit » in cœmeteriis non incendi : inquietandi enim » Sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non » observaverint, arceantur ab Ecclesiæ commu- » nione. » Si notes, inquit eruditus Joseph de Retes, ad grave scelus non infligi ullam pœnam in primo horum canonum, et in postremo de una tantum sanctione dici : « Qui hæc non ob- » servaverint, etc., » non addubito quin rectam agnoscas hanc transpositionem. Hæc enim sanctio respicit procul dubio utramque prohibitionem, de pervigiliis non faciendis et de cereis non accendendis. Deinde quod memoratus Joseph de Retes, quem Gonzalez Academiæ Salmanticensis Oraculum appellat, reposuit *perinde*, loco illorum verborum *per diem*, hanc habet rationem ; quia nimirum in titulo canonis, ubi ejus materia summatur, nihil de die dicitur, nec de diurnis lucernis aut cereis agitur. Ergo superfluunt in textu *per diem* verba : quare cum consequenter transeant Patres ad alium canonem, recte edicunt : « Cereos perinde pla- » cuit in cœmeteriis, etc. »

XIII. Commendat hanc interpretationem Gonzales in Commentario ad ipsum canonem, recteque suggillat Gabrielem Henao qui, tomo III *De sacrificio Missæ*, disputatione XVIII, sectione XLV, numero DCCLVII, ægre tulit expositionem Josephi de Retes, quia scilicet in sacris Ecclesiæ canonibus, non ut in Apuleo, Plinio, aut Modestino hujusmodi criticæ emendationes admittuntur, et si hæc mutatio dictionis *per diem* in *perinde* admittatur, alius etiam emendabit *Sanctorum* vocem in *Satellitum*, et leget *hoc* per *hæc*. Sed hæ nugæ sunt; legimus siquidem viros præstantissimos, Balsamonem, Zonaram, Justellum, Filesacum, Loaysam, Baronium, Bellarminum, et alios complures auctores doctos feliciter atque ingeniose canones non semel emendasse, eorumque emendationes a viris doctis probatas fuisse.

XIV. Ergo nihil obstat laudatus canon Concilii Illiberitani, quominus cerei in benedictione cœmeterii accendantur, quos priscis jam Ecclesiæ sæculis in funeribus Christianorum delatos, docent nos passim antiqui scriptores. Acta proconsularia martyrii S. Cypriani Carthaginensis episcopi apud virum clarissimum Theodoricum Ruinartium, testantur quidem ipsius corpus positum fuisse « cum cereis et scolacibus (*id est* » facibus) in areis Macrobii procuratoris, quæ » sunt in via Mappaliensi, juxta piscinas, cum » voto et triumpho magno. » S. Gregorius Nyssenus describens funus sanctæ Macrinæ sororis suæ, ait quod « ex utraque parte præcedebat » non exiguus Diaconorum numerus, qui omnes » ordine progredientes, accensos cereos mani- » bus gestabant. » Idem solemniori cum pompa in funere illustris matronæ S. Paulæ præstitum fuisse, declarat S. Hieronymus in illius epitaphio his verbis : « Translataque Episcoporum

Digitized by Google

» manibus, et cervicem feretro subjicientibus, » cum alii Pontifices lampades cereosque pro» ferrent, alii choros psallentium ducerent, » in media ecclesia speluncæ Salvatoris est po» sita, etc. »

XV. Possent ad comprobandum pervetustum hunc ritum innumera pene afferri exempla ex scriptoribus tum latinis tum Græcis. Adjungi potest hactenus recitatis illustre exemplum quod ea in re narrat Gregorius Turonensis, lib. VIII *Historiæ Francorum*, cap. X, ubi de Clodoveo Chilperici filio ita scribit : « Convocato igitur » Episcopo civitatis cum Clero et populo, ac ce» reorum innumerabilium ornatu, ad basilicam » Sancti-Vincentii detulit tumulandum, non » minus plangens nepotes mortuos, quam cum » vidit filios proprios jam sepultos. » Adjungi et his etiam potest quod de funerea Justiniani imperatoris pompa scribit Corippus poeta, lib. III, ubi ita canit ;

. . . . Tota populus processit ab aula
Mœstaque funereas accendunt agmina ceras.

Plura tandem videri de hoc ritu possunt apud Bollandianos, et Surium in Vitis Sanctorum, ubi ipsorum funus describunt; itemque apud virum clarissimum Jacobum Goar in Notis ad Euchologium, in Officio exsequiarum. Non omittenda autem sunt verba Baudoniviæ in Vita S. Radegundis, ubi agens de ipsius exsequiis hæc habet : « Liberæ quæ ante eam cereos por» taverant, totæ in gyro sepulchri adstabant; » unaquæque in suo cereo suum nomen dabat » scriptum : totæ uni ex famulis cereos ipsos » juxta ordinationem tradebant. Fit contentio in » populo. Alii dicebant cereos ipsos in ejus san» ctum sepulchrum mitti debere ; alii dicebant » non. »

§ IV.

Et mox ante ipsam crucem super faldistorio Pontifex, accepta mitra, accumbit, et Cantor incipit et prosequitur Litanias. Cumque dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus, etc.* ℟. *Te rogamus, audi nos*, Pontifex surgit ab accubitu, et baculum Pastoralem in sinistra tenens, producit signum crucis super cœmeterium, dicens primo : *Ut hoc cœmeterium purgare et bene✠dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hoc cœmeterium purgare, bene✠dicere et sancti✠ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tertio dicit : *Ut hoc cœmeterium purgare, bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Quo facto, redit ad accubitum, Cantore Litanias perficiente.

COMMENTARIUS.

I. Dici jam olim consuevisse Litanias in cœmeterii benedictione, et quidem post aquæ benedictionem, constat ex antiquissimo annorum circiter mille Egberti Eboracensis archiepiscopi Pontificali, et monasterii Lyrensis Pontificali, longe ante annos sexcentos scripto : itemque ex Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, et aliis quibusdam. In Pontificali Remensi annorum circiter sexcentorum cum Litania septem Psalmi recitandi præscribuntur, accensis quatuor candelis super quatuor crucibus. Id quod etiam expressum habemus in Pontificali Christiani Moguntini archiepiscopi, qui sæculo Christi XIII floruit. Sic enim initio tituli qui inscribitur *Benedictio Cimiterii*, inquit : « Primo ponantur » quatuor cruces secundum amplitudinem cimi» terii ad orientem et occidentem, ad aquilo» nem et austrum, quinta in medio, fiantque » exorcismi salis et aquæ, cineris et vini, sicut » in consecratione ecclesiæ. Tunc dicantur sep» tem Psalmi. Interim Episcopus affigat cuilibet » cruci candelam ardentem, et post Psalmos se» quatur Letania, etc. » Vetus Ordo Romanus, nulla facta mentione Litaniæ, septem Psalmos pœnitentiæ canendos mandat, et accendendas in circuitu quatuor candelas. Nostra Rubrica omnino consonat cum Pontificali manuscripto Gulielmi Durandi. In nonnullis Pontificalibus ac præsertim in Ordine antiquo Romano Litania, sicut et alia quæ in hoc nostro titulo habentur, desideratur. Varia enim in ecclesiis fuit olim sacrorum rituum disciplina.

Digitized by Google

§ V.

Quibus finitis, surgit cum mitra ab accubitu Pontifex, et stans juxta aquam ibidem in vase paratam, benedicit eam, et sal simpliciter, prout supra sub benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda, pag. 22. Aqua igitur taliter benedicta, Pontifex accedens ad crucem ante medium positam, mitra ibidem deposita, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus : *Miserere mei, Deus.* Et totus dicitur cum *Gloria Patri* in fine. Quo dicto, Antiphona repetitur. Dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex, accepta mitra, circuit et perambulat totum locum cœmeterii, incipiens circuire ad ejus dexteram, aspergens aquam benedictam ubique. Expleto autem circuitu, rediens ante crucem, quæ est ante mediam, deposita mitra, respiciens ad ipsam crucem, dicit :

OREMUS.

Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium et invisibilium perfectus dispositor, te supplici voce ac puro corde exposcimus ut hoc cœmeterium, sive polyandrum, in quo famulorum famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula hujus vitæ labentia, purgare, bene✠dicere et sancti✠ficare digneris; quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc cœmeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli hic exspectantibus, consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Constat, ex quibusdam antiquis Pontificalibus, in consecratione cœmeterii primum quidem benedici aquam et sal consuevisse, hunc enim ritum non obscure innuit Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi annorum circiter mille, sic dicens : « Primitus cum aqua benedicta Episcopus cum Clericis suis circumdare debeat omne cimiterium cum Psalmo *Miserere mei, Deus*, et Antiphona *Asperges me.* Postea Letania; deinde dicat : *Dominus vobiscum*, in orientali angulo cimiterii : *Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis redemptor, etc.* » Ubi nota antiquitatem hujus Orationis in benedictione cœmeterii, quæ etiam exstat in antiquo Romano Ordine et in Pontificali monasterii Lyrensis; ex cujus tamen præscripto primum facit Episcopus exorcismum salis et aquæ; postmodum accensis duodecim cereis in quatuor angulis, Episcopus circuit cœmeterium, spargens aquam benedictam, canendo hanc Antiphonam : *Asperges me*, cum Psalmo *Miserere mei, Deus.* Deinde dicuntur Litaniæ; post Litanias vero dicit Episcopus versus ad orientem : *Deus, qui es totius orbis conditor, etc.*

II. Ex Pontificali Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria cautum illud est, ut in primis ubi Episcopus ad locum venerit pro cimiterio benedicendo, versus ad Orientem dicat : « Dominus vobiscum. Oremus. Benedicere digneris, omnipotens Deus, piissime et misericordiosissime consolator vivorum simul et mortuorum in te credentium, hujus terræ locellum tibi Domino Deo dedicandum, ut sit cimiterium, hoc est quies et dormitio corporum Christianorum inibi sepeliendorum, et

Digitized by Google

» animæ fidelium, quorum hic corpora sepe-
» lienda sunt resurrectura, quandoque spiritua-
» lia in æterna beatitudine partem et societatem
» cum Sanctis omnibus habere mereantur. Per
» cum qui venturus est. » Post hanc Orationem
præscribit idem Pontificale ut « gyret Episcopus
» cum Clero suo totum cimiterium, cantando
» Antiphonam *Asperges me*, cum Psalmo *Mise-*
» *rere mei, Deus*, et spargendo aquam bene-
» dictam : et postquam venerit ad locum ubi
» primum dixerat Orationem, tunc quoque ver-
» sus ad orientem faciat Litaniam. Sequitur.
» *Pater noster. In memoria æterna erunt justi.*
» *Domine, exaudi orationem meam. Dominus*
» *vobiscum. Oremus. Deus, totius orbis condi-*
» *tor, et humani generis redemptor, etc.* »

III. Tandem ex quodam Pontificali Ecclesiæ Romanæ quod in Bibliotheca Colbertina asservatur, num. 4160, annorum circiter quadringentorum, in benedictione cœmeterii, « in pri-
» mis debent quatuor cruces esse paratæ, et
» una debet poni supina in parte orientali, et
» alia in occidentali, tertia in australi, quarta
» in aquilone, donec induat se Episcopus. Et
» dum indutus fuerit sacris vestibus Pontificali-
» bus, dicat : *Asperges me.* Postea processio cum
» Litania vadat ad portam cœmeterii, ubi primo
» debet ponere crucem, et ibi finita Litania, le-
» gantur isti duo subsequentes Psalmi : *Domine,*
» *ne in furore. Beati quorum.* Et ibidem Epi-
» scopus elevet crucem ligneam prius deposi-
» tam, et figat in terram cum hac Antiphona :
» *Signum salutis, Domine Jesu Christe, pone in*
» *loco isto, et non permittas introire Angelum*
» *percutientem super crucem quam impono.*
» Post vertens se ad Orientem, dicat hanc Ora-
» tionem : *Dominus, qui es totius orbis condi-*
» *tor, etc.* » Deest hæc Oratio in Pontificali Ecclesiæ Senonensis annorum circiter sexcentorum, ex cujus præscripto Episcopus cœmeterium benedicens, sub diversa cæteroqui a prænotata Antiphona, sive in orientali, sive in occidentali, sive in aliis cœmeterii præscriptis locis eamdem semper Orationem repetit ; estque illa quam in hoc ipso Commentario ex Pontificali Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria descripsimus, nempe : « Benedicere di-
» gneris, omnipotens, piissime, etc. »

IV. Neque vero hic omittendus est ritus Pontificalis Christiani archiepiscopi Moguntini, qui floruit sæculo XIII, in quo quidem cautum est ut non aquæ et salis tantum exorcismus in benedictione cœmeterii fiat, quemadmodum omnes libri Pontificales, quos vidi, præscribunt, sed « salis et aquæ, cineris et vini, sicut in con-
» secratione ecclesiæ. » Quicquid autem de eo ritu sit, constat jam olim adhibitam fuisse aquam benedictam in cœmeterii benedictione ; ejusque ritus meminit in litteris suis Callistus II Pontifex Maximus, ad Matisconensem et Cabillonensem Episcopos, quibus significat se Trenortiensis monasterii altaria consecrasse et cœmeterium benedixisse : « Dilectioni vestræ,
» inquit, notum fieri volumus, quia nos nuper
» Trenortium venientes, Abbatis et Fratrum
» ejusdem loci petitionibus, altaria consecravi-
» mus, cimiterium benediximus ; ibique aquam
» benedictam fundentes, terminos circumqua-
» que poni præcepimus. » Floruit Callistus Papa II initio sæculi XII.

V. Explicanda insuper censeo illa Orationis verba, quibus Deus rogatur ut corporibus eorum in cœmeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli exspectantibus, consolationem perpetuam impertiatur. Mortuos prævio tubæ sonitu resurrecturos, sacræ paginæ nos passim docent : *Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Verba sunt Christi Domini, Matthæi cap. XXIV, cui testimonio adjunge id quod scribit Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. XV, ubi ita inquit : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* Item in prima ad Thessalonicenses Epistola ait idem Apostolus, cap. IV : *Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.*

VI. In descriptis hactenus locis notandum est primo, quod docent Theodoretus, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Gregorius Nyssenus et alii, resurrectionem *in ictu oculi*, id est in instanti, futuram ; secundo, tubam novissimam dici respectu aliarum tubarum, quæ sonitum novissimæ tubæ præcedent : nam, ut patet ex Apocalypsis capite VIII et IX, in fine mundi septem Angeli, quibus demandata est universalis hominum cura, septem tubis clangent, ut iis

Digitized by Google

extremas mundi calamitates et pœnas sono tubæ prænuntient; tertio, vocem Archangeli eamdem esse cum tuba Dei: dicitur enim Dei, quia maxime sonora est, ut per totum mundum audiatur; quarto, licet per vocem Archangeli, cujus in Epistola sua prima ad Thessalonicenses meminit Apostolus, quidam interpretes vocem Christi significari autument, rectius tamen alii Archangeli Michaelis vocem denotari docent. Is enim jussu et vice Christi præses est Ecclesiæ, uti olim Synagogæ fuit. Vide virum clarissimum Gulielmum Estium in libri secundi distinctionem decimam, § v.

VII. Michaelem Archangelum esse omnium Angelorum supremum, etsi certissimum hoc minime sit, permagnam tamen habere videtur ex divina Scriptura probabilitatem. Legitur siquidem in Apocalypsi, cap. XII, quod *Michael et Angeli ejus prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Cum draco is intelligatur qui supremus inter dæmones sit, nam sequitur: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem, et angeli ejus cum illo missi sunt:* consequens equidem est Michaelem inter sanctos Angelos supremum ac principem esse, quoniam hi similiter Angeli ejus dicuntur. Primo itaque Archangelo, quem puto esse Michaelem, sua tuba insonante, quasi superioris sui imperio exciti Angeli protinus aderunt, tubisque suis et illi conclamabunt: « Surgite, mortui; » simulque ad congregandos hominum cineres, discurrent celerrime; et omnes rapient in vallem Josaphat juxta Hierosolymam, ubi fiet judicium, ut dicitur Joelis capite III: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis.* Et hoc est quod significavit Christus, Matthæi capite XXIV, ubi ait: *Mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Egregiam dissertationem de mortuorum resurrectione concinnavit vir clarissimus Augustinus Calmet, tomo II *Prolegomenon et Dissertationum*, p. 244, et pluribus sequentibus editionis Lucensis, anno 1729. De eadem re et alii scriptores disserunt.

VIII. Cæterum non omittenda est hic aliorum opinio, qui aiunt Archangelum Gabrielem, qui primum Christi adventum beatissimæ Virgini prænuntiavit, secundum ipsius adventum ad judicandum vivos et mortuos, tuba sua clangente, toti orbi terrarum prænuntiaturum. Adhæret huic opinioni Cornelius a Lapide in primam S. Pauli ad Thessalonicenses Epistolam, capite IV, versiculo XV.

§ VI.

Deinde thurificat ipsam crucem, et figit in summitate ipsius unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem crucis. Quo facto, accepta mitra, accedit ad crucem retro mediam positam, aspergendo semper aquam benedictam per cœmeterium, interim dicens cum Ministris sequentes Psalmos. Psalmus VI, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua, etc.*, sine *Gloria Patri* in fine. Deinde Psalmus XXX, *Beati quorum remissæ sunt, etc.*, sine *Gloria Patri* in fine. Quibus expletis, Pontifex stans ante ipsam crucem, deposita mitra, dicit:

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, trina majestas, et una Deitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, justitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, charismatum distributor, omniumque ad te venientium pius receptor, præsta propitius ut hoc cœmeterium in honorem nominis tui compositum bene✠dici et sancti✠ficari concedas; qui beato Abrahæ Patriarchæ famulo tuo

Digitized by Google

terram a filiis Hebron comparatam in sepulturam benedixisti; et qui populo Israelitico promissionis tellurem in ævo durantem concessisti, famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cœmeterium intrantibus quietis sedem, et ab omni incursione malorum spirituum tutelam benignus largitor tribuas, ut post animarum corporumque resurrectionem coadunatam, te donante atque concedente, beatitudinem sempiternam percipere mereantur, qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sunt quidem aliqui libri Pontificales, quales sunt Egberti Eboracensis archiepiscopi annorum circiter mille, Ecclesiæ Senonensis annorum circiter sexcentorum, et alii nonnulli, in quibus nulla fit ritus mentio thurificandi cœmeterium. Meminit nihilominus ejus ritus Pontificale monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, Pontificale Gulielmi Durandi annorum circiter quingentorum, in quo post recitatam Orationem in § superiori descriptam, *Deus, qui es totius orbis conditor, etc.*, eadem fere legimus quæ in hoc præsenti § habentur : « Deinde, inquit, thurificat crucem, et » fingit (*legendum* figit) unam ex tribus candelis » accensam, et alias duas in duobus brachiis » crucis : quo facto, accedit ad crucem occiden- » talem, spargendo simplicem aquam benedi- » ctam per cœmeterium, et dicendo hos Psal- » mos : *Domine, ne in furore tuo, etc. Beati* » *quorum, etc.*, sine *Gloria Patri, etc.* Quibus » expletis, respiciens ad occidentem, dicit ante » crucem : *Oremus, Domine sancte, Pater om-* » *nipotens, æterne Deus, trina Majestas, etc.* » Ubi inter alia notandus est ritus figendi unam ex tribus candelis accensam, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis crucis. Id quod in nostro § expressum est.

II. Est et ille antiquus usus ut non modo in benedictione cœmeterii thus et aqua benedicta adhiberentur, verum etiam ubi defuncti sepeliebantur. Testatur id quidem Gulielmus Durandus lib. VII sui *Rationalis*, cap. XXXV, sic dicens : « In quibusdam locis ponitur aqua » benedicta, et prunæ cum thure. Aqua bene- » dicta, ne dæmones, qui multum eam timent, » ad corpus accedant. Solent namque desævire » in corpora mortuorum, ut quod nequiverunt » in vita, saltem post mortem agant. Thus vero » ibi ponitur propter fœtorem corporis remo- » vendum, seu ut defunctus Creatori suo acce- » ptabilem bonorum operum odorem intelliga- » tur obtulisse; seu ad ostendendum quod » defunctis prosit auxilium orationis : carbones » in testimonium quod terra illa ad communes » usus amplius redigi non potest : plus enim » durat carbo sub terra, quam aliud. » Huc usque Durandus, qui etiam et illius ritus meminit ponendi in tumulo una cum cadavere hederam, seu laurum : « ad significandum » quod qui moriuntur in Christo vivere non » desinent. Nam licet mundo moriantur secun- » dum corpus, tamen secundum animam vivunt » et reviviscunt Deo. » Addit alia consideratione adhibitos olim fuisse in funeribus cypressos, « quia videlicet sicut cypressus cæsa non iterum » surculescit, sed tota moritur, ita homo mor- » tuus non reviviscit, etc. »

III. Apud Græcos thuris in funeribus usum perantiquum esse, addiscimus ex testamento sancti Ephrem : « Oro vos quoque, ait, dile- » ctissimi, ne cum aromatibus me sepeliatis. » Et mox infra : « Date vaporationem fumi boni » odoris in domo Domini : me orationibus ve- » stris comitamini, et aromata Deo offerte. » Nili junioris Tusculi defuncti, ejus discipulus Bartholomæus funus describens, paucis hisce verbis varios ritus recenset : « Totam noctem » illam in Psalmis et funereis hymnis cantandis » peregimus : mane vero cum cereis, et incen- » so, et cantibus lectulo sublato corpus extuli- » mus. » Antiquissimus Tertullianus in *Apologetico*, cap. XLII, thuris et aromatum copiam in funeribus Christianorum consumi solitam scribit. Juxta Rituales libros Græcorum æque ac Latinorum, in exsequiis defunctorum thus hodieque adhibetur. In variis nostri regni Neapolitani locis juxta cadaver in ecclesia expositum vas cum prunis et incenso ponuntur.

Digitized by Google

IV. Etsi autem, ut ritus in hac Rubrica descriptos prosequamur, in Pontificali Egberti archiepiscopi Eboracensis, nulla de thurificatione, et fixione candelarum, earumque accensione fiat mentio; expresse tamen ex ipso Pontificali cautum est ut Episcopus, postquam cum aqua benedicta una cum suis Clericis cœmeterium circumdedit, cantando Psalmum *Miserere mei, Deus*, et Antiphonam *Asperges me*, ac dicendo in orientali angulo ejusdem cœmeterii Orationem *Deus, qui es totius orbis conditor, etc.*, memoratum ritum deinde peragens in australi angulo cœmeterii, dicat Orationem, quæ in hac nostra Rubrica exstat, *Domine sancte, Pater omnipotens, trina Majestas, etc.* Hanc eamdem Orationem ad Occidentem dictam constat ex Pontificali monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, in quo etiam mentio non modo thurificationis fit, sed et accensionis duodecim cereorum in quatuor cœmeterii angulis. Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria mandat quidem ut, post recitatam Orationem, *Deus, qui es totius orbis conditor*, in § v descriptam, « transeat » Episcopus in contrariam partem cimiterii, » cantando Antiphonam : *Placebo Domino*, cum » Psalmo *Dilexi quoniam;* et ibi vertens se ad » occasum, dicat : *Kyrie, eleison. Christe, eleison.* » *Kyrie, eleison. Pater noster. Pretiosa in con-* » *spectu Domini mors Sanctorum ejus. Domine,* » *exaudi orationem. Dominus vobiscum. Ore* » *mus. Domine Deus, Pater omnipotens, trina* » *Majestas, etc.* » Ex quodam tandem Pontificali Romanæ Ecclesiæ, Bibliothecæ Colbertinæ, præscriptum fuit ut, recitata Oratione *Domine, qui es totius orbis conditor*, vertens se Episcopus vadat ad occidentalem plagam cimiterii cum his Psalmis, *Domine, ne in furore; Miserere mei, Deus*, eisque finitis levet ibi Episcopus aliam crucem ligneam prius ibi positam, et figat in terram cum eadem Antiphona superius memorata : « Signum salutis, etc. » Et dicat hanc Orationem : *Domine, Deus omnipotens, trina Majestas, etc.*

V. In hac Oratione, quæ sine ullo alio præscripto ritu legitur etiam in Ordine antiquo Romano, et cum eadem fere nostra Rubrica in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi habetur, notanda sunt obiter verba quibus dicitur Patriarcha Abraham comparasse sibi sepulturæ causa terram a filiis Hebron. Sic enim de ea re legitur cap. XXIII *Geneseos : Cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ : confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre..... Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre. Hæc est Hebron in terra Chanaan.* In eodem *Geneseos* libro, cap. XXXIII, alia occurrit agri emptio : legimus enim Jacob de Mesopotamia reversum emisse ex filiis Hemor patris Sichem agri partem, ubi sua tabernacula constituerat; eoque in agro monumentum fuit, ubi Joseph Patriarchæ ossa, uti habetur Josue, cap. XXIV, versiculo XXXII, tumulata sunt.

VI. Hæ duæ emptiones adeo explicitæ sunt, suisque circumstantis exornatæ afferuntur in memoratis *Geneseos* locis, ut fieri minime possit illas confundi. Hinc non parum sacrorum interpretum ingenia contorsit locus *Actuum Apostolorum*, cap. VII, versiculo XV et XVI, ubi in concione sua de priscis Hebræorum Patriarchis loquens S. Stephanus, ita inquit : *Descendit Jacob in Ægyptum, et defunctus est ipse, et patres nostri. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem.* Abraham, uti constat ex cap. XXIII *Geneseos*, ab Ephron, non a filiis Hemor, agrum cum spelunca duplici emit : ab ipsis quidem filiis Hemor regressus a Mesopotamia alium agrum, sive agri partem emit Jacob, non vero Abraham. Pro solutione hujus difficultatis crediderunt Beda, Melchior Canus, Natalis Alexander, et alii, S. Stephanum memoriæ lapsu, hoc in loco *Actuum Apostolorum*, alterum pro altero nomen usurpasse, Abraham nempe pro Jacob. Sed mallem mendum hoc librariis vitio vertere, quam in sancti hujus Diaconi memoriam rejicere, qui, quemadmodum S. Lucas explicite asserit, Spiritu sancto repletus erat, cum eo in cœtu loqueretur. Volunt alii, inter quos Cornelius a Lapide, nomen Abraham in *Actibus* ipsis *Apostolorum* positum esse pro posteris Abraham, pro Jacob scilicet filio illius. Sed præter ordinem ac prorsus præter sacrorum auctorum consuetudinem, præsertim vero in oratione soluta, atque in simplici narratione, qualis est ipsa S. Stephani narratio, alterum pro altero positum videtur.

Digitized by Google

Putant alii S. Stephanum fortasse ex traditione illam circumstantiam addidisse, quemadmodum etiam accepisse videtur, duodecim Patriarchas in Sichem tumulatos fuisse, cujus traditionis meminit S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ matronæ Romanæ; licet Josephus, lib. II *Antiquitatum*, cap. IV, explicite illos in Hebron sepultos fuisse testetur. Augustinus Calmet ejus est opinionis, librarii mendum in *Actuum Apostolorum* locum irrepsisse, et pro *Abraham* legendum esse *Jacob*. Ejusdem opinionis alii auctores sunt.

§ VII.

Tum thurificat ipsam crucem, et figit in extremitate ejus unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ejusdem crucis, et accepta mitra vadit ad crucem ad dexteram mediæ positam, aspergendo aquam benedictam per cœmeterium, et dicendo cum Ministris sequentem Psalmum XXXVII : *Domine, ne in furore tuo arguas me, etc.* Et totus dicitur sine *Gloria Patri* in fine. Quo dicto, Pontifex stans ante ipsam crucem, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Domine Deus, Pastor æternæ gloriæ, lux et honor sapientiæ, custos et vigor prudentiæ, salus ægrotantium, valetudo potentium, mœstorum solamen, vita justorum, gloria humilium : te supplices flagitamus ut hoc servorum tuorum cœmeterium ab omni spurcitiæ inquinamento et immundorum spirituum insidiis custodire, mundare et bene✠dicere digneris, atque corporibus humanis in hunc locum advenientibus sinceritatem perpetuam tribuere non desinas; ut quicumque Baptismi sacramentum perceperint, et in fide catholica usque ad vitæ terminum perseverantes fuerint, atque decurso hujus ævi termino, corpora sua in hoc cœmeterio requiei commendaverint, Angelicis tubis concrepantibus, animæ simul cum corporibus præmia cœlestium gaudiorum percipiant sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Consonat quidem hæc Rubrica cum manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi; verum ex antiquissimo Egberti Eboracensis archiepiscopi Pontificali, ubi Episcopus in australi angulo cœmeterii dixit Orationem *Domine sancte, Pater omnipotens, trina Majestas, etc.*, in occidentali angulo hanc dicit Orationem : *Domine Deus, Pastor æternæ gloriæ, etc.*, nulla alia facta mentione rituum in hoc nostro § descriptorum. Ex Pontificali monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, ipsa Oratio : *Domine Deus, etc.*, ad Meridiem dicebatur una cum Antiphona : « Deus in sancto via tua; » quis Deus magnus sicut Deus noster ? Tu es » Deus qui facis mirabilia ; » et Psalmo : « Viderunt te aquæ, Deus. » Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria mandat ut, post dictam Orationem *Domine Deus, Pater omnipotens, trina Majestas, etc.*, in superiori § descriptam, Episcopus « deinde cantando Antiphonam : » *Aperite mihi portas*, cum Psalmo : *Confite-* » *mini Domino*, transeat ad aliam partem cimite- » rii, ubi vertens se ad Meridiem, dicat : *Kyrie,* » *eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater* » *noster. A porta inferi. Erue, Domine, animas* » *omnium fidelium defunctorum. Domine,* » *exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* » *Oremus. Domine Deus, Pater æternæ gloriæ,* » *lux et honor, etc.* »

II. Pontificale quoddam Ecclesiæ Romanæ, Bibliothecæ Colbertinæ, nostrum hunc ritum ita describit : « Deinde vadat Episcopus ad austra-

Digitized by Google

» lem terminum cimiterii cum his subscriptis » Psalmis : *Domine, exaudi orationem meam*, » et *De profundis*. Quibus finitis, levet crucem » et figat in terram, dicendo Antiphonam : » *Signum salutis*, et Orationem : *Domine Deus*, » *Pastor æternæ gloriæ*. » Legitur tandem et hæc Oratio in Ordine antiquo Romano, in quo tamen de cæteris ritibus altum silentium est. Notandum autem in hac Oratione est, solos baptizatos, qui in fide catholica usque ad vitæ finem perseverantes fuerint, in cœmeterio sepeliri ; eosque solum qui prius Orationem Dominicam et Symbolum Apostolorum didicissent, uti expresse cautum est ex can. XXII inter Canones sub Edgaro rege anno 967 editos, ubi ita legimus : « Docemus etiam ut quisque discat » *Pater noster* et *Credo* priusquam in consecrato sepeliatur cœmeterio, vel idoneus censeatur Eucharistiæ percipiendæ, propterea » quod Christiani non est dignus nomine, qui » hæc noluerit addiscere. » Sane apud nos ubi hæretici moriuntur, etsi Christiani sint ob susceptum Baptismi sacramentum, quia tamen Catholici non sunt, in locis profanis sepeliuntur. Sed nec omnes Christiani qui in fide catholica usque ad vitæ terminum perseverant, Ecclesiastica sepultura donari possunt ; excluduntur enim ab ipsa nominatim interdicti, excommunicati, hæreticorum receptatores et fautores, Judæi, pagani, raptores, fures et latrones in flagranti crimine occisi, quive mortem sibi consciverunt, usurarii manifesti, itemque occisi in duello, et alii complures, de quibus late differunt canonici juris consulti, et theologi quos Casuistas vocant.

III. Notanda sunt denique Orationis verba, qua Deus rogatur ut servorum suorum cœmeterium ab omni spurcitiæ inquinamento, et immundorum spirituum insidiis custodire, mundare et benedicere dignetur ; quia scilicet, ut alibi dictum est, delectantur dæmones in defunctorum sepulcris morari, et eorum corpora vexare ; uti colligitur ex cap. VIII Matthæi, ubi dicitur quod *cum venisset Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam*. Quem locum mirifice exponit S. Petrus Chrysologus, sermone XVI, sic dicens : « In » monumentis sedem fecerant mortis auctores. » Attendite quæ sævitia, quis furor, quæ rabies » dæmonum erga humanum genus. » Et paulo post : « Pascuntur cadaveribus, putredine sagi- » nantur, deliciantur fœtore, quibus tota volu- » ptas est homines interire. »

§ VIII.

Deinde thurificat ipsam crucem, et figit in summitate ejus unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ipsius crucis ; tum accepta mitra vadit ad crucem quæ est ad sinistram mediæ crucis posita, aspergendo semper aquam benedictam per cœmeterium, dicendo cum ministris sequentem Psalmum CI : *Domine, exaudi orationem meam, etc.* Et totus dicitur, sed in fine non dicitur *Gloria Patri*. Quo dicto, stans ante ipsam crucem, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui corpus humanum de terra pro Angelica reparatione formasti, et in te pro redemptione assumpsisti, in terram pro conditione carnis resolvis, et de terra pro immortalitate resuscitabis; hanc terram, quæsumus, ad usum sepulturæ de benedictione tui sepulti corporis conse✠crare dignare; et in Baptismate tibi consepultos, in natura carnis hic consepeliendos, sub spe tuæ resurrectionis in tuæ redemptionis misericordia requiescere concede. Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

Quamvis hæc Rubrica cum Gulielmi Durandi Pontificali consentiat, ab aliis tamen longe differt, non solum quod in iis ritus desiderentur in ipsa Rubrica descripti, sed etiam quod loco recitatæ Orationis, *Domine Jesu Christe, qui corpus humanum, etc.*, illa Oratio exstet, quam sequentes nos ordinem hodierni Romani Pontificalis, superius in § III descripsimus, incipitque : *Omnipotens Deus, qui es custos animarum, etc.*, atque ex Pontificali Egberti archiepiscopi solita erat dici « in aquilonari angulo cimiterii. » Quo in loco una cum Antiphona : « Domine, ad te dirigatur » oratio mea sicut incensum in conspectu majestatis tuæ; » et Psalmo : « Domine clamavi, etc., » dici etiam ab Episcopo consuevit ex præscripto Pontificalis monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, in quo Episcopo ipsi mandatur ut « ita circueat cimiterium » cum incenso. » Juxta ritum Pontificalis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, Episcopus transiens ad contrariam partem cœmeterii, cantando Antiphonam : « Hæc requies mea, » et Psalmum, « Memento, Domine, David, » vertit se ad septentrionem, et dicit : « Kyrie, eleison. » Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. » Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Omnipotens » Deus, qui es custos animarum et tutela salutis, etc. » Ex Pontificali tandem quodam Ecclesiæ Romanæ, Bibliothecæ Colbertinæ, cautum est ut « vadat Episcopus ad aquilonem cum his » Psalmis : *Domine, exaudi orationem meam, » auribus percipe. Miserere mei, Deus, miserere » mei, quoniam in te.* Hisque finitis, levet crucem, sicut supra, et dicat Orationem : *Omnipotens Deus, qui es custos animarum, etc.* »

§ IX.

Tum thurificat ipsam crucem, et figit in ejus summitate unam de tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ejusdem crucis; et accepta mitra revertitur ad crucem mediam, aspergendo semper per cœmeterium aquam benedictam, dicendo cum ministris sequentes Psalmos. Psalmus CXXIX : *De profundis clamavi ad te, Domine, etc.* Deinde Psalmus CXLII : *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam;* sed in fine utriusque Psalmi non dicitur *Gloria Patri.* Quibus finitis, Pontifex stans ante ipsam crucem mediam, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Adesto, quæsumus, Domine Deus, obsequiis nostris, in nomine tuo hunc locum visitantibus, et nostræ fragilitatis ministerio; et sicut benedixisti per manus servorum tuorum Abrahæ, Isaac et Jacob terram sepulturæ suæ peregrinationis, ita, quæsumus Domine, bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris hoc cœmeterium pretio unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi sanguinis typice comparatum ad nostræ peregrinationis corpora quiescenda, donec per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum de pulvere ad gloriam dones resurgenda. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

§ X.

Deinde mediocri voce extensis manibus ante pectus dicit Præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Digitized by Google

℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui est dies æternus, lux indeficiens, claritas sempiterna. Qui sic sequaces suos in lucem præcipit ambulare, ut noctis æternæ valeant caliginem evadere, et ad lucis patriam feliciter pervenire. Qui per humanitatem assumptam Lazarum flevit, per divinitatis potentiam vitæ reddidit, atque humanum genus quadrifica peccatorum mole obrutum ad vitam reduxit. Per quem, te, Domine, suppliciter deprecamur, ut qui in hoc sepelientur polyandro, in novissimo cum tubæ perstrepuerint Angelorum, a peccatorum nexibus absoluti, et æternæ felicitati redditi, et sanctorum cœtibus connumerati, te, qui es vita æterna, benignum et misericordem inveniant, ut te auctorem vitæ exsultantes cum omnibus Sanctis collaudent.* Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Si manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi consulamus, idem dicit quod in duobus hisce §§ descriptum est. Verum ex Pontificali Egberti archiepiscopi Eboracensis totus ritus benedictionis cœmeterii in ea Oratione absolvitur : « Adesto, quæsumus, Domine, officio » servitutis, etc., » diciturque *Oratio in medio polyandri.* Ex Pontificali monasterii Lyrensis, annorum circiter septingentorum, ubi Episcopus cæmeterium cum incenso circuit, uti in superiori Commentario notatum est, dicit « hanc » Orationem in medio polyandri, sed primitus » debet dicere : *Dominus vobiscum, Oremus,* » *Adesto, quæsumus, Deus, officio nostro hunc* » *locum visitanti*, etc. » Tum Episcopo mandat ut « elevata manu benedicat cimiterium, dicens : » *Deus, qui es judex vivorum, sive mortuorum,* » *benedictionis tuæ sanctificationem nostræ de-* » *votionis officio super cimiterium istud multi-* » *plica, et animæ defunctorum fidelium, quo-* » *rum sub tuo patrocinio in eo sepelienda sunt* » *corpora, non afficiantur terroribus pœnæ* » *infernalis; sed potius cum Sanctis omnibus* » *socientur tecum cœlestibus gaudiis; qui in* » *Trinitate perfecta vivis et gloriaris, Deus, per* » *infinita secula seculorum. Amen.* »

II. Deest hæc Oratio in omnibus Pontificalibus libris quos vidi; ex Pontificali autem Ecclesiæ Apamiensis in Syria incipit Episcopus Responsorium : « Libera me, Domine, de morte » æterna ; » transitque ad medium cœmeterii, ibique versus ad orientem, finito Responsorio, dicit : « Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie » eleison. Pater noster. In memoria æterna erit » justus. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. » Oremus. Adesto, quæsumus, Domine, Deus » officio nostro hunc locum visitanti, etc. » Tum mandat ut rediens ad ecclesiam dicat hanc Orationem : « Deus, qui sacrandorum tibi au- » ctor es munerum, effunde super hanc oratio- » nis domum benedictionem tuam, ut ab omni- » bus hic invocantibus nomen tuum defensionis » tuæ auxilium sentiatur. Per Dominum. » Pontificale quoddam Ecclesiæ Romanæ, quod in Bibliotheca Colbertina asservatur, annorum circiter quadringentorum, præscribit quidem ut veniens Episcopus in medium cœmeterii, dicat Orationem : « Adesto, quæsumus, Domine » Deus, officio nostro, etc. » Deinde vero, ut pergat ad ecclesiam, ibique hanc aliam Orationem dicat : « Deus, qui sacrandorum tibi au- » ctor es munerum, etc. »

III. Ex Pontificali Moguntino Christiani Moguntini archiepiscopi, Episcopus ad quinque cœmeterii loca semper eamdem Orationem repetit : « Domine sancte, Pater omnipotens, » æterne Deus, locorum omnium sanctifica- » tor, etc., » quam in sequenti nos § describe-

Digitized by Google

mus juxta ordinem hodierni Romani Pontificalis. Ex eodem vero Christiani Pontificali illud præterea cautum est, ut Episcopus admoneat omnes ut dicant : « Pater noster. Et ne nos. Ego dixi, » Domine, miserere mei. Convertere, Domine, » usquequo. Fiat misericordia tua. Salvum fac » populum. Ne tradas, Domine, bestiis. Domine, » exaudi orationem meam. Oremus : Deus, » cujus miseratione animæ fidelium requies- » cunt, etc., » ut infra in nostro Romano Pontificali. Addit ut abeuntes et intrantes ecclesiam dicant : « Deus misereatur nostri. Pater noster. » Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. » Et salutare. Domine, exaudi orationem meam. » Dominus vobiscum. Oremus. Prætende, Do- » mine, fidelibus tuis dextram cœlestis auxilii, » ut te tota virtute perquirant, et quæ digne » postulant, assequantur. Per. »

IV. In Ordine insuper antiquo Romano apud Hittorpium tres exstant Orationes quæ in aliis Pontificalibus non habentur; earumque prima *Consecratio loculi vel sepulcri* dicitur. Cæterum Præfatio in § hoc nostro x descripta in omnibus Pontificalibus libris desideratur, excepto Pontificali Gulielmi Durandi, de quo vide in Appendice, ubi integrum ex ipso Pontificali ritum benedictionis cœmeterii referemus.

§ XI.

Tum thurificat crucem ipsam, et figit in summitate ejus unam de tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ejusdem crucis. Quo facto, stans versus ad ipsam crucem, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, locorum omnium sanctificator, et in melius reformator, a quo, et per quem omnis benedictio de cœlo descendit in terris; bene✠dicere dignare locum istum, ut sit polyandrum, seu cœmeterium, dulcis requies, et pausatio mortuorum, quorum animæ quarum corpora hic sepulta, vel sepelienda sunt, jucunditatis tuæ dulcedine potiantur; sintque interim in superna Jerusalem gaudentes et lætantes, donec in magno judicii die de sepulcris propria corpora recipiant, et sic venienti Domino ad judicandum obviam cum fructu bonæ operationis occurrant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XII.

His peractis, Pontifex solemniter benedicit populo, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Hæc est unica Oratio, quæ sine alio ullo expresso ritu, ad benedicendum polyandrum seu cœmeterium, in manuscripto Barensis Ecclesiæ Pontificali legitur; in aliis omnibus, quæ mihi videre licuit, omnino desideratur; terminantque ut plurimum cœmeterii benedictionem cum illa Oratione : « Deus, qui sacrandorum » tibi auctor es munerum, etc., » ut supra notatum est. Ex Pontificali quidem Christiani Moguntini archiepiscopi, benedictio cœmeterii cum hac solemni Episcopali benedictione absolvitur: « Sit nomen Domini benedictum. Adjutorium » nostrum. Benedicat nos omnipotens Deus, Pa- » ter, et Filius, et Spiritus sanctus. » Porro quæ in duobus hisce §§ descripta sunt, omnino consonant cum Pontificali Gulielmi Durandi, ut in Appendice observare est.

II. Quantum ad ea verba, *pausatio mortuo-*

Digitized by Google

rum, quæ in § XI habentur, sciendum est *pausare* et *pausantes* dici mortuos, easque voces in sacris canonibus et apud antiquos Ecclesiæ scriptores passim occurrere, ut pluribus allatis auctorum veterum testimoniis docet eruditissimus Carolus Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*, verbo *Pausare*, et *Pausatorium*, quod quidem sepulcrum et cœmeterium significat. Unde apud Theodoricum monachum in *Historia inventionis Episcopi Trevirensis*, numero 16, legimus : « Cum diu noctuque Fra» tres... in pausatorio justorum... divinum fre» quentarent Officium, etc. »

§ XIII.

Deinde intrat ecclesiam, et, si velit, parat se ad Missam : si vero celebrare noluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter celebrari. Missa dicitur de die, et cum Oratione diei dicitur sub uno *Per Dominum nostrum* sequens Oratio.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, huic cœmeterio, quæsumus, Domine, Angelum tuum sanctum deputa custodem, et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum; ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine lætentur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XIV.

Cum Secreta diei dicitur sub uno *Per Dominum* sequens Secreta.

Munera, Domine, oblata sanctifica; et qui te ipsum in sepulcro poni voluisti, et exemplum resurgendi fidelibus tuis largiri dignatus es; da, quæsumus, fidelium tuorum animabus hic in te quiescentibus veniam peccatorum, ut hæc salutaris hostia sit remedium et requies animarum eorum et corporum. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XV.

Cum Postcommunione diei dicitur sub uno *Per Dominum nostrum* sequens Postcommunio.

Muneribus sacris satiati, quæsumus, Domine, Deus noster, ut plebs tua, quæ in futuro a morte corporis resurrectura creditur; te miserante, a morte animæ resurgere mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Præter Pontificale Gulielmi Durandi, in nullo alio ex tot hactenus memoratis Pontificalibus ritum invenio dicendi Missam post cœmeterii benedictionem. Ex ipso Gulielmi Durandi Pontificali cautum illud est, ut peractis omnibus Episcopus quidem benedicat populo, et intret ecclesiam, parans se, si velit, ad Missam defunctorum celebrandam. Ubi nota Gulielmi Durandi tempore consuevisse in cœmeterii benedictione non Missam de die, ut præscribit hodierni Romani Pontificalis Rubrica, sed Missam defunctorum dici. Qui ritus est quidem anti-

Digitized by Google

quus, cum ex manuscripto Pontificali monasterii Lyrensis annorum circiter septingentorum, peracta benedictione cœmeterii, Missa etiam defunctorum celebrari debuerit. Sic enim ibidem legimus : « *Sequitur Missa de eodem.* Re» quiem æternam. *Collecta :* Deus cujus mise» ratione animæ fidelium requiescunt, huic » cimiterio Angelum tuum deputes custodem, » et da propitius ut omnium quorum hic cor» pora sepelientur, animæ absolutæ ab omni » dolore, sine fine lætentur. Per. *Epistola :* Vir » fortissimus. *Graduale :* Si ambulem. *Tractus :* » De profundis. *Evangelium :* Sicut enim Pater. » *Offertorium :* O pie Deus, qui primum homi» nem. *Secreta :* Munera, Domine, oblata san» ctifica, et qui te ipsum in sepulcro poni vo» luisti, per hæc nos, quæsumus, ad finem vitæ » properantes, a peccatorum nostrorum macu» lis emundemur. Qui vivis. *Præfatio :* Per » quem salus. »

II. Post hæc sequitur benedictio quæ olim, uti alibi dictum est, ante communionem quibusdam conceptis precationibus ab Episcopo dari populo solita erat. In Missa itaque ex laudato monasterii Lyrensis Pontificali præscriptas hasce pronuntiabat Episcopus precationes : « Copiam, quæsumus, Domine, tuæ benedictio» nis populo hic adunato tribue, tentationum » omnium pericula remove, et perturbationum » procellas ab eo miseratus exclude. Amen. » Mala cuncta arce, bona tribue, noxia sub» trahe, prospera concede, ut in laude tua in » præsentis vitæ stadio currentes, placere tibi » valeant in futuro gaudentes. Amen. Sic quæ» sumus, Domine, in hoc polyandro seu cimi» terio requiescentium corpora tuæ virtutis » clypeo protege, et brachio tuæ defensionis ro» bora, quatenus in novissimo tubæ clangore a » cunctis nexibus peccatorum eruti, et æternæ » vitæ gaudiis restituti, resurgant in parte dex» tra coronandi. Amen. Quod ipse præstare. » Post datam hanc benedictionem Communio sequitur, quæ incipit : « Lux æterna ; » et Postcommunio hunc in modum concepta : « Mune» ribus sacris satiati, quæsumus, Domine Deus » noster, ut plebs tua, quæ in futuro a morte » corporis resurrectura creditur, te miserante, » in hujus vitæ cursu a morte animæ resurga» mus. » Ubi nota consentire hanc antiquam Orationem cum illa quæ exstat in § xv nostri hodierni Romani Pontificalis, quemadmodum et aliæ superius descriptæ consentiunt.

III. Restat ut verba Orationis notemus in § xiii recitatæ, qua Deus rogatur ut cœmeterio jam benedicto Angelum suum sanctum custodem deputet ut nimirum corpora defunctorum, quæ ibidem sepulta sunt, a dæmonum magorumque insidiis præstigiisque tueatur. Agit de hac re, ipsamque Orationem egregie illustrat amicus noster, nostræque olim Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis presbyter Joannes Marangonus in celebri libro italice scripto *De SS. Angelis custodibus,* lectione ix, num. ix et duobus sequentibus, variis divinæ Scripturæ locis, atque Ecclesiasticæ historiæ testimoniis demonstrans sanctos Angelos non modo homines vivos tueri, sed etiam mortuorum corpora custodire. Legimus siquidem in Psalmo xxxiii, quod « custodit Dominus omnia ossa » eorum (ministerio scilicet Angelorum) : unum » ex his non conteretur. » Legimus etiam in *Actis* S. Clementis Papæ, quem Trajani imperatoris satellites, alligata ad ejus collum anchora, in mare dejecerant, dedisse Dominum ipsi sanctissimo Martyri « habitaculum in mari » in modum templi marmorei Angelicis mani» bus præparatum. » In Officio quoque S. Catharinæ habetur ejus corpus ab Angelis in Sina Arabiæ monte mirabiliter collocatum fuisse. Sed istiusmodi exemplis plenæ sunt Ecclesiasticæ historiæ.

IV. Neque illud insuper omittendum, in cœmeteriis non modo crucem erigi, ut in superioribus Commentariis dictum est, sed et oratorium construi consuevisse, uti pluribus ostendit Martenius in opusculo *De antiquis Monachorum Ritibus*, innuitque eruditus Haeftenus *Monasticarum Disquisitionum* parte ii, lib. i, tractatu i, disquisitione ii, quæstione iii. Vidi ego in multis urbibus non pauca cœmeteria, in quibus constructa sunt parva oratoria seu capellæ, in quibus Missarum sacrificia celebrantur. Atque hæc sunt quæ ex priscis auctoribus et manuscriptis antiquis Pontificalibus colligere potuimus pro hujus tituli dilucidatione.

Digitized by Google

APPENDIX

In qua manuscripti Ordines ad benedicendum cœmeterium referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis quod asservatur in Bibliotheca Angelica Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini.

BENEDICTIO POLYANDRI SEU CIMITERII.

Oratio.

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne » Deus, locorum omnium sanctificator et refor- » mator in melius, a quo et per quem omnis » benedictio descendit de cœlis in terras, bene- » ✠ dicere dignare locum istum, ut sit polyan- » drum seu cimiterium, id est dulcis requies et » pausacio mortuorum, quo animæ quorum » corpora hic sepulta vel sepelienda sunt, jo- » cunditatis tuæ dulcedine potiantur, sintque » interim in superna Jerusalem gaudentes et » lætantes, donec in magni judicii die de sepul- » chris propria corpora recipiant; et sic ve- » nienti Domino adjudicandum cum fructu » bonæ operationis occurrant. Per eumdem Do- » minum. »

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi, qui in Vaticana Bibliotheca exstat num. 4741.

De polyandri seu cimiterii benedictione Rubrica.

Quamquam plerique asserant cimiterii benedictionem necessariam non esse, dicentes ad hoc sufficere circuitus extra ecclesiam, et cimiterii aspersiones, quæ fiunt quando ecclesia dedicatur, non tamen supervacuum est sequentem benedictionem fieri. Sed et plerumque cimiteria sunt ab ecclesiis separata, sed nec omnes ecclesiæ consecrantur : in qua benedictione hoc modo proceditur. Die namque præcedenti in cymiterio benedicendo fiunt quinque ligneæ cruces altæ ad hominis staturam. Una in medio sit altior. Alia ad ortum solis. Tertia ad occasum. Quarta ad septemtrionem, sive ad aquilonem. Quinta ad austrum, sive meridiem. Mane vero paratur Pontifex amictu, alba, stola, pluviali albi coloris, mitra simplici, et baculo Pastorali sine manipulo, et ante omnia faciat populo brevem collationem de sanctitate et libertate ejusdem, et similibus. Postea illuminantur XII candelæ, tres videlicet ante quamlibet crucem super aliquod lignum. Deinde ante mediam crucem et candelas constitutus, dicat : « Oremus. » Oratio. « Omnipotens sempiterne » Deus, qui es custos animarum, et corporum » tuorum fidelium, respice propitius ad nostræ » servitutis officium, etc. »

Et mox parato sibi ante ipsam crucem faldistorio, accumbit super illud, respiciens ad ortum solis, et cantor incipit Litaniam. Cumque dixerit « Ut obsequium servitutis nostræ, etc., » sibique idem a choro responsum fuerit, tunc Pontifex surgens ab accubitu, baculum Pastoralem in sinistra tenens, producit ter signum crucis super cimiterium, dicens primo : « Ut » hoc cimiterium purgare et bene ✠ dicere di- » gneris. » Item secundo dicit : « Ut hoc cimi- » terium bene ✠ dicere, purgare et sancti ✠ fi- » care digneris. » Item tertio dicit : « Ut hoc » cimiterium bene ✠ dicere, purgare, sancti- » ✠ ficare et consecrare digneris. » Quo facto et ad singula a choro responso, redit ad accubitum, cantore Letaniam prosequente. Qua finita, surgens ab accubitu, respiciens ad Orientem, benedicit ibi aquam simpliciter, prout fit in Dominicis.

Incipit absolute : « Exorcizo te, creatura sa- » lis, etc. » Require sub ecclesiæ dedicatione. Aqua igitur tali benedicta, accedens ante crucem orientalem inchoat ibi, Scola prosequente, Antiphonam « Asperges me, Domine. » Psalmus, « Miserere mei, Deus, » totus dicatur cum « Gloria Patri, » et Antiphona repetatur. Require super sub ecclesiæ dedicatione ad cartas XXXII. Et dum Antiphona et Psalmus dicuntur, circuit et perambulat totum locum cimi-

Digitized by Google

terii, aspergendo aquam benedictam ubique, incipiens circuire a parte australi. Expleto autem circuitu, rediens ante crucem orientalem dicit ibi, respiciens ad Orientem : « Oremus. » Oratio. « Deus, qui es totius orbis conditor, et humani » generis pius redemptor, cunctarumque crea- » turarum visibilium et invisibilium perfectus » dispositor, te supplici voce et mundo corde » exposcimus ut hoc cimiterium, sive polian- » drum, in quo fidelium famulorum famularum- » que tuarum requiescere corpora debent, post » curricula hujus vitæ labentia, sancti ✠ ficare, » purgare et bene ✠ dicere dignare; quique » remissionem omnium peccatorum per tuam » magnam misericordiam in te confidentibus » præstitisti, corporibus eorum in hoc cimiterio » quiescentibus consolationem perpetuam im- » pertire. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen. »

Deinde thurificat crucem, et figit in summitate ejus unam ex tribus candelis accensam, et alias duas in duobus brachiis crucis : quo facto, accedit ad crucem occidentalem, spargendo simplicem aquam benedictam per cimiterium, et dicendo hos Psalmos : « Domine, ne in furore » tuo, etc. Beati quorum, etc., » sine « Gloria » Patri, etc. » Quibus expletis, respiciens ad Occidentem, dicit ante crucem : « Oremus. Do- » mine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » trina Majestas et una Deitas, Pater, et Filius, » et Spiritus sanctus; justitiæ auctor, veniæ » largitor, bonorum omnium dator, sanctitatis » origo, charismatum distributor, omniumque » ad te venientium pius receptor, præsta, propi- » tius, ut hoc cymiterium, in honorem tuum » et nomen sancti tui S. dispositum, bene ✠ dici » et sancti ✠ ficari concedas, qui beato Abraæ » Patriarchæ famulo tuo terram a filiis (*a*) » Effrem comparatam causa sepulturæ bene- » dixisti; et qui populo Israelitico promissionis » tellurem in ævo durantem concessisti, et fa- » mulorum famularumque tuarum corporibus » in hoc cymiterium intrantibus quietis sedem, » et ab omni incursione malorum spirituum » tutelari (*b*) benignus largitor tribuas, ut post » animarum corporumque resurrectionem, te » donante, beatitudinem sempiternam percipere » mereantur. Qui in trinitate perfecta vivis et » regnas Deus per omnia secula seculorum. » ℟. Amen. »

Post hæc thurificat crucem, et figit in summitate ejus unam ex tribus candelis accensam, et alias duas in duobus brachiis crucis : et deinde vadit ad crucem australem, aspergendo semper aquam benedictam per cymiterium, et dicendo Psalmum « Domine, ne in furore tuo, II. » Quo dicto versus ad meridiem, dicit ante crucem : « Oremus. » Oratio. « Domine Deus, » Pastor æternæ gloriæ, lux et honor sapientiæ, » custos et vigor prudentiæ, salus ægrotantium, » valetudo potentium, mœstorum solamen, vi- » ta justorum, gloria humilium, te supplices » flagitamus ut horum servorum tuorum cymi- » terium ab omni spurcitiæ inquinamento, et » immundorum spirituum insidiis custodire, » mundare et benedicere digneris, atque corpo- » ribus humanis in hunc locum advenientibus » sinceritatem perpetuam tribuere non desinas, » ut quicumque baptismi tui sacramentum » perceperunt, et catholicæ fidei documenta te- » nuerint, atque decurso hujus ævi termino » corpora sua in hoc cymiterio requiei com- » mendaverint, hic habeant, te præsidente, » corporum suorum sedem, donec in extremi » judicii die, angelicis concrepantibus tubis, » animas simul cum corporibus surgere de pul- » vere, et ad dextram partem cum Sanctis tuis » aggregare permittas. Per Christum Dominum » nostrum. ℟. Amen. »

Post hæc thurificat crucem, et figit in summitate ejus unam ex tribus candelis accensam, et alias duas in duobus brachiis crucis. Et deinde vadit ad crucem septentrionalem spargendo simplicem aquam benedictam per cymiterium, et dicendo Psalmum « Domine, exaudi oratio- » nem meam, et clamor meus ad te veniat, » sine « Gloria Patri. » Quo facto, versus septentrionem seu aquilonem, dicit ante crucem Orationem. « Oremus. Domine Jesu Christe, qui » corpus humanum de terra pro angelica repa- » ratione formasti, et in te pro redemtione » humani generis assumsisti, in terram pro » conditione carnis resolvis, et de terra pro im- » mortalitate resuscitabis : hanc terram, quæ- » sumus, ad usum sepulturæ de benedictione

(*a*) Legendum *Hebron*, ut in nostro Pontificali.

(*b*) Est mendum scriptoris, nam debet dici *tutelam*. Sunt et alia pene innumera scriptoris hujus Pontificalis menda, quorum aliqua non semel correximus.

Digitized by Google

» tui sepulti corporis..... et resurrexit, conse-
» crare dignare, et in baptismate tibi consepul-
» tos in natura carnis hic consepeliendos sub
» spe tuæ gloriosæ resurrectionis in tuæ piæ
» redemtionis misericordia requiescere con-
» cede. Qui venturus es judicare, etc. »

Tunc thurificat crucem, figens in ejus summitatem unam ex tribus candelis accensam, et alias duas in duobus brachiis crucis, et inde redit ad crucem mediam, spargendo semper per cymiterium aquam benedictam, dicendo hos Psalmos : « De profundis clamavi. Domine,
» exaudi orationem meam, II », sine « Gloria
» Patri. » Quibus dictis, versus ad Orientem dicat ante crucem « Oremus. » Oratio. « Adesto,
» quæsumus, Domine Deus, obsequiis nostris,
» in nomine tuo hunc locum visitantibus, etc. »

Deinde manibus junctis ante pectus mediocri voce dicit : « Per omnia secula seculorum.
» ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum
» spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad
» Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo
» nostro. ℟. Dignum et justum est, æquum et
» salutare nos tibi semper et ubique gratias
» agere, Domine sancte, Pater omnipotens,
» æterne Deus, per Christum Dominum nostrum.
» Qui es (*a*) dies æternus, etc..... cum omni-
» bus sanctis tuis collaudent (*b*). »

Tunc thurificat crucem, figens in summitate ejus unam ex tribus candelis accensam, et alias duas in duobus brachiis crucis. Postea dicit : « Oremus; » et Diaconus : « Flectamus genua.
» Levate. Domine sancte, Pater omnipotens,
» sempiterne Deus, locorum omnium sanctifi-
» cator, reformator in melius a quo, etc. »

Hiis peractis, benedicit populo, et intrat ecclesiam, parans se, si velit, ad Missam defunctorum celebrandam. Collecta. « Deus, cujus
» miseratione, etc. » Secreta. « Munera, Do-
» mine, oblata sanctifica, etc. » Postcommunio.
« Sacris muneribus satiati, quæsumus, Domine
» Deus noster, ut plebs tua, etc. »

TITULUS VII.

DE ECCLESIÆ ET CŒMETERII RECONCILIATIONE.

I. Ecclesiam semel solemni ritu consecratam denuo consecrari non posse, quocumque etiam enormi crimine pollutam seu profanatam, expeditum est, docentque id sacri canones passim et constitutiones Maximorum Pontificum. Cum enim, uti in Commentariis ad titulum secundum hujus II tomi non semel notavimus, apud veteres Patres receptum esset consecrationem templi materialis repræsentare consecrationem templi spiritualis per baptismum; atque hac ratione, uti in eisdem Commentariis ostendimus, ritus ipsius consecrationis ad similitudinem rituum spiritualis hujus consecrationis plures essent inducti; visum quidem veteribus etiam fuit, sicut templum spirituale semel per baptismum consecratum, licet postmodum per peccatum fuerit violatum, non potest iterum sacramento baptismatis consecrari, ita nec templi materialis solemnem dedicationem, huic spiritualis templi consecrationi respondentem, denuo iterandam.

II. Hanc rationem, ut scite observat Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiasticis universi*, tit. XVI, cap. IV, num. III, aperte indicat canon, quem sub nomine Concilii Nicæni refert in suo *Decreto* Gratianus, distinctione LXVIII, can. III et can. XVIII *De consecratione*, distinctione I. Postquam enim ibidem dictum fuit : « Ecclesiis semel
» Deo dedicatis non debet iterum consecratio
» adhiberi; » statim ratio ista subjungitur : « Quia
» sicut infans a qualicumque Sacerdote in no-
» mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti bapti-
» zatus non debet iterum baptizari; ita nec
» locus Deo dicatus, iterum consecrandus est,

(*a*) Legendum *est*.
(*b*) « Per Dominum nostrum, etc., » quod nostrum hodiernum Pontificale præscribit dicendum submissa voce.

Digitized by Google

» nisi propter eas causas, quas superius nomi-
» navimus, etc. » Sane etsi memoratus canon inter canones Nicænos non reperiatur, nec ullus veterum scriptorum illius meminerit, nec consequenter ex illo ævum hujus disciplinæ statuere possimus, nihilominus fundamentum illius inductæ disciplinæ non obscure ex illo colligimus. Quod autem sicut Baptismus et Confirmatio, ita et ecclesiarum dedicatio iterari nequeat, præter alios Patres luculenter docet S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, lib. XII, epistola XXXI Felici, episcopo Siciliæ, sic dicens : « De dedicatione ecclesiarum dubitatione, super
» qua inter cætera nos consuluistis, hoc vos
» rite tenere debetis, quod nos ab antecessoribus
» nostris traditum accepimus, id est, ut quoties
» tam de baptismo aliquorum vel confirmatione,
» quam de ecclesiarum consecratione dubitatio
» habetur, et nec scriptis, nec testibus ratio
» certa habetur utrum baptizati vel confirmati,
» sive ecclesiæ consecratæ sunt, ut baptizentur
» tales et confirmentur, atque ecclesiæ canonice
» dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus
» fiat, quoniam non monstratur iteratum quod
» non certis indiciis ostenditur rite peractum. »

III. Ergo una ex causis consecrandi iterum ecclesias, est quoties de ipsarum consecratione dubitatur. Quam disciplinam recte ait memoratus Gregorius se ab antecessoribus traditam accepisse; legimus siquidem in Concilio Carthaginensi V anni 398, can. VI, expresse cautum fuisse ut non modo ii baptizentur, quoties de ipsorum baptismo hæsitetur, sed et ecclesiæ quoque, si de illarum dedicatione dubitetur, iterum consecrentur : « Similiter et de ecclesiis,
» quoties super earum consecratione hæsitatur,
» agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione
» consecrentur. » Idipsum et in aliis Conciliis constitutum legitur, præsertim vero in Romano anni 1725, cui præfuit sanctæ memoriæ Benedictus XIII Pontifex Maximus : ibi enim titulo XXV, cap. III, decretum fuit ut, cum de dedicatione dubitatur, consecratio absolute fieri debeat; estque hæc communis canonici juris consultorum sententia, qui varias etiam causas assignant ob quas possunt iterum ecclesiæ consecrari. Vide celebrem Francisci de Vico episcopi Eleusini discursum, quo scite ostendit recte a Benedicto XIII Pontifice Maximo novam Lateranensis ecclesiæ consecrationem peractam fuisse ob causas scilicet quas in laudato discursu enarrat.

IV. Nos ad nostrum titulum devenientes, operæ pretium ducimus brevi causas illas exponere, ob quas ecclesia reconciliari potest. Dicitur quidem reconciliari ecclesia, cum scelere aliquo violata ac polluta est, aut a paganis vel hæreticis obtenta, rursum ab Episcopo consecratur, et aqua benedicta aspergitur. Itaque sicut templum spirituale, quod est Christianus, per crimen profanatum non potest quidem per baptismum consecrari, sed tantum reconciliari debet per aquas pœnitentiæ, uti loquuntur auctores, ita et templum materiale profanatum seu violatum non quidem solemni ritu reconsecrandum est, sed tamen reconciliandum, idque reconciliationis ritibus qui cæremoniis reconciliationis templi spiritualis per pœnitentiam respondeant. Fit autem reconciliatio ecclesiæ, ut notat Durandus lib. I *Rationalis*, cap. VI, num. XLIV, ad exemplum et terrorem, ut videlicet videntes ecclesiam, quæ in nullo peccavit, propter peccatum alterius lavari et purificari, existiment quantum propter suorum delictorum expiationem sit laborandum. Id ipsum docet Synodus Coloniensis anni 1536, p. IX, c. XVII. Porro per reconciliationem ecclesiæ figurari reconciliationem peccatoris, jam pridem adverterunt theologi, ut notat antiquus Glossographus ad cap. unicum, *De consecratione ecclesiæ* in VI, verbo *Pollui*.

V. Jam non propter omne vel enormissimum crimen ecclesia polluitur, sed propter quædam a sacris canonibus et ab antiqua Ecclesiæ consuetudine notata. Pollui in primis ecclesiam per homicidium, vel per notabilem humani sanguinis effusionem in ea factam, testatur quidem in suis litteris ad Compostellanum archiepiscopum Alexander III Pontifex Maximus relatus in cap. IV *De consecratione ecclesiæ vel altaris*, ubi ita scribit : « Proposuisti nobis in nostra
» præsentia constitutus, quod venientibus ad
» ecclesiam B. Jacobi ex diversis regionibus
» peregrinis, et volentibus aliis ab alteris per
» contentiones et rixas altaris de nocte custodiam
» vindicare, homicidia contingunt interdum, et
» aliquando vulnera inferuntur; propter quod
» humiliter postulasti ut alio modo, quam per
» reconsecrationis beneficium, dignaremur ipsi
» ecclesiæ providere. Manente igitur ecclesia et

Digitized by Google

» altari, Fraternitati tuæ insinuatione præsen-
» tium innotescat quod ipsa reconciliari poterit
» per aquam cum vino et cinere benedictam. »
Vide textum in cap. ultimo, titulo eodem, et in cap. unico, eodem titulo in VI, in quibus etsi simpliciter dicatur sanguinis effusione ecclesiam violari, id tamen de injuriosa et voluntaria effusione intelligendum, uno consensu doctores docent. Unde Concilium Coloniense anni 1536, parte IX, cap. VII, ait : « Reconciliatur ecclesia,
» aut cœmeterium, ob enormem sanguinis effu-
» sionem dedita opera, violenter et injuriose
» commissam. » Ex quibus verbis recte illud scriptores colligunt, effusionem sanguinis, si per jocum accidat, etiam in magna quantitate, vel si homicidium casu contingat, non violari ecclesiam, quia talis effusio homicidiumve omni prorsus vacat injuria et culpa.

VI. Quæri hic et opportune illud potest, an ecclesia polluatur, si vulnus quidem in ipsa inferatur, sanguis vero extra ipsam effluat; vel si intra ecclesiam in vas aliquod, ita ut pavimentum aut ecclesiæ parietes non contingat? Respondet doctissimus Suarez per vulnus in ecclesia illatum eam pollui, quia nihil interest utrum sanguis in ipsa ecclesia vel extra perfundatur; utroque casu æqualiter ecclesiæ injuria infertur, vulnere illato, ex quo immediate sanguis perfundatur. Idem dicendum docent, si causa vulneris ab ecclesia oriatur, extra illam tamen effectum habeat, veluti si lapis, aut lancea ab ecclesia emittatur, ictus vero extra ecclesiam fiat, vel e contrario. His consequens est violari ecclesiam ex homicidio injurioso intra ambitum ecclesiæ commisso, uti ex laudata Alexandri III Epistola decretali liquet; neque vero interest an homicidium per suffocationem, contusionem, vel sanguinis effusionem perpetretur, cum memoratus Alexandri locus aliique complures, quos apud theologos et canonici juris consultos videre est, nullum discrimen constituant circa modum quo homicidium injuriosum committitur. Adde etiam violari ecclesiam, si alicui extra ecclesiam occiso, in ecclesiam deinde illato occisor vel alius quispiam corpori adhuc calido vulnus infligeret, ex quo sanguis effluereret; reconcilianda est enim ipsa ecclesia tum propter horrorem et abominationem, tum propter violentiam et peccandi voluntatem; quamvis enim homo mortuus, homo non sit, humanus tamen sanguis ejus per violentiam est ibi effusus; nam et ipsi cadaveri violentia et injuria irrogantur; ut docet Durandus lib. I *Rationalis*, cap. VI, num. XIV, ubi etiam addit secus esse dicendum, « si naturaliter
» mortuus in corporis ipsius obsequium et ho-
» norem in ecclesia demembretur, vel evisce-
» retur, ut forte pars ibi, et pars alibi sepelia-
» tur. »

VII. Longum plane ac laboriosum esset varias hic quæstiones discutere, quæ de hac re a theologis æque ac canonici juris consultis afferri solent. Ego id quidem satius demonstrare arbitror veterem esse Ecclesiæ disciplinam, ut pollutæ ecclesiæ effusione sanguinis aut homicidio rite reconciliarentur. In Galliis cum basilica Sancti-Dionysii martyris esset polluta tempore Chilperici, ex conflictu in ea suborto ob purgationem mulieris adulterii insimulatæ, pro qua in ecclesiam conventum erat, eam reconciliavit Ragnemodus Parisiensis episcopus. Rem narrat S. Gregorius Turonensis lib. V, capite XXXII. Expressius vero Aymo in lib. V, cap. XXIX : « Interea ecclesia sine officiis manente, dum
» hæc ad regem delata fuissent, interminatus
» est, nulli eorum prorsus fore benevolum,
» donec Ragnemodi Parrhisiaci antistitis, in cu-
» jus diœcesi hæc acta fuerant, reconciliatione
» veniam merentur, quos Episcopus facinus
» confitentes, pœnitentia indicta, communioni
» restituit, ecclesiamque reconciliavit. »

VIII. In Aquitania sub annum 1010, cum basilica Sancti-Martialis Lemovicensis esset polluta, quinquaginta circiter viris cum feminis præ turba oppressis in introitu ecclesiæ, eam per Arnaldum Petragoricensem episcopum, absente Girardo proprio episcopo, solemni ritu lustratam Ademarus refert : « Quadragesima
» vero media, ad nocturnas Vigilias multitudine
» populi in eadem basilica ad tumulum B. Mar-
» tialis intrante, viri cum mulieribus plus quin-
» quaginta invicem conculcati intra ecclesiam
» expiraverunt, et die crastina sepulti sunt; tum
» Episcopus Girardus abierat Romam, idcirco
» per Arnaldum missus est Episcopus qui post
» tertium diem cum aqua Episcopali ecclesiam
» reconciliavit. » Narrat hoc exemplum eruditus Altaserra lib. II *De Jurisdictione*, cap. X, ubi etiam observat ecclesiam licet exemptam reconciliatam fuisse ab Episcopo alieno, vice proprii

Digitized by Google

Episcopi, ideoque recte subnotari ejus absentiam ab Ademaro, quia ecclesiæ exemptæ in his quæ sunt ordinis Episcopalis, puta in petitione chrismatis, consecratione ecclesiarum, collatione Ordinum, et aliis similibus subjiciuntur Episcopo diœcesano, uti docent doctores ex cap. *Veniens* XIX, *De præscriptionibus*.

IX. Ordericus Vitalis Uticensis monachus, lib. XII *Historiæ Ecclesiasticæ* ad annum 1119, pag. 867, ubi late descripsit complurium Clericorum cædem, quos Goiffredi archiepiscopi satellites in ecclesia vulnerarunt, quia scilicet in Præsulem conspirabant, quod omne consortium feminarum penitus eis interdixerat, et in transgressores terribilem anathematis sententiam vibrarat, hæc statim subjicit de reconciliatione ecclesiæ violatæ : « Sed paulo post, ubi fugatis, » ut dictum est, Clericis, fœdatus cruor quievit, » progressus, aquam accepta stola benedixit, » et ecclesiam, quam contaminaverat, cum tri» bus Canonicis reconciliavit. » Possem hic innumera de pollutis cæde ecclesiis expiatisque afferre exempla, quæ tamen apud Historiæ Ecclesiasticæ scriptores curiosus lector passim inveniet.

X. Alius modus, quo apud Latinos ecclesia polluitur, humani seminis effusione contingit : « Si homicidio vel adulterio ecclesia violata » fuerit, diligentissime expurgetur, et denuo » consecretur. » Verba sunt canonis *Si motum* XVII, *De consecratione*, distinct. I, quem Iginio Papæ Gratianus tribuit. Exstant ea de re varii canones ac Maximorum Pontificum decretales Epistolæ, qualis est illa Alexandri III in cap. *Significasti*, V *De adulteriis et stupro;* et illa Gregorii IX in cap. ultimo *De consecratione ecclesiæ*, in qua ita is Pontifex Episcopo Astoricensi rescribit : « Si ecclesia non consecrata, » cujuscumque semine fuerit aut sanguinis » effusione polluta, aqua protinus exorcizata » lavetur, ne divinæ laudis organa suspendan» tur. Est tamen, quam citius fieri poterit, con» secranda. » Ubi nota, ut ecclesia violetur polluaturve, non esse necessarium ut sit consecrata vel benedicta; sufficit enim ut ab Episcopo ad publicam Missarum celebrationem destinata sit. Sane ex præsenti textu docent doctores ecclesiam non consecratam, vel illam quæ tantum est benedicta, per simplicem Presbyterum expiari posse.

XI. Circa hunc modum polluendi ecclesiam, humani scilicet seminis effusione, adnotandum est primo ea quæ diximus locum quidem habere, quando intra ecclesiam facta fuit humani seminis effusio peccaminosa et publica a quocumque homine sive fideli, seu infideli; si enim talis effusio voluntaria non esset, qualis est illa quæ in somnis contingit, injuriosa ecclesiæ non est, licet aliquando a peccato non sit immunis, juxta ea quæ notantur in can. *Non est peccatum*, distinctione VI. Per pollutionem autem voluntariam occultam licet sacrilegium committatur, ecclesiam tamen non pollui, pluribus probat Mendo in sua *Statera*, dissertatione V, quæstione VI. Circa copulam conjugalem, utrum per eam violetur ecclesia, varia est auctorum sententia : receptior tamen est et fere communis, etiam ob conjugalem copulam violari ecclesiam, uti docet eruditus Gonzalez in commentario capitis, VII *De consecratione ecclesiæ*, num. VII, ubi etiam tradit pollui quidem in eo casu ecclesiam « propter loci reverentiam, etiamsi actus sit li» citus; » ut de homicidio auctoritate judicis in ecclesia facto dixit num. VI. Quamvis enim justa esset sententia quoad pœnam, injuriosa tamen exsecutio esset propter reverentiam loci.

XII. Apud Græcos, etsi in orationibus, quæ violationis ecclesiæ causas memorant, nulla de impuritate ob effusum semen contracta mentio fiat, puto nihilominus apud ipsos eam etiam ob causam, humani scilicet effusi seminis, ecclesiam profanari, et expiatione indigere. Qui enim mulieres menstruis sordidas ab ecclesiæ limine repellunt, et eas cum viris in locis adjunctis, puta, vestibulis, catechumenæis, etc., habitare prohibent juxta canonem LXXIV Concilii Trultani; prohibitum quoque concubitum, aut libidinosam quamcumque seminis effusionem tanquam a non violata per illam ecclesia nequaquam excusare poterunt, ut scite docet eruditus Goar. Cur vero causam hanc referre Patres antiqui omiserint, ex Theodoro Balsamone laudatus auctor hanc affert rationem : « Recte » ecclesias memoria non tenuerunt Patres : » cum mulieribus enim in ecclesia habitare » impiissimum est; et ideo neque illis in men» tem venit tam grande scelus ab aliquo un» quam perpetrari. »

XIII. Rursus polluitur ecclesia apud Latinos ejusque cœmeterium, si in ipsis excommuni-

Digitized by Google

catus, denuntiatus vel publicus, Clerici percussor, infidelis hæreticusve sepeliatur; eamque idcirco sacris esse cæremoniis expiandum sacri passim scriptores docent. Hæreticorum quacumque injuria et insolentia, sacra templa non profanari seu violari, juris Ecclesiastici decretum abunde testatur, quod propter solam eorum sepulturam reconcilianda esse sancit in cap. *Proposuisti*, *De consecratione ecclesiæ vel altaris*. Juxta ritum Græcorum, ut in Appendice videre est, reconciliatur templum ab hæreticis vel gentibus profanatum. Testatur etiam S. Gregorius lib. III *Dialogorum*, cap. XXX, se dedicasse templum quod Ariani contaminarant, Deumque miraculis illustribus hanc dedicationem probasse. Sed et Ariani ipsi jam olim longe ante Gregorium hunc morem tenuerunt, ut Catholicorum ecclesias, quas ipsi invaderent, solemni ritu reconciliarent. Hinc Carthagine nondum recepta a Vandalis, basilicam Sancti-Cypriani per Sacerdotes arianos, id est Episcopos, quorum proprium est nomen Sacerdotis, expurgatam solemniter seu reconciliatam fuisse, auctor est Procopius, lib. I *De bello Vandalico*, his verbis : « Sacerdotes ariani templum omne » purgarunt, et donaria, quæ essent pulcher- » rima, suspenderunt. » Quæ fuerit veterum disciplina circa idolorum templa, synagogas Judæorum, et hæreticorum ecclesias, an scilicet, ubi illa Christiani occupabant, Catholicis ritibus consecrarent, vel, ne diserte edisserit vir clarissimus Edmundus Martene, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIV, per totum, ubi variam fuisse temporum disciplinam tradit, allatis variis antiquorum scriptorum testimoniis.

XIV. At vero omissa hac quæstione, quam alii etiam scriptores tractant, admonendum superest, in Ecclesia polluta ante reconciliationem non posse divina officia, præsertim vero Missarum solemnia, celebrari. Quod quidem constat ex cap. ultimo, *De Consecratione ecclesiæ*, et cap. XI, *De Privilegiis*, ubi Innocentius III Archiepiscopo Lugdunensi rescribens, eos damnans qui in quadam ecclesia sanguinis effusione fœdata divina officia celebrarent, eumdem monet ne id fieri permittat donec ipsa reconciliata fuerit. Cui decreto addi potest celebris textus in cap. XVIII, *De sententia excommunicationis* in V, ubi Bonifacius VIII respondet illum qui in ecclesia polluta scienter celebrare præsumit, temerarie agere, sed tamen non effici irregularem, *cum id*, ut ait, *non sit expressum in Jure*. Constat aliquando, antequam ecclesia, propter enormissimum homicidium polluta, sacris cæremoniis expiaretur, in ea per annum cessasse omnia divina Officia, omnia Sacrificia, denudata fuisse altaria, et ostia templi clausa. Sic, teste Matthæo Parisio, ad annum 1172 : « Post mor- » tem beati Thomæ martyris fere anno integro » ecclesia Cantuariensis a divinis cessavit obse- » quiis, continuis perstitit in lamentis, subver- » sum est ecclesiæ pavimentum, et sonus est » campanarum suspensus, nudati sunt parietes » ornamentis, et sic quasi in cinere et cilicio » exequias in tristitia et mœrore persolvit. »

XV. Opportune in hoc nostro Commentario describimus insignem narrationem ejusdem Parisii, quam anno 1151 consignat, de ecclesia sanguinis effusione polluta, in qua, jussu Conradi imperatoris, non prius celebrata fuerunt Missarum solemnia quam ipsa ecclesia reconciliata, variisque piis operibus expletis. Sic autem ait : « Eodem anno Conradus imperator, vir prudens et discretus, diem clausit extremum; de quo legitur, quod dum in sancto Pentecoste, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis et imperii magnatibus, in urbe quadam divinis interesset obsequiis, diabolo instigante, surrexit contentio inter Prælatos memoratos, quis deberet esse dignior in primatu cathedrali, ut imperatori propius consideret. Altercantibus autem Episcopis circa hoc aliisque Prælatis, accurrunt eorumdem Prælatorum ministri cum gladiis et fustibus, et sic plagis impositis, istos de suis sedibus extrahentes, in eisdem alios intruserunt. Et lite contestata, mitras hinc inde et Pastorales baculos confregerunt, sanguinem in ecclesia non minimum effundentes. Quod videns Imperator, contristatus est vehementer, et jussit ministris suis ut, expulsis ab ecclesia schismaticis illis, sedarent tumultum. Quod cum factum fuisset, imperator Prælatos illos graviter increpans jussit ut violatam reconciliarent ecclesiam, ne, in tanta solemnitate a Missarum obsequiis defraudati, Spiritus sancti impedirent adventum. Sedato itaque tumultu, et ecclesia utcumque reconciliata, inchoatum est Missæ officium, et licet temere fuisset attentatum, sicut rerum exitus evidenter ostendit, tamen usque ad Evangelii pronuntiationem est perductum. Sed

Digitized by Google

cum Chorus novissimum Sequentiæ versum percantasset, *Hunc diem gloriosum tu fecisti*, levavit vocem suam diabolus in excelsis, et distincte ad intelligendum, cunctis audientibus, cantare cœpit : *Hunc diem bellicosum ego feci*. Hanc itaque vocem adeo terribilem cum omnes intellexissent, contuebantur sese ad invicem singuli, admirantes quid hoc esset. Tunc imperator, qui erat vir prudens et devotus Dei cultor, animadvertit vocem esse Satanæ subsannantis et improperantis tam enorme dissidium Prælatorum. Et præcepit continuo ut Archiepiscopus, qui Missam erat celebraturus, casulam deponeret, donec super tanta injuria Spiritui sancto foret satisfactum, qui ea die solet donis suis mysticis corda fidelium illustrare. Deinde famulos suos mittens per plateas et vicos civitatis, fecit convenire pauperes omnes et debiles infra ecclesiam violatam, et extra ; esurientes pavit, sitientes potavit, nudos vestivit, calceamenta necessitatem habentibus erogavit. De senibus et valetudinariis qui in grabatis jacebant per urbem, idem fecit. Aureum singulis donavit, injungens cunctis ut divinam implorarent misericordiam, ne populo suo imputaret Prælatorum superbiam Deus, quo minus Spiritus sui præstolarentur adventum. Purpuram præterea deposuit, saccum et cilicium induit, vestigiis nudis per pavimentum incedens, pauperibus ministravit, exemplumque aliis præbens, omnes ad eleemosynas et lacrymarum effusionem commovit. Tunc magnificus imperator videns ecclesiæ pavimentum lacrymis ubertim perfusum, quod prius sanguine fuerat tabefactum, jussit fiducialiter Missæ inchoare officium, et cum summa devotione incœptum obsequium impleverunt. Tandem cum perventum erat ad versum supradictum : *Hunc diem gloriosum tu fecisti*, præcepit imperator ut versus a Choro tertio repeteretur in contumeliam Satanæ ; et demum, finito versu, jussit omnes aliquandiu silere, ut audirent si hostis antiquus, ut prius fecerat, aliquid subsannando proferret. Sed cum aliquantulum exspectassent et nihil audissent : « Noveritis, ait imperator, quod inimicus no- » ster contusus recessit. » Tunc omnes congaudentes in Domino, et exsultantes, residuum Missæ feliciter peregerunt, glorificantes Spiritum sanctum qui imperatori tale consilium inspiravit. »

[Addere hic est aliam causam reconciliandi ecclesiam desumi posse ex metu ne forte violata sit propter militares stationes et excubias quæ in illa habitæ fuerint. Sic enim respondit agendum esse *ad cautelam* sacra Rituum Congregatio rescribens ad Pœnitentiarium Ecclesiæ Tolentinæ, die 27 februarii 1847. Jam similis ratio agendi indicta fuerat ab eodem sacro tribunali, die 3 martii 1821, Vicario Capitulari Carpensis Ecclesiæ, qui exposuerat Austrianos milites plures ejusdem urbis ecclesias occupasse, ac in iisdem dormiisse, ignem accendisse, ac etiam equos suos tenuisse. In juris rigore nullatenus evidens apparet ratio tales ecclesias reconciliandi, sed ea est divini cultus sanctitas, ut simplex dubium de honestate alicujus templi sufficit ut in eo ritus illi peragantur quibus domus Dei puritas instauratur. Hujusmodi epikeia usi sunt Galliarum Antistites, cum sæculi præsentis initio, nostræ regionis ecclesiæ divino cultui restitutæ sunt. Ubique solemniter illarum reconciliatio facta est, eo quod reputarentur pollutæ, non tantum ex delictis in jure prævisis quæ rarius acciderant, sed quia usibus profanis per plures annos deputatæ, aliquando etiam orgiis, saltationibus, quin et impio deæ Rationis cultui inservierant.]

XVI. Neque omittendum insuper, præter memoratas causas ob quas in Latina et Græca Ecclesia reconciliantur templa, in ipsa Græca Ecclesia recens jus esse, ut templum in quo hominem violenter mori, aut immundum animal ibidem mori aut enasci contigerit, pollutum censeatur, et peculiari Oratione expietur, his plane verbis : « Dominator Domine Deus noster, » qui, per plurimam et ineffabilem bonitatem » tuam, templum hoc sanctissimi et vivifici tui » Spiritus virtute sanctificatum, inaccessæ et » incircumscriptæ gloriæ tuæ tabernaculum » vocari voluisti, et nunc propter peccatorum » nostrorum colluviem contaminari casu mortis » violentæ hominem ad imaginem tuam for- » mato, diaboli ab initio homicidæ nequitia il- » latæ permisisti : ipse rursus propter multam » et immensam misericordiam tuam, susceptis » nostris peccatorum et inutilium servorum » tuorum sincera fide precibus oblatis, domum » hanc ejusque altare per sancti tui Spiritus » adventum emunda, et priorem in eo renova » gratiam, ad nomen tuum inoffense celebran- » dum, ad incruentæ hostiæ oblationem accep-

Digitized by Google

» tabilem, ad bonitatis tuæ laudem et gloriam. Ita » Dominator omnium, qui solus natura purus es » et sanctissimus, et verbo cuncta sanctificas, » nos quoque te corde requirentes ab omni » carnis et spiritus pollutione, propter cognitio- » num perplexitatem, et conscientiam quæstio- » nibus suspensam, expurga. Quia tu es san- » ctificatio nostra, et tibi gloriam referimus, » Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et » semper, et in sæcula sæculorum. »

XVII. Exstat hæc Oratio in *Euchologio*, inscribiturque : *Oratio dicenda in Introitu Missæ ante soleam in reconciliatione ecclesiæ in qua hominem violenter mori contigerit.* Porro post ipsam Orationem ita statim *Euchologium* ipsum præscribit : « Hæc eadem Oratio dicitur in re- » conciliatione templi in quo irrationale animal » secundum legem antiquam immundum, et a » sacrificiis alienum, aut mortuum aut enixum » est. Immutante paululum verba Pontifice : » abhinc : *Mortis violentæ homini, etc. Diaboli* » *ab initio homicidæ, etc.* Et dicente in cæde qui » dem irrationalis hoc pacto : *Diabolica nequi-* » *tia, irrationalis animalis juxta antiquam san-* » *ctam tuam Legem a sacrificiis repulsi et im-* » *mundi morte illud pollui permisisti.* Tum vero » subinferente : *Ipse rursus propter multam, etc.* » Cum vero animal parturierit, ait : *Diabolica* » *nequitia, irrationalis animalis juxta antiquam* » *sanctam tuam Legem a sacrificiis repulsi et* » *immundi partu illud pollui permisisti.* Tan- » dem vero subjungit : *Ipse rursus.* Et reliqua » usque ad Orationis finem. » Vide in ipsam Orationem notas eruditissimi Jacobi Goar, ejusdemque varias lectiones ex manuscripto codice viri clarissimi Leonis Allatii.

§ I.

Ecclesiæ et cœmeterii reconciliatio omni die fieri potest. In primis mane diei qua reconciliatio fieri debet, paratur faldistorium super tapete in medio cœmeterii, et altare ecclesiæ omnino nudatur; parantur etiam duo vasa cum aqua, unum in cœmeterio, et aliud in ecclesia in presbyterio, et ibidem unum vas vini, vas cum sale, vas cum cineribus, et aspersorium de herba hyssopi factum. Providetur etiam quod ecclesia possit libere circuiri. Si vero ecclesia tantum sit reconcilianda, paratur faldistorium super tapetem ante portam principalem ecclesiæ, et ibidem vas cum aqua, et aspersorium de herba hyssopi factum, ac alia in ecclesia quæ supra sunt ordinata.

COMMENTARIUS.

I. Ecclesiæ et cœmeterii violatorum reconciliationem omni die fieri posse, docent quidem omnes scriptores, et varii libri Pontificales, inter quos codex manuscriptus Pontificalis Gulielmi Durandi ita inquit : « Ecclesiæ ac cy- » meterii violatorum reconciliatio omni die fieri » potest. » Tum multa docet quæ in Appendice hujus tituli videri possunt, ubi hunc nos integrum ordinem referemus, qui inscribitur : *De ecclesiæ violatæ ac cymeterii violati reconciliatione.* Porro ante reconciliationem nudatur altare in signum luctus, eamque ob causam, ut scribit Matthæus Parisius ad annum 1172 post mortem S. Thomæ martyris et episcopi Cantuariensis, « anno fere integro ecclesia ipsa » Cantuariensis a divinis cessavit obsequiis, » continuis perstitit in lamentis, subversum est » ecclesiæ pavimentum, et sonus est campana- » rum suspensus, nudati sunt parietes ornamen- » tis, et sic quasi in cinere et cilicio exequias in » tristitia et mœrore persolvit. » Ubi nota, ex martyrio alicujus Sancti in Ecclesia habito, pollui quidem ipsam ecclesiam non ratione sanguinis in ea diffusi, quo potius lavatur et sanctificatur ecclesia quam polluitur, sed ratione injusti homicidii et injuriosi ex parte occidentis; unde a canonici juris consultis versiculus ille passim citari solet :

Actio displicuit, passio grata fuit.

II. De præparandis ad ecclesiæ vel cœmeterii reconciliationem, supervacaneum est hic aliquid

Digitized by Google

dicere, cum ex iis quæ in commentariis sequentibus dicentur, perspicue constet quæ in hoc nostro præsenti § præparanda commemorantur, ad ipsum reconciliationis officium necessario requiri. Requiritur quippe inter alia, cinis et aspersorium de herba hyssopi, quia, cum per hanc ecclesiæ reconciliationem repræsentetur reconciliatio publici peccatoris, sicut in publica et solemni pœnitentia, et pœnitentium reconciliatione cinerum usus fuit, ita et hic etiam cineres adhibentur. Similiter aspersorium de herba hyssopi factum, quo aqua benedicta aspergenda est, pœnitentium reconciliationem denotat, juxta illud Psalmi L, *Asperges me hyssopo, et mundabor*. Sed his omissis, illud hoc loco prætermitti nequit, quodque hanc præsentem materiam summopere spectat, violata ecclesia violatum censeri et cœmeterium, non vero cœmeterio polluto ecclesiam censeri pollutam, uti diserte docet Bonifacius VIII, in cap. unico *De consecratione altaris* in VI. Sed et de hac re et aliis scitu dignis vide quæ infra dicemus in commentariis ad titulum sequentem, *De reconciliatione cœmeterii sine ecclesiæ reconciliatione*. Vide etiam canonici juris consultos, qui hanc rem uberius tractant.

§ II.

Quibus omnibus sic paratis, Pontifex in sacristia vel alio condecenti loco ornatus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo, mitra simplici, et baculo Pastorali, procedit ad cœmeterium, si est reconciliandum, alias ante portam principalem ecclesiæ, ubi stans juxta faldistorium sibi paratum, benedicit aquam ibidem in vase positam simpliciter cum sale, prout habetur supra in benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda, pagina 22.

COMMENTARIUS.

I. Sicut ad Episcopum pertinet ecclesiarum consecratio, ita et ipsarum pollutarum reconciliatio ad ipsum Episcopum spectat; quia scilicet utraque est ordinis Episcopalis, et requirit ministerium ordinis, ita ut per simplicem Presbyterum expediri nequeat, non obstante quacumque locorum consuetudine, quemadmodum constat ex quadam Gregorii IX Pontificis Maximi decretali Epistola ad Episcopum Astoricensem scripta, quæ relata est in cap. IX *De consecratione ecclesiæ, etc.*, ubi ita legimus : « Aqua per » Episcopum benedicta ecclesiam reconciliari » posse per alium Episcopum non negamus : » per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero » prohibemus, non obstante consuetudine Pro- » vinciæ Bracharensis (quæ dicenda est potius » corruptela) : quia licet Episcopus committere » valeat quæ jurisdictionis existunt, quæ ordinis » tamen Episcopalis sunt non potest inferioris » gradus Clericis demandare. Quod autem » mandantibus Episcopis super reconciliatione » factum est hactenus per eosdem, mediocriter » toleramus. »

II. Hanc fuisse antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ut Episcopi pollutas ecclesias expiarent, ex eo liquet quod Carthagine nondum occupata a Vandalis, basilica Sancti-Cypriani per Sacerdotes Arianos, id est Episcopos, quorum proprium est nomen Sacerdotis, expurgata solemniter seu reconciliata fuerit; teste Procopio, *De bello Vandalico*, lib. I, his verbis : « Sacerdotes » Ariani templum omne purgarunt, et donaria, » quæ essent pulcherrima, suspenderunt. » Varia exempla reconciliatarum ecclesiarum per catholicos Episcopos referre supervacaneum est; cum, uti diximus, hæc olim fuerit vetus Ecclesiæ consuetudo, ut nonnisi Episcopus pollutas ecclesias expiare posset, non autem simplex Sacerdos. Id quod fuse ostendit inter alios eruditus Gonzalez in cap. *Aqua*, IX *De consecratione ecclesiæ*. Sane ratio differentiæ cur Episcopus possit inferiori Presbytero ea quæ sunt jurisdictionis committere, non vero ea quæ sunt ordinis, illa est, quia ea quæ sunt jurisdictionis non ita hærent personæ Episcopi, ut ea quæ sunt ordinis, quæ Episcopus in consecratione assequitur; quæque ita Episcopi propria sunt, ut ab eo cedi non possint alii quam Episcopo; Coepiscopoque cedantur, non ut alii, sed ut alteri ipsimet propter vinculum et necessitudinem

Digitized by Google

Sacerdotii, quæ Episcopos omnes velut unum habet, omnesque ecclesias velut unam colligit.

III. Hinc in Aquitania cum sub annum 1010 basilica Sancti-Martialis Lemovicensis esset polluta, eam per Arnaldum Petragoricensem episcopum, absente Girardo proprio episcopo, solemni ritu lustratam refert Ademarus apud eruditissimum Altaserram lib. II *De Jurisdictione*, c. x. « Quadragesima vero media, ad nocturnas Vigilias multitudine populi in eadem basilica ad tumulum B. Martialis intrante, viri cum mulieribus plus quinquaginta invicem conculcati intra ecclesiam expiraverunt, et die crastina sepulti sunt; tum episcopus Girardus abierat Romam, idcirco per Arnaldum missus est Episcopus qui post tertium diem cum aqua Episcopali ecclesiam reconciliavit. » Aqua Episcopalis est illa quæ cum vino et cinere rite ab Episcopo miscetur, ut in titulo *De dedicatione ecclesiæ* diximus; ecclesiam autem licet exemptam reconciliavit quidem Episcopus alienus vice proprii Episcopi, ideoque recte subnotatur ejus absentia ab Ademaro, quia ecclesiæ exemptæ in iis quæ sunt ordinis Episcopalis, nempe in petitione chrismatis, consecratione ecclesiarum, collatione Ordinum, et aliis similibus subjiciuntur Episcopo diœcesano, uti docet Innocentius III, in cap. *Veniens*, XIX, *De præscriptionibus*.

IV. Est quidem citra omnem controversiam, quod, licet ecclesia polluta debeat per proprium Episcopum expiari, possit tamen ab ipso ista facultas alii Episcopo demandari. Vide complures auctores apud Barbosam, parte II *De officio et potestate Episcopi*, allegatione XXVIII, ubi etiam refert, num. LXI, nonnullorum opinionem, qui aiunt, ubi reconciliatio ecclesiæ violatæ haberi non posset per Episcopum, qui longe abesset, et venire impediretur, posse ipsum Episcopum ex justa causa concedere ut in ecclesia polluta ante reconciliationem celebretur. Verum satius putarem cum ipso Barbosa ut Episcopus in eo casu concederet in loco non sacro super altari portatili, vel in privatis oratoriis celebrari.

V. Olim cum quidam domestici Monachorum Sancti-Medardi cruenta cæde atrium et ecclesiam violassent, in eademque ecclesia violata sine Episcopali reconciliatione Deo Monachi celebrare præsumerent, increpavit protinus eos Fulbertus Carnotensis episcopus Epistola sua LXXII, quam Richardo ejus monasterii abbati cunctisque Sancti-Medardi Monachis scripsit, hunc in modum : « Dicitur de vobis quod in eadem ecclesia violata, sine Episcopali reconciliatione, Deo celebrare præsumitis. Quod si verum est, profecto præsumptio ista, et nova est, et nimia, et bonis omnibus insectanda. Quid enim mali est, quod in sancta ecclesia machinari incipitis ? Vultis dare partem laicorum Presbyteris, Presbyterorum laicis ? Ubi vobis conceditur ecclesiam, aut novam dedicare, aut prophanatam reconciliare ? Sed nec oratorii quidem domum vobis ædificare, nisi per Episcopum licet : positi namque estis omnino sub potestate ipsius, qui, ut ait Hieronymus, potestatem habet peccantem Monachum tradere Satanæ in interitum carnis. Sed ne parva auctoritate fretus id dicere videar, testem mihi allego magnam Synodum Chalcedonensem sub Papa Leone, sub Martiano principe celebratam, etc. » Alludit ad canonem IV Chalcedonensem, qui Monachos potestati Episcopi subjicit. Vide ejusdem Fulberti episcopi Epistolam LXXXXIII, in qua regem Galliæ monet ne in profanata ecclesia celebrari divina officia sinat. Floruit Fulbertus initio sæculi XI.

VI. Sæculo sequenti, et proprie anno 1129, refert Ferreolus Locrius Raynoldum Remensem archiepiscopum Hugoni Henniacensis Ecclesiæ abbati, ejusque successoribus in ecclesia Sancti-Martini facultatem concessisse ut ipse ejusque successores Abbates possent ipsam Sancti-Martini, si eam violari contingeret, expiare, aqua prius reconciliationis ab ipso Atrebacensi episcopo accepta : « Si autem ecclesiam ipsam Sancti-Martini aliquando violatam esse contigerit, tibi, dilecte fili Hugo abbas, tuisque successoribus legitimis concedimus ut, accepta ab Episcopo Atrebacensi aqua reconciliationis, eadem ecclesia tam a te quam a tuis successoribus reconciliaretur. » Aqua reconciliationis est eadem ac aqua Episcopalis, de qua superius diximus. Hodie, ut refert Barbosa, Prælati regulares, ex datis eisdem a summis Pontificibus privilegiis, bene possunt reconciliare ecclesias quacumque ex causa violatas et pollutas aqua per ipsos benedicta, si Episcopus, qui illam benedicat, distet ultra duas diætas. Ex *Glossa* in cap. *Nonnulli*, *De rescriptis*, verbo

Digitized by Google

Duas diætas : quælibet diæta viginti milliaria continet.

[Quæ cum ita sint, nescitur quo pacto in plerisque Galliarum Ritualibus irrepserit posse, pro arbitrio, Episcopum vicem reconciliandi ecclesiam consecratam simplici Presbytero demandare; nihil enim exstat juri communi Decretalium magis adversum, licet in dictis Ritualibus exigatur ut aqua gregoriana, quæ adhibenda est, ab Episcopo benedicta fuerit. Quid igitur censendum de validitate nujus reconciliationis, quando fit absque Apostolica delegatione ? Peritiores dicant; sed forte non abs re erit hic adducere solutionem quæ a sacra Rituum Congregatione data est in casu satis simili. Cum in quodam loco Imolensis diœcesis, reconciliasset pollutam ecclesiam sui ordinis quidam Fratrum Servorum B. Mariæ Provincialis, et peteretur ab Episcopo an dicta ecclesia rite reconciliata habenda foret, responderunt Eminentissimi Patres, die 15 decembris 1646, « ecclesiam esse reconciliatam, sed in futurum » abstinendos esse fratres in similibus. »]

VII. Quæ hactenus diximus procedunt in ecclesia polluta, quæ jam ante pollutionem fuerat rite per Episcopum consecrata : tunc enim et ad ipsum spectaret expiatio, et uti deberet aqua, vino et cineri admixta juxta ritum in hoc titulo præscriptum. Verum si ecclesia polluta tantummodo esset benedicta, reconciliari potest per quemcumque simplicem Sacerdotem, et quidem per solam aquæ lustralis aspersionem ex dispositione insignis Epistolæ decretalis Gregorii IX, in cap. x *De consecratione ecclesiæ, etc.*, ubi ita inquit : « Si ecclesia non con» secrata cujuscumque semine fuerit aut » sanguinis effusione polluta, aqua protinus » exorcizata lavetur, » id est aqua benedicta cum sale, ex *Glossa* canonici juris in dicto capite ultimo. Ubi nota non esse necessarium quod aqua sit per Episcopum benedicta, ut ecclesia non consecrata reconcilietur, licet hoc requirat cardinalis Toletus, qui tamen convincitur ex iis memoratis verbis : *Aqua protinus exorcizata lavetur.* Quod non liceret, si Episcopi licentia, benedictio, aut auctoritas esset exspectanda, et exorcismus aquæ per Episcopum esset faciendus. Hinc sacra Rituum Congregatio in Cameracens. IX februarii 1608 censuit ecclesiæ non consecratæ et cœmeterii simplicem benedictionem posse committi alicui Presbytero in dignitate Ecclesiastica constituto. Et in Hydruntina, die XV decembris 1632, fuit dictum ecclesiam non consecratam posse per Vicarium Capitularem reconciliari. Sed de his et aliis ad praxim spectantibus videri potest Augustinus Barbosa, Prosper Fagnanus, Jacobus Pignatellus et alii.

VIII. Cætera verba nostri hujus § exstant quidem in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali annorum circiter quingentorum : « Pon» tifex, inquit, ornatus amictu, alba, stola, plu» viali, mitra alba simplici, et cambucha sine » manipulo, constitutus ante paratum faldisto» rium, respiciens Orientem benedicit ibi aquam » simplicem cum sale, prout fit in Dominicis » diebus. » Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Moguntinæ nullam facit mentionem aquæ simplicis benedictæ; mandat tamen in suo ad reconciliandam ecclesiam et cœmeterium simul ordine, ut « primo Episcopus indutus » alba et pluviali, mitram habens super caput » suum, et baculum Pastoralem gestans in » manu, cum Clero et populo exeat usque ante » januas cimiterii exteriores, et ibidem ante eas » in loco non consecrato vertens se versus ec» clesiam, dicat : *Adjutorium nostrum*, etc. » Ordericus Vitalis Uticensis monachus, lib. XII *Historiæ Ecclesiasticæ* ad annum 1119, ubi agit de Goiffredo archiepiscopo ecclesiam sanguinis effusione pollutam reconciliante, ait quod « ubi » fugatis Clericis, fœdatus cruor quievit, pro» gressus aquam, accepta stola, benedixit, et ec» clesiam, quam contaminaverat, cum tribus » Canonicis reconciliavit. » Ubi nota solum stolæ in hac reconciliatione fieri mentionem, silentio missis cæteris vestibus Pontificalibus. Puto autem, ubi legitur, *aquam accepta stola benedixit,* intelligi quidem de aqua cum vino et cinere benedicta, quam alii *aquam Episcopalem,* alii *consecratam,* alii *reconciliationis aquam* appellant.

Digitized by Google

§ III.

Aqua igitur benedicta, Pontifex sine mitra inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus : *Miserere mei, Deus,* * *secundum magnam misericordiam tuam, etc.*, ut supra sub Benedictione Abbatis. Totus dicitur cum *Gloria Patri* et *Sicut erat in principio, etc.* Quo finito, Antiphona repetitur. Interim, dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex, accepta mitra, aspergit cum ipsa aqua in circuitu de foris ecclesiam et cœmeterium simul, aspergendo aquam alternatim nunc ad murum ecclesiæ, nunc ad terram cœmeterii, et specialiter loca contaminata. Quo facto, rediens ad locum ubi aquam benedixit, stans, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur : quæsumus immensam clementiam tuam ut quod modo visitaturi sumus, visites, et quicquid benedicturi sumus, bene✠dicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ IV.

Deinde iterum dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Aufer a nobis, quæsumus, Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad loca tuo sancto nomini purificanda, puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex compluribus manuscriptis Pontificalibus, Colbertino, annorum circiter nongentorum ; Bellovacensi, octingentorum ; Bisuntino, septingentorum ; Senonensi, et Remensi Sancti-Remigii, sexcentorum ; Apamiensi in Syria, annorum circiter quingentorum ; itemque ex Ordine antiquo Romano apud Hittorpium, et aliis, ut, ubi reconcilianda est violata ecclesia, primum veniat Episcopus cum Clero sacris vestibus indutus, et dicat ante ipsam ecclesiam Orationem : *Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis, etc.*, deinde aliam quæ incipit : *Aufer a nobis, etc.*, uti in § IV ; cujus etiam Orationis una cum aliis dicendis meminit manuscriptum Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis, ante annos nongentos, in eo titulo qui inscribitur : *Reconciliatio loci sacri ubi sanguis fuerit effusus, aut homicidium perpetratum, vel aliqua res immunda.* In eo siquidem Ordine mandatum est ut Episcopus « primitus » ter aspergat aquam benedictam in circuitu, et » intus, et dicat has Orationes : *Aufer a nobis,* » *Domine, etc. Deum indultorem, etc. Deus cu-* » *jus bonitas, etc. Deus, qui in sanctis habi-* » *tans, etc.* » Ubi nota desiderari in ipso Pontificali primam Orationem in multis Pontificalibus descriptam, « Omnipotens et misericors Deus, » qui Sacerdotibus tuis, etc., » quemadmodum in Gulielmi Durandi manuscripto Pontificali desideratur Oratio § IV descripta, *Aufer a nobis, quæsumus, Domine, etc.*, quod mirum videri debet, cum in antiquioribus Pontificalibus superius memoratis legatur.

II. Etsi autem recitatæ binæ Orationes in §§ III

Digitized by Google

et IV nostri Pontificalis in aliis etiam exstent Pontificalibus, sciendum tamen quod ex manuscripto Sancti-Victoris Pontificali annorum circiter sexcentorum veniebat primum Episcopus ante ipsam ecclesiam reconciliandam cum Clero et populo, hanc sonora voce cantando Antiphonam : « Deus, in sancto vita tua. » Et deinde memoratæ binæ Orationes dicebantur. Ex manuscripto autem Pontificali Moguntino, ubi reconciliator Episcopus ante januam cœmeterii venerat Pontificalibus ornatus vestibus, vertens se versus ecclesiam, dicebat primum : « Adjutorium nostrum, etc. Sit nomen Domini, etc., » postmodum vero ipsas Orationes. Vetus denique Ordo Romanus, in eo titulo inscripto *Reconciliatio violatæ ecclesiæ*, mandat quidem ut duæ hæ Orationes dicantur, sed ut « primum efferantur reliquiæ. »

§ V.

Et si ecclesia reconciliatur sine cœmeterio, omittitur sequens Oratio ; si vero ecclesia simul cum cœmeterio reconciliatur, Pontifex finita præcedente, mox dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti : quæsumus dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim, Domine, figulus noster, tu quietis nostræ ager, tu agri hujus es pretium, tu dedisti etiam et suscepisti, tu de pretio et in pretio tui vivifici Sanguinis nos requiescere donasti; tu ergo, Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, exspectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justæ severitatis abscondens, post miserationem tuæ piæ redemptionis, adesto exauditor et effector nostræ reconciliationis; hocque cœmeterium, mausoleum peregrinorum tuorum cœlestis patriæ incolatum exspectantium benignus purifica et reconcilia; et hic tumulatorum et tumulandorum corpora de potentia et pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita, qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Oratione finita, illa scilicet quæ exstat in § III incipitque, « Omnipotens et misericors » Deus, qui Sacerdotibus tuis, etc., » mandat Pontificale Gulielmi Durandi ut Episcopus in eodem loco ubi eam Orationem dixit, dicat iterum : *Oremus*, et, admonente Diacono : *Flectamus genua* et respondente : *Levate*, statim hanc Orationem pronuntiet : *Domine pie Jesu Christe, qui agrum figuli, etc. :* quam Orationem in nullo alio hactenus legi manuscripto Pontificali. Porro alludit ipsa Oratio ad ea quæ leguntur in Evangelio S. Matthæi, cap. XXVII, de triginta scilicet argenteis quos Judas perfidus ob proditionem sibi comparaverat, quosque deinde ab ipso inani pœnitentia ducto in templo projectos, consilio inito Principes Sacerdotum in sepulturam peregrinorum impendentes, agrum figuli emerunt. Vulgo creditur, quinimo et a Concionatoribus repeti solet in concione quam habent de Passione Christi, feria V in Cœna Domini, vel VI in Parasceve, parvo admodum pretio, triginta scilicet obolis, seu denariis, Christum a Juda venditum. Multo pluris quam Concionatores isti, venditum Christum censet Baronius ad annum XXXIV, num. XV. Existimat enim S. Matthæum in Evangelio suo, cap. XXVII, triginta argenteos posuisse « pro triginta libris argenti, quarum aviditate Judas illectus proditionem sit pollicitus atque molitus. » Alii quidem aliter interpretantur, aientes argenteum idem esse Judæis ac siclum, triginta-que argenteos, vel siclos, quibus Christus a Juda

Digitized by Google

venditus fuit, æquare pretio florenos triginta, et libellas Venetas centum et quinquaginta. Vide eruditum Antonium Sandinum in *Historia Apostolica,* ubi agit de Juda Iscariote.

§ VI.

Postea Cantor incipit Litanias, et Pontifex accepta mitra ingreditur ecclesiam cum Clero, cantando eas; acceditque ante altare majus, coram quo paratur ei faldistorium, super quod Pontifex cum mitra procumbit : cumque dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus, etc.* ℟. *Te rogamus audi nos,* Pontifex surgit de accubitu, et baculum Pastoralem in sinistra tenens, producit signum crucis super altare, ecclesiam et cœmeterium, dicens : *Ut hanc ecclesiam, et altare hoc, ac cœmeterium purgare et re✠conciliare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hanc ecclesiam, et altare hoc, ac cœmeterium purgare, recon✠ciliare et sancti✠ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tertio dicit : *Ut hanc ecclesiam, et altare hoc, ac cœmeterium purgare, recon✠ciliare, sancti✠ficare et conse✠crare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Si autem cœmeterium non sit pollutum, et sic neque reconciliandum, non fit de cœmeterio mentio. Quibus dictis, iterum super faldistorio accumbit, Cantore Litanias resumente et perficiente. Quibus finitis, Pontifex surgit, et deposita mitra, stans versus ad ipsum altare, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Deus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi Filii tui Domini nostri passione solvisti : da, propitius, ut conformes eidem effecti, sicut imaginem terreni parentis naturæ necessitate portavimus, ita imaginem cœlestis gratiæ sanctificatione portemus, per virtutem ejusdem Christi Filii tui Domini nostri, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Cantatas jam olim fuisse Litanias in reconciliatione ecclesiæ violatæ, et quidem variis in Ecclesiis, docent nos manuscripti libri Pontificales, Colbertinus, Bellovacensis, Bisuntinus, Senonensis, Remensis, S. Remigii, Apamiensis in Syria, Aquensis. Pontificalis liber Gulielmi Durandi, vetus Ordo Romanus, et alii complures, in quibus post recitatas ab Episcopo binas Orationes, *Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus, etc.* et *Aufer a nobis, etc.*, expresse ibidem mandatur ut « tunc intret in ecclesiam » cum Clero et Litaniis. » Colbertinus addit, « exspectante foris suo populo. » Finitis Litaniis, præscribunt iidem libri Pontificales ut Episcopus dicat, *Oremus. Flectamus genua. Deus, qui peccati veteris, etc.* Ordo Romanus et alii nonnulli Pontificales codices mandant quidem ut Episcopus pronuntiet *Oremus;* et admonente Diacono, *Flectamus genua. Levate,* descriptam in hoc nostro § Orationem recitet.

II. In Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ ritus is noster ita post binas ipsas recitatas Orationes describitur : « His Collectis dictis, Episcopus » cum Clero et populo, et duobus Clericis di- » centibus Letaniam ecclesiam ingrediatur, ubi » ante mensam albo panno coopertam, super » quam sal, cineres et vinum, et juxta quam tina » cum aqua et hyssopo ordinata consistat, super » sedem suam se prosternat, et in loco Letaniæ » surgat, et dicat : *Ut ecclesiam istam, seu cimi- » terium istud, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare et » reconci ✠ liare digneris, Te rogamus.* Epi- » scopo hoc ter dicente, Clerus toties sibi re- » spondeat : *Te rogamus.* Quo dicto, reponat se » super sedem suam usque ad finem Letaniæ : » qua completa, surgat, et aquam benedicat

Digitized by Google

» Pontificalem, etc. » Ubi nota nullam hic fieri mentionem dicendæ Orationis, *Deus qui peccati veteris, etc.*, post decantatas Litanias, sed statim procedi ad aquæ benedictionem cum cinere et vino miscendæ.

III. Variat tantisper ab hac nostra Rubrica Pontificale Gulielmi Durandi, in quo ita legimus : « Postea Cantor incipit Litaniam, et Pon» tifex ingreditur ecclesiam cum Clero, cantando » eam, et coram altari super faldistorium ibi » paratum accumbit. Cumque Cantor dixit, *Ut » obsequium servitutis nostræ, etc.*, et sibi idem » a Choro responsum fuerit, tunc Episcopus se » erigens, ter super ecclesiam et altare signum » crucis communiter producens, baculum Pa» storalem in sinistra tenendo, dicit : *Ut hanc » ecclesiam et altare hoc purgare et reconci ✠ » liare digneris, Te rogamus.* Secundo dicit : » *Ut hanc ecclesiam, et altare hoc, ac cimite» rium pur ✠ gare, reconci ✠ liare et sancti ✠ » ficare digneris, Te rogamus.* » Deest tertia petitio, seu rogatio, fortasse ob oscitantiam scriptoris. Cæterum mandat ipsum Pontificale ut, ad singulas rogationes responso a Choro, iterum super faldistorium accumbat Episcopus, Cantore Litaniam resumente et prosequente; eaque finita, ipse Episcopus surgens dicat : *Oremus;* et dicente Diacono : *Flectamus genua. Levate,* pronuntiet Orationem, *Deus, qui peccati veteris, etc.*

§ VII.

Deinde Pontifex genuflectit ante faldistorium prædictum, et sine mitra cantando dicit, prout etiam habetur supra in Dedicatione ecclesiæ, pag. 95 : *Deus, in adjutorium meum intende.* Tum surgit Pontifex, et Chorus respondet : *Domine, ad adjuvandum me festina.* Tunc Pontifex stans sine mitra, dicit : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Chorus respondet : *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Idem fit eisdem modo et loco, secundo et tertio, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex, stans in eodem loco, accepta mitra benedicit aliam aquam ibidem in Presbyterio in aliquo vase paratam cum sale, cinere et vino, incipiens absolute : *Exorcizo te, creatura salis,* prout habetur supra in Dedicatione ecclesiæ in secunda aquæ benedictione, pag. 96, continuans usque ad Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc.*, inclusive.

COMMENTARIUS.

I. Dicta Oratione, *Deus qui peccati veteris hæreditariam mortem, etc.*, mandat quidem manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, ut « subsequenter Episcopus benedicat in Pre» sbyterio aliam aquam cum sale, cinere et vino, » commiscens omnia simul, incipiens et dicens » ter : *Deus, in adjutorium meum intende*, prout » habetur superius in tractatu *De Ecclesiæ de» dicatione* in secunda aquæ benedictione, etc. » Exstat de secunda hac aquæ benedictione expressa mentio in multis libris Pontificalibus, ubi agunt de reconciliatione ecclesiæ violatæ, vel cœmeterii. Pontificale manuscriptum Sancti-Victoris, annorum circiter sexcentorum, in Ordine ad reconciliandam ecclesiam et cœmeterium simul, præscribit ut, completa Litania, « deinde dicat Episcopus ter : *Deus, in adjuto» rium meum intende*, et faciat exorcismum, » et benedictionem salis, cineris, aquæ, vini, ut » supra, usque ad ea verba : *Quatenus consecra» ta sis, aqua sancta, ac proficias ad reconcilia» tionem hujus sacri loci, vel cimiterii, ut per » te, et per benedictionem divinam, auxiliante » Domino, sive per os et manus, atque officium » nostrum, hic locus, vel hoc cimiterium divi» nitus per gratiam Spiritus sancti consecretur, » ac perpetualiter, ad invocandum nomen Domi» ni, consecratum permaneat; et Spiritus san» ctus habitet in hoc loco, seu in cimiterio, per » eum qui venturus est.* »

Digitized by Google

§ VIII.

Qua dicta, Pontifex inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Incœpta Antiphona, Pontifex facit ut in fine Psalmi habetur. Psalmus LXXVII : *In Ecclesiis benedicite Deo Domino,* * *de fontibus Israel.* Repetitur Antiphona. *Ibi Benjamin adolescentulus,* * *in mentis excessu.* Repetitur Antiphona. *Principes Juda, duces eorum :* * *principes Zabulon, et principes Nephthali.* Repetitur Antiphona. *Manda, Deus, virtuti tuæ :* * *confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Repetitur Antiphona. *A templo sancto tuo in Jerusalem,* * *tibi offerent reges munera.* Repetitur Antiphona. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum,* * *ut excludant eos qui probati sunt argento.* Repetitur Antiphona. *Dissipa gentes quæ bella volunt; venient legati ex Ægypto :* * *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Repetitur Antiphona. *Regna terræ cantate Deo :* * *Psallite Domino.* Repetitur Antiphona. *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli,* * *ad orientem.* Repetitur Antiphona. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel,* * *magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.* Repetitur Antiphona. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ :* * *benedictus Deus.* Et non dicitur *Gloria Patri*, sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, accepta mitra, circuit ter ecclesiam intrinsecus, aspergendo in primo circuitu parietes in superiori parte; in secundo autem, in inferiori parte eorum; in tertio vero, pavimentum ecclesiæ : aspergit etiam specialiter loca contaminata, quando ecclesia principaliter est polluta vel violata. Quo facto, Pontifex stans in presbyterio, cum mitra versus altare, dicit :

Deum indultorem criminum, Deum sordium mundatorem, Deum qui corruptum peccatis originalibus mundum adventus sui nitore purificavit, Fratres charissimi, supplices deprecemur ut contra diaboli furentis insidias fortis nobis propugnator assistat; ut si quid ejus virosa calliditate, quotidianis insectationibus maculatum in isto loco corruptumque fuerat, efficiatur cœlesti miseratione purgatum, quia sicut illius est solidum perfectumque quassare, ita auctoris est nostri lapsa restituere, nutantia stabilire, et corrupta purgare. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus.

COMMENTARIUS.

I. Vetus Ordo Romanus, ubi agit de reconciliatione violatæ ecclesiæ, post Orationem, *Deus qui peccati veteris hæreditariam mortem, etc.*, de qua in § VI, statim edicit Episcopo ut primum « benedicat aquam et salem cum » vino et cinere in terra, et circumeat tribus » vicibus intrinsecus ecclesiam, spargendo et » cantando Antiphonam *Asperges me, Domine,* » cum Psalmo *Miserere mei, Deus*, lavando ac pu- » rificando loca contaminata ; deinde hanc Ora- » tionem pronuntiet, *Deum indultorem crimi-* » *num, etc.*, et aliam quæ dicitur *Consecratio*, » quæque juxta ordinem nostri hodierni Pontificalis in § sequenti describetur ; eisque dictis, mandat ipse vetus Ordo Romanus, ut « tunc cante- » tur Antiphona *Exsurgat Deus, et dissipentur*

Digitized by Google

» *inimici ejus*, cum eodem Psalmo. » Idem legitur in multis aliis manuscriptis antiquis libris Pontificalibus, excepto manuscripto libro Pontificali Anglicani monasterii Gemmeticensis, juxta cujus Rubricam, « primitus Episcopus ter asper» git aquam benedictam in circuitu et intus, et » dicit has Orationes, » nempe, *Aufer a nobis, etc.*, ut supra, et *Deum indultorem*, ut in hoc præsenti §, et alias duas.

II. Ex manuscripto Sancti-Victoris annorum circiter sexcentorum Pontificali cautum est ut, « post secundæ aquæ benedictionem, circum» eat Episcopus tribus vicibus intrinsecus et » extrinsecus ecclesiam vel cimiterium, spar» gendo aquam benedictam, et cantando An» tiphonam : *Asperges me, Domine, ysopo, et* » *mundabor; lavabis me, et super nivem deal*» *babor*, cum Psalmo *Miserere mei, Deus*, et » Oratione *Deum indultorem criminum, etc.*, » ut in nostro Romano Pontificali, usque ad ea verba, *corrupta purgare;* quibus, juxta laudatum Sancti-Victoris Pontificale, et Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi, uti in Appendice videre est, hæc statim alia adduntur : « Cujus majestatem precamur, ut fiat » ab omni pollutione purgatus et sanctifica» tus, atque in priorem statum restitutus, et » reconciliatus, ac sacratus. Per eum qui unus » in Trinitate perfecta vivit et gloriatur Deus » per infinita secula seculorum. Amen. » Tum jubet ut « dehinc cantetur hæc Antiphona, » *Exsurgat Deus*, et Oratio ab Episcopo, quæ » incipit : *Deus cujus bonitas nec principium* » *nec finem habet, etc.* »

III. Post benedictionem aquæ Pontificalis, mixtæ scilicet cum sale, cinere, vino, præscribit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ ut Episcopus, circumcinctus albo et mundo linteo, circumeat ecclesiam intrinsecus tribus vicibus, aquam spargendo benedictam, et purificando loca contaminata : et Clerus interea cantet *Asperges me*, et Psalmum *Miserere mei, Deus*, cum repetitione *Asperges me*, donec tres circuitus fuerint expediti ; et postquam Episcopus ecclesiam ter, ut prædictum est, circumierit, stans in medio chori, ante majus altare, dicat : *Dominus vobiscum, Oremus. Deum indultorem criminum, etc.* Tum addit ut, hac cæremonia in ecclesia expedita, Episcopus cum Clero et populo extra in cimiterium procedat, ibique ter cimiterium circumiens, in utraque videlicet extremitate et per medium spargat aquam benedictam, et Clerus interea cantet *Asperges me*, et Psalmum *Miserere mei, Deus;* et cantetur totus iste Psalmus, vel quantum sufficit, cum repetitione *Asperges me*, donec tres circuitus fuerint expediti et completi : eisque completis, iterum Episcopus stans ante januam ecclesiæ, Orationem jam dictam repetat, *Deum indultorem criminum, etc.*

IV. Hæc locum habent quoties simul ecclesia et cœmeterium expiatur, et quidem juxta ritum Ecclesiæ Moguntinæ. Pontificale Gulielmi Durandi ritum nostrum ita describit : « Aqua igi» tur taliter benedicta, Episcopus inchoat, Schola » prosequente, Antiphonam *Exsurgat Deus, et* » *dissipentur inimici ejus, et fugiant qui ode*» *runt eum a facie ejus*. Psalmus, *In ecclesiis* » *benedicite Deo Domino de fontibus Israel*, » totus dicatur usque in finem ipsius Psalmi, » sine *Gloria Patri;* et Antiphona repetatur » post Psalmum. Dum autem Antiphona et » Psalmus dicuntur, Pontifex circuit ter eccle» siam intrinsecus, aspergendo parietes in primo » et secundo circuitu, in tertio vero aspergit » pavimentum, et specialiter loca contaminata, » quando ecclesia principaliter est polluta vel » violata. Et, si necesse fuerit, præmissa Anti» phona ad singulos versus repetatur. Quo sic » facto, stans in Presbyterio, dicit coram altare : » *Oremus;* et Diaconus : *Flectamus genua.* » *Levate.* Oratio : *Deum indultorem crimi*» *num, etc.* » Ubi nota in omnibus fere consentire hunc Ordinem Gulielmi episcopi Mimatensis, inclyti ordinis Prædicatorum scriptoris, ad reconciliandam ecclesiam, cum nostro Romano Pontificali ; ipsumque Gulielmum fuisse arbitror, qui primus Romanum Pontificale ordinarit et amplificarit juxta ritus qui hodieque servantur.

§ IX.

Deinde deposita mitra, mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.*

Digitized by Google

℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus immensa bonitas, ut non habuit principium, ita nec terminum habebit; qui divina naturalique pietate plenus, eligis in nobis magis restituere perdita quam percutere peritura. Et si quid aut negligentia polluit, aut ira committit, aut stimulat ebrietas, aut libido subvertit, hoc, Domine, clementi patientia sustines; ut ante per gratiam purifices, quam percutias per furorem : et operis tui providus plasmator eligis potius erigere jacentia, quam punire damnanda. Te, Domine, supplices deprecamur, ut hujus tabernaculi receptaculum placatus aspicias, et altare tuum, quod insectantis est inimici fraude pollutum, per infusionem gratiæ cœlestis purifices, purificatum possideas, possessumque, ne deinceps aliqua labe sordescat, custodias. Absint in posterum omnes nequitiæ spirituales, et eliminentur; exstinguatur antiqui serpentis invidia, et cum omnibus fraudibus suis diaboli turma propellatur. Efferat secum maculam quam ingessit, et perennibus quandoque suppliciis deputandus operum suorum semina secum colligat peritura. Nihil hic in posterum noceat præteriti culpa contagii; nihil sit quod remaneat inimici fraude pollutum, quandoquidem spiritus tui est infusione purgatum. Resurgat Ecclesiæ tuæ pura simplicitas, et candor innocentiæ hactenus maculatus, dum receperit gratiam, resurgat ad gloriam; ut populorum fidelium hic turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum sentiat se obtinuisse suffragia.* Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Idem quod in præsenti § legitur, et in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Variat in aliquibus hæc Præfatio in antiquo Romano Ordine, ubi etiam *Consecratio* appellatur, et absolute incipit ab illis verbis : *Deus, cujus bonitas, etc.* Deest in antiquis manuscriptis Pontificalibus, et in nonnullis exstat non parum mutilata, uti videre est in manuscripto Pontificali Sancti-Victoris, annorum circiter sexcentorum. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, dicta Oratione *Deum indultorem criminum*, ingrediens Episcopus cum Clero et populo, incipit hanc, prosequente Clero, Antiphonam : « O quam metuendus est, etc., » et cum Episcopus ecclesiam intraverit, stans in medio chori vel ecclesiæ, per modum Præfationis, voce alta incipit : *Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus. Æterne Deus, cujus bonitas immensa, ut non habuit principium, ita nec terminum habebit, etc.* Postea Clerus cantat Antiphonam : « Exsurgat Deus, etc. »

§ X.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad altare, et ibi inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni IV : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Psalmus XLII : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de*

Digitized by Google

gente non sancta, etc. Et non dicitur *Gloria Patri,* sed Antiphona repetitur; qua repetita, Pontifex, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus purificator assistis, exaudi nos, quæsumus, et concede ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat consecratio, et tui muneris beneficia universitas fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Est et hæc Rubrica una cum recitata Oratione in laudato toties manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Moguntinæ, post Præfationem in § superiori descriptam, statim Clerus cantat Antiphonam : « Exsurgat Deus, et dissipentur, etc., » cum Psalmo « Benedicam; » Episcopus vero post dictum « Dominus vobiscum, » subjungit *Oremus;* et deinde : *Deus, qui in omni loco, etc.* Idipsum legitur in Pontificali manuscripto Aquensi ante annos quadringentos scripto, et in aliis. Cæterum in Ordine antiquo Romano, et in Rituali codice Suessionensi, atque in aliis libris, post dictam Præfationem de qua in § superiori, cantabatur quidem hæc Antiphona : « Exsurgat Deus, et dissipentur inimici » ejus, » cum eodem Psalmo : et antequam reportarentur reliquiæ, sive, ut alibi legitur, recluderentur, admonente Diacono, *Flectamus genua,* subjungebat Episcopus Orationem : *Deus, qui in omni loco, etc.*

II. Ex manuscripto Sancti-Victoris Pontificali, annorum circiter sexcentorum, recitata Præfatione, quæ ibidem dicitur *Oratio,* estque in multis mutata et aliquantum decurtata, Episcopus circumibat « ecclesiam et intus et foris, et » cimiterium cum incenso, canendo : *Domine,* » *ad te dirigatur.* » Deinde vero hanc recitabat Orationem : « Deus qui in Sanctis habitans, su- » pernæ moderamine pietatis terram mundus » mundam formasti, quam etiam primi præva- » ricatores de supernis ejecti sedibus suggestione » maculatam, priscis misertus Paradisi quos » creasti accolis, pii effusione cruoris, ac proprii, » antiquæ ab omni prævaricationis contagio, » mundare et abstergere dignatus es; quæsu- » mus immensam pietatem tuam ut hanc ec- » clesiam, vel hoc cimiterium, quod prius tua » sanctificatione sanctificari voluisti, quamvis » jam ejusdem nævo prævaricatoris maculatam » tua cœlesti benedictione benedicas, ut qui sub » timore et amore tui nominis ad hoc orato- » rium pro impetranda suorum venia peccato- » rum convenerint, vel in hoc cimiterio sepulti » fuerint, se in perpetuum omnium veniam » peccatorum impetrare gaudeant, et gaudia » percipere sempiterna lætentur. Per. »

III. Alludit hæc Oratio ad caput *Geneseos* III, in quo primi nostri parentes, astutia serpentis, Dei præceptum transgressi, e paradiso voluptatis fuerunt ejecti, indicta singulis pœna; secundo ad varia novi Testamenti loca, in quibus dicitur Christum Dominum, Dei unigenitum, totum mundum sui ac proprii effusione cruoris ab omni prævaricationis contagio mundasse. Sed de hac re vide sacros theologos, qui variis etiam Scripturæ locis Christum pro omnibus passum ac mortuum esse propugnant.

§ XI.

Deinde stans ibidem inchoat, Schola prosequente, Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.* Psalmus : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, etc.,* et dicitur totus cum *Gloria Patri,* et *Sicut erat,* cum Antiphona prædicta. Incœpta Antiphona, Pontifex accipit mitram stans cum ea in dicto loco, usque ad finem Psalmi. Quo dicto, Pontifex, deposita mitra, stans adhuc ibidem, dicit :

Digitized by Google

OREMUS.

Deus qui Ecclesiam tuam sanctam, de omnibus mundi finibus congregatam, per tui lateris admirabile sacramentum, cunctarum gentium matrem esse dixisti, quam etiam populorum varietate depictam, sanctorum Martyrum tuorum meritis decorasti, benedic, Domine, quæsumus, Sanctorum tuorum opitulante suffragio, tam altare quod eorum exornatur, te juvante, reliquiis, quam ecclesiam; ac fidelium tuorum tibi pie offerentium vota in illa sanctifica. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi post Orationem in § superiori recitatam, non quidem Episcopus, uti in hoc § nostro præscribitur, sed Diaconus incipit Antiphonam *Confirma hoc, Deus, etc.*, cum Psalmo : *Exsurgat Deus, etc.*, quo finito, Pontifex dicit Orationem : *Deus qui Ecclesiam tuam de mundi finibus, etc.* Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ etiam mandat ut Clerus cantet cum repetitione Antiphonam sequentem, *Confirma hoc Deus, etc. Gloria Patri, etc. Confirma*, itemque ut ipse Clerus cantet istud Responsorium : « Narrabo » nomen tuum, etc., » eoque decantato, dicat Episcopus : *Oremus. Deus qui Ecclesiam tuam sanctam, etc.* Ex manuscripto Pontificali Apamiensi in Syria, annorum circiter quingentorum, et Aquensi ante annos quadringentos scripto, præter Antiphonam *Confirma hoc, Deus, etc.*, et versiculum « Narrabo nomen » tuum fratribus meis, » hi alii versiculi dicebantur : « Qui timetis Deum ; Timeat eum omne » semen Israel ; Non avertat faciem suam a me ; » Gloria Patri ; » postea vero sequebatur Oratio : *Deus qui Ecclesiam tuam de omnibus finibus, etc.*

II. Vetus Ordo Romanus alterius ritus meminit, ut nimirum post dictam Orationem *Deus qui omni loco, etc.*, quam in superiori loco § x legere est, *reliquiæ reportentur :* deinde vero cantetur Antiphona *Confirma hoc, Deus*, cum versiculo : « Narrabo nomen tuum fratribus» » meis etc., » eisque finitis dicatur ab Episcopo Oratio : *Deus qui Ecclesiam tuam sanctam, etc.* Ex Pontificali denique Sancti-Victoris, annorum circiter sexcentorum, post Orationem « Deus, qui » in sanctis habitans, etc., » quam in Commentario præcedenti descripsimus, elevata manu Pontifex benedicebat sanctam ecclesiam, vel sanctum cœmeterium sub ea verborum formula : « Benedictio Dei Patris omnipotentis ingeniti, » Filii Jesu Christi unigeniti, nec non sancti Spi- » ritus paracliti, ab utroque procedentis, maneat » jugiter super ecclesiam istam, vel super ci- » miterium, in sæcula sæculorum. Amen. » Deinde reportabantur reliquiæ ad ecclesiam psallendo : Sanctum est verum lumen, etc., » sequebaturque Oratio : *Deus qui Ecclesiam tuam sanctam de omnibus mundi finibus congregatam, etc.*

III. In hac Oratione animadvertendum est Ecclesiam de latere Jesu Christi fluxisse dici quidem a sacris theologis passim, non proprie, sed symbolice ac meritorie. Symbolice quidem, quia ex latere Christi fluxerunt aqua et sanguis, quæ erant signa vel symbola significantia Baptismum et Eucharistiam, præcipua Ecclesiæ sacramenta. Meritorie vero, quia sacramenta Baptismi et Eucharistiæ omnem vim suam habent ex merito passionis et mortis Christi. Ita S. Cyrillus, Alexandrinus episcopus, lib. XII *In Joannem*, cap. XIX ; S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* LXXXIV *in Joannem*, et alii bene multi expositores atque theologi, inter quos Martinus Becanus in *Manuali controversiarum*, lib. I, cap. IV, hac distinctione refellit Marcum Antonium de Dominis, temere contendentem Christum Dominum post passionem suam fundasse Ecclesiam, quia scilicet passim a theologis dicitur Ecclesiam de latere Christi fluxisse.

IV. At vero, ut omnem de hac re tollamus scrupulum, constat luculentissime Christum in hac vita existentem fundasse Ecclesiam suam, eamdemque post Christi ascensionem fuisse ab Apostolis propagatam. Nam 1° Christus in hac vita Ministros Ecclesiæ instituit, duodecim

Digitized by Google

nempe Apostolos, et septuaginta duos discipulos, quorum hi Presbyteri fuerunt; 2° in hac vita nova Sacramenta instituit; 3° instituit novum Sacerdotium et Sacrificium; 4° novas leges Evangelicas condidit; 5° condidit novum Testamentum, cujus ipse mediator est; 6° hæc omnia perfecit et confirmavit per mortem in cruce, cum dixit: *Consummatum est.*

§ XII.

Tum Pontifex benedicit populo solemniter, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Deinde, si velit, parat se ad Missam; sed si celebrare noluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter Missam celebrari.

COMMENTARIUS.

Nulla de hac benedictione solemniter populo impertienda in Ordine antiquo Romano mentio, et in multis aliis Pontificalibus libris, excepto Moguntino, in quo finita Oratione de qua in § præcedenti dictum est, jubetur Episcopo ut tunc det benedictionem suam super populum dicens : « Sit nomen Domini, etc. Be» nedicat nos divina Majestas, una Deitas, Pa» ter✠, et Filius✠, et Spiritus sanctus. Amen. » Quod post ecclesiæ reconciliationem vel cœmeterii ad celebrationem Missæ attinet, hoc unum dico, in multis fieri ritus mentionem, in aliis etiam Pontificalibus desiderari; quæ autem olim Missa diceretur, in sequenti Commentario explicabimus.

§ XIII.

Missa dicitur de die, et cum Oratione diei dicitur sequens Collecta sub uno *Per Dominum.*

ORATIO.

Deus, qui dixisti : Domus mea domus orationis vocabitur, domum istam infidelium spurcitiis contaminatam mundare et sanctificare digneris; et omnium preces et vota hoc in loco ad te clamantium clementer exaudias, et benignus suscipias. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

SECRETA.

Hæc Hostia, quæsumus, Domine, et locum istum ab omnibus immunditiis expurget, et supplicationes nostras semper et ubique reddat tibi acceptas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

POSTCOMMUNIO.

Percipientes, Domine, munera salutis æternæ, supplices exoramus ut templum hoc et cœmeterium ab infidelium inquinamentis emundatum, benedictione tua maneat sanctificatum; et pectora nostra ab omni sordium vitiorum alienata, tibique devota semper existant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Missam peculiarem in reconciliatione ecclesiæ fuisse celebratam, constat quidem ex manuscripto Pontificali Sancti-Victoris, annorum circiter sexcentorum, ex Vaticano Gulielmi Durandi, annorum circiter quingentorum, et ex editis ante Clementem VIII Pontificalibus. Qualis ea fuerit, vide in Appendice Pontificalem laudati Durandi Ordinem. In manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, ante annos nongentos scripto, exstat quidem Missa in reconciliatione ecclesiæ, nulla tamen facta Introitus, Epistolæ, Evangelii, aliarumque Missæ partium mentione; prima ergo hæc est Oratio : « Deus, qui dixisti : Domus mea domus » orationis vocabitur, domum istam gentium » spurcitiis contaminatam mundare et sanctifi- » care digneris, ut omnium preces et vota hoc » in loco ad te clamantium clementer exaudias, » et benignus suscipias. Per. » Altera, quæ super oblata dicitur, ita habet : « Hæc hostia, » quæsumus, Domine, et locum istum ab im- » munditiis nationum expurget, et supplicatio- » nes hic et ubique tibi reddat acceptas. Per. » Tertia demum, quæ appellatur Postcommunio, est hujusmodi : *Percipientes, Domine, munera salutis æternæ, etc.*, ut in hoc nostro §.

II. Est et in eodem pervetusto Pontificali post recitatam Orationem Benedictio quæ in reconciliatione ecclesiæ, ubi sanguis effusus vel homicidium perpetratum fuerat, dicebatur hunc in modum : « Omnipotens Deus universa a vobis » et ab hoc templo vel domo adversa excludat, » ac sua super vos benedictionis dona propi- » tiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat » sacris intenta doctrinis, quo possint repleri » beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus exe- » quenda intelligentes et intellecta exequentes, » inter adversa mundi inveniamini incolumes, » et beatorum spirituum efficiamini cohæredes. » Quod ipse. Amen. »

APPENDIX

In qua duo Ordines referuntur ad reconciliandum ecclesiam et cœmeterium simul.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Vaticana bibliotheca asservatur, num. 4744.

De ecclesiæ violatæ et cymiterii violati reconciliatione Rubrica.

Ecclesiæ ac cymiterii violatorum reconciliatio omni die fieri potest. Et est notandum quod ubi est cum ecclesia cymiterium consecrata conjunctim, dicunt quidam quod una et eadem est consecratio cymiterii. Nam circuitus extra ecclesiam, et aspersiones cymiterii, quæ fiunt in consecratione ecclesiæ, loco cymiterii benedictionis habentur, nec alia ejus benedictio est necessaria; sicut in tractatu præcedenti dictum est. Unde cum una eadem utriusque sit consecratio et communitas, altero eorum violato vel polluto, utrumque exacratum, prophanatum, pollutum vel violatum esse censentur : quia unitas divisionem non capit. Ideoque una et eadem esse debet forma reconciliationis utriusque, quoniam par est jus ligandi et solvendi, et unumquodque eo genere solvi debet quo ligatum est. Idemque dicendum est in ecclesia non consecrata, cum ejus et cymiterii cohærentis una eademque immunitas habeatur. In plerisque locis usus interpretatur, ut ecclesia violata vel polluta, cymiterium violatum vel pollutum esse juxta præmissa intelligatur. Sed non æquum est, cum ecclesia et ejus consecratio dignior sit et principalis. Alicubi vero ecclesia violata vel polluta, cymiterium violatum vel pollutum minime reputatur. In quibus casibus ecclesia reconcilianda sit, in *Rationali divinorum Officiorum*, diximus in prima parte sub

Digitized by Google

titulo *De ecclesiæ dedicatione.* In reconciliatione itaque ecclesiæ simul et cymiterii, et etiam in reconciliatione ecclesiæ per se tantum, hoc salvo, quod tunc Oratio illa, « Domine pie, etc., » et in Letania de cymiterio tacetur, isto modo proceditur. Paratis namque ad hoc quæ necessaria sunt, videlicet parato faldistorio super tapetum in medio cymiterii, et altari nudato, paratis etiam duobus vasis cum aqua, uno ibi et alio infra ecclesiam in presbyterio, proviso etiam quod ecclesia possit libere circuiri; paratis etiam vino, sale et cinere, Pontifex ornatus admictu, alba, stola, pluviali, mitra alba simplici, et cambucha sine manipulo, constitutus ante paratum faldistorium, respiciens Orientem, benedicit ibi aquam simplicem cum sale, prout fit in Dominicis diebus. Require super sub *dedicatione ecclesiæ* ad cartas XXXII. Aqua igitur benedicta, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam « Asperges me, etc. » Require ibidem. Psalmus « Miserere mei, Deus, » totus dicatur sine « Gloria Patri. » Et tota Antiphona repetitur. Interim autem dum Antiphona et Psalmus dicuntur, aspergit cum aqua ipsa in circuitu deforis ecclesiam et totum cymiterium, et specialiter loca contaminata, quando cymiterium est principaliter violatum, seu pollutum. Quo facto, rediens ad locum ubi aquam benedixit, dicit ibi : « Oremus. » Oratio : « Omnipotens et misericors Deus qui Sacerdotibus, etc. » Require sub *dedicatione ecclesiæ* ad cartas XXXII. Qua Oratione finita, dicit iterum ibidem : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio : « Domine pie, Jesu Christe, qui agrum » figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, etc. »

Postea Cantor incipit Letaniam, et Pontifex ingreditur ecclesiam cum Clero cantando eam, et coram altari super faldistorium ibi paratum accumbit. Cumque Cantor dixit : « Ut obsequium servitutis nostræ, etc., » et sibi idem a Choro responsum fuerit, tunc Episcopus se erigens, ter super ecclesiam et altare signum crucis communiter producens, baculum Pastoralem in sinistra tenendo, dicit : « Ut hanc ecclesiam » et altare hoc purgare et reconci ✠ liare digneris. Te rogamus. » Secundo dicit : « Ut » hanc ecclesiam et altare hoc ac cymiterium » purgare, recon ✠ ciliare et san ✠ ctificare » digneris. Te rogamus (*a*). » Quibus dictis, et ad singula a Choro responso, iterum super faldistorium accumbit, Cantore Letaniam resumente et prosequente. Qua finita, Pontifex surgens dicit : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. Deus, qui peccati » veteris hæreditariam mortem, etc. »

Subsequenter Episcopus benedicit in presbyterio aliam aquam, cum sale, cinere et vino, commiscens omnia simul. Incipiens, et dicens ter « Deus, in adjutorium meum intende, » prout habetur superius in tractatu *De ecclesiæ dedicatione*, in secunda aquæ benedictione : totum continetur usque ad Præphationem illam, *Sanctificare per verbum, etc.*, quæ hic non dicitur. Aqua igitur taliter benedicta, Episcopus inchoat, Scola prosequente, Antiphonam : « Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et » fugiant qui oderunt eum a facie ejus. » Psalmus : « In ecclesiis benedicite Deo Domino, de » fontibus Israel, » totus dicatur usque in finem ipsius Psalmi, sine « Gloria Patri; » et Antiphona repetatur post Psalmum. Dum autem Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex circuit ter ecclesiam intrinsecus, aspergendo parietes in primo et secundo circuitu, in tertio vero aspergit pavimentum, et specialiter loca contaminata, quando ecclesia principaliter est polluta vel violata. Et si necesse fuerit, præmissa Antiphona ad singulos versus repetatur. Quo sic facto, stans in presbyterio dicit coram altare : « Oremus; » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio : « Deum indultorem criminum, Deum » sordium mundatorem, Deum qui cunctis (*b*) » peccatis originalibus mundum adventus sui » nitore purificavit, Fratres charissimi, supplices » deprecemur, ut contra dyaboli furentis insidias » fortis nobis propugnator assistat; ut quicquid » ejus virosa calliditate cotidianis insectationibus maculatum in loco ipso, corruptumque » fuerit, efficiatur cœlesti miseratione purgatum, » atque in priorem statum in integrum restitutum quod fuerat dyabolica fraude pollutum; » quia sicut illius est solidum perfectumque (*c*) » cessare, ita Auctoris et Creatoris nostri est

(*a*) Deest tertia petitio, seu rogatio, fortasse ob oscitantiam scriptoris, *Ut hanc ecclesiam et altare hoc ac cymiterium purgare, recon✠ciliare, sancti✠ficare et conse✠crare digneris, Te rogamus, audi nos.*

(*b*) Legendum *qui corruptum.* — (*c*) Legendum *quassare.*

Digitized by Google

» lapsa restituere, nutantia stabilire, et corrupta » purgare. Cujus Majestatem deprecemur, ut » hoc, *vel* hæc ecclesia, fiat ab omnium pollu- » tione purgatum, *vel* purgata, sanctificatum, » *vel* sanctificata, atque in pristinum statum re- » stitutum, *vel* restituta, reconciliatum, *vel* re- » conciliata, et sacratum, *vel* sacrata. Qui cum » Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat » Deus, etc. »

Deinde junctis manibus ante pectus mediocri voce cantat : « Per omnia secula seculorum. » Amen : Dominus vobiscum. Et cum spiritu » tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. » Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum » et justum est. Vere dignum et justum est, » æquum et salutare, nos tibi semper et ubique » gratias agere, Domine sancte, Pater omni- » potens, æterne Deus, cujus immensa boni- » tas, ut non habuit principium, ita nec ter- » minum habet. Qui divina naturalique pie- » tate, etc. »

Post hæc ascendit ad altare, inchoans Antiphonam « Introibo ad altare Dei. » Require superius sub *ecclesiæ dedicatione*. Psalmus, « Judica me, Deus, » totus dicatur sine « Gloria » Patri, etc. » Quo dicto, et Antiphona repetita, dicit : « Oremus; » et Dyaconus dicit : « Flectamus genua. Levate. » Oratio. « Deus, » qui in omni loco dominationis tuæ, etc. »

Deinde Dyaconus incipit Antiphonam « Con- » firma hoc, Deus. » Psalmus : « Exurgat » Deus. » Require superius sub *consecratione altaris*. Postea Pontifex dicit. « Oremus. » Oratio : « Deus qui Ecclesiam tuam de mun- » di finibus congregatam per tui lateris ad- » mirabile sacramentum, cunctarum gentium » matrem esse dixisti, quam etiam populo- » rum varietate depictam, sanctorum tuorum » Martyrum meritis decorasti, purificare et » reconciliare digneris hanc orationis domum, » et renova in ea tuæ sanctificationis gratiam, » et divini tui muneris impartiri largitatem. » Te etiam quæsumus, Domine, ut omnium » Sanctorum tuorum opitulante suffragio, hoc » mundare et purificare digneris altare, quod » eorum exornatur, te jubente, reliquiis, et » pia super illud offerentium vota suscipias, » atque fideliter hic postulatam tuæ miseratio- » nis habundantiam largiaris. Qui vivis, etc. »

Præmissis omnibus expletis, Pontifex paret se, si velit, ad celebrandam Missam.

Introytus : « Cum sanctificatus fuero in vobis, » congregabo vos de universis terris, et effun- » dam super vos aquam mundam, et munda- » bimini ab omnibus inquinamentis vestris ; » et dabo vobis spiritum novum. » Psalmus. « Benedicam Dominum in omni tempore, sem- » per laus ejus in ore meo. Gloria, etc. » Quidam dicunt Psalmum : « Et faciam ut in præ- » ceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis. » Gloria Patri. » Require feria IV post *Lætare Jerusalem*.

Collecta : « Deus qui dixisti : Domus mea » domus orationis est, etc., qui vivis et re- » gnas, etc. »

Epistola. Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli : « In diebus illis. Venit Angelus » Domini, et locutus est mecum dicens : Veni, » ostendam tibi uxorem sponsam Agni ; et sub- » stulit me in spiritu in montem magnum et » altum, etc., » usque ad ea verba : « Nisi qui » scripti sunt in libro vitæ et Agni. »

Graduale : « Locus iste sanctus. ℣. Deus cui » adstat Angelorum chorus, etc. Alleluia. » ℣. Adorabo ad templum. »

Evangelium : « Egressus Jesus perambulabat » Yerico, etc. »

Offertorium : « Deus in simplicitate. » Require omnia ista præmissa sub festo Dedicatio nis Ecclesiæ.

Secreta : « Hæc hostia, quæsumus, Do- » mine, etc. »

Postcommunio : « Domus mea. » Require ibidem.

Postcommunio : « Percipientes, quæsumus, » Domine, munera salutis æternæ, supplices » exoramus, etc. »

ORDO II,

In quo ex *Euchologio* apud virum clarissimum Jacobum Goar, pag. 495, describitur Oratio in aperiendo (*a*) sive

(*a*) Templa in quibus sacra facere licet, *aperiri;* in quibus autem nefas est, *claudi*, apud Græcos æque ac Latinos scriptores dicuntur. Nicephorus, lib. VII *Historiæ*, cap. XXXIX, refert Joviniani edicto ecclesias Dei rursum apertas, Græcorum autem, id est idololatrarum, templa clausa. S. Gregorius, lib. III *Dialogorum*, cap. III, de quadam Arianorum ecclesia, de qua nos alibi locuti fuimus, hæc habet : « Arianorum ecclesia in regione Urbis

Digitized by Google

reconciliando templo a gentibus et ab hæreticis prophanato.

MONITUM.

Hæreticorum atque infidelium quacumque injuria et insolentia apud Latinos sacra templa non prophanari, seu violari, jam alibi observatum fuit, quia scilicet Jure Canonico in cap. *Proposuisti*, *De consecratione ecclesiæ vel altaris*, cautum est propter solam eorum sepulturam reconcilianda illa esse. Tollendo nihilominus horrori in mente relicto ex pravis hæreticorum ausis, jam olim utraque Ecclesia, Latina pariter et Græca, preces adhibere consuevit. Legimus siquidem apud Gratianum, can. XXIII *De consecratione*, distinctione I, quod « Agapitus Papa, » qui sexto sæculo floruit, « altaris, sedisque velamina sacrilegis Anthemii » infecta fabulis, suis catholicis precibus dele» vit; » id est expurgavit. Ut autem aliquod de Græca Ecclesia exemplum afferamus, exstat in *Euchologio* Oratio (*a*) Tarasii, patriarchæ Constantinopolitani, in apertione seu reconciliatione ecclesiæ ab hæreticis profanatæ. Porro is Tarasius in locum Pauli patriarchæ seipsum Præsulatu abdicantis Constantinopoli suffectus, temporibus Constantini et Irenes floruit, seculo scilicet Christi VIII, obiitque anno 806 sanctitate et doctrina conspicuus, ejusque festum agit Ecclesia Græca die 25 februarii. His notatis, Oratio in reconciliando templo a gentibus et ab hæreticis prophanato hæc est :

« Domine Deus noster, qui per adventum » vivifici tui Spiritus, et pretiosam unctionem » Prophetas et Apostolos sanctificantem, tem» plum hoc in habitaculum tuum elegisti, de» inde propter peccata nostra illud prophanari, » et immaculatum altare tuum ab impiis gen» tibus, quibus celebrandum et magnificum » gloriæ tuæ nomen non est agnitum, pollui » permisisti : ipse rursus benigno vultu susci» piens nos sincera fide ad te accedentes, et cum » agnitione et pœnitentia peccata nostra confi» tentes, et puras incruentasque hostias in eo » offerre cupientes, a relicta ei labe absterge » illud et expurga, priorique illud puritate re» pletum ostende, ut qui solus ipse sanctitas et » substantialis puritas existis, ipse quoque solus » corde ad te conversos sanctificare, et a con» scientia prava omnique dubio et hæsitatione » nos eximere vales. Quia tu es sanctificatio no» stra, et tibi gloriam referimus, Patri et Filio. »

Dicitur autem hæc Oratio etiam in reconciliatione templi ab hæreticis prophanati ; et a Pontifice paululum verba immutantur, et a dictione (*ab altare*) dicitur hoc pacto : « A conturban» tibus et dividentibus Ecclesiam per abroga» tionem et contumeliam intemeratorum Evan» geliorum, et Apostolicarum, et Paternarum, » et Canonicarum traditionum. » Adjungit consequenter, ut supra ab his verbis : *Ipse rursus benigno vultu, etc.*

Altera Oratio dicenda a Pontifice super sancta mensa in qua hæretici celebrarunt :

« Pax omnibus. Dominum precemur. »

« Domine Deus noster, qui nos vivifici Spiri» tus virtute et operatione in ministerio isto » statuisti ; complaceat tibi, Domine, novi tui » Testamenti, sanctorumque tuorum Mysterio» rum ministros fieri : ad sanctum tuum altare » sanctamque tuam mensam accedentes, secun» dum misericordiæ tuæ multitudinem nos sus» cipe : ut rationabilem hunc cultum super » hac sancta tua mensa pro peccatis nostris et » populi ignorantiis offerre digni simus : et ad » nos sanctissimi tui Spiritus gratiam vicissim » mitte. » Exclamatio : « Quia benedictum est » nomen Patris et Filii, etc. »

» illa quæ Suburra dicitur, cum clausa usque ad biennium permansisset, etc. » Sane constat variam fuisse in ea re disciplinam. Legimus siquidem apud Socratem, lib. VII, cap. XXIX, non apertam expiatamve a Catholicis, sed subversam fuisse Constantinopoli Arianorum ecclesiam.

(*a*) Formula Orationis a Tarasio concinnata in apertione seu reconciliatione ecclesiæ ab hæreticis profanatæ hæc est : « Dominum precemur. Dominator Domine Deus noster, te super peccatis nostris propitium et clementem » rogamus, exaudi servorum tuorum preces : et si quæ ex hæretico ausu vel attactu inflicta est sancto altari tuo » labes, ut bonus et humanus eam dele. Ut coram sancta gloria tua inculpate astantes, in illo sacrificare et in» cruentas hostias veri nostri cultus, æterna bona diligentibus te præparata consequuturi, offerre mereamur. Quia » tu es sanctificatio nostra, tibi gloriam rependimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et semper, et in secula » seculorum. Amen. »

Digitized by Google

TITULUS VIII.

DE RECONCILIATIONE CŒMETERII SINE ECCLESIÆ RECONCILIATIONE.

I. Cœmeterium est locus consecratus ecclesiæ contiguus, vel ab illa separatus, de cujus antiquitate et consecratione fuse disseruimus supra ad titulum VI, ubi de cœmeterii benedictione egimus. In præsenti illud est primo notandum, polluta ecclesia pollutum censeri et cœmeterium; non vero cœmeterio violato violatam censeri ecclesiam, ex dispositione Bonifacii VIII, in cap. unico, *De consecratione Ecclesiæ* in VI. Cui quidem egregia ratio suffragatur, tum quia, juxta regulam juris, *accessorium sequitur naturam sui principalis*; tum etiam, quia, ut communiter doctores tradunt, *dignius et potentius trahit ad se naturam minus digni, sive minus potentis.*

II. Hinc sequitur quod si cœmeterium ecclesiæ contiguum non est, tunc polluta ecclesia, illud minime pollutum censetur, quia nimirum accessorium ecclesiæ tunc non est nec esse censetur, uti perspicue habetur in dicto cap. unico, et docent doctores ibidem, et alii passim apud Augustinum Barbosam, parte II *De officio et potestate Episcopi*, allegatione XXVII, num. XXXIII; ubi etiam ex ipsis doctoribus resolvit quod si duo cœmeteria sint contigua, interveniente tamen pariete, cum censeantur duo, uno violato aut polluto, non perinde aliud est pollutum, etiamsi porta esset in pariete, per quam ab uno ad aliud transitus fiat.

III. Docent præterea nonnulli, si in porta per quam ab uno cœmeterio ad aliud fit transitus, fuerit humani sanguinis vel seminis injuriosa effusio facta, utrumque pollutum esse, si porta in pariete exstructa, gratia utriusque facta videretur. Sed ultra distinctionem hanc, quam quidam afferunt, respondent alii apud laudatum Barbosam quod si paries communis, in quo est porta, æqualiter in solo utriusque cœmeterii exstructus est, ita ut dimidia pars pertineat ad unum cœmeterium, alia vero dimidia ad aliud, tunc si pollutio in una parte contingat, illud tantum cœmeterium erit violatum; si autem in utraque parte fiat, utrumque polluitur : si vero paries et porta ad unum solum cœmeterium, non ad aliud spectant, tunc illud solum cœmeterium violatur. Cæterum si cœmeterium ab Episcopo benedictum non sit ecclesiæ contiguum, polluta ecclesia cui illud est proximum, illud minime violatur, nec reconciliatione indiget. Si autem cœmeterium ipsum polluitur, tunc solum ipsum reconciliatur; unde non immerito præsens hic ponitur titulus *De reconciliatione cœmeterii sine ecclesiæ reconciliatione.* Qui titulus sub aliis quidem verbis exstat in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, ejusque ritus distinctionis alii etiam libri Pontificales meminere.

§ I.

Quando cœmeterium benedictum violatum seu pollutum separatum est ab ecclesia, et propterea ipsa non habetur pro violata vel polluta, reconciliatio cœmeterii fieri poterit quocumque die, hoc ordine. In mane diei qua reconciliatio fieri debebit, parantur in medio cœmeterii faldistorium pro Pontifice, et vas aquæ mundæ benedicendæ, et vas salis; deinde hora convenienti Pontifex indutus in sacristia aut alio convenienti loco amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, baculum Pastoralem in manu tenens, accedit ad medium cœmeterii, ubi supra faldistorium ornatum procumbit; et Cantores ibidem incipiunt et prosequuntur Litanias, in quibus cum dictum fuerit, *Ut omnibus fideli-*

Digitized by Google

bus, etc. ℟. *Te rogamus, audi nos,* Pontifex surgit cum mitra, et baculum Pastoralem in manu sinistra tenens, producit signum crucis super cœmeterium, dicens : *Ut hoc cœmeterium reconci✠liare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hoc cœmeterium reconci✠liare et sancti✠ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tertio dicit : *Ut hoc cœmeterium recon✠ciliare, sancti✠ficare et conse✠crare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Quibus dictis, Pontifex iterum super faldistorium procumbit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgit Pontifex ab accubitu, et benedicit ibi sal et aquam simpliciter, prout habetur supra pag. 25, in benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda.

§ II.

Quo facto, Pontifex, in eodem loco stans sine mitra, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VII : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus L : *Miserere mei, Deus;* et dicitur totus sine *Gloria Patri.* Incœpta Antiphona, Pontifex mitram accipit; et dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, circuit totum cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens semper et ubique aquam benedictam cum aspersorio, et potissime in loco ubi pollutio vel violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum ubi Litaniæ dictæ fuerunt. Finito Psalmo prædicto, et cœmeterio undique asperso, Pontifex stans ante faldistorium suum, deposita mitra, dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate. Domine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, etc.*, ut supra, pagina 333. His dictis, Pontifex stans in loco prædicto dat benedictionem solemnem populo dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Tum redit ad sacristiam, aut alium locum in quo paramenta accepit, ubi depositis sacris vestibus vadit in pace.

COMMENTARIUS.

Nihil in hisce duobus §§ continetur, quod in præcedenti titulo VII dictum non fuerit, ubi agitur de consecratione ecclesiæ et cœmeterii simul, cum nempe ambo violata aut polluta sunt, juxta explicationem in superioribus Commentariis traditam. In antiquis manuscriptis Pontificalibus nulla de hoc præsenti peculiari titulo habetur mentio. In manuscripto quidem Pontificali Gulielmi Durandi, quod asservatur in celeberrima Vaticana bibliotheca, post Rubricam *De ecclesiæ violatæ et cymiterii violati reconciliatione*, hæc statim alia Rubrica sequitur : *De cymiterii per se sine ecclesiæ violatæ reconciliatione;* ut in Appendice videre est, eosdemque continet prorsus ritus qui in duobus nostris hisce §§ descripti sunt.

Digitized by Google

APPENDIX

IN QUA MANUSCRIPTUS ORDO REFERTUR EX PONTIFICALI GULIELMI DURANDI.

De cymiterii per se sine ecclesiæ violatæ reconciliatione Rubrica.

Si vero cymiterium benedictum violatum seu pollutum separatum sit ab ecclesia, vel etiam cohereat ecclesiæ, tum de alicujus loci consuetudine, quæ est optima juris interpres, violato vel polluto, ecclesia ipsa non habetur pro polluta vel violata. Forma reconciliationis ejus per se sine ecclesiæ reconciliatione erit hæc. Pontifex indutus, etc., ut superius, in medio cymiterii super faldistorium ornatum accumbit; et Cantores ibi incipiunt et prosecuntur Letaniam, sub forma præmissa, hoc salvo, quod ubi dicitur ibi, *Ut hanc ecclesiam reconciliare, etc.*, dicatur hic, *Ut hoc cymiterium reconciliare, etc.* Letania finita, surgens Episcopus ab accubitu, benedicit ibi aquam simpliciter, prout fit in Dominicis diebus, prout præmissum est. Quo facto, inchoat, Scola prosequente, Antiphonam « Asperges me, Domine. » Psalmus « Miserere » mei, Deus » totus dicatur. Et dum Antiphona et Psalmus dicuntur, circuit totum cymiterium, incipiens ab oriente, procedens versus austrum sive meridiem, spargendo semper et ubique aquam benedictam cum aspersorio et potissime in loco ubi pollutio vel violatio contigit. Quo peracto, redit ad locum ubi Letania dicta fuit, dicens : « Oremus. » Oratio : « Omnipotens et » misericors Deus, qui Sacerdotibus. » Require superius sub *ecclesiæ dedicatione.* Qua finita, dicit iterum ibidem : « Oremus, » et Dyaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio : (a) « Domine pie Jesu Christe, qui agrum pretio » sanguinis tui in sepulturam peregrinorum » comparari voluisti, etc. » Ultimo vero dat benedictionem, dicens : « Sit nomen Domini be- » nedictum, etc., » et recedit.

TITULUS IX.

DE PATENÆ ET CALICIS CONSECRATIONE.

I. Antequam de ritu dicamus consecrandi patenam et calicem, a nostro non alienum instituto putamus, nonnulla de utriusque antiquitate, materia ac forma præmittere. Et quidem quod calicis originem spectat, scite docet eruditissimus scriptor Joannes S. R. E. cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, neminem qui Evangelio credat ambigere posse Redemptorem nostrum in ultima cœna, postquam tradidit discipulis suis sub specie panis corpus suum, accepisse calicem et dedisse illis, ac dixisse ut omnes ex eo biberent sanguinem suum, qui mox pro illis et pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Hoc testatur Apostolus in Epistola I ad Corinthios, c. III, dicens se accepisse a Domino, et fidelibus tradidisse, *quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit :* Accipite, et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. *Similiter, et calicem postquam cœnavit, dicens :* Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, etc.

II. Hinc recte observat laudatus auctor fe-

(a) In margine eodem charactere statim legitur, « Aufer a nobis, Domine, etc., » ut superius. Et iterum dicit ibidem : « Oremus ; » Et Diaconus : « Flectamus genua. Levate. » Oratio.

Digitized by Google

riam v Majoris hebdomadæ, in qua hujus Sacrificii institutio recolitur, *natalem calicis* ab antiquis Patribus vocari, quia tunc calix a profano usu ad sacrum, Christo auctore, translatus est; probatque præclarissimo Eligii Noviomensis episcopi testimonio, *Homilia* x *in Cœna Domini,* ubi ita ait : « Vocatur hæc dies Cœna Do» mini, vocatur et natalis calicis, quia hac ea» demque die mysticum Pascha Dominus cum » discipulis celebrans, sacramenta Corporis et » Sanguinis sui illis, atque per illos nobis, tra» didit, et ipse celebrationis initium fecit. » A Christo igitur initium calicis habemus, quem ab Apostolis et deinceps a Patribus adhibitum fuisse, extra controversiam est, cum Sacrum celebrari sine ipso non possit, illiusque mentionem tum Apostoli tum Patres præclarissimam faciant : « Inde mos inolevit, » ait Paschasius in libro *De Corpore et Sanguine Damini,* capite x, « quod sanguis Christi nunquam in » cratera, nunquam in catino vel alio vase, » quam in calice consecratur. »

III. Quod Apostoli sacrum calicem adhibuerint, testatur quidem Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. x, ubi ita ait : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Numerus singularis, quo hic utitur Paulus, unicum adhibitum fuisse tunc temporis calicem significat, ex quo tum Sacerdos, tum populus Dominicum Sanguinem haurirent. Non multo post Apostolorum ætatem plures calices fuisse adhibitos, ut ingens populorum multitudo sub vini specie, ut moris erat, communicaret, docent nos antiqui rerum Liturgicarum scriptores, qui etiam illos *calices ministeriales* appellant, erantque majores calices vino pleni, in quo refundebat Archidiaconus guttulam Sanguinis Christi de calice sancto, quo populus *confirmaretur,* id est communicaretur de Sanguine Dominico, seu *complementum acciperet communionis,* ut *Micrologus* loquitur, cap. XIX. Ordo Romanus de ea re sic habet : « Ipse Pontifex confirmatur ab » Archidiacono in calice sancto, de quo parum » refundit Archidiaconus in majorem calicem, » sive in scyphum quem tenet Acolythus, ut ex » eodem sacro vase confirmetur populus; quia » vinum etiam non consecratum, sed Sanguine » Domini commixtum sanctificatur per omnem » modum. » Quem quidem morem effundendi parum Sanguinis in calicem majorem vino repletum attigisse videtur S. Remigius, archiepiscopus Remensis, apud Hincmarum in illius Vita, in iis versibus quos in hujusmodi calice ministeriali, quem ipse Remigius a se prius consecratum Remensi suæ Ecclesiæ obtulit, insculpi ipse curavit :

Hauriat hinc populus vitam de Sanguine sacro
Injecto æternus, quem fudit vulnere Christus,
Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Addit Hincmarus in ipsa Vita, quam legere est apud Surium, die 13 januarii, ipsum calicem ad sua tempora perdurasse; « donec fusum da» tum est in redemptionem Christianorum, ut » a ministris diaboli Normannis redimeret pre» tium argentei calicis, quos de potestate tene» brarum redemerat effusus Sanguis calicis, » Christi videlicet passionis. » Alludit ad id quod in simili occasione scribit S. Ambrosius, lib. II *De Officiis,* cap. XXVIII : « Ut calix ab » hoste redimat, quos Sanguis a peccato re» demit. »

IV. Ex hujusmodi sacris calicibus priscis Ecclesiæ temporibus post acceptum divini Corporis sacramentum, sumebant quidem deinde fideles et Sanguinem : « Post communionem » Corporis Domini, » inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus antistes Catechesi v, « accede ad » calicem Sanguinis illius : » cum eoque postea, ut idem S. Pater testatur, oculos æque ac frontem, et cætera sensuum organa consecrabant : « Et cum adhuc est humiditas in labiis tuis, » manibus attingens, et oculos, et frontem, et » reliqua sensuum organa consecra. » Qui ritus Ecclesiæ Hierosolymitanæ acceptus videtur a sua metropoli, quæ tunc quidem temporis Antiochena Ecclesia erat : in ea enim degens adhuc Clericus S. Joannes Chrysostomus, *in secundam Pauli Epistolam ad Corinthios,* lib. XIII, describens Sacerdotem sacris operantem, ait « turbam illam circumfusam pretioso illo San» guine intingi et rubefieri. » Sed et dici etiam posset servatam fuisse jam olim hanc in Ecclesia Romana disciplinam, ad quam forte alludens sancta virgo et martyr Agnes dixisse fertur : « Sanguis ejus ornavit genas meas. » Ritus hujus vestigium adhuc exstare in multis nostræ Italiæ locis, testatur in suo *Hierolexico* Macrius, verbo *Hostia;* ubi docet in Melita et in multis Italiæ locis solitos esse « rusticos extendere pal-

Digitized by Google

» mam versus Hostiam elevatam, et tangere » postea proprios oculos. »

V. Notat varia ex iis quæ diximus Franciscus Berlendus, Ordinis Clericorum Regularium, in suo celeberrimo opere cui titulum inscripsit, *De oblationibus ad altare*, italice exarato, § IV, num. XVIII, pagina 89; ubi ad numerum XIX etiam docet de alio sacro calice sumpsisse Dominicum sanguinem populum, de alio principes; probatque auctoritate S. Gregorii Turonensis, qui lib. III suæ *Historiæ*, cap. XIII, ita inquit : « Erat consuetudo ut ad altarium ve» nientes de alio calice reges communicent, de » alio populus. » In sequentibus sæculis fieri cœperunt fistulæ, seu cannulæ aureæ argenteæve, quibus sanguis Dominicus e calice hauriebatur; earumque meminere ordines I, II ac VI, a Mabillonio relati, in Commentario ad ipsos Ordines in suo *Italico Musæo* descriptos; quibus adde testimonium Conradi Episcopi in suo *Moguntino Chronico*, ubi ita scribit : « Erant fistulæ quin» que ad communionem argenteæ deauratæ. » Vide de ipsa re plura apud Joannem cardinalem Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, num. IV, memoratum Franciscum Berlendum, Dominicum Georgium, *De Liturgia Romani Pontificis*, *Disquisitionum*, *De sacro ministerio*, cap. XVIII, et alios eruditos auctores. Hodie hunc ritum retinent nonnullæ celebriores Ecclesiæ, ut mediante fistula in sacra communione Christi Sanguis attrahatur. Romana quidem, dum summus Pontifex celebrat; ac etiam Cluniacensis ac Sandionysiana in Francia : Diaconus enim et Subdiaconus singulis Dominicis diebus, mediante fistula seu calamo, Sanguinem sumunt, teste eruditissimo Jacobo Lafon, Ordinis Prædicatorum, in sua doctrina morali, *De Sacramentis*, pag. 470 in fine.

VI. Hisce omissis, in Vitis Romanorum Pontificum apud Anastasium Bibliothecarium varii leguntur Romani Pontifices qui, ad usum sacræ communionis sub specie vini populo Christiano dispensandæ, varios variis temporibus calices ministeriales argenteos fecerunt, ecclesiisque Romanis donarunt. Verum praxis de qua agitur, a Gregorio tandem Papa III, circa annum 731, alicubi saltem abrogata est, dum ita in Epistola ad Bonifacium scribit : « In Missarum solemniis » observandum est quod Dominus noster Jesus » Christus sanctis suis tribuit discipulis; accepit » namque calicem, et dixit eis : *Hic est calix* » *novi Testamenti in meo sanguine*. Unde con» gruum non est duos vel tres calices in altari » ponere, cum Missarum solemnia celebrantur. » Unde colligere licet Sanguinem non fuisse sacratum in calicibus ministerialibus, sed in alio quodam, et ex illo deinde transfusum in ministeriales ad usum populi.

VII. Præter calices quibus Sacerdotes celebrabant, et calices illos quos vocant ministeriales, fuerunt olim et alii calices qui non ita usui erant ac ornatui : pro sacra nimirum pompa ad altare majus appendi et ostentari in solemnioribus festis solebant. Hujusmodi calices sunt, quos a Leone III confectos Anastasius Bibliothecarius in ipso Pontifice recenset : « Fecit in » basilica B. Pauli Apostoli calices majores fun» datos ex argento purissimo ex ipsius Apostoli » donis, qui pendent in arcu numero decem, et » alios qui pendent inter columnas majores dex» tra lævaque quadraginta pensantes simul li» bras CCLXVII. » Idem de Paschali I ait, quod « fecit calices majores ex argento pendentes » numero XLII, qui omnes simul pensant libras » CCLXXXI. » Sacra ista vasa aliaque cimelia festis diebus, ut idem scribit Anastasius in Leone IV, et Andreas Saussay, *Panopliæ Sacerdotalis* parte I, lib. VIII, cap. IX, « in circuitu » altaris majoris dependebant. »

VIII. Si autem, ut ex Anastasio constat, calices ad ministerii et ornatus ecclesiæ usum argentei erant, multo magis pretiosos illos fuisse calices puto, quos Episcopi in Sacrificio adhibebant. Qualis fuerit calix quo Christus primum usus est, cum in celebri illa cœna Eucharistiæ sacramentum instituit, non una est scriptorum sententia. Negant aliqui fuisse ipsum calicem pretiosum, quia scilicet S. Clemens Alexandrinus lib. II *Pædagogi*, cap. III, de celebrata a Christo cum discipulis suis cœna ita scribit : « Christus in vili catino cibum sumpsit, et fecit » discipulos super herbam accumbere, et pedes » eorum lavit linteo accinctus. Deus a fastu » alienus, et Dominus omnium, sane non ar» genteum lavacrum e cœlo deferens. » Ex quibus verbis colligunt, sicut cætera vasa cœnæ legalis, ita calicem cœnæ eucharisticæ ex vili ac nullius pretii materia fuisse conflatum. Clarius loquitur quidem pro hac opinione S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* LI *in Matthæum*, sic di-

Digitized by Google

cens : « Non erat illa mensa tunc ex argento, » nec aureus calix, ex quo Sanguinem proprium » Christus suis dedit discipulis : pretiosa tamen » erant illa omnia, et tremenda, quoniam erant » spiritu plena. »

IX. Alii, cum cardinale Baronio ad annum XXXIV, num. LXIII, constanter asserunt calicem quo usus est Christus Dominus, fuisse argenteum; probantque testimonio venerabilis Bedæ, sive auctoris libelli *De Locis sanctis*, cap. II, ubi diserte ait calicem ipsum sua ætate Hierosolymis asservatum, et venerationi fidelium expositum fuisse, argenteum : « In platea quæ Mar» tyrium et Golgotha continuat, exedra est in » qua calix Domini scriniolo reconditus per » operculi foramen tangi solet et osculari : qui » argenteus calix duas hinc et inde habens an» sulas, sextarii gallici mensuram capit, in quo » est et illa spongia Dominici potus ministra. » Hoc Bedæ testimonium, sive Adamnani abbatis, et probatur a Baronio, et videtur congruere cum Evangelio Marci, capite XIV, et Lucæ XXII, ubi ita legimus, Christum jussisse parari sibi Pascha in cœnaculo grandi strato : cui certe et supellectilia et vasa paria esse debuerunt, uti scite observat ac docet eruditissimus ac religiosissimus scriptor Antonius Sandini in *Historia Familiæ sacræ*, cap. XII, pagina 138.

X. De Apostolis, an in divino Sacrificio pretiosos calices adhibuerint, varia est etiam auctorum opinio. Joseph Vicecomes, lib. VI *De Missæ apparatu*, censet ligneos calices ab Apostolis fuisse adhibitos, quod nimirum, ut inquit, priores Christiani summa rerum penuria laborarent; additque, sæculis quæ Apostolorum ætatem proxime subsecuta sunt, Sacerdotes nonnunquam eis usos fuisse; quod quidem confirmat ex Concilii Triburiensis cap. XVIII, ubi hoc S. Bonifacii martyris responsum laudatur : « Vasa quibus sacrosancta conficiuntur my» steria, calices sunt et patenæ, de quibus Boni» facius, martyr et episcopus, interrogatus si » liceret in vasculis ligneis Sacramenta confi» cere, respondit : Quondam Sacerdotes aurei » ligneis calicibus utebantur, nunc e contra » lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. » Doctissimus cardinalis Bona contrariam amplectitur sententiam, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, contenditque verisimile esse Apostolos usos fuisse calicibus qui pretioso ex metallo constarent, quod ex fidelium nempe oblatis pretiosa vasa in usum tanti Sacrificii Apostoli comparare possent.

XI. Quidquid sit de Apostolis, illud omnino constat, primis quidem nostræ religionis sæculis, furente etiam in Christianos persecutione, fuisse Ecclesiis suos aureos, argenteos, gemmatos ac cælatos calices. Eleganter Prudentius, Hymno II *De coronis*, debacchantem tyrannum in hæc verba inducit adversus S. Laurentium :

> Hunc esse vestris Orgiis
> Moremque et artem proditum est.
> Hanc disciplinam fœderis,
> Litent ut auro Antistites,
> Argenteis scyphis ferunt
> Fumare sacrum Sanguinem.

In Actis proconsularibus, quæ a S. Augustino, *Contra Cresconiuum*, lib. III, cap. XXIX, describuntur, legitur impium quorumdam Clericorum factum, qui sacros codices et ecclesiæ supellectilia magistratui gentili ex iniquo Diocletiani edicto crediderunt, inter quæ etiam « duo calices » aurei et sex argentei » recensentur. Ex antiquis cryptis, in quibus olim fideles divina agebant, effodi consuevisse varia ministeria argentea, testatur in lib. *De Gloria Martyrum*, c. XXXVIII, S. Gregorius Turonensis; et de Felice, regii thesauri quæstore, misso a Juliano Apostata ad diripienda vasa ecclesiæ Antiochenæ, ita scribit in *Ecclesiastica Historia* Theodoretus, lib. III, cap. II : « Felix, sacrorum vasorum magnifi» centiam conspicatus : Ecce, inquit, quam » sumptuosis vasis Filio Mariæ ministretur. »

XII. Rursus inter alia accusationis capita Ibæ metropolitæ Edesseno, in actione X Synodi Chalcedonensis, profecto alterum fuit, quod « cali» cem gemmatum magni pretii oblatum *Edes*» *senæ* ecclesiæ a sancto viro inter vasa sanctæ » ecclesiæ non reposuit. » De Childeberto Francorum rege Hispanias expilante, ita scribit S. Gregorius Turonensis lib. III, cap. X : « Chil» debertus inter reliquos thesauros ministeria » ecclesiarum pretiosissima detulit. Nam sexa» ginta calices, quindecim patenas, viginti » Evangeliorum capsas detulit, omnia ex auro » puro et gemmis pretiosis ornata. Sed non » est passus ea confringi. Cuncta enim ecclesiis » et basilicis Sanctorum dispensavit ac tradi» dit. Non quod ea rapuerit, laudat; sed duntaxat, quod ipsa vasa aurea ac pretiosa, quibus

Digitized by Google

primis sæculis ecclesiæ abundabant, nec conflare præsumpserit, nec sibi ad proprios usus detinere.

XIII. Præclarissima testimonia, quibus fusiori calamo ostendi posset ecclesias, tum Orientis tum Occidentis, aureis argenteisque calicibus vel primis sæculis abundasse, apud scriptores Ecclesiasticos passim occurrunt; qui etiam nos docent fuisse in ecclesiis sacrorum vasorum custodem, sive cimeliarcham, ut patet ex gestis S. Laurentii, beati Euthymii abbatis, et aliorum. Constat ex Nicephoro fuisse ædiculam in ecclesia, in qua calices cum cæteris vasis sacris asservabantur. Narrat enim, lib. XXIII *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXI, quod S. Joanne Chrysostomo in exsilium relegato, divina vindicta templum Constantinopoli concrematum fuerit, excepta illa ædicula in qua ipsa divini Ministerii adminicula asservabantur.

XIV. At vero negari non potest, ipsis quoque primis Christianæ Religionis sæculis, adhibitos in sacro altari fuisse calices vitreos; ad eorumque usum alludere videtur Tertullianus, in lib. *De Pudicitia*, cap. VII, cum ita ait: « Procedant » ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis » perlucebit interpretatio pecudis illius; » ovis scilicet perditæ, et a Domino requisitæ, et humeris ejus revectæ. Vox *picturæ*, auctore erudito Lupo, tomo II, in dissertatione *De Latrocinio Ephesino*, pag. 36 editionis ultimæ, ostendit calices vitreos fuisse; atque hinc ait pergere Tertullianum, cap. X: « At ego Pastoris ejus picturam haurio, qui non potest frangi. » Innuere hic ait Lupus Tertullianum, pictum in Romanæ Ecclesiæ calicibus Pastorem fuisse fragilem, quia nempe in vitro. Porro non est contemnenda Joannis Bona cardinalis sententia, qui ait nihil in laudatis locis de materia calicis exprimere Tertullianum, sed tantum de sola pictura loquitur, quæ non solum vitreis, sed etiam argenteis calicibus convenire postest.

XV. Affert et alia memoratus auctor in suæ opinionis comprobationem; fatetur nihilominus Apostolicis temporibus fuisse alicubi in usu calices vitreos. Certe de pervetusto, ævoque Apostolorum vicino hæretico et mago Marco ita scribit S. Irenæus, lib. I, cap. IX: « Pro calice vino mixto fingens se gratias agere, et » in multum extendens sermonem invocationis, » purpureum et rubrum apparere facit, ut putetur ea gratia ab iis quæ sunt super omnia, » sanguinem suum stillare in illius calicem per » invocationem ejus, et valde concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, ut et in eos » stillet, quæ per magnum hunc vocatur gratia. » Ejusmodi calices fuisse ex vitro albo S. Epiphanius diserte testatur, *Hæresi* XXXIV, ut scilicet inde vini de albo in rubrum colorem transmutatio omnibus appareret. Ex quo vides Eucharisticæ transsubstantiationis fidem, quam suis miraculo evidentem volebat hæreticus iste, esse vetustissimam.

XVI. Quod sub eisdem temporibus, et post datam etiam Ecclesiæ pacem sanctissimi quidam Episcopi vitreos calices adhiberent, certo certius est. De S. Donato Aretino episcopo et martyre, scribit lib. I *Dialogorum*, cap. VII, S. Gregorius, quod calicem vitreum quo utebatur fractum a paganis orando instauravit: id quod etiam narrat Martyrologium Romanum ad diem VIII augusti. Sed et S. Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum laudat S. Exuperium, episcopum Tolosanum, quod « Corpus Domini » canistro vimineo sanguinem portaret in vitro. » Cæsareus quoque Arelatensis, ut narrat in ejus Vita Cyprianus ipsius discipulus, vitreo quidem calice usus est, cujus illa etiam verba referuntur: « An non in vitro habetur Sanguis » Christi? » Quia nimirum aurea et argentea vasa pro redimendis captivis distraxerat, juxta disciplinam frequentissime a sanctis Patribus usurpatam, quam egregie propugnans S. Ambrosius, lib. II *Officiorum*, cap. XXVIII, inter alia sic ait: « Aurum Sacramenta non quærunt, » neque auro placent quæ auro non emuntur. » Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum est. Et vere illa sunt vasa pretiosa quæ » redimunt animas a morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod Sanguis » ejus operatus est. Tunc vas Dominici Sanguinis agnosco, cum in utroque videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quem » Sanguis a peccato redimit. »

XVII. Auream de calicibus aureis doctrinam explicat inter alios Ecclesiæ Patres S. Joannes Chrysostomus, in *Homilia* LI *in Matthæum*, sic inquiens: « Non putemus satis esse nobis ad salutem, si cum viduas et orbos parentum spoliaveris, aureum calicem et gemmis ornatum » sacræ mensæ offeras. Vis hoc Sacrificium ho-

Digitized by Google

» norare? Animam tuam offeras, propter quam » Christus immolatus est, cum auream facias. » Non igitur laboremus solum ad aurea vasa of- » ferenda, verum etiam multo magis de justo » labore acquisita offeramus. Hæc enim aurea » sunt et pretiosa, quæ avaritia non maculan- » tur. Et certe non erat ex argento mensa illa, » nec ex auro ille calix quo Christus discipulis » præbuit suum sanguinem. Pretiosa tamen » erant omnia, et venerationis plena, quia spi- » ritu abundabant. Vis corpus Christi honorare? » Non despicias ipsum nudum, neque hunc qui- » dem in Ecclesia sericis pannis induas, foris » autem frigore et nuditate confici negligas. Qui » enim dixit: *Hoc est corpus meum*, et rem si- » mul cum verbo confecit, idem dixit: *Esurien- » tem me vidistis, et non cibastis; et in quantum » non fecistis uni eorum minimorum, nec mihi » fecistis.* Hoc certe Corpus Christi non amictu, » sed anima munda indiget; illud autem multa » cura et magna diligentia eget. Non est opus » vasis, sed animis aureis. »

XVIII. Huc usque S. Joannes Chrysostomus, ex cujus elegantissima Oratione ne ansam arripiant hæretici carpendi aureos calices et pretiosa ecclesiæ ornamenta, ita statim se explicat: « Hæc dico, non quia vetare velim talium vaso- » rum oblationem, sed quia dignum putem ante » omnia misericordiæ et benignitati incumben- » dum. Nam et vasa Deus suscipit, sed illa » multo magis ei gratiosa sunt. Et vasa quidem » danti solum profuerint, benignitas vero etiam » accipienti. Et hic quidem ostentatio nonnun- » quam potest accusari, ibi vero totum miseri- » cordi animo contribuitur. Responde, quæso: » quænam utilitas est, si, cum mensa ejus mul- » tis calicibus aureis ornatur, ipse inedia pereat? » Prius igitur ipsum esurientem satura; deinde » ex quadam superabundantia mensam ejus or- » nabis. Calicem aureum facis, et aquæ frigidæ » calicem ei non præbes. Et quod hinc emolu- » mentum consequeris? Coopertoria mensæ au- » ro nitent, et ipsi necessaria velamina negas? » Quid igitur præbes? » Multa sunt in hoc prolixo Chrysostomi loco, ex quibus poterit lector addiscere quam erronea sunt quorumdam hominum studia, qui aliena rapere non erubescunt, ut calicibus aureis ac pretiosis ornamentis ecclesias ditent.

XIX. Hanc fuisse praxim præstantissimorum Præsulum, ut ad sublevandos egenos et redimendos captivos sacra vasa conflarent, innumera pene exstant in Ecclesiastica historia exempla. Quod quidem recte gestum putandum est, cum alias indigentiæ pauperum captivorumque redemptioni subveniri nequeat; decet enim quam maxime, religioseque Ecclesia in compluribus Synodis jussit, ut nullus Sacerdos sacrum mysterium Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, in vitreis, æneis, ligneisve, aut de aurichalco vel cornibus confectis vasculis ullo modo celebrare præsumat, « ne unde placari » debet, inde irascatur Deus, » ut verbis utar capitis IX Concilii Triburiensis, apud Gratianum, can. XLII, *De consecratione*, distinctione I. Concilium Calchutense in Anglia habitum anno 787, can. X, vetuit quidem « ne de cornu bovis calix » aut patina fieret ad sacrificandum. » Cui adde canonem VI Concilii Remensis, apud eumdem Gratianum, can. XLIII, *De consecratione*, distinctione I, ubi Patres ita inquiunt: « Ut calix Do- » mini cum patena, si non ex auro, omnino » tamen ex argento fiat; si quis autem tam pau- » per est, saltem vel stanneum calicem habeat. » De ære aut aurichalco non fiat calix, quia ob » vini virtutem æruginem facit, pariterque vo- » mitum provocat. Nullus autem in ligneo aut » vitreo calice præsumat missam cantare. »

XX. Sunt pene innumeri canones qui expresse prohibent celebrari, nisi in calice aureo vel argenteo, estque secundum antiquissimam Romanæ Ecclesiæ disciplinam; cum de Urbano I Papa ita scribat liber Pontificalis: « Hic fecit » ministeria sacrata omnia argentea. » Esse autem hanc disciplinam rationi consentaneam, certius est quam ut probatione indigeat; audire nihilominus præstat de ea re Sugerii abbatis opinionem, quam ipse aperuit in libro de rebus in sua administratione gestis, sic dicens: « Abundet unusquisque in suo sensu; mihi fa- » teor hoc potissimum placuisse, ut quæcum- » que chariora, quæcumque charissima, sacro- » sanctæ Eucharistiæ administrationi super om- » nia deservire debeant. Si libatoria aurea, si » fialæ aureæ, si mortariola aurea, ad colle- » ctam sanguinis hircorum, aut vitulorum, aut » vaccæ rufæ, ore Dei, aut Prophetæ jussu de- » serviebant; quanto magis ad susceptionem » Sanguinis Jesu Christi, vasa aurea, lapides » pretiosi, quæque inter omnes creaturas cha-

Digitized by Google

» rissima continuo famulatu, plena devotione » exponi debet! » Huc usque Sugerius.

XXI. Hinc sicut commendanda est nonnullorum pietas qui aurea vel argentea vasa in divino ministerio adhibent, ita etiam suggillanda illorum temeritas qui, uti adversus istos justo zelo in opusculo XXIII, cap. I, S. Petrus Damiani acriter invehitur, divitiis ad vana abusi, stanneis, aut similis metalli calicibus et quidem egregie sordidis Domino ministrare non erubescunt. Hinc etiam recte admodum Sanctæ-Brigidæ Brixiensis Presbyterum, quod calicem non habens in scypho ligneo celebrasset, deponi mandavit Honorius III, in cap. *Litteras,* XIV, *De celebratione Missarum*, ubi ita inquit in Epistola sua ad Episcopum Brixiensem : « Cum » igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desi» pientia peccasse probetur, mandamus quate» nus officio et beneficio perpetuo eum prives. » Gravis est certe Sacerdotis istius punitio, cum pœna sit perpetua, eaque duplex, nempe depositio ab officio ordinis, et a totali beneficii privatione, quæ non solet nisi reis infligi ob enormia delicta. Porro præsentem hanc materiam opportunius spectat canon editus a Richardo Cantuariensi archiepiscopo, proximo S. Thomæ martyris successore, in Synodo a Rogero Hovedeno relata, in qua inter alia statutum fuit : « Ne consecretur Eucharistia, nisi in calice au» reo aut argenteo. Et ne stanneum calicem » Episcopus amodo benedicat. » Ubi nota ritum consecrandi calicem, antequam in Sacrificio adhibeatur. Qui ritus est dubio procul in Ecclesia antiquissimus, cum de ipso non modo pervetusti libri Pontificales, sed et sancti Ecclesiæ Patres non semel meminerint, inter quos sanctus doctor Ambrosius, lib. II *Officiorum*, cap. XXVIII, ubi ait, quod « in his tribus generibus, » id est in sublevandis egenis, redimendis captivis, et humandis fidelibus, « vasa Ecclesiæ etiam ini» tiata (id est consecrata) confringere, conflare, » vendere licet. »

XXII. Sunt qui forte autumant, in calicibus et cæteris vasis Ecclesiæ consecrationis non opus olim fuisse benedictione speciali, sed satis profecto fuisse contactum pretiosi Corporis et Sanguinis Domini, quo illa sanctificarentur, quia scilicet S. Hieronymus, in Epistola ad Theophilum, ita scribit : « Discant qui ignorant, calices » sacros et cætera quæ ad cultum Dominicæ per» tinent passionis, non quasi inania et sensu ca» rentia sanctimoniam non habere, sed ex con» sortio Corporis et Sanguinis Domini. » Et S. Augustinus, *In Psalmum* CXIII, sic inquit : « Pleraque instrumenta et vasa ex auro et ar» gento habemus in usum Sacramentorum, quæ » ipso ministerio consecrata sancta dicuntur. » Verum si matura consideratione memoratorum Patrum testimonia perpendantur, constat, quod docet eruditus Andreas Saussay, parte I *Panopliæ Sacerdotalis*, lib. VIII, cap. X, id solum doceri ab Augustino et Hieronymo, etiamsi calices solemni ritu non benedicantur, ex ipso contactu Corporis et Sanguinis Domini vim sanctificationis contracturos. Cæterum jam descripsi Ambrosii locum, qui eodem sæculo IV quo Hieronymus et Augustinus floruit; distinctionem siquidem adhibens inter calices consecratos et non consecratos, significare nobis satis videtur suo tempore consuevisse calices consecrari.

XXIII. Plures et quidem insignes loci exstant in libris Carolinis, ex quibus docemur consecrationes vasorum et quorumlibet utensilium pro sacrorum Mysteriorum celebratione, ab ipsis Ecclesiæ rudimentis traditas esse, easque in libris Sacerdotalibus haberi. Libro IV, cap. XVI, pag. 569, hæc quidem legimus : « Si de locis, » sive vasis, vel quibuslibet utensilibus divinis » cultibus mancipatis dicere voluit (Epiphanus » diaconus), in hoc ejus lectio frustrari potest : » quoniam pene nihil est in his quæ enumera» vimus, quod non per Sacerdotum orationes et » consecrationes consecretur; sed et exorcismis, » et salis, et aquæ aspersione uti consuevit Ec» clesia. Quorum omnium consecrationes vel » institutiones ab ipsis Ecclesiæ rudimentis ab » Ecclesiarum Præsulibus traditæ fuisse noscun» tur, et in libris Sacerdotalibus exaratæ haben» tur. » Mox iterum pag. 570 ait quod istorum vasorum et utensilium consecrandorum in libris Sacerdotalibus scripta institutio habetur, et per Sacerdotes celebratur prisca traditio. Tum vero postquam dixit, pag. 573, sanctificationem rebus irrationalibus et sensu carentibus, ut pote sunt vasa divinis cultibus mancipata, et his similia, non superscriptione qualibet, sed Sacerdotali consecratione, et divini nominis invocatione accedere; hunc postremo in modum concludit, pag. 575 : « Non enim ad homines per vasa, sed » vasa per homines divini nominis invocatione

Digitized by Google

» et sacrorum mysteriorum celebratione sancti-
» ficatio venit. » In *Sacramentario* Gelasiano leguntur quidem Benedictiones seu Præfationes linteaminum, ad consecrandam patenam, ad calicem benedicendum, etc. In *Capitularibus Regum Francorum*, lib. VII, cap. CCCXXXI, cautum inter alia fuit ne Sacerdotes Missas in aliis vasis celebrare præsumerent quam ab Episcopo consecratis.

XXIV. Patenas sacrari jam olim consuevisse, ex laudatis testimoniis perspicue deducitur, et ex antiquis Pontificalibus libris, qui de ea re tractant. Quod autem ipsæ ad sacrificium quovis sæculo adhibitæ fuerint, docent nos veterum Pontificum constituta et sacri Conciliorum canones. De Zepherino Papa, qui floruit initio tertii sæculi, ita scribit liber Pontificalis : « Fecit con-
» stitutum de ecclesia, ut patenas vitreas mini-
» stri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus
» Missam celebraret. » Quas Zepherinus vitreas, Urbanus paulo post argenteas fieri sancivit, ut in eodem libro Pontificali legitur, in quo etiam habetur varios subsequentes Pontifices patenas argenteas magni ponderis ecclesiis obtulisse. Patenæ tanquam rei quæ diu ante esset in usu, meminit Concilium Carthaginense IV, sæculo Christi IV collabente habitum, cap. V : « Sub-
» diaconus, inquit, cum ordinatur, quia manus
» impositionem non accipit, patenam de manu
» Episcopi accipit vacuam et calicem vacuum. »
Exstat in Ordine antiquo Romano frequens quidem sacrarum patenarum mentio, earumque usus et apud Græcos est antiquissimus. Qui enim Liturgiam quæ S. Jacobi nomine inscribitur, germanum ejusdem Apostoli fœtum esse judicant, facili negotio patenæ apud Orientales usum fuisse antiquissimum demonstrant : « Cum au-
» tem (Liturgiæ verba sunt) attollunt Diaconi
» discos (qui quidem idem sunt cum patenis)
» et calices ad impertiendum populo, etc. »
Patenarum sub discorum nomine meminit in *Historia* sua, lib. VI, cap. XX, Evagrius, apud quem Cosroes rex ita inquit : « Dedi mandatum
» ut ex pretio discus unus et unus calix fierent,
» qui divinis mysteriis celebrandis inservirent. »

XXV. Est itaque patena, seu discus, vas ecclesiæ ministeriis dicatum, cujus usus in oblatione Corporis Dominici olim fuit et jam est. Apud Columellam, lib. XII, cap. XLIII, definitur quidem patena *vas latum*. Unde Valafridus Strabo, in lib. *De rebus Ecclesiasticis*, cap. XXIV, ait patenam dictam *a patendo, quod patula sit*. Quod ad ejus materiam attinet, idem de patenis ad Sacrificium adhiberi solitis ferri debet judicium, quod de calicibus : ac proinde cum ex superius enarratis Ecclesia nonnunquam ligneis, vitreis, stanneis, æneis, argenteis et aureis calicibus usa sit, usa est quoque patenis, quæ pro fidelium aut penuria, aut copia, iis ex materiis conflarent, ut scite docet eruditus Jueninus in tractatu *De Sacramentis*, dissertatione V *De Eucharistiæ Sacrificio*, quæstione VIII, cap. IV, articulo I : ubi etiam recte observat non unam tantum patenam, sed plures ad Sacrificium fuisse adhibitas. Quod apud Orientales duplices essent patenæ, eorum Liturgiæ aperte nobis significant, cum de iis agentes plurali numero utantur : « Cum autem attollunt diaconi discos, etc.. » uti legitur in laudata S. Jacobi Apostoli Liturgia. Idem dicendum est de Occidentalibus, legimus siquidem in memorato libro Pontificali S. Silvestrum obtulisse « patenas aureas septem, quæ
» pensant singulæ libras XXX. » Unde apparet panis vasa ampliora et capaciora fuisse vini poculis, quia scilicet multo plures in Romana Ecclesia communicabant sub una quam sub utraque specie, ut notat eruditus Stephanus Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. VII, num. V. Porro a veteribus distinguuntur patenæ in quotidianas et ministeriales. Priores erant eæ quibus Sacerdos ad consecrationem utebatur; posteriores vero, quibus Diaconi ut fideli populo Eucharistiam largirentur.

XXVI. Plura de calicibus ac patenis videri possunt apud virum doctissimum Dominicum Georgium in lib. *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. III *Disquisitionum de sacro ministerio;* et apud alios plures eruditos scriptores, quos in suo celebri opere *Commentariorum in Gavantum*, tom. I, part. I, p. 306 et seqq. recenset vir clarissimus Cajetanus Merati Clericus Regularis. Antiquissimam et elegantissimam patenæ formam, qua olim utebatur S. Petrus Chrysologus, expressit in suis ad ipsum Chrysologum *Commentariis* Dominicus Mita Imolensis; qui etiam in ejusdem S. Præsulis Vita operi suo præfixa, capite XXXIX, aqua per eam demissa, et pie a fidelibus degustata sæpissime rabidi canis morsum et febres pestilentes sanari ait. Visitur in ejus patenæ medio agnus cum cruce, et aliis

Digitized by Google

symbolis quæ nostrum non est hic explicare. Sculptum in patena vultum Salvatoris referunt Anastasius in Vita Gregorii IV, et Joannes diaconus in Vita S. Anastasii episcopi Neapolitani.

XXVII. Utriusque tam patenæ quam calicis consecrandi ritum unctione chrismatis certisque precibus adhibitis a veteri Testamento ad novum profluxisse, rectissime quidam scriptores censent, addentes ideo vetitum esse utriusque tactum profanis ac laicis hominibus, decreto Sixti I Romani Pontificis, a quo ait liber Pontificalis constitutum ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a sacris Ecclesiæ Ministris. Decreto item Concilii Laodiceni anni 314, can. XXI, sancitum est non oportere Subdiaconum vasa sacrata contingere; cui consonat canon LXVI Concilii Agathensis. Qui tamen et similes canones de iis vasis intelliguntur, quæ actu sacram Eucharistiam continent, uti passim doctores explicant. Porro autem si sacra vasa tangi vel ab inferioribus Clericis nequeant, explicari satis haud potest quantum impietatis crimen sit, qui vel illa diripiunt, vel in profanos usus convertunt. Sed istiusmodi ingenii homines graviter admodum a Deo punitos, et sacræ paginæ, et Ecclesiasticæ historiæ passim produnt.

XXVIII. Feminis etiam Deo sacratis nefas esse calicem et cætera sacra vasa contingere, constantissimum est. Fuerunt quidem in Ecclesia olim ordinatæ Diaconissæ, de quarum muneribus fuse diximus nostro I tomo *Conciliorum* in canonem XIX Nicænum, et in canonem XV Chalcedonensem. Sed cum istiusmodi feminæ eadem fere munera quæ Diaconis competunt, vindicare sibi præsumerent, adeo ut ingredi ad altare, in Sacrificio Sacerdoti ministrare, manus ad pallas Dominicas apponere, contingere vasa Dominica, ipsamque nuda manu Eucharistiam accipere et ministrare minime vererentur, ut patet ex Epistola Gelasii I ad Episcopos Lucaniæ, ex Concilio Antissiodorensi, can. XXXVI et XXXVII, et ex aliis compluribus Synodis, iccirco tandem abrogatæ fuerunt publico Ecclesiæ judicio in variis Episcoporum Conciliis expresso.

XXIX. Sunt quidem qui autumant, longe diu post canonicas hasce sanctiones, S. Claram aliquid quod videri possit his decretis adversum sibi vindicasse, circa vasorum sacrorum ipsiusque divinæ Eucharistiæ gestationem, irruentibus adversus ipsius monasterium ac sanc*ti* monialе virgines in urbe Assisii militibus feri perfidique Cæsaris Frederici. Verum constat, ex Romano Breviario ad diem XII augusti, S. Claram non pertulisse vasculum in quo erat Corpus Dominicum, sed ante se portari utique a Sacerdote fecisse : « Saracenis, inquit, Assisium obsidentibus et Claræ monasterium invadere conantibus, ægra se ad portam afferri voluit, unaque vas in quo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum erat inclusum, ibique oravit: *Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentes tibi, et custodi famulas, quas pretioso sanguine redemisti.* In cujus oratione ea vox audita est: *Ego vos semper custodiam.* Saraceni autem partim se fugæ mandarunt, partim, qui murum ascenderant, capti oculis præcipites cecederunt. » In Breviario cardinalis Quignonii, Paulo Tertio Papæ dedicato, res ita describitur: « Clara licet ægrotans ad portam se jubet deportari in hostium conspectu cum capsula qua Sacramentum Eucharistiæ continebatur. » Unde patet ipsam aliorum manibus portatam, Eucharistiam vero delatam fuisse ante eam, cujus unico præsidio nitebatur, uti observat eruditus Andreas Saussay, parte I *Panopliæ Sacerdotalis*, lib. VIII, capite XII, ubi etiam docet, dato quod ipsa vasculum manibus suis gestaret, uti a pictoribus solet exprimi, hoc ab ipsa factum fuisse divino impulsu, ideoque minime in exemplum trahi ab aliis debere.

XXX. Restat pro complemento hujus ad nostrum titulum Commentarii quædam discutere. Primo quidem ideo calix et patena vocantur sacra vasa, quia scilicet ab Episcopo consecrantur cum unctione chrismatis, uti suo loco ostendemus; ideoque præsens ponitur titulus, *De patenæ et calicis consecratione;* aliud enim est rem aliquam ab Episcopo consecrari, aliud ab eo benedici, vel ab alio facultatem habente, ut opinatur laudatus Merati, pag. 308. Secundo docent doctores apud Barbosam, parte II *De officio et potestate Episcopi*, allegatione XXVII, calicem et patenam amittere quidem consecrationem, si notabiliter frangantur, ita ut usui Sacrificio esse nequeant. Tertio, idem dicendum si cuppæ separatio fiat cum fractione, tum quia calix in tali eventu amittit suam figuram, et non est aptus ad usum ad quem fuerat factus; tum etiam quia, sicut altare, si removeatur a tabula

Digitized by Google

consecrata, amittit consecrationem, ita eamdem amittit calix, si a pede cuppa separetur. Quarto, vasa ipsa, si deaurata sint, post novam inauratio nem, quoad illam superficiem quæ tangit Corpus et Sanguinem Christi nova consecratione indigere; estque hæc recepta Ecclesiæ consuetudo. Quinto demum, consecrationem patenæ vel calicis per aliquos ictus a fabro inflictos minime amitti, quemadmodum minime amittitur, quoties separatio fit absque fractione, uti accidit in calice tornatili, cujus partes separantur absque fractione, etsi aliqui contrarium teneant.

XXXI. Est quidem illa celebris quæstio, quid dicendum si Sacerdos bona fide adhibeat in Sacrificio patenam vel calicem minime consecratum, num vasa ipsa debent iterum consecrari? Respondent nonnulli apud eruditissimum Cajetanum Merati, in *Additionibus ad Gavantum*, parte II, titulo I, num. IX, pag. 308, non egere ipsa vasa nova Episcopi consecratione, etiamsi mala fide quis celebret in calice et patena non consecratis. Docent tamen probabilius ex adverso alii ea iterum esse consecranda; quia scilicet, quæ pendent ex institutione Ecclesiæ, non possunt suppleri alio ritu diverso ab illo quem Ecclesia designat atque determinat. Cum autem consecratio, qua vasa altaris redduntur apta ad Sacrificium, instituta fuerit ab Ecclesia sub certis et determinatis ritibus, et verbis per determinatas personas adhibendis; hinc fit quod, non adhibito tali ritu et forma verborum per idoneam personam, nunquam evadunt vasa consecrata; id est calix et patena non redduntur apta ad Sacrificium; et quamvis sacramentum Eucharistiæ sit longe dignius quam sit unctio chrismatis vel benedictio Episcopalis, nihilominus non habet alios effectus quam quos ipse Christus illi attribuit suo fini proportionatos; quapropter non habet effectus aliorum sacramentorum, nec sacramentalium, quæ ex libera Ecclesiæ institutione dependent. Juxta hanc sententiam, quam integram ex laudato Merati descripsimus, etiam corporale, mappæ et vestes Sacerdotales, quæ vere benedictæ non sunt, proportionabiliter tales non evadunt; id est benedictæ minime censentur, nisi per benedictionem in eum finem ab Ecclesia institutam. Sed et templa ipsa non quidem consecrantur per Missas in eis celebratas, sed per solam formam et ritus ab Ecclesia institutos, ad consecrationem templi ipsis impertiendam.

§ I.

Pontifex, ad consecrationem calicis vel cujuslibet indumenti seu ornamenti Ecclesiastici procedere volens, debet semper stolam circa collum habere, et mitram tenere poterit, ubi convenit. Quandocumque enim Episcopalia agit, Episcopalibus, non Sacerdotalibus debet esse paramentis ornatus. Omnium quoque mobilium benedictiones hujusmodi possunt fieri ubi Pontifici placuerit, et omni die.

COMMENTARIUS.

I. Spectat de jure ad Episcopos consecrare patenas et calices quorum altero Christi Domini sanguis continetur, altero Corpus contrectatur: « Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur my- » steria, calices sunt et patenæ. » Verba sunt Concilii Triburiensis in Germania celebrati anno 895, can. XVIII. In Concilio Pictaviensi anni 1100, can. IV, cautum quidem jam fuit ut non modo sacra vasa, sed nec vestimenta Sacerdotalia, vel altaris utensilia præter Episcopum quis benedicere præsumat. In censu Episcoporum esse benedictionem sacrorum vasorum, ut patenæ, calicis, et aliorum in quibus chrismatis unctio intervenit, ex cap. unico, § *ungitur*, *De sacra unctione*, deducit Dadinus Altaserra, lib. II *De jurisdictione Ecclesiastica*, cap. V in fine. Istiusmodi vasorum consecrationem, quod sit ordinis Episcopalis, non posse simplici ab Episcopo Sacerdoti committi, concedunt quidem nonnulli auctores, quorum opiniones paulo inferius examinabimus. Sane constat hanc esse Ecclesiæ praxim, ut Episcopi calices ac patenas consecrent. Hinc de S. Antonino Florentino archiepiscopo narrat ejus

Digitized by Google

Vitæ auctor apud Surium die x maii, « quod » nullas altarium, aut calicum consecrationes » prætermisit. » Statimque hæc addit : « Cum » usus posceret, sacros omnes amictus ac vestes » benedixit. » Laudandus et in hac re est quidem pastoralis zelus Benedicti XIII, qui perpetuam quoad vixit in hujusmodi officiis peragendis religiose operam suam præstitit, adeo ut ex quo Episcopus consecratus est calices 991 et patenas 1150 consecraverit; ex manuscripto codice insignis Bibliothecæ amplissimi S. R. E. cardinalis Francisci Antonii Finy.

II Etsi autem Episcopi nequeant id facultatis simplici Sacerdoti elargiri, ut possit patenam et calicem consecrare, haud tamen dubium est posse Romanum Pontificem eam provinciam ipsi Sacerdoti concedere, ex communi doctorum calculo, et variis exemplis quæ de ea re in Regularium privilegiis non semel occurrunt. Refert Miranda in *Manuali Prælatorum*, tom. II, quæst. XLI, articulo IV, Innocentium VIII, Pontificem Maximum, diplomate suo edito anno 1489, ad petitionem Joannis abbatis Cisterciensis, eidem et quatuor primis Coabbatibus ejus, tunc et pro tempore existentibus, id privilegii concessisse, ut de cætero perpetuis futuris temporibus quæcumque vestimenta ac ornamenta Ecclesiastica, corporalia vasculaque ad reponendam sacram Eucharistiam, in locis et domibus dicti Ordinis benedicere, et calices consecrare possint et valeant, tam suorum monasteriorum quam aliorum, si ad ipsos aliunde nonnunquam deferantur. Legi idem privilegium aliis etiam Abbatibus a summis Pontificibus concessum. Unde non recte ait Glossa canonici juris in Clementina *Attendentes*, tit. *De statu Regularium*, secluso privilegio, spectare de jure ad Abbates qui baculo Pastorali utuntur, patenæ et calicis consecrationem. Cujus tamen contrarium recte defendit Silvester in *Summa*, verbo *Calix*, num. II, et alii Doctores.

III. Sunt qui docent non posse simplicem Sacerdotem, Abbatemve insignibus Episcopalibus utentem, ac jurisdictionem Episcopalem habentem, etiam accedente indulto Summi Pontificis, calices et patenas consecrare. Distinguendum enim, aiunt, inter ea quæ ordinis Episcopalis sunt, et quæ sunt jurisdictionis; et ea quidem quæ Episcopalem jurisdictionem spectant, Pontificio privilegio posse acquiri; quæ vero sunt Ordinis munera, non posse ullo modo aliis competere, nec posse ulla præscriptione vel consuetudine comparari. Sed errant hi procul dubio auctores. Si enim hæc ratio valeat, inde quoque et illud sequitur, non posse simplicem Sacerdotem, quamvis sit Abbas, Episcopalibus insignibus ornatus, etiam de mandato Romani Summi Pontificis, sacramentum Confirmationis absente Episcopo conferre, nec promovere quempiam ad ullos Ordines; ista enim promotio actus est ordinis Episcopalis, non meræ jurisdictionis.

IV. Quam autem hæc opinio a præcipuorum theologorum sana sententia desultet, supervacaneum est demonstrare; longeque magis consentaneum est posse simplicem Sacerdotem indulto Apostolico suffultum calices consecrare, quam id inficiari; sequeretur siquidem alias, ut scite observat eruditus Saussay, parte I *Panopliæ Sacerdotalis*, lib. VIII, cap. X, errare Pontificem qui indultum ejusmodi vel mandatum concessisset. Quod nullatenus dici debet; nam alias Abbates, qui tonsuram conferunt, vel quatuor minores Ordines, et aliquando etiam Subdiaconatum ex privilegio Apostolico, illuderent a se promotis, hique de gradu suo periclitarentur, et injuriam Ecclesia gravem ex hoc abusu pateretur. Quæ omnia consectanea quam absurda sint, non cæcis facile patet.

V. Neque desunt auctores qui notabile discrimen assignant inter benedictiones quæ sunt ordinis Episcopalis, simplicique, ut aiunt, Sacerdoti competere nequeunt, et illas benedictiones quæ jure suo ejusmodi Sacerdos conficere potest, vel saltem ex Romani Pontificis facultate. Docent ergo, quotiescumque in benedictione chrismate opus est, officium esse Episcopi hanc efficere, nec posse simplicem Sacerdotem jure suo saltem hanc benedictionem peragere; ubi vero non opus est chrismate, posse Presbyterum etiam non Paræcum quamcumque benedictionem exsequi, ideoque unctionem recipere in manibus, cum ordinatur, sic Episcopo deprecante : « Consecrare et sanctificare digneris, » Domine, manus istas per istam unctionem et » nostram bene ✠ dictionem. ℟. Amen. Ut » quæcumque benedixerint, benedicantur; et » quæcumque consecraverint, consecrentur et » sanctificentur; in nomine Domini nostri Jesu » Christi; » uti habetur in prima parte Romani

Digitized by Google

Pontificalis, titulo *De Ordinatione Presbyteri*. Porro opus est chrismate in benedictione calicis, ideoque hanc actionem Episcopalis ordinis, non vero Sacerdotalis esse concludunt.

VI. At si ita est, non posset simplex Sacerdos campanam benedicere, quia et chrisma in ea adhibetur; cum alias, uti docet eruditus Saussay, parte I *Panopliæ Sacerdotalis*, lib. VIII, cap. X, praxis sit Ecclesiæ communiter recepta, in Galliis nimirum, non vero in aliis Ecclesiis, ut campanæ benedicantur a simplici Sacerdote, vixque invitetur Episcopus ad ejusmodi officium. Nec respondere juvat Presbyterum non jure suo benedictionem campanæ inire, sed Episcopi jussu vel permissu. Tum enim reponere licet quod memoratus auctor inde subinfert : « Igitur » accedente Episcopi auctoritate, poterit Sacer- » dos benedicere calicem, quamvis chrisma in » ejusmodi consecratione applicetur. » Quod si quispiam axioma illud objiciat, speciale Episcopi mandatum intercedere debere in quacumque benedictione chrisma a Sacerdote adhibetur. Respondeo hoc minime verum videri, nam linit infantem vel adultum quemvis sacro chrismate in baptismo simplex Sacerdos jure in Ecclesia universa communi, et ubique stabili sine Episcopi licentia, qui etiam, dum Sabbato Sancto solemni ritu Fontem Baptismalem benedicit, infundit primum de oleo catechumenorum in aquam, deinde de chrismate, suo ex officio in codice Missali præscripto.

VII. Ergo, ut scite laudatus Saussay aliique docti auctores concludunt, ratio cur jure communi simplex Sacerdos non consecrat calicem, ea non est quod chrismate opus sit in ejus consecratione, nec quod munus istud sit actus proprius ordinis Episcopalis, nec quod Canones Ecclesiastici hoc decreverint Episcopo reservari; sed quia sic longæva consuetudo obtinuit : consuetudo autem immota manere debet, quæ nec contra fidem Catholicam, nec contra bonos mores quidquam usurpare dignoscitur, ut docet Canon *Nos consuetudinem*, distinctione XII. Hujusmodi profecto est consuetudo illa, de qua loquimur : nihil enim inducit contra fidem orthodoxam, vel bonos mores; quinimo nonnihil confert ad commendationem dignitatis Episcopalis, cujus decus est robur et ornamentum Ecclesiæ, majoremque conciliat consecratis calicibus reverentiam ex dignitate agentis.

VIII. Posse autem generali huic consuetudini auctoritate Romani Pontificis derogari, ac proinde accedente ipsius mandato vel indulto, rite ac valide calices a simplici Sacerdote benedici, non est addubitatum. Id enim passim auctores docent, testanturque exempla illustria hujusmodi concessionum. Enim vero præter exemplum superius memoratum Innocentii VIII, qui Joanni abbati Cisterciensi et aliis hanc facultatem largitus est, ut calices consecrare possent tam suorum monasteriorum quam aliorum, si ad ipsos aliunde deferrentur; jam longe ante ipsum Pontificem Innocentius IV Amedeo abbati S. Stephani Divionensis facultatem concessit consecrandi calices, et benedicendi corporalia, pallas et vestes Sacerdotales, diplomate dato Lugduni VI idus martii, Pontificatus sui anno octavo. Verum in ipso tantum monasterio, inquit Saussay, et dummodo Episcopi manus ei imposita fuerit. Quo munere fungi quosdam Abbates Episcopalibus insignibus utentes, notat Bartholomæus Fumus in sua *Summa*, verbo *Calix*.

IX. Quod reliqua spectat quæ in hoc nostro § continentur, plane consonant cum iis quæ habentur in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, in eo titulo qui inscribitur *De Patenæ et Calicis benedictione*, cujus Rubrica initio tituli ita inquit : « Pontifex ad benedictionem vel » consecrationem calicis, vel cujuslibet indu- » menti vel ornamenti Ecclesiastici, procedere » volens, semper orarium circa collum habere » debet, et si mitram tenuerit, debet ipsa de- » posita hoc agere; » Tum statim subdit : « Quicumque autem Episcopalia agit, Episco- » palibus, non Sacerdotalibus debet esse para- » mentis ornatus, » Quod quam sit consentaneum rationi, nemo non videt, docentque id passim auctores.

§ II.

In patenæ igitur consecratione, pro qua parandum est sanctum chrisma, et vas aquæ benedictæ cum aspersorio, Pontifex, stans cum mitra, dicit : ℣. *Adjuto-*

Digitized by Google

rium nostrum in nomine Domini. ℟. *Qui fecit cœlum et terram. Oremus, Fratres charissimi, ut divinæ gratiæ benedictio consecret et sanctificet hanc patenam, ad confringendum in ea Corpus Domini nostri Jesu Christi, qui crucis passionem sustinuit pro nostrum omnium salute.* Tum, deposita mitra, dicit :

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium institutor es hostiarum, quique inter eas conspersam similaginem deferri in patenis aureis et argenteis ad altare tuum jussisti, bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris hanc patenam in administrationem Eucharistiæ Jesu Christi Filii tui, qui pro nostra omniumque salute se ipsum tibi Deo Patri in patibulo crucis elegit immolari, ac tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ expressus quidem ritus ad consecrandam patenam; ex cujus tamen libri Pontificalis præscripto absolute dicit Episcopus hanc Orationem : « Consecramus et sanctificamus hanc patenam » ad conficiendum in ea Corpus Domini nostri » Jesu Christi patientis crucem pro salute no- » stra omnium. Qui cum Patre et Spiritu sancto » vivit et regnat Deus per cuncta sæcula sæcu- » lorum. Amen. » Quæ Oratio, etsi in Ordine antiquo Romano et in quibusdam Pontificalibus desideretur, habetur tamen in manuscripto Missali Gellonensi, et in Pontificali manuscripto Anglicano monasterii Gemmeticensis Egberti Eboracensis archiepiscopi, annorum circiter mille, ubi describunt ritum dedicandæ ecclesiæ; itemque in Noviomensi, annorum circiter nongentorum, et in Pontificali Halinardi archiepiscopi Lugdunensis, annorum circiter septingentorum.

II. Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, aliisque recentioribus, cautum est ut in patenæ consecratione dicat primum Episcopus versiculum *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et responso ci, *Qui fecit cœlum et terram*, subjungit Orationem «Oremus, Fratres, dilectissimi, etc. » Quæ Oratio in laudato Durandi Pontificali, et in aliis nonnullis, præsertim vero in antiquo Romano Ordine, *Præfatio Patenæ consecrandæ*, vel *ad consecrandam Patenam* dicitur. Sequitur mox in ipso Ordine antiquo Romano Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, in nostro § descripta, ab eaque in nonnullis variat, cum ita ipsam Orationem ibidem legamus : « Omnipotens sempiterne Deus, qui le- » galium inter libatoria hostiarum conspersam » similaginem deferri in patenis aureis et ar- » genteis ad altare tuum jussisti, benedicere et » sanctificare digneris et hanc patenam in ad- » ministrationem Jesu Christi Filii tui, qui pro » nostra omnium salute seipsum tibi Deo Patri » in patibulo crucis elegerat immolari. Qui » tecum. » Alludit Oratio ad caput VII libri *Numerorum*, in quo oblationes recensentur principum duodecim tribuum in dedicationem tabernaculi et altaris.

III. Rursus quod primam Orationem spectat, in qua Deus oratur ut divinæ gratiæ benedictio consecret et sanctificet patenam ad confringendum in ea Corpus Domini nostri Jesu Christi, est quidem antiquus ritus frangendi sacram Hostiam in Missa, et cum ipsa Sacramenti institutione exortus. Christus enim, ut scite docet religiosissimus æque ac doctissimus Joannes cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XV, in mystica Cœna accepit panem, benedixit, et fregit, deditque discipulis suis dicens : *Hoc est Corpus meum, hoc facite in meam commemorationem ;* uti legitur in Evangelio Lucæ, cap. XXII, et in Epistola I ad Corinthios, cap. XI. Quoniam autem ipse Dominus noster Apostolis præcepit ut idem in ejus commemorationem facerent, eumdem morem et ipsi secuti sunt, et Ecclesiæ tradiderunt. Certe in

Digitized by Google

Actis Apostolorum, cap. xx, legitur quod die Dominico conveniebant cum fidelibus ad frangendum panem, scilicet Eucharisticum panem, de quo memoratus Apostolus in ipsa Epistola I ad Corinthios, cap. x, inquit : *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

IV. Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepit Ecclesia, ejusque fractionis semper et ubique a temporibus Apostolorum usitatæ mentionem faciunt sancti Patres et scriptores Ecclesiastici passim, quos longo agmine affert Stephanus Duranti, lib. II *De Ritibus Catholicæ Ecclesiæ*, cap. LII. S. Dionysius, *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. III, ita inquit : « Pontifex » obtecta munera in apertum producit, ipso» rumque unitatem in plura dividit. » Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromatum* hæc habet : « Cum Eucharistiam, ut mos est, diviserint, » permittunt unicuique ex populo ejus partem » sumere. » S. Gregorius Nazianzenus, in Epistola CCXL ad Amphilochium, ita eumdem alloquens, ait : « O Dei cultor sanctissime, ne » cuncteris orare et intercedere pro nobis, » quando dicto allicis Verbum Dei, quando » incruenta sectione Corpus et Sanguinem Do» minicum secas, vocem adhibens pro gladio. » Tandem inter alios Græcæ Ecclesiæ Patres S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XXIV *in Epistolam* I *ad Corinthios*, illa memorata Pauli verba, *Panis quem frangimus, etc.*, exponens, sic ait : « Hoc licet videre fieri in Eucharistia, » in cruce autem non item, sed utique ei con» trarium : *Os enim*, inquit, *ejus non conteretur:* » sed quod non est passus in cruce, hoc in » oblatione patitur propter te, et patitur frangi, » ut omnes impleat. »

V. Idipsum docent latini Patres, inter quos S. Augustinus, Epistola LIX ad Paulinum, loquens de pane Eucharistico, scribit : « Cum be» nedicitur, et sanctificatur, et ad distribuendum » comminuitur. » Addi et alii Patres possunt, sed allata testimonia satis sunt ad refellendam B. Alberti Magni et aliorum opinionem qui Eucharistiæ fractionem a Sergio Papa institutam fuisse crediderunt. Constituit quidem Sergius, ut passim scriptores prisci Liturgici docent apud Durantum, citato lib. II, cap. LIII, in hostiæ sacræ partitione *Agnus Dei* cantari. Quot in partes ipsa hostia dividenda sit, non una est Ecclesiarum disciplina. Græci in quatuor eam dividunt partes, Mozarabi in novem, Latini vero communiter in tres : partium harum significationem Sergius Papa edocet apud Ivonem, lib. I *De Sacramento Eucharistiæ*, cap. XVIII. Vide Innocentium III, lib. VI *De Mysteriis Missæ*, cap. III.

VI. Circa ipsam divisionem notanda est observatio Ernulfi Roffensis Episcopi, in Epistola II ad Lambertum, relata in tomo II *Spicilegii* Dacheriani, quæstione II, ubi hæc habet : « Non» nullæ Ecclesiæ illum habent usum, ut hostiam » non per medium dividant, sed eam trium » æqualitate partium comminuant. » Et paucis interjectis, exponens rationem cur hostia tres dividatur in partes, hæc addit : « Ecclesiastica » inolevit consuetudo ut, Episcopo aut Presby» tero sacrificante, et Diacono ac Subdiacono » cooperante, ejusdem obsequii nemo, aut raro » quisquam a sanctæ communionis excipiatur » participatione. Quia ergo ipsis tribus Dominici » altaris servitoribus commissa sunt Dominica » Sacramenta, quibus Scriptura communicare » jubet, statutum est ut arcanæ recordationis » hostia in tres partes dividatur : quæ divisæ a » singulis servitoribus singulæ suscipiantur : » quarum una Sacerdos in calice securius sibi » reservata, cæteras in patena Ministris, si præ» sentes fuerint, porrigendas custodit. Eis ab» sentibus, sicut agit quod erant acturi, ita » accipit quod erant accepturi. » Deinde alias mysticas rationes adducit, quas curiosus quispiam apud ipsum scriptorem legere poterit. Cæterum, etsi in *Sacramentario S. Gregorii*, in consecratione patenæ legatur, « ad conficien» dum in ea Corpus Domini ; » rectius in aliis passim Pontificalibus, *ad confringendum* legitur.

§ III.

Tum Pontifex, accepta mitra, facit cum pollice dextræ manus chrismate intincto crucem super patenam ab ora in oram, et mox linit et perungit totam ejus superficiem cum ipso pollice dicens : *Conse✠crare et sancti✠ficare digneris, Domine Deus, patenam hanc per istam unctionem et nostram bene✠dictionem in Christo*

Digitized by Google

Jesu Domino nostro, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Liber *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, in quo alias nulla est mentio illius Orationis : *Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium, etc.*, mandat quidem Episcopo patenam consecranti ut, post recitata verba *consecramus et sanctificamus, etc.*, ut supra initio Commentarii ad § II, « inde faciens signum crucis de oleo sancto » super patenam, dicat : *Consecrare et sancti-* » *ficare digneris, Domine, patenam hanc per* » *istam unctionem et nostram benedictionem in* » *Christo Jesu Domino nostro, qui vivis, etc.* » Idipsum legitur in manuscripto Missali Gellonensi, in Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille; Cadurcensi, annorum octingentorum; et in aliis, in quibus passim lego unctionem in ipsa patena faciendam esse in modum quidem crucis, sed tamen *de oleo sancto.* Sane vetus Ordo Romanus, Pontificalis codex Gulielmi Durandi, et alii nonnulli chrismatis unctionem præscribunt; Ratoldi autem codex in consecratione patenæ oleum et chrisma adhibendum mandat.

II. Rursus in ipso S. Gregorii Papæ *Sacramentorum* libro, et in manuscripto Pontificali Cadurcensi, annorum circiter octingentorum, statim post unctionem sequitur Oratio, quæ *Benedictio patenæ* dicitur, hunc in modum : « Domine Deus omnipotens, qui per Moysen » famulum tuum tabernaculi tui altare et vasa » omnia divino cultui mancipasti : clementiam » tuam supplices deprecamur ut hoc vas aptum » cultibus tuis dignumque altaribus reddas; ut » sanctificatum in nomine tuo, Corporis tui » pretiosum ferculum deputetur. » Alludit hæc Oratio ad caput XL libri *Exodi*, ubi Deus Moysi jussit ut tabernaculum testimonii erigeret, assumptoque unctionis oleo, ungeret tabernaculum ipsum cum vasis suis, etc. Unde facile est credere, quod alibi diximus, consecrationem patenæ ac calicis, et aliarum rerum, a veteri Testamento originem suam ducere.

III. In manuscripto Anglicano Pontificali monasterii Gemmeticensis binæ post patenæ unctionem Orationes leguntur, quarum altera ita inquit : « Deus omnipotens, universarum » rerum rationabilis artifex, qui inter cæteras » creaturas formam lapidei metalli ad obse- » quium tui Sacrificii condidisti, ut legis liba- » torii tuo præparetur altari; annue dignanter, » hujus institutor mysterii, ut quidquid hic » oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat » holocaustum, atque omnium hic offerentium » sacrificia a te pio Deo benigne suscipiantur, et » per ea peccatorum nostrorum et eorum vin- » cula absolvantur, maculæ deleantur, gratiæ » acquirantur, quatenus una cum Sanctis et » electis tuis vitam percipere æternam merca- » mur. Per. » Altera Oratio, quæ statim sequitur, ita habet : « Deus, qui per typicum » Pascha et escis Agni carnibus panem ex ca- » tino sumere in proprii comparatione Cor- » poris, et discipulis distribuere dignatus es : te » supplici devotione deposcimus ut quicumque » de hac patena ore panem sacratum perce- » perint, te vivum et verum panem corde con- » cupiscant et capiant, et benedictionem me- » reantur percipere æternam. Per. » In Ordine antiquo Romano, et in omnibus fere aliis Pontificalibus tum antiquis, tum recentioribus, post unctionem patenæ, nulla alia dicitur Oratio; sed statim sequitur consecratio calicis, de qua nos in §§ sequentibus dicemus.

§ IV.

Deinde, stans adhuc cum mitra, procedit ad benedictionem calicis, dicens : *Oremus, Fratres charissimi, ut Deus et Dominus noster calicem istum in usum ministerii sui consecrandum cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet, et ad humanam consecrationem plenitudinem divini favoris accommodet. Per Christum Do-*

Digitized by Google

minum nostrum. ℟. *Amen.* Tum, deposita mitra, dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Dignare, Domine Deus noster, calicem hunc bene✠dicere in usum ministerii tui pia famulatus devotione formatum, et ea sancti✠ficatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti; et quod arte vel metalli natura effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua bene✠dictione sanctificatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Nullum adhuc antiquum recentiusve Pontificale reperi in quo ad calicem benedicendum non legatur descripta initio nostri § Oratio, *Oremus, Fratres charissimi, etc.*, quæ quidem in Ordine antiquo Romano, in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, et in quibusdam aliis *Præfatio* dicitur. In libro *Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, in Missali manuscripto Gellonensi, in Pontificali manuscripto Egberti Eboracensis episcopi, in Anglicano monasterii Gemmeticensis, et in aliis, post ipsam Præfationem, *Oremus, dilectissimi Fratres, ut Deus et Dominus noster calicem istum, etc.*, statim altera nostri hodierni Romani Pontificalis Oratio sequitur, *Dignare, Domine Deus noster, calicem istum, etc.* Sane in hac Oratione illa verba notanda sunt, quibus dicitur sacratum Melchisedech famuli sui calicem fuisse a Deo sanctificatione perfusum. Fingunt siquidem heterodoxi Melchisedech panem et vinum quidem protulisse in corporalem refectionem Abraham et sociorum ejus, qui fatigati et famelici revertebantur ex prælio.

II. Duo autem Catholici asserunt : primo, Melchisedech non ut regem, sed ut Sacerdotem protulisse panem, et vinum non profanum, sed sanctificatum ; secundo, obtulisse Deo in Sacrificium, ac deinde dedisse militibus, non ut famem et sitim exstinguerent, sed ut sacrificii essent participes. Id quod non obscure colligitur ex *Geneseos* cap. XIV, ubi de ea re ita legitur : *At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi), benedixit ei, et ait : Benedictus Abram Deo excelso, et benedi tus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Ubi nota verba illa, *erat enim Sacerdos Dei altissimi,* nihil significare quam Melchisedech, non ut regem, sed ut Sacerdotem protulisse panem et vinum, ac proinde non protulisse ad refocillandos milites ex prælio redeuntes, quippe qui jam erant refocillati ex præda quam hosti abstulerant, uti habetur in ipso *Geneseos* cap. XIV, versiculo XXIV; sed protulisse in usum sacrificii pro parta victoria.

III. Fuse id ipsum sancti Ecclesiæ Patres, ac sacri ejus loci interpretes passim docent. Clemens Alexandrinus, lib. IV *Stromatum*, cap. VIII, id satis insinuat, ubi ita inquit : « Melchisedech » rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui panem » et vinum sanctificatum dedit nutrimentum, » in typum Eucharistiæ. » Dedit itaque Melchisedech Abrahamo et sociis ejus panem et vinum *sanctificatum*, id est prius Deo obtulit in sacrificium. Dedit nutrimentum *in typum Eucharistiæ.* Sicut enim Eucharistia prius offertur Deo in sacrificium, ac deinde datur fidelibus, ut illius sacrificii sint participes : ita, servata proportione de pane et vino Melchisedech, quæ fuerunt typus Eucharistiæ, dicendum est. Prius enim oblata sunt Deo in sacrificium, deinde distributa in milites ut in sacrificio participarent. Multos alios Patres de ea re ita sentientes afferunt Estius, Bellarminus, Becanus, et alii passim theologi.

IV. Præter descriptas binas Orationes hæc alia sine aliis præscriptis ritibus Oratio legitur ad benedicendum calicem in laudato S. Gregorii Papæ *Sacramentorum* libro : « Deus, qui Moysi » famulo tuo in Oreb monte servanda populo » tuo præcepta disponens, templum sanctum » tuum, qualiter ædificaret, instituisti; sacra » quoque vasa, quæ inferri altari tuo deberent, » ad instar vasorum cœlestium docuisti : pre- » camur ut hunc calicem, in quo celebraturi

Digitized by Google

» sumus sacrosancta mysteria, emissione sancti » Spiritus tui cœlesti benedictione sanctifices, » gratum et acceptabilem habeas atque bene» dicas, ac digne sociatum vasculis tuis, et acce» ptabilem deferat famulatum, et digne tuis » mysteriis consecretur. Per Dominum nostrum » Jesum Christum Filium tuum. » Vide librum *Exodi*, cap. xxv et seqq., in quibus apparens Dominus Moysi in monte Oreb, de tabernaculi constructione ac de sacrorum vasorum oblatione varia eidem præcepta dedit; ad ea quidem alludit hæc S. Gregorii Oratio.

V. Neque insuper hic omittendum est, in Anglicano monasterii Gemmeticensis Pontificali, quod plane est antiquissimum, ut pote annorum circiter mille, ad benedicendum calicem binas initio legi Orationes, quarum altera ita incipit : « Oramus te, Domine Deus noster, » ut calicem istum, etc. » Altera vero hunc ait in modum : « Deus, qui, accepto et distributo » pane, vetus determinans Pascha, et novum » insinuans, calicem accipiens benedixisti, et » discipulis tuis ad bibendum porrexisti; quique » in cruce pro mundi salute positus aquam ex » latere proprio una cum sanguine profluxisse » superna sanctione voluisti : respice propitius » ad humilitatis nostræ famulatum, et per te » impositam benedictionem, et præsta ut qui» cumque ex hoc calice mysticam Sanguinis » tui memoriam mundato corde prægustent, » peccatorum omnium a te misericordissimo » veniam, et gaudia impetrare mereantur » æterna. Per. » Tum binæ aliæ Orationes sequuntur, *Oremus, dilectissimi Fratres, etc.* et *Dignare, Domine Deus noster*, in nostro hoc § descriptæ, iisque Orationibus calicis benedictio seu consecratio absolvitur. In Pontificali manuscripto Halinardi archiepiscopi Lugdunensis, annorum circiter septingentorum, ad benedicendum calicem primo dicitur, *Dignare, Domine Deus noster, etc.*, deinde vero, *Oremus, dilectissimi Fratres, etc.*

§ V.

Deinde, accepta mitra, facit crucem cum pollice dexteræ manus de chrismate intra ipsum calicem a labio ejus in labium, et mox linit et perungit interius ipsum totum, dicens : *Conse✠crare et sancti✠ficare digneris, Domine Deus, calicem hunc per istam unctionem et nostram bene✠dictionem in Christo Jesu Domino nostro, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Tum, deposita mitra, dicit super calicem et patenam :

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris, quæsumus, opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram bene✠dictionem hoc vasculum et patena sanctificentur, et Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi novum sepulcrum sancti Spiritus gratia efficiantur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quanquam ex libro *Sacramentorum* sancti Gregorii Papæ, ex Pontificalibus manuscriptis Egberti Eboracensis archiepiscopi, Anglicano monasterii Gemmeticensis, ex Missali Gellonensi, itemque ex codicibus Remensi, Rodradi, Ratoldi aliisque compluribus, nulla fiat mentio de unctione chrismatis in consecratione seu benedictione calicis adhibenda; diserte nihilominus mandat vetus Ordo Romanus ut Episcopus « faciat crucem de chrismate super » ipsum calicem per latera; » eaque cæremonia peracta, statim dicat Orationem *Omnipotens*

Digitized by Google

sempiterne Deus, manibus nostris, etc., omissa illa in unctione verborum formula, *Conse✠crare et sancti✠ficare digneris, Domine, etc.*, quæ tamen legitur in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali in Rubrica *De patenæ et calicis benedictione*, quam in Appendice integram exhibebimus. De unctione in benedictione calicis adhibenda celebre exstat testimonium in cap. *Cum venisset, De sacra unctione*, in cujus fine ita legimus : « Ungitur præterea, secundum Ecclesiasticum morem, cum consecretur altare, » cum dedicatur templum, cum benedicitur » calix. » Ait ibidem auctor ejus Decretalis, Innocentius III, id quidem fieri « non solum ex » mandato legis divinæ, verum etiam exemplo » beati Silvestri qui, cum consecrabat altare, » illud chrismate perungebat. » Tum addit hanc rationem, quod Dominus scilicet, *Exodi* cap. xxx, præceperit Moysi « ut faceret oleum » unctionis, de quo ungeret testimonii taber» naculum, et arcam testamenti, mensamque » cum vasis. »

II. In Ordine antiquo Romano, præter Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris, etc.*, hæc alia legitur Oratio, « Deus, qui Moysi famulo tuo in Oreb monte servanda, etc.» quam ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ in præcedenti Commentario descripsimus explicuimusque, num. III. Porro etiam apud Græcos consuevisse novam patenam et calicem rite a Pontifice sancti unguenti unctione atque Orationibus consecrari, docet nos Allatianum Pontificale Euchologium, quod suo *Euchologio* inseruit Jacobus Goar, pag. 671 et 672, et in nostra Appendice nos referemus. Utrumque itaque a curioso Lectore consulendum.

§ VI.

Demum aspergit calicem et patenam cum aqua benedicta, quod fieri debet in omnibus quarumlibet benedictionibus rerum. Quo facto, abstergi facit per aliquem Sacerdotem patenam et calicem cum mica panis, et bene mundari. Deinde extersiones projiciuntur in ignem vel sacrarium.

COMMENTARIUS.

De usu aquæ benedictæ in benedictionibus Ecclesiasticis, non semel, ubi scilicet se occasio præbuit, diximus. Plura de eadem scripsit Marcus Antonius Marsilius Columna, archiepiscopus Salernitanus, in suo de *Hydragiologia*, sive de aqua benedicta opere. De ipsius virtute supervacaneum est disserere, cum nihil tam frequens apud Surium in Vitis Sanctorum, et apud scriptores Ecclesiasticos invenias, quam mira a sanctis viris patrata aquæ benedictæ, quam vocant *sanctam*, virtute. Cæterum nostræ Rubricæ consonat Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi, ubi ita inquit : « Ultimo aspergat calicem » et patenam cum aqua benedicta. Quod etiam » fieri debet in omnibus quarumlibet rerum » benedictionibus. »

Digitized by Google

APPENDIX,

In qua Pontificales Ordines ad benedicendum patenam et calicem referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur, num. 4744.

De patenæ et calicis benedictionis Rubrica.

Pontifex ad benedictionem vel consecrationem, calicis, vel cujuslibet indumenti vel ornamenti Ecclesiastici, procedere volens, semper orarium circa collum habere debet, et si mitram tenuerit, debet ipsa deposita hoc agere. Quicumque autem Episcopalia agit, Episcopalibus, non Sacerdotalibus debet esse paramentis ornatus. In patenæ enim consecratione hoc modo procedit. Incipit enim versus : « Adjutorium nostrum in » nomini Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.» Postea dicit absolute : *Præphatio patenæ consecrandæ.* « Oremus, Fratres dilectissimi, ut di- » vinæ gratiæ benedictio consecret et sancti✠fi- » cet hanc patenam ad confringendum in ea » Corpus Domini nostri Jesu Christi, qui crucis » passionem sustinuit pro salute omnium no- » strum. Qui cum Patre et Spiritu sancto, etc. » ℟. Amen. »

Benedictio patenæ : « Omnipotens sempiterne » Deus, qui legalium, etc., ymolari. Qui tecum. » ℟. Amen. » Hic faciat Episcopus crucem cum pollice de chrismate super patenam ab ora ejus in oram, et mox liniat et perungat totam ejus superficiem cum ipso pollice, dicens : « Con- » se✠crare, etc. »

Præphatio calicis consecrandi : « Oremus, » dilectissimi Fratres, etc. »

Benedictio calicis : « Dignare, Domine Deus » noster, calicem istum bene✠dicere, etc. » Hic faciat crucem cum pollice de chrismate infra ipsum calicem a labio ejus in labium, et mox liniat et perungat interius ipsum totum, dicens : « Conse✠crare, et sancti✠ficare di- » gneris, Domine Deus, calicem istum, etc. »

Oratio communis post unctiones : « ℣. Domi- » nus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Omni- » potens sempiterne Deus, manibus nostris, etc. » efficiantur : Qui tecum vivit, etc. ℟. Amen. »

Ultimo aspergat calicem et patenam cum aqua benedicta. Quod etiam fieri debet in omnibus quarumlibet rerum benedictionibus.

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali Barensis Ecclesiæ.

Ad patenam benedicendam : « Conse✠cra- » mus et sancti✠ficamus, Domine, hanc pate- » nam, etc. » Alia Oratio. « Omnipotens sem- » piterne Deus, qui legalium institutor es » hostiarum, etc. » Deinde facit signum de chrismate sancto, et dicit : « Conse✠crare et » sancti✠ficare digneris, Domine, patenam » hanc per istam unctionem et nostram bene- » ✠dictionem in Christo Jesu Domino nostro. »

Ad calicem benedicendum : Oratio. « Oremus, » dilectissimi Fratres, ut Deus et Dominus noster » calicem hunc in suo ministerio consecrandum » cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet, ut ad » humanam benedictionem plenitudinem Do- » minici favoris accommodet. Qui venturus est » judicare, etc. »

Benedictio : « Dignare, Domine, calicem is- » tum, etc. »

Deinde super calicem facit crucem de chrismate, et dicit hanc Orationem : « Conse✠crare » et sancti✠ficare digneris, Domine, hunc cali- » cem, etc., » ut supra in patena.

« Omnipotens sempiterne Deus, Trinitas, et » inseparabilis manibus nostris, quæsumus, etc. »

ORDO III.

Ex Allatiano Euchologio Pontificali, relato ab erudito viro Jacobo Goar, pag. 671, ubi describit officium in Encæniis, sive consecratione patenæ et calicis novi.

Dicit Pontifex : « Benedictum regnum Pa- » tris, et Filii, et Spiritus sancti. » Et incipit Pontifex, dicens : « In pace Dominum prece- » mur. Pro superna. Pro pace totius. Pro san- » cta hac domo. Pro Episcopo. Pro pientissi- » mis, ut cum eis prælietur. Pro civitate. Pro

Digitized by Google

» temperie aeris. Pro navigantibus. Ut liberemur, Sanctissime. » Et Pontifex dicit : « Quia » convenit tibi omnis gloria. »

Mox illa sancto perungit unguento. Cum vero fuerint uncta et sanctificata, dicit Pontifex hanc Orationem : « Pax omnibus. Dominum precemur. Dominator Domine Deus noster, Fili et » Verbum Dei viventis, Domine Jesu Christe, » qui novi testamenti calicem sanctificasti, et » in lætitiam cunctis ejus futuris consortibus » contulisti. Ipse quoque nunc, Domine Christe, Deus noster, Spiritum sanctum tuum » super calicem hunc novum mitte, et benedic, » sanctifica et consecra illum : et pacem, charitatem concordiamque, quæ nunquam excidit, cunctis ex eo participibus præbe. Tu enim » es sanctificatio et illuminatio nostra, Christe » Deus noster, et tibi gloriam referimus, cum » principii experte tuo Patre, et sanctissimo, et » bono, et vivifico tuo Spiritu, nunc, et semper, » et in secula seculorum. Amen. »

Et signat illa manu, dicens : « Ecce sanctificatus et consecratus est calix salutis, et discus » (*a*) vitæ novi testamenti, in nomine Patris, » et Filii, et sancti Spiritus, nunc, et semper, » et in secula seculorum. » Et fit integra dimissio.

ORDO III.

Ex alio Officio pro consecratione patenæ et calicis, novorum et intactorum apud eumdem Goar, pag. 672.

« Pax omnibus. Dominum precemur. Emitte, » Domine Deus noster, super patenam istam » (sive discum) sanctissimi tui Spiritus virtutem » sacra operantem, ut in ea Agnum immolemus, » et Christi tui peccatum mundi tollentis corpus fidelibus ex morte ad vitam transituris » traditum offeramus. Beneplacito et pietate » tua, nunc, et semper, et in secula seculorum. » Amen. »

« Dominum precemur. Expande, Domine, » super calicem istum de incircumscriptis finibus tuis Spiritum tuum sanctum, Spiritum » veritatis, principalem et vivificum; ut in eo » sanguinem pretiosum, per quem super ovile » tuum misericordiam effudisti, afferamus in » remissionem peccatorum credentibus, et passionem tuam confitentibus. Quia tu es gratiæ » largitor, et tibi convenit gloria cum Patre tuo, » et vivifico tuo Spiritu, nunc, et semper, et in » secula seculorum. Amen. »

Deinde sancto unguento linit, dicens : « In » nomine Patris, et Filii, et sancti Spiritus, » nunc, et semper, et in secula seculorum. » Amen. »

Et dicit : « Ecce sanctissimi altaris sacra patena cum sancto calice sanctificata et consecrata est, Patris opera, unigeniti Filii ejus » beneplacito, et sanctissimi Spiritus obumbratione et adventu, nunc, et semper, et in » secula seculorum. Amen. »

TITULUS X.

DE BENEDICTIONE SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

I. Cum de antiquitate, varietate ac usu sacrarum vestium fuse disseruerimus nostro primo tomo Romani Pontificalis, et quidem per multa capita in Prolegomenis, ac alibi sparsim in Commentariis; pauca hoc loco duntaxat attingam. Sane cum in veteri Testamento præceperit Dominus Moysi ut faceret Aaron Sacerdoti et filiis suis vestes sanctas in gloriam et decorem, ut non nisi loti, vestibus sacris induti, Sacerdotio fungerentur, juxta ea quæ leguntur in libro *Exodi*, cap. XXVIII et XXXI, profecto intelligere debet populus Christianus, ait Ivo Carnotensis

(*a*) Discus idem est ac *patena;* vas nempe illud in quo Græci ac Latini Corpus Christi reponunt. S. Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus in sua *Rerum Ecclesiasticarum Theoria :* « Discus, inquit, est vice manuum » Joseph et Nicodemi, qui funus Christo celebrarunt. »

Digitized by Google

episcopus in Epistola CXXIV, quod si in sacrificiis, quæ tantum faciebant ad emundationem carnis, cum tanta reverentia iste ritus vestimentorum erat observandus, quanto magis in consecratione Corporis et Sanguinis Domini, in quibus consistit emundatio carnis et spiritus, non statim ad mysticas benedictiones et obsecrationes, quibus illa consecratio perficitur, quilibet est admittendus, nisi primum fuerit in ordine Sacerdotali consecratus, et omnium congruentium supellectilium plenitudine ornatus!

II. Hinc mirum videri haud debet, si initio nostræ Religionis constitutæ fuerint ad usum divini ministerii sacræ vestes; nihil enim est sanctius et augustius ipso Missæ sacrificio : « Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si » tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, » Presbyter, Diaconus, et reliquus ordo Eccle- » siasticus in administratione sacrificiorum, » candida veste processerint? » Verba sunt S. Hieronymi, lib. I *Adversus Pelagianos*. Idem S. Doctor *In cap.* XLIV *Ezechielis*, ubi scribit vestibus lineis suo uti consuevisse tempore Ægyptios Sacerdotes, « non solum intrinse- » cus, sed et extrinsecus, » ita deinde subjungit : « Porro Religio divina alium habitum habet in » ministerio, alterum in usu vitaque communi. » Testatur Eginardus in Vita Caroli Magni, hunc religiosissimum principem in basilica, quam Aquisgrani exstruxit, vestimentorum Sacerdotalium tantam copiam procurasse, ut in Sacrificiis celebrandis, ne janitoribus quidem, qui ultimi Ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuerit. Id quod etiam tradit Sigisbertus ad annum Domini 795. Hac eadem gloria celebrari complures antiquos æque ac recentes, tum laicos principes, cum Præsules, Ecclesiasticos, sacri scriptores in suis Historiis passim testantur.

III. Quod si rationem ipsam consulamus, nixa quidem illa est S. Pauli documento scribentis in Ep. I ad Corinthios, cap. XIV, omnia secundum ordinem et decorum esse facienda : decorum autem et communis honestas requirunt ut inter sacra et profana discrimen ponatur, inter spiritale et temporarium, cœleste et æternum, divinum et humanum, uti eleganter docet Petrus Cotonus, lib. II *Institutionis catholicæ*, cap. I, ubi etiam scite observat consules ipsos, scabinos, ædiles aliosque magistratus qui reipublicæ clavum tenent, habere sua insignia propriosque ornatus, quibus a turba segregantur. Si itaque justitiæ Sacerdotes, qui jura legesque moderantur, certum habent et proprium capitis velamentum, togis quoque purpureis utuntur in rebus gravioribus, cum eorum functiones omnes communibus in rebus atque terrenis, ut in proprio elemento hæreant : esset ne conveniens et decorum ut qui divina mysteria pertractat, in suggestum ingrediatur tanquam unus de multis, petasatus, thorace, pallio, pugione conspicuus, omni cultu et amictu profanus? Certe S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV, aliique Præsules in suis provincialibus ac diœcesanis Synodis, omnino, cum fieri potest, servandum esse statuere, ut qui sacrificio Missæ inservit, si Clericus sit, veste talari et superpelliceo indutus inserviat.

IV. Sed innumeris silentio omissis de ea re exemplis, describendum hic nobis est pervetustum pariter ac celebre decretum, quod passim S. Stephano Papæ ac martyri, qui vixit anno 250, tribuunt. Is siquidem ad rem nostram, ita ad Hilarium scripsisse perhibetur : « Vestimenta » Ecclesiæ, in quibus Domino ministratur, et » sacrata debent esse, et honesta, quibus aliis » usibus non debent frui, quam Ecclesiasticis et » Deo dignis officiis; quæ nec ab aliis debent » contingi, aut ferri, nisi a sacratis hominibus : » ne ultio, quæ Balthasar regem percussit, su- » per hos transgrediens veniat, et corruere eos » faciat ad ima. » Hujus sancti Pontificis constituti meminit quidem in ejus Vita liber Pontificalis, itemque venerabilis Beda, Ado, Alcuinus, Strabo, Ivo Carnotensis episcopus, Gratianus aliique complures. In eo Decreto multa sunt quæ observari possent circa sacrarum vestium : sed quod in præsenti scopum facit, non omittendum; illudque est, *sacrata* esse debere, id est rite ab Episcopo benedicta, vestimenta Ecclesiastica quibus Domino in sacrificiis ministrandum est.

V. Hæc disciplina fortius roboratur auctoritate librorum Pontificalium, inter quos recensemus *Sacramentorum* libros a SS. Gelasio I et Gregorio I Pontificibus Maximis editos, in quibus passim legimus benedictiones sacrarum vestium in usum sacrificii. Cui disciplinæ religiose adhærentes reges Francorum, lib. VII *Capitularium*, cap. CCCXXXI, inter alia ita inquiunt :

Digitized by Google

« Sunt etiam ab Episcopis consecranda et bene-
» dicenda corporales pallæ, et alia vestimenta
» Sacerdotalia, nec non et omnia quæ in usus
» basilicæ vel altaris, sive in ministerio Sacer-
» dotum ad divina mysteria explenda comple-
» ctuntur, quatenus cum his sacris Deo sacratius
» sive placabilius ministrare valeant. » Mos erat consecrandi sacra vasa, vestimenta Sacerdotalia, aliaque ecclesiæ utensilia, ubi ecclesia ipsa dedicabatur, uti constat ex antiquis Pontificalibus et ex ipso Romano Ordine ab Hittorpio edito.

VI. Apud Græcos, tametsi Leviticis Sacerdotalibusque indumentis semel et generatim cultui divino dicandis benedictiones *Euchologium* nullas assignet, sua tamen quoties Diaconus induit, Sacerdoti benedicenda offert, propriaque Sacerdos assumpturus benedictionis expertia nusquam relinquit. Est sane is apud ipsos Græcos ritus antiquus, de quo in *Ordine sacræ ac divinæ Missæ* S. Joannis Chrysostomi ita circa initium legimus : « Ingressi autem in sacrarium (Dia-
» conus scilicet et Sacerdos) accipiunt in mani-
» bus suis tunicam sibi propriam. » Statimque hæc de Diacono subdit : « Deinde Diaconus in-
» clinato capite accedit ad Sacerdotem, et manu
» dextra tenens dalmaticam cum stola, dicit :
» *Benedic, Domine, tunicam cum stola.* At Sa-
» cerdos benedicens manu, dicit : *Benedictus*
» *Deus noster, perpetuo, nunc, et semper, et in*
» *sæcula sæculorum. Amen.* Dehinc secedit Dia-
» conus seorsum in unam sacrarii partem, et in-
» duitur tunica, orans hoc pacto : *Exultabit ani-*
» *ma mea in Domino, induit me vestimento salutis,*
» *et tunica lætitiæ circumdedit me; et tanquam*
» *sponso mihi mitram imposuit, et velut spon-*
» *sam me ornamento circumvestivit.* Et stolam
» osculatus, sinistro humero illam imponit. »

VII. Tum de Sacerdote propria sibi vestimenta sumpturo sermonem instituens, hæc habet : « Sacerdos autem cum et ipse tunicam
» acceperit, eam benedicit, ac osculatus induit,
» dicens apud se, sicut et Diaconus, præfatum
» Psalmum; et Sacerdos accipit supermanicalia,
» et in dextra quidem manu sic dicit : *Dextra*
» *tua, Domine, glorificata est in virtute : dextera*
» *tua, Domine, confregit inimicos : et multitu-*
» *dine gloriæ tuæ adversarios contrivisti.* At in
» sinistra manu dicit sic : *Benedictus Deus qui*
» *effundit gratiam super Sacerdotes suos ut*
» *unguentum super caput, quod descendit in*
» *barbam, barbam Aaron; quod descendit in*
» *oram vestimenti ejus, ut ros Hermon, qui*
» *descendit in montem Sion : quoniam ibi man-*
» *davit Dominus benedictionem, vitam usque in*
» *sæculum.* Et accipiens zonam benedictam
» osculatur, et ait : *Benedictus Deus, qui præ-*
» *cingit me virtute, et effundit gratiam suam,*
» *perpetuo, nunc, et semper, et in sæcula sæ-*
» *culorum. Amen.* Mox accepto subgenuali, si
» est Protosyncellus magnæ ecclesiæ, vel quivis
» alius habens dignitatem aliquam, et postquam
» id benedixit et osculatus est, dicit : *Accingere*
» *gladio tuo super femur tuum, potentissime.*
» *Specie tua, et pulchritudine tua, et intende, et*
» *prospere procede, propter veritatem, et man-*
» *suetudinem, et justitiam, et deducet te mira-*
» *biliter dextera tua : perpetuo, nunc, et sem-*
» *per, et in sæcula sæculorum. Amen.* Post
» hæc accipiens casulam, et benedicens, ex-
» osculatur, et ait : *Sacerdotes tui, Domine, in-*
» *duantur justitia, et Sancti tui exultatione*
» *exultabunt : jugiter, nunc, et semper, et in*
» *sæcula sæculorum. Amen.* »

VIII. Plura de sacris indumentis Episcoporum, atque aliorum inferiorum Ordinum diximus quidem nostro I tomo hujus operis in Prolegomenis, et ibidem ubi egimus de sacris Ordinationibus; hic ut aliqua de ritu Græco subjiciamus, *supermanicalia* idem sunt ac *brachialia,* vel *manipuli,* quibus Ecclesia Latina utitur. « Brachialia, » inquit Balsamon, Responso XXXVII ad Marci monachi interrogata, « notæ sunt et signa vinculorum manibus Do-
» mini et Dei nostri Jesu Christi implicatorum
» cum ad passionem voluntariam adduceretur. »
Subgenuale est ornamentum a solis Græcis usitatum, formæ quadrangularis, palmi et dimidii ex unoquoque latere, et e zona gestatur appensum; de quo Simeon episcopus Thessalonicensis in lib. *De templo* sic ait : « Pontifex e zona de-
» pendens supergenuale fert, quod victoriam
» adversus mortem, nostræque naturæ immor-
» talitatem, et robur Dei contra maligni dæmo-
» nis tyrannidem validissimum ostendit. Quam-
» obrem et romphææ similis est, et cum his
» alligatur, ubi hominis vires sitas prædicant. »
Id quod Oratio a Sacerdote, dum illo præcingitur, recitata indicat.

IX. Genuale et brachialia picta vel intexta, Christi effigie insignita, sunt quidem propria

Digitized by Google

indumenta Pontificum; brachialia enim non nisi imaginibus nudata assumit simplex Sacerdos. Ex privilegio nihilominus quilibet in magna ecclesia vel officio vel dignitate cæteris eminentior, illa sibi vindicat, si tamen Sacerdos fuerit, ut testatur Thessalonicensis in lib. *De Sacramentis*. Ergo brachialia Christi effigie ornata plurimis abhinc sæculis sunt propria Pontificum ornamenta. Hi enim populo ex reverentia manus exosculanti, ut et sacrarum imaginum cultum in Oriente valde oppugnatum commendarent, et Christum potius omni honore prosequendum ostenderent, sacram illam imaginem exosculandam objiciebant; ea ratione qua Episcoporum summus et Christi Vicarius cuilibet ad pedum oscula proruenti crucem soleæ eminentem adorandam opponit, ut docet eruditissimus Goar in suo *Euchologio*.

X. Porro sacræ vestes rite ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente, benedictæ suam amittunt benedictionem, quoties ita dissolvuntur aut minuuntur, ut vel formam perdant aut mutent, vel aptæ non sint ad usum suum. Dicitur autem forma mutari, cum tanta pars amota est, ut non liceat sine illa celebrare, nempe si medietas, vel tota manica albæ. De cingulo fracto tradunt doctores, quod quandiu alterius partis tantum remanet quantum sufficiat ad honeste ex more cingendum, liceat cum eo celebrare, maxime vero in necessitate; quia scilicet videtur esse corpus uniforme, cujus scilicet quælibet pars est ejusdem rationis vel qualitatis cum alia, vel cum toto, licet non ejusdem quantitatis; et multo fortius id procedit, si antequam fractura compleatur, nodo fortificetur. Ad ista autem facit illud dictum communiter apud doctores approbatum, nempe quod si de stola fiat manipulus, aut e contra, non oportet quod iterum benedicantur; quia scilicet non videtur esse alia forma, nisi quod unum est longius, aliud brevius; quæ brevitas formam non mutat.

XI. Vestes Sacerdotales cum quibus schismatici celebraverunt, non oportet propter hoc iterum benedici, sicut nec altaria in quibus sacrificia fecerunt iterum consecrari, nec sepultos ab eis exhumari, uti expresse decidit Honorius III in Epistola sua decretali ad Archiepiscopum Londinensem et ejus Suffraganeos missam (ut in sexta collectione legitur, sive, ut recte docet Cironius, ad Capitulum Brehemensæ in Germania), et relatam in cap. II *De Sacramentis non iterandis;* ubi ita inquit Pontifex : « A » nobis humiliter quæsivistis quid fieri debeat » de mortuorum corporibus qui tempore schi- » smatici et reprobi Waldemarii a schismaticis » sunt sepulti; et de indumentis sacerdotalibus » cum quibus, nec non de altaribus in quibus » degradati Presbyteri celebrarunt. Nos autem » inquisitioni vestræ breviter respondemus, » quod non credimus, ob hoc duntaxat, sepultos » hujusmodi exhumandos, aut debere indumenta » talia iterum benedici, vel reconsecrari altaria » supradicta. » Waldemarus fuit filius Canuti qui initio sæculi XIII pro rege Daniæ se gerebat, vivente Waldemaro regni legitimo successore; plura de ipso scribit Cironius in laudato cap. II *De Sacramentis non iterandis*. Dicitur autem schismaticus, quia adhæsit Philippo imperatori schismatico. Vide Emmanuelem Gonzalez in Notis ad ipsum caput II.

XII. Sacerdotales easdem vestes benedictas non posse in usus profanos converti, sed si vetustate consumptæ sint, comburi debere, et cineres in loco sacro sepeliri, docent passim canonici juris consulti, allegantque celebrem illam juris canonici regulam : « Semel Deo » dicatum non est ad usus humanos ulterius » transferendum. » Quod adeo verum est, ut ne quidem ligna ecclesiæ dirutæ vel collapsæ in usum laicorum transferri possunt, sed vel alteri ecclesiæ sive monasterio applicanda, vel igne exurenda sunt; uti legitur in can. *Ligna, De consecratione*, distinctione I, et in canone sequenti, cujus hæc sunt verba : « Altaris palla, » cathedra, candelabrum et velum, si fuerint » vetustate consumpta, incendio dentur; quia » non licet ea quæ in sacrario fuerint male » tractari: sed incendio universa tradantur, cine- » res quoque eorum in baptisterio inferantur, » ubi nullus transitum habeat; aut in pariete, » aut in fossis pavimentorum jactentur, ne in- » trocuntium pedibus coinquinentur. » Plane in hoc summopere commendandi sunt Patres Congregationis Oratorii Sanctæ-Mariæ in Vallicella, qui sacras vestes, ubi consumi incipiunt, pauperioribus ecclesiis donant.

XIII. Vestibus sacris et benedictis nec prætextu pietatis posse mortuos indui, et cum eisdem sepeliri, constat ex can. *Nemo* XXXVIII, *De con*

Digitized by Google

secratione, distinctione I. Quod autem Sacerdotes et Episcopi sic induti sepeliantur, potest dici, inquit Silvester in sua *Summa*, verbo *Benedictio*, quæsito VII, quod non debent illæ vestes esse benedictæ, vel si sunt benedictæ, consuetudo excusat. Certe morem jam olim inolevisse ad hæc usque tempora servatum, ut Episcopi ac reliqui etiam Clerici defuncti vestibus ordini congruentibus sepeliantur, fuse demonstrat pluribus allatis exemplis Hugo Menardus in libro *Sacramentorum* S. Gregorii, pag. 267 et seqq.; Edmundus Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XII, num. X, XI et XII; Van-Espen, parte II *Juris universi Ecclesiastici*, tit. XXXVIII, cap. I, num. XVIII et seqq. Vide Rituale Romanum jussu Pauli V editum.

XIV. Fuse de sacris vestibus scribit eruditissimus Georgius in suo *De Liturgia Romani Pontificis* opere : nonnulla nos etiam attigimus in opere nostro *De Codice S. Evangelii*, lib. III, capite XLI, ubi ostendimus Evangelicas historias sacris olim Ecclesiæ ornamentis adpingi intexique consuevisse, rejecto aliquorum abusu, qui ea lege ornamenta vel vasa Ecclesiæ offerunt, ut in iis gentilitia eorum stemmata effulgeant. Indignum sane, nec omnino ferendum, ut hominum aliquando etiam infimæ plebis insignia quasi auctoramenta servitutis ferant Sacerdotes, cum sacris operantur; sicut pedissequi cum famulantur; sicut muli cum sarcinas ferunt. Dolent de hac re pii æque ac docti Sacerdotes, ac Præsules, inter quos magnus Ecclesiæ Mediolanensis antistes S. Carolus Borromæus in Concilio suo diœcesano XI, ubi ita præscripsit : « Sacris indumentis et locis ne » insignia stemmatave familiarum, aliaque pro» fana appingantur aut sculpantur. » Idipsum jubent Constitutiones Clericorum Regularium quos Theatinos vocant, parte I, cap. III : « Ne » permittatur ut in sacris indumentis familiarum » ponantur insignia. » Sed de hac re fuse jam alibi locuti sumus.

§ I.

Pontifex Sacerdotalia indumenta benedicere volens, stans sine mitra, dicit :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum, Pontificalia et Sacerdotalia seu Levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti, adesto propitius invocationibus nostris, et hæc indumenta Sacerdotalia desuper irrigante gratia tua ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium puri✠ficare, bene✠dicere et sancti✠ficare digneris, ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant; his quoque sacris vestibus Pontifices, et Sacerdotes, seu Levitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur, tuisque mysteriis apte et condigne servire et inhærere, atque in his tibi placide et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus invictæ virtutis triumphator, et omnium rerum creator ac sanctificator, intende preces nostras, et hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis et Pontificalis gloriæ ministris tuis fruenda tuo ore proprio bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris, omnesque eis utentes tuis mysteriis aptos, et tibi in eis devote

Digitized by Google

et laudabiliter servientes gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ut nullus vestimenta Sacerdotalia, vel altaris utensilia, præter Episcopum, benedicere præsumat, cautum est quidem ex Concilio Pictaviensi anni 1100, can. IV. Concilium Rotomagense anni 1445, cap. XII, præcepit inter alia Episcopis ut « pro benedictionibus vestimento- » rum et vasorum Ecclesiasticorum nihil reci- » piatur. » Ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, cui consonant alii complures Pontificales codices posterioris ætatis, ubi ecclesia dedicabatur, « tenentibus Subdiaconis vel Acolythis » linteamina, vel omnia ornamenta ecclesiæ, » seu vasa sacra, quæcumque ad cultum Dei » et ecclesiæ pertinere videntur, *benedicebat* » ea Pontifex. » *Capitularia* regum Francorum, quæ Caroli Magni ævo prodierunt, lib. VII, cap. CDXXXI, expresse mandant quod « Sunt etiam » ab Episcopis consecranda et benedicenda cor- » porales pallæ, et alia vestimenta Sacerdotalia, » nec non et omnia quæ in usus basilicæ vel » altaris, sive in ministerio Sacerdotum ad di- » vina mysteria explenda complectuntur, qua- » tenus cum his sacris Deo sacratius sive placa- » bilius ministrare valeant. »

II. An Episcopi hanc facultatem benedicendi vestes Sacerdotales committere aliis Sacerdotibus, quos vocant simplices, possint, recte plerique doctores negant, inter quos testatur Gavantus, parte IV *Thesauri* sui *sacrorum Rituum*, tit. XIX, num. XXIII, ea de re hanc in praxi disciplinam fuisse servatam, ut a sacra Rituum Congregatione non semel ad preces Episcoporum a suis Ecclesiis absentium hujusmodi facultas simplicibus modo Presbyteris, modo in dignitate constitutis, aliquando ad tempus, interdum sine ulla temporis limitatione, concederetur. Tum addit hanc rationem : « Quia de potestate Or- » dinis est hæc benedictio; ea vero non potest » ab Episcopo delegari, sicuti potestas jurisdi- » ctionis quæ delegari potest. »

III. Ex compluribus laudatæ Sacræ Rituum Congregationis Decretis allatis ab ipso Gavanto, et ab ejus illustratore, atque auctore clarissimo viro Cajetano Merati clerico regulari, possunt quidem Abbates et alii Regularium Superiores, virtute privilegiorum, Sacerdotalia sibi subditarum ecclesiarum indumenta benedicere, non vero aliarum quæ sibi subditæ non sunt. Quod adeo verum est, ut asserentibus Congregationis Cassinensis Abbatibus obtinuisse jam olim ipsos a summis Pontificibus benedicendi ecclesiasticam etiam non sibi subjectarum ecclesiarum supellectilem, mandatum eis fuerit exhibere Indultum authenticum ex archivo Apostolico, et interim abstinere ab hujusmodi benedictionibus peragendis. Asserit autem eminentissimus cardinalis Lambertinus in fine suæ Instructionis Pastoralis, nunquam dictum privilegium exhibitum fuisse. Unde floccipendimus nonnullorum scriptorum sententiam, qui constanter dixerunt posse Abbates supellectilem ad alienas ecclesias spectantem benedicere.

IV. Omnes pene Religiosi Ordines hodie vel propria Indulta habent, vel saltem privilegiis aliorum gaudent, ut nimirum Antistites ipsorum Ordinum, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores aliique his similes possint sacras suarum ecclesiarum vestes ad usum sacrificii benedicere. Testatur id quidem Augustinus Barbosa, parte II *De officio et potestate Episcopi*, allegatione XXVII, num. XLIV, ubi refert quamdam concessionem Leonis Papæ X, favore Fratrum Minorum, aliamque Gregorii IX, qui eisdem id tribuit facultatis, ut in terris infidelium existentes benedicere valerent non modo vestes Sacerdotales, verum etiam altaris pallas, corporalia, cum necesse fuerit, et ubi Episcoporum copia non habetur. Simile privilegium concessit idem Pontifex Gregorius IX anno 1237, Fratribus Ordinis Prædicatorum, uti videre est tomo I *Bullarii Dominicani*, pag. 93, editi a viro clarissimo Fratre Antonino Bremond ejusdem Ordinis S. theologiæ magistro, et Casanatensis Bibliothecæ theologo. Porro eisdem Fratribus Dominicanis præclarius privilegium elargitus est sanctus Pius V, anno 1571; non enim ad terras infidelium se restringit et ubi Episcoporum copia desideratur,

Digitized by Google

sed absolute loquitur, permittitque ipsis quæcumque vestimenta Ecclesiastica secundum ritum S. R. E. benedicere. Vide idem *Bullarium*, tom. v, pag. 279. De vestibus bona fide adhibitis ante ipsarum benedictionem, an egeant amplius benedictione, varia est auctorum sententia. Negat id quidem Diana, cui adhærere videtur Gavantus, dicens probabile videri benedictione non indigere. Quod tamen alii non admittunt, uti superius dictum fuit.

V. Quod versiculos et Orationes spectat in § nostro descriptas, exstant hæ quidem cum ipsis versiculis in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in quo etiam tertia legitur Oratio benedicentis : « Ultimo aspergat ipsa in» dumenta cum aqua benedicta : potest etiam » dici sequens benedictio, si quis velit. *Oremus.* » Oratio. *Domine Deus omnipotens, qui vesti» menta Pontificibus, Sacerdotibus et Levitis » in usum tabernaculi fœderis necessaria Moysen » famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu » sapientiæ ad id peragendum implevisti ; hæc » vestimenta in usum et cultum ministerii tui » sancti ✠ ficare, bene ✠ dicere et conse ✠ crare » digneris ; atque Ministros altaris tui, qui ea » induerint, septiformis Spiritus sancti gratia » dignanter repleri, atque castitatis stola, et » facias cum bonorum fructu operum ministerii » congruentis immortalitate vestiri. Per Domi» num.... in unitate ejusdem.* ℟. *Amen.* »

VI. Exstant in antiquo Romano Ordine variæ de ea Orationes, ubi agit de dedicatione ecclesiæ. Prima hunc præ se fert titulum : *Benedictio ad omnia ornamenta in usum ecclesiæ vel altaris ;* estque hujusmodi : « Omnipo» tens et misericors Deus, qui ab initio utilia et » necessaria, etc., » ut supra in tit. II § LXXV, pag. 182. Alteri Orationi hic titulus præfixus est : *Item benedictio vestimentorum Sacerdotalium sive Leviticorum, atque sequentis Ordinis ministrantium ;* incipitque hunc in modum : « Omnipotens sempiterne Deus, qui per » Moysen famulum tuum, etc., » ut in hoc præsenti § nostro. Tertia dicitur : *Benedictio ad albas, planetas, stolas et cingula ;* ejusque initium est : « Domine Deus, Pater omni» potens, Rex, et magnificus triumphator, qui » per sanctos Patres, etc. » Quarta appellatur : *Benedictio stolæ, seu mappulæ, vel planetæ,* et ita incipit : « Deus, invictæ virtutis trium» phator, omnium rerum creator ac sanctifica» tor, intende propitius preces nostras, et hanc » stolam, sive mappulam, vel planetam Levi» ticæ ac Sacerdotalis gloriæ ministris tuis » fruendas tuo proprio ore, etc., » ut in secunda nostri hujus § Oratione. Quinta demum vocatur *Benedictio stolarum,* estque iisdem fere verbis concepta ac illa quam supra ex manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali descripsimus ; sic enim inquit : « Domine Deus omni» potens, qui ab initio hominibus utilia et » necessaria creasti, et vestimenta Pontificalia, » aliaque ornamenta et linteamina Sacerdoti» bus ac Levitis in usum tabernaculi fœde» ris, etc. »

VII. Invenio easdem Orationes in nonnullis aliis antiquioribus Pontificalibus libris, quos longum esset hic recensere. Ut autem aliqua de iis dicamus quæ in hoc nostro § relatæ sunt, sciendum est primam quidem alludere ad caput Exodi XXV, in quo Pontificalia indumenta Aaronis et filiorum ejus præscripta a Deo Moysi describuntur. Meminit ejus Orationis liber *Sacramentorum* S. Gregorii, in quo tamen sub initium insignis est verborum mutatio ; meminit quoque inter alios codex Ratoldi abbatis, in quo etiam ad singula illa verba, *purificare, sanctificare, benedicere, etc.,* singulæ cruces appositæ sunt, ut scite observat Hugo Menardus.

§ II.

Specialiter benedictio cujuslibet indumenti.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas,

Digitized by Google

et has caligas, sandalia, vel *amictum*, vel *albam*, vel *cingulum*, vel *stolam*, vel *manipulum*, vel *tunicellam*, vel *dalmaticam*, vel *planetam divino cultui præparatam virtute sancti Spiritus bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris; et omnibus ea*, vel *eo*, vel *eis utentibus gratiam sanctificationis sacri mysterii tui benignus concede; ut in conspectu tuo sancti, et immaculati, atque irreprehensibiles appareant, et auxilium misericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Deinde aspergit ea aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

Legitur specialis hæc cujuslibet indumenti benedictio sub iisdem versiculis ac Orationis formula in laudato toties manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Exstat inter alias complures in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, in eo scilicet loco ubi incipiunt Orationes ad vestimenta Pontificalia seu Levitica, estque numero tertia. In ipsa amplius immorari supervacaneum puto. Hoc unum moneo, fuse de vestibus quæ in hac Oratione recensentur egisse nos nostro I tomo Romani Pontificalis Commentariis illustrati, in Prolegomenis, et in decursu ejusdem operis, præsertim vero ubi de sacris Ordinibus actum est.

APPENDIX

In qua Ordo describitur de benedictione Sacerdotalium indumentorum in genere, et cujuslibet per se, ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi.

Indumentorum Sacerdotalium benedictio in genere fit hoc modo: « ℣. Adjutorium, etc. » ℟. Qui fecit, etc. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et » cum Spiritu tuo. *Oratio.* Omnipotens sempi» terne Deus, qui per Moysen, etc., perseverare » tribue. Per Christum Dominum nostrum. » ℟. Amen. Oremus. *Oratio.* Deus, invictæ vir» tutis auctor et omnium rerum creator et san» ctificator, intende propitius ad preces nostras, » et hæc indumenta Leviticæ ac Sacerdotalis » gloriæ ministeriis tuis fruenda tuo proprio » ore bene✠dicere, conse✠crare et sancti✠fi» care digneris; omnesque eis utentes, tuis mi» nisteriis aptos, et tibi in eis devote et amabi» liter servientes gratos effici concedas. Per » Dominum, etc. ℟. Amen. »

Ultimo aspergat ipsa indumenta cum aqua benedicta. Potest etiam dici sequens benedictio, si quis velit. « Oremus. *Oratio.* Domine Deus » omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sa» cerdotibus et Levitis in usum tabernaculi fœ» deris necessaria, Moysem famulum tuum » agere jussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id » peragendum implevisti; hæc vestimenta in » usum et cultum ministerii tui sancti✠ficare, » bene✠dicere et conse✠crare digneris; atque » ministros altaris tui, qui ea indueriut, septi» formis Spiritus sancti gratia dignanter repleri, » atque castitatis stola, et omnia facias cum bo» norum fructu operum ministerii congruentis » immortalitate vestiri. Per Dominum. In uni» tate ejusdem. ℟. Amen. »

Specialis cujuslibet indumenti benedictio. Rubrica. Si qui velit ea uti, « ℣. Adjutorium » nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœ» lum et terram. *Oratio.* Deus omnipotens, bo» narum virtutum dator, et omnium benedi» ctionum largus infusor, supplices te roga» mus, etc., » uti in Pontificali Romano.

Digitized by Google

TITULUS XI.

DE BENEDICTIONE MAPPARUM SEU LINTEAMINUM SACRI ALTARIS.

I. Sequitur in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi codice, post benedictionem vestimentorum Sacerdotalium in genere et in specie, benedictio linteaminum, seu mapparum sacri altaris. Est ritus profecto antiquus, ut ista, ubi ecclesia dedicabatur, ab Episcopo benedicerentur; constatque ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, in quo legitur : « Benedictio » ad linteamina, vel ad omnia in usum basi- » licæ; » et ex omnibus pene Pontificalibus libris, in quorum nonnullis tres quatuorve Orationes leguntur, in aliis vero pauciores.

II. Mappæ hic, vel linteamina, quæ etiam aliis nominibus lintea, velamina, pallæ, mantilia in pervetustis libris appellari solent, tegumenta altaris sunt, spectantque ad sacram supellectilem pro Missæ celebratione necessariam. Hujusmodi linteaminum seu mapparum usus, quibus altare sternitur, apud antiquos receptissimus fuit; probantque nonnulli ex constituto Pii Papæ I, apud Gratianum in can. XXVII, *De consecratione*, distinctione II, ubi loquitur de pœnitentia illius cujus negligentia de sanguine Christi aliquid stillet : « Si super linteum alta- » ris et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus » pœniteat; si usque ad tertium, novem diebus » pœniteat; si usque ad quartum, viginti diebus » pœniteat; et linteamina, quæ tetigerit stilla, » tribus vicibus minister abluat calice supposito, » et aqua ablutionis sumatur et juxta altare re- » condatur. »

III. Refert hoc Decretum Ivo Carnotensis episcopus, lib. I, parte IX, et alii canonum collectores; verum, cum fatentibus doctis omnibus Decretum istud falso adscribatur Pio Papæ I, prætermisso argumento quod ex ipso Decreto pro mapparum seu linteaminum antiquitate quidam desumunt, recte alii usum de quo agitur, ubique IV Christi sæculo in Ecclesia receptum, deducunt ex pervetusto auctore Optato Milevitano, lib. VI *Contra Parmenianum*, qui quidem tanquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Ait enim : « Quis fidelium nescit in peragendis » mysteriis ipsa ligna (altaria scilicet, quæ, uti » supra ostendimus, in Africa lignea erant) lin- » teamine cooperiri ? inter ipsa sacramenta ve- » lamen potuit tangi, non lignum. » Ubi nota tegumentum quo altare sternitur, linteamen atque velamen hic appellari. Victor episcopus Uticensis, lib. I *De persecutione Vandalica*, Proculum quemdam ab impio Geiserico in provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui rapaci manu cuncta devastans, de pallis sacri altaris camisias sibi et femoralia fecit, quem tandem brevi frustatim sibi linguam comedentem turpissima consumptum morte testatur. Ubi etiam et illud hic obiter nota, ipsa linteamina pallas hic appellari, quas hodie tobaleas dicimus. Floruit S. Victor senescente sæculo V, teste Bellarmino et aliis.

IV. Certe verisimillimum est quod viri plerique eruditi docent Apostolos, præ sua in pretiosum Christi Corpus et Sanguinem reverentia, non in nudo altari, sed quod linteamine coopertum esset, Missæ sacrificium obtulisse. Quod quidem consentaneum est rationi, quam innuunt Patres cujusdam Concilii Remensis relati ab Ivone Carnotensi, parte II *Decretorum*, cap. CXXXII, his verbis : « Observandum est ut » mensa Christi, id est altare, ubi Corpus Do- » minicum consecratur, ubi Sanguis ejus hau- » ritur, ubi Sanctorum reliquiæ reconduntur, » ubi preces et vota populi in conspectu Dei a » Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione » honoretur, et mundissimis linteis et pallis » diligentissime cooperiatur. » Si autem profanæ mensæ, in quibus vel infimæ plebis homines quotidianum cibum sumunt, mantilibus cooperiri solent, quanto magis mensa Chri-

Digitized by Google

sti, id est altare, sacratis linteis sterni debet?

V. Hinc non mirum videri debet si, ob reverentiam mensæ Domini, et divinissimi Sacrificii, quod in eadem celebratur, pluribus mappis seu linteis altare ipsum cooperiretur vel medio secundo Christi sæculo, quo vixit Pius Papa I, si qua fides est ipsius Decreto superius ex Gratiano a nobis allato. Idipsum supponunt liber *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, vetus Ordo Romanus, et antiquissimi libri Pontificales, in quibus hunc titulum plurali numero legere est: *De benedictione linteaminum;* quod plura scilicet super altare linteamina sternerentur. His temporibus tres mappæ, seu linteamina, sive, uti hodie loquuntur, tres tobaleæ, quæ prius per benedictionem consecratæ fuerint, requiruntur, aut saltem duæ, quarum una simplex sit, altera vero sic complicetur, ut duplicis locum teneat; ita enim Missalis Romani regulæ definiunt, quas egregie explicant docti auctores, Bartholomæus Gavantus, Paulus Maria Quarti, et novissime vir clarissimus Cajetanus Merati in suis *ad Gavantum Additionibus.*

§ I.

Pontifex mappas seu linteamina sacri altaris benedicturus, stans sine mitra, dicit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras, et hæc linteamina sacri altaris usui præparata bene✠dicere et sancti✠ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui ornamenta et linteamina facere Moysen famulum tuum per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit et fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis, bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris hæc linteamina ad tegendum involvendumque altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Deinde aspergit ea aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Consueverunt linteamina una cum aliis ecclesiæ ornamentis ab Episcopis benedici, ubi ecclesias dedicabant, ut constat ex libro *Sacramentorum S. Gregorii*, et ex antiquissimis passim libris Pontificalibus. Exstat prima Oratio in Ordine antiquo Romano, cui is præfigitur titulus: *Benedictio linteaminum aliorumque in usum sacri ministerii.* Tum sequitur Oratio his verbis: « Exaudi, Domine, preces nostras, » et linteamina hæc aliaque indumenta, nec non » et vasa sancti altaris atque Ecclesiæ tuæ, cun» ctaque sacri ministerii usui præparata bene» dicere et sanctificare digneris. Per. » Pontificale manuscriptum Gulielmi Durandi omnino consentit cum nostro hodierno Pontificali Romano, eamdemque Orationem exhibet una cum versiculis in hoc § descriptis.

II. Quantum autem ad alteram Orationem, quæ ita incipit: *Domine Deus omnipotens, qui ornamenta et linteamina*, etc., legitur quidem in pervetusto *Gelasii Papæ Sacramentario*, pag. 121, et in laudato antiquo Romano Ordine: in quo tamen sub initium nonnulla habentur quæ in descripta Oratione desiderantur; sic enim incipit: « Domine Deus omnipo» tens, qui ab initio hominibus utilia et neces-

Digitized by Google

» saria creasti, vestimenta quoque Pontificalia » Sacerdotibus, et Levitis tuis ornamenta et lin» teamina facere famulum tuum Moysem per » quadraginta dies docuisti, etc. » Quibus verbis alludit ad memoratum toties *Exodi* librum, in quo distinctim per multa capita, Pontificalia indumenta Aaronis et filiorum ejus, atque altaris ornamenta varia describuntur juxta ritum Moysi a Deo præceptum in monte Oreb per quadraginta dies. Porro Maria quæ in hac Oratione ornamenta texuisse dicitur in usum ministerii tabernaculi fœderis, soror Moysis et Aaron erat, de qua plura disserit doctissimus Augustinus Calmet in suo *Lexico biblico*. Omittimus tandem in hoc et sequenti titulo Appendicem, quia scilicet in utriusque ritibus manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi cum nostro hodierno Romano omnino consonat.

TITULUS XII.

DE BENEDICTIONE CORPORALIUM.

I. Quod hodie corporale dicitur, palla olim linea seu frequentius palla corporalis dicebatur, quia scilicet in ipsa Corpus Christi consecratur. «Verisimile est,» inquit Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, capite XXV, num. XI, « Apostolos non in nudo altari, sed pannis seu » linteis ornato, sacrum celebrasse;» ejusque nos rationem superius jam assignavimus, ubi de benedictione mapparum seu linteaminum altaris egimus, nimirum titulo præcedenti. Exstat apud Burchardum Wormaciensem episcopum, lib. III *Decretorum*, capite XCIX, constitutio quam ex Epistola Eusebii Papæ recitat, in eaque cautum legitur, « ut sacrificium altaris non in serico » panno aut tincto quisquam celebrare præsu» meret, sed in puro lineo ab Episcopo conse» crato, terreno scilicet lino procreato atque » contexto, sicut Corpus Domini nostri Jesu » Christi in sindone linea munda sepultum » fuit. » Referunt hoc Decretum sub nomine ejusdem Eusebii Ivo Carnotensis episcopus, parte II, cap. CXXXIV; Gratianus, can. *Consulto*, XLIV, *De consecratione*, distinctione I.

II. Scio librum Pontificalem Damaso Papæ adscriptum, Rabanum Maurum, lib. I *De institutione Clericorum*, cap. XXXIII, et alios, nomine Silvestri Papæ Decretum istud citare : sed quidquid sit de ejusdem Decreti auctore, duo sunt in ipso consideranda. Primum quidem, ex lino corporale debere confici, quia scilicet Corpus Christi sindone linea munda obvolutum sepulturæ traditum fuit; uti passim etiam docent pervetusti tum Græci, tum Latini scriptores. Isidorus Pelusiota lib. I, epistola CXXIII, ita scribit : « Pura illa » sindon, quæ sub divinorum mysterio expansa » est, Josephi Arimathensis est ministerium ; ut » enim ille Domini Corpus sindone involutum » sepulturæ mandavit, per quod universum » mortalium genus resurrectionem percepit, » eodem modo nos propositionis panem in sin» done sanctificantes, Christi Corpus sine dub» tatione reperimus, etc. » Floruit is Isidorus sæculo Christi V, fuitque monachus plane doctissimus : cui adde alium Græcum auctorem dignitate episcopum Constantinopolitanum, S. Germanum, qui floruit senescente sæculo VII, obiitque nonagenarius in exilio anno 730 ; is ita scribit in sua *Rerum Ecclesiasticarum Theoria* : « Corporale significat sindonem in qua in» volutum est Corpus Christi de cruce descen» sum, et in monumento positum. »

III. Eodem ferme tempore quo S. Germanus in Oriente, florebat in Occidente venerabilis Beda, qui cap. XLIV *In Marcum*, Ecclesiæ morem obtinuisse inquit, « ut sacrificium altaris non » in serico, neque in panno tincto, sed in lino » terreno celebretur, sicut Corpus Domini est » in sindone munda sepultum. » Exscripsit fere ad verbum descriptam superius Eusebii, sive Silvestri Papæ constitutionem. Idem quod Beda tradunt et alii scriptores Latini, inter quos, ut recentiores sileam, Rabanus Maurus, abbas primum Fuldensis, tum episcopus Moguntinus, lib. I *De institutione Clericorum*, cap. XXXIII,

Digitized by Google

diserte inquit ex lino puro textum esse debere corporale, et non ex serico vel purpura, « quia » in Evangelio legitur : *Sindone munda involutum est a Joseph Corpus Salvatoris*, etc. » Cui adde Albinum Flaccum, lib. *De divinis Officiis*, cap. *De celebratione Missæ, et ejus significatione*, ubi ita scribit : « Corporale, cui superponitur Corpus Dominicum, non aliud » quam lineum esse oportet, quoniam Joseph » linteum mundum legitur emisse, ubi Corpus » Dominicum involvit, etc. »

IV. Alterum quod ex laudato Eusebii constituto addiscimus, illud est, consuevisse jam olim corporale, antequam in Missæ sacrificio adhiberetur, ab Episcopo consecrari : « sed in puro » lineo ab Episcopo consecrato. » Quod mirum videri non debet, si is ritus passim in antiquis *Sacramentorum* libris inveniatur, cum constet jam olim sacrari debuisse alia inferioris dignitatis ornamenta, nempe linteamina altaris, candelabra, et alia quæ hic necesse non est recensere, quæque non ita divinissimæ Eucharistiæ proxima sunt ut corporale. Cujus nominis non modo sæpe ac sæpius vetus Ordo Romanus et prisci libri Pontificales meminere, verum etiam varias exhibent ad ipsum benedicendum Orationum formulas, de quibus suo loco in § sequenti dicemus.

V. Corporalia, quibus veteres in Sacrificio peragendo utebantur, ampliora fuisse, et longiora iis quæ modo a nobis adhibentur, manifeste colligitur ex antiquo Romano Ordine, titulo I qui inscribitur : *Ordo Processionis ad ecclesiam sive Missam;* ubi legimus duorum Diaconorum opera corporale expandi et complicari consuevisse : « Tunc venit Subdiaconus » ferens in brachio dextro patenam et in sini» stro calicem, et super calicem corporale, quod » accipiens Diaconus ponit super altare a dextris, » projecto capite altero ad Diaconum secundum » ut expandatur. » Idipsum clarius habetur titulo II, qui ita inscribitur : *Ordo Processionis, si quando Episcopus festivis diebus Missam celebrare voluerit.* Sic enim ait : « Diaconus vero » statim ut a pulpito gradum ad altare ascen» derit, accipiens corporale ab Acolytho, alio se » adjuvante Diacono super altare distendat. » Adjungit corporale ipsum, quod linteum vocat, ex puro lino esse contextum debere, « Quia » sindone munda Corpus Domini legitur involutum in sepulchro ; » et tantæ quantitatis, ut totam altaris superficiem capiat.

VI. Porro tantæ amplitudinis idcirco olim fuerunt corporalia, quia scilicet antiquitus, uti superius observatum est, multi erant calices, multæ etiam patenæ, et quidem nostris multo ampliores pro multitudine communicantium; proindeque, ut corporali obtegerentur, uti revera obtegebantur, necesse erat ut nostra et longitudine et latitudine superarent. De ampliore illo corporali exponi debet *palla,* de qua Gregorius Turonensis, lib. II *De gloria Martyrum*, cap. XXI, loquitur : « Inter hæc dum sacra solemnia age» rentur, oblatis super altare sacris muneribus, » mysterioque Corporis et Sanguinis Christi » palla ex more cooperto, molliuntur contre» cturæ nervorum, etc. » Neque enim, ut scite observat Juveninus post Joannem Bona Cardinalem et alios sacræ antiquitatis auctores peritissimos, breviora nostra corporalia satis fuissent ut patentes multos calices appositosque ad plurium fidelium communionem panes obtegere potuissent.

VII. Etsi autem antiquitus hæc passim apud omnes disciplina servaretur, ut non solum sacræ hostiæ, sed et calices quoque eodem corporali cooperirentur, hodie, ut iidem Bona et Juveninus testantur, Carthusiani quidem Monachi, veterum usuum tenacissimi, dum sacris dant operam, nonnihil hoc in capite de vetere disciplina observant, quippe qui non palla, sed corporali Christi Corpus æque ac Sanguinem cooperiant. Ecclesia autem Romana ad tegendum calicem parvam a multis quidem sæculis pallam adhibet, de qua ita loquitur Innocentius III lib. II *De mysteriis Missæ*, cap. LVI : « Duplex » est palla, quæ dicitur corporale : una quam » Diaconus super altare totam extendit; altera » quam super calicem plicatam imponit. » Floruit Innocentius initio sæculi XIII, eumque usum Romanorum secutos fuisse Italos omnes et Alemannos, non vero Gallos, qui unum illo adhuc tempore corporale ad tegendum Christi Corpus et Sanguinem adhibebant, testatur Radulfus de Divo decanus Tungrensis, qui anno 1390 scripsit in divinum Officium. Ejus verba in libro *De Canonum observantia*, propositione ultima, hæc sunt : « In componenda oblata in altari est du» plex modus : unus Romanus, quem servant » Itali et Alemanni cum duobus corporalibus

Digitized by Google

» quorum utrumque pure lineum debet esse.... » Gallici vero cum uno tantum. »

VIII. Observat hæc quidem post eruditissimum Stephanum Duranti, lib. I *De catholicis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XII, Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, num. XI, ubi etiam notat ipsum usum superponendi sacro calici pallam divisam a corporali, jam alicubi viguisse tempore S. Anselmi Cantuariensis episcopi, qui floruit labente sæculo XI; constatque ex ejus opusculo *De Sacramentorum diversitate* ad Valerannum episcopum, qui cum ad ipsum Anselmum scriberet inter consecrandum nonnullos ab initio calicem operire, et quosdam quidem corporali, alios panno complicato instar sudarii, quod repertum in monumento non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in uno loco apud sacros Evangelistas legitur; Valeranno respondens Anselmus neutram consuetudinem reprehendit; tutius tamen et decentius putat ut calix operiatur, ne quid immundum in ipsum cadat. Scio nonnullos addubitare an opusculum *De Sacramentorum diversitate* genuinus sit Anselmi Cantuariensis episcopi fœtus; sed non videtur de ea re hæsitandum, cum, uti observat cardinalis Bellarminus in suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* libro, ubi agit de ipso auctore, stylum Anselmi habeat, et præfixam Epistolam Anselmi ad Valerannum episcopum, ut ex initio libri constat.

IX. A S. Cajetano et a Paulo IV, Pontifice Maximo, præclarissimi Ordinis Clericorum Regularium fundatoribus, ab ipso nascentis Religionis exordio alius usus invectus est, et a Clemente VII Pontifice Maximo approbatus, ut ipsi Clerici Regulares, quos Theatinos vocant quia scilicet alter ejus Ordinis conditor Paulus IV episcopus Theatinus fuit, præter corporale, duplici palla in divino Sacrificio uterentur, una ad cooperiendum calicem, altera ad collocandum in ea sacratam hostiam, tum ante, tum post consecrationem, usque ad usum patenæ, ut facilius fragmenta colligerentur : eumque duplicis pallæ usum non modo præclari Ordinis ipsius scriptores, sed et exteri quoque, et alii Romani Pontifices, et nonnulli S. R. E. Cardinales summopere commendarunt; uti videre est apud virum clarissimum Cajetanum Merati, insignem Clericorum Regularium auctorem, qui summo studio, labore, elucubrationibus, ac lectione innumerorum fere librorum de re Liturgica agentium, celeberrimum opus conscripsit variarum Additionum Observationumque in *Thesaurum sacrorum Rituum* a viro clarissimo Bartholomæo Gavanto, Congregationis Clericorum Regularium Sancti-Pauli, ante annos centum editum.

X. Ex sacris Romani Missalis rubricis illud profecto cautum est ut corporale ipsum, de quo nos in præsenti agimus, totum debeat ex lino esse intextum, totumque album, « et ab Epi- » scopo, vel alio habente facultatem, simul cum » palla benedictum. » Quæ verba expendens Gavantus, neque benedici pallam separatim docet, quia est unum quid et veluti pars corporalis; neque in Pontificali dari distinctam benedictionem; eodemque idcirco cultu, tam illud quam ipsam pallam esse venerandam, adeo ut non modo tangi ipsa a laicis non debeant, sed nec a sacris feminis, ex Decreto Soteris Papæ in Epistola ad omnes Ecclesiæ Episcopos, cui illud adscribit Gratianus in can. XXVI, distinctione XXIII, et Burchardus lib. III, cap. CCXV, ubi ita legimus : « Sacratas Deo » feminas, vel Monachas, sacra vasa, vel sacratas » pallas penes vos contingere, et incensum » circa altaria deferre perlatum est ad Aposto- » licam Sedem. Quæ omni reprehensione plena » esse et vituperatione, nulli recte sapientium » dubium est. Quapropter hujus sanctæ Sedis » auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus » quam citius poteritis censemus. Et ne pestis » hæc latius divulgetur, per omnes Provincias » abstergi citissime mandamus. »

XI. Tribuit quidem hoc Decretum Sotero Pontifici Damasus Papa, seu quisquis est auctor libri Pontificalis, etsi Platina Sixto Papæ adscribat, et alii supposititium Decretum illud autument. Certe, quantum liquet ex ritu ordinandi Subdiaconos, ad ipsos spectat corporales pallas lavare, et quidem in vase peculiari, in quo nullum aliud linteamen lavetur. Quam disciplinam confirmarunt quidem variæ Synodi, inter quas Meldensis apud Burchardum, lib. IV, cap. XIII, ita inquit : « Similiter ad corporale » lavandum et ad pallas altaris propria vasa » habeantur, in quibus nihil fiat; » et Remensis apud eumdem : « Quando abluitur (corporale) a » Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono, primo

Digitized by Google

» in ecclesia, in loco et vase ad hoc præparato » abluatur; et quod ex Dominico Corpore et » Sanguine infectum sit. » Aquam lotionis hujusmodi debere in sacrarium projici, docet ritus ipse Ordinationis Subdiaconorum in admonitione quæ eisdem ab Episcopo fieri solet. Quod post primam corporalium lotionem possint ipsa ab aliis non modo tangi, sed et lavari, docent non modo varii scriptores, sed et hodierna Ecclesiarum consuetudo. Quod autem post lotionem non sint iterum consecranda, sive benedicenda, jam ante Gavantum notavit Silvester in *Summa*, verbo *Corporale*, num. III, et alii canonici juris consulti. Quod insuper benedicta et consecrata non possint in profanos usus converti, ex superius traditis liquet.

XII. Cæterum unum addiderim, etsi ex cæteris profanis vestibus etiam matronarum possunt casulæ fieri, et alia id genus indumenta, ex communi doctorum sententia, quia scilicet propter benedictionem et dedicationem ad cultum divinum, omnis inde purgatur macula, et ipsæ vestes non sunt magis profanæ quam templa idolorum quæ Deo consecrata leguntur; puto nihilominus rem esse absurdissimam ex linteis, cum quibus dormitur, vel ex interulis lineis, quibus homines amicti aliquando fuerunt, corporales pallas confici, quæ immediate Eucharistiam divinissimam tangunt. Hoc idcirco dixi, quod matronæ cuidam nobili Sacerdos plane irreligiosus, me præsente, suadere non erubuerit ut cuidam ab ipsa telam pro conficiendis purificatoriis petenti, aliquam ex interulis suis lineis vetustate detritam elargiretur. Quod sane horrendum dictu est, ut pollutæ vestes in Sacrificii divinissimi usum adhiberi deberent.

XIII. Est et ille abusus minime ferendus, quod quidam opulentissimis Sacerdotiis ditati suis in ecclesiis celebrari sinant vilissima ac sordida supellectile. Testatur id quidem, et non sine uberrimis lacrymis deplorat eximius cardinalis Bellarminus in celebri et aureo opusculo *De gemitu columbæ*, lib. II, cap. V, ubi factum hujusmodi narrat : « Ego cum aliquando ex » itinere apud Episcopum nobilem et prædivi- » tem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis » splendidam, et mensam omni genere præ- » stantium ciborum refertam ; mappas quoque, » et reliqua omnia nitida, et odorem suavem » spirantia. Sed cum die sequente summo mane » ad ecclesiam palatio contiguam descendissem, » ut Sacris operarer, inveni omnia contraria, » id est vilia et sordida, ut vix auderem in tali » loco et cum tali apparatu divina Mysteria » celebrare. » Similia exempla afferri hodie possent quamplurima, ob avaritiam scilicet illorum qui Ecclesiasticos reditus omnes in suam ipsorum utilitatem et commodum vertunt; qui tamen divinam punitionem minime effugient. Non enim æquum est ut qui ex Ecclesiæ reditibus famulos, currus, equosque aureis ornamentis ac nitidis instruat, ecclesiam vero ipsam neglectam relinquat non sine laicorum hominum scandalo et divinæ Majestatis injuria. Sed de his alias. Vide amicum nostrum Bonaventuram Sculco in canonem X Chalcedonensem nostro I tomo *Conciliorum*.

§ I.

Pontifex corporalia benedicere volens, stans sine mitra, dicit :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene✠dictione sanctificetur ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri Jesu Christi Filii tui, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

Alia Oratio. OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, bene✠dicere, sancti✠ficare, et conse✠crare digneris linteamen istud, ad tegendum involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Alia Oratio. OREMUS.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram bene✠dictionem hoc linteamen sanctificetur, et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium, Spiritus sancti gratia, efficiatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde aspergit aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Benedictionem corporalium ad Episcopum spectare, ostensum jam fuit superius, constatque luculentissime ex antiquissimis libris Pontificalibus, ex quorum præscripto Episcopi, ubi ecclesias dedicabant, inter alia ornamenta Sacrificii usui inservientia, corporalia etiam benedicebant. Quod Orationes spectat, tres quidem exstant in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, in quo primo loco recensetur quæ secunda est in hoc § nostro; tertio loco prima; secundo autem loco alia omnino diversa ab illa quæ hic secundo loco habetur. Itaque secunda Oratio quæ in antiquo Ordine Romano ad benedicendum corporale legitur, hæc est : « Domine Deus, qui jam sanctificare dignatus es » hoc genus specierum, quando eis dignatus es » involvi Corpus Domini nostri Jesu Christi » unigeniti tui in beata passione : concede, quæsumus, per eumdem Dominum, nobis quanquam indignis famulis tuis, ut præsens linteum cœlesti benedictione sanctum et aptum » fiat Dominico sepulchro, altari videlicet tuo, » ut placabiliter possit in eo imponi Corpus et » Sanguis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, » qui est vita omnium fideliter sumentium, et » vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. » Prima Oratio Ordinis antiqui Romani ad corporale benedicendum est quidem eadem ac secunda nostri Pontificalis, sed aliquantum contractior; sic enim inquit : « Omnipotens sempiterne Deus, benedic linteamen » istud, etc. »

II. In Pontificalibus Egberti Eboracensis archiepiscopi, et in Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, prima quidem Oratio ad corporale benedicendum hæc est : « Clementissime Domine, cujus inenarrabilis virtus, etc. » Secunda vero Oratio ex ipso Anglicano Pontificali, quæ tertio loco habetur in Egberti Eboracensis archiepiscopi Pontificali codice, hunc erat in modum : « Deus, qui pro » generis humani salvatione Verbum caro factum es, et habitare totus in nobis non dedignatus es, quique traditori tuo perfido osculum pium dedisti, dum pro omnium vita pius » voluisti agnus mactari, atque in sindone » Joseph lino texta totum te involvi permisisti : » respice propitius ad vota nostra, qui tua fideliter charismata amplecti cupimus. Quæsumus, Domine, sancti✠ficare, bene✠dicere, » conse✠crareque digneris hæc linteamina in » usum altaris tui ad consecrandum super ea, » sive ad tegendum involvendumque Corpus et » Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, dignisque pareant famulatibus, ut quidquid sacro ritu super hoc immolabitur, sicut » Melchisedech oblatum placeat tibi holocaustum, et reportet per hoc præmium quicumque obtulerit votum. Te quoque humiliter » rogamus ac petimus ut hæc linteamina tuæ

Digitized by Google

» sanctificationis ✠ Spiritus gratiarum ubertate » purifices et sanctifices, qui te pro nobis omnibus Sacrificium offerri voluisti, et præsta » ut super hæc sint tibi libamina accepta, sint » grata, sint pinguia, et Spiritus sancti tui semper rore perfusa. Per. »

III. Tertia Oratio juxta præscriptum Pontificalis Anglicani est hujusmodi : « Deus, qui tibi » digne servientium nos imitari desideras famulatum : respice propitius ad humilitatis » nostræ servitutem, et hæc corporalia nomini » tuo dicata, servitutis nostræ usibus præparata, » cœlestis virtutis benedictione sanctifica, purifica et consecra; quatenus super ea Spiritus » sanctus tuus descendat, qui et populi tui oblationes benedicat, et corda sive corpora sumentium benignus perficiat. Per. » Legitur et ista Oratio in Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, qui floruit medio VIII sæculo, estque Oratio quarta ad ipsa corporalia benedicenda; secundo enim loco hæc alia Oratio habetur : « Benedic, omnipotens Deus, Pater » Domini nostri Jesu Christi, pannum istum » lineum benedictione cœlesti, ad capienda » mysteria cœlestia Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Filii tui, sicut per » Evangelia in sindone linea et munda sepultam cognovimus carnem Domini nostri Jesu » Christi, qui tecum vivit. » Placuit Orationes istas omnes describere, ut nihil venerandæ antiquitatis et antiquarum Orationum formularum ad corporalia benedicenda ignoraretur. Cæterum ex laudatis Pontificalibus Eboracencis archiepiscopi Egberti, et Anglicano Gemmeticensis monasterii, prolixam superius descriptam Orationem dictam fuisse puto, ubi duo, vel tria, vel plura corporalia benedicebantur, uti ex ipsa Oratione liquet, et ex rubrica eidem præfixa in Egberti Pontificali. Gulielmi Durandi manuscriptus Pontificalis liber omnino consonat cum nostro hodierni Romani Pontificalis ritu.

IV. Qualis sit finis Ecclesiæ, cum ipsa benedicit corporalia, addiscere ex recitatis Orationibus licet. Applicatione sacri corporalis fugatos morbos et exstincta incendia, narrat Glaber Radulphus monachus, lib. I *Historiæ*, cap. IV, vocatque illud *Chrismale :* quo etiam nomine a Beda appellatur in suo *Pœnitentiali*. Habitum ipsum fuisse a viris sanctis loco sacrarum reliquiarum, multis testimoniis probari posset. Testatur Panormitanus in cap. I *De consecratione ecclesiæ vel altaris*. Leonem Papam in consecratione cujusdam ecclesiæ, cum reliquiæ non adessent, dedisse partem corporalis et Eucharistiæ. De S. Birino episcopo Dorcestriensi, qui obiit circa annum 640, narrat in ejus Vita, ad diem III decembris, Surius, pallam dedisse ei Honorium Papam I, « super quam ipse Birinus » Corpus Christi consecrabat, et in qua Corpus » Dominicum involutum et ad collum suspensum semper ferebat, atque inter sacranda sacrosancta Mysteria super sanctum altare ponere consuevit. » Idem Birinus, cum aliquando navigaturus navem conscendisset, animadvertens se ipsam pallam in littore a quo longe distabat reliquisse, ait auctor Vitæ quod fide armatus in mare descendit, securusque per illud incedit, et reperto quod reliquerat, siccis ad navem pedibus regressus est. Illud denique de corporalibus adnotandum superest, quod etsi ipsa abluere Subdiaconorum muneris sit, ut tomo I diximus ad titulum *De ordinatione Subdiaconi;* cautum tamen fuit ex Salmuriensi Synodo anni 1253, can. III, ut curarent Archipresbyteri ut corporalia, seu Christi Corpori obvolvendo destinata lintea, a Diacono vel Presbytero induto lineis sacris vestibus ablucrentur, linteamina vero omnia sacris altaribus sacrata, a pia virgine aut honestissimis moribus matrona.

Digitized by Google

TITULUS XIII.

DE BENEDICTIONE NOVÆ CRUCIS.

I. Ab initio nascentis Ecclesiæ nedum crucis signatione usos Christianos fuisse, sed et crucis imaginem pinxisse, ac religiosa adoratione coluisse, fuse jam pridem apprime pii et eruditi scriptores demonstrarunt, uberrimisque commentariis ea omnia complexi sunt, quæ ad antiquissimam effigiei Crucis venerationem attinent, adversus inimicos illius antiquos ac recentiores hæreticos. Nos ex eisdem nonnulla seligemus, quæ viam sternant ad hunc titulum illustrandum. Quod persecutionis tempore prisci Christiani cruces haberent easque venerarentur, dilucidissime ostendit Stephanus Duranti lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. VI, constatque ex variis ejus rei figuris quæ hodieque in cœmeteriis Urbis visuntur, uti videre est apud virum clarissimum Marcum Antonium Buldethum, in opere *De cœmeteriis*.

II. Cessata persecutionis procella, non modo populi, sed et reges ac principes salutari crucis signo maximam semper ac ubique reverentiam et venerationem exhibuere. Testis hujus est rei in primis Historia Constantini Magni; huic enim oblatum vigilanti *crucis* in cœlo *trophæum*, ut verbis utar Eusebii, lib. I *De vita Constantini*, cap. XXIII, cum hac inscriptione : « Hoc vince, » mirificum quemdam aspiravit signi illius salutaris amorem, maxime postquam insecuta nocte de ostento illo anxie cogitanti per quietem apparuit ei Christus Dominus cum eodem signo, præcepitque ut ad ejus quod viderat similitudinem aliquod fabricandum curaret, quo tanquam certissimo præsidio contra hostiles impetus in prœliis uteretur. Quod subinde præstitit, atque ex auro gemmisque pretiosissimis crucis effigiem elaborari jussit. Ex quo vexillum crucis instar effectum, cui *Labari* nomen impositum est : « Hoc vero salutari signo, ait Eusebius in lau- » dato libro, cap. XXV, velut munimento adver- » sus hostiles infestasque vires omnes perpetuo » usus est imperator; et ejusdem expressas fi- » guras præire deinceps mandavit exercitibus » suis. » Quocirca notandum est, quod docet Petavius, lib. XV *De incarnatione*, cap. IX, Christum ipsum exprimendæ figuræ crucis Christianis principibus jam olim fuisse auctorem.

III. Hoc autem ideo factum fuisse Sozomenus, lib. I, cap. IV, et Nicephorus, lib. VII, cap. XXXVII, prodiderunt, quo frequenti ejus spectaculo et cultu subditi in desuetudinem pristinæ superstitionis venirent, eumque solum Deum esse arbitrarentur, quem imperator et ejus duces colentes, propugnatore adversus hostes uterentur. Labari formam describunt Eusebius, lib. I *De vita Constantini*, cap. XXV; Prudentius, *Contra Symmachum;* Nicephorus, lib. VII, cap. XXIX; exstatque libro XII codicis titulus qui inscribitur *De Præpositis Labarorum*. Fuisse autem ei vexillo deferendo quinquaginta milites præpositos, testatur Eusebius ipse in laudata *Constantini Vita*, lib. II, cap. VIII, qui inter alia et illud commemorat, quod cum quidam ex cruciferis crucis vexillum præ formidine alteri tradidisset, ex acie egressus telo conjecto confossus est; qui vero vexillum gestabat, illæsus evasit, signo crucis tela excipiente.

IV. S. Joannes Chrysostomus, ut alios omittam Patres fuse ac egregie de antiquo ac religioso crucis usu apud Christianos disserentes, tum multis in locis, tum in Homilia quadam, in qua Christum probat esse Deum, cruci delatum honorem omnium consensu fidelium trahit ad divinitatis illius astruendam fidem, et ante illa verba, quibus de veræ Crucis ligno in summo pretio habito disserit, de ejus effigie a regibus assumpta et a cæteris usurpata passim ita loquitur : « Quippe reges deposito diademate crucem » suscipiunt mortis illius signum : in purpureis » vestibus crux inest : in diadematibus crux : » in orationibus crux : in armis crux : in sacra » mensa crux : et ubique terrarum crux sole » ipso clarius refulget. » Ubi nota quod sapien-

Digitized by Google

ter observat Jacobus Petavius, morem illum perantiquum esse, qui hodieque in Ecclesia catholica ubique perseverat, venerandæ crucis imaginem cum in cæteris, tum in ecclesiis et sacris altaribus adhibendi.

V. Gaspar Juveninus, theologus præclarissimus et in Ecclesiastica disciplina summe versatus, in celebri *De Sacramentis* opere, dissertatione v *De Eucharistia*, quæstione VIII, cap. IV, articulo III, recte admodum observat, antiquam fuisse Ecclesiæ consuetudinem ut crux vel ab Apostolorum temporibus in altaribus locaretur, probatque Concilii Turonensis, habiti anno 570, canone III, ubi statutum legitur: « Ut corpus » Domini non in imaginario ordine (seu inter » imagines) sed sub crucis titulo componatur. » Tum addit sic ferre Ecclesiarum omnium consuetudinem, cujus quidem cum in Conciliis aut in Patribus initium non reperiatur, ad ipsos Apostolos juxta eximia S. Augustini principia, lib. v *De Baptismo*, refundi debet. Cæterum decuisse, inquit, quam maxime in sacro altari, ubi divinum Sacrificium offertur, collocari crucem; ut nimirum Christi passio Sacerdotis sacrificantis oculis obversetur, quam Missa ad vivum exhibet.

VI. Id jam ante Juveninum religiosissimus æque ac doctissimus Joannes cardinalis Bona tradidit, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, num. VIII, ubi etiam refert crucis aureæ in altari positæ meminisse venerabilem Bedam lib. II *Historiæ*, cap. XX. Cui statim annectit insigne Jonæ Aurelianensis testimonium, qui adversus Claudium Taurinensem in Præfatione libri II ita scribit: « Multa sunt quæ mos sanctæ Ecclesiæ, sicut a majoribus tradita sunt et derelicta, » quadam insita atque nativa celebratione frequentat. Neque enim nostro tempore usus » irrepsit figuram crucis in basilicis Sanctorum » statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit. » Scio hæreticos pertinaciter pernegare IV Christi sæculo in Christianorum ecclesiis altaribusque cruces prostitisse; verum præter allata testimonia, quæ de veteri Ecclesiæ ritu collocandi crucem in sacra altaris mensa fidem profecto luculentissimam faciunt, de cruce in summo altaris fastigio posita meminit S. Paulinus in Epistola XII ad Severum his versibus:

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositisque sacra cum cruce martyribus,
Cuncta salutiferi cocunt insignia Christi:
Crux, corpus, sanguis martyris, ipse Deus.

Postremum versum explicat Mabillonius *De liturgia Gallicana* lib. I, cap. IX, hunc plane in modum: « *Crux* in summo ciborii vertice: *corpus et sanguis*, id est reliquiæ Martyris in » imo, scilicet subtus altare: *ipse Deus*, hoc » est ipsum Domini Corpus in columba appensum in medio. » Crucem auream purissimam, quæ pendebat libras centum quinquaginta, donasse jam olim Constantinum, auctor est in Silvestro Papa antiquus liber Pontificalis. Fuit in ecclesia Moguntina aurea crux pendens libras sexcentas, de qua vide infra in Commentario § I, tit. XVII.

VII. Consueverunt præterea majores nostri non modo in templis cruces pingere et super altaribus collocare, sed etiam ipsas coronis instruere. Testes sunt ejus consuetudinis antiquissimi Ecclesiæ Patres, inter quos S. Paulinus, describens imaginem et crucem quæ erat in camera apsidis basilicæ Nolanæ, ita cecinit in Epistola XII:

Pleno coruscat Trinitas mysterio.
Stat Christus Agnus: vox Patris cœlo tonat;
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli.

Ex quibus apparet expressum ibi fuisse quod accidit, cum Christus a Joanne in Jordane baptizaretur, additamque crucem coronatam; cujus generis crux in ejusdem etiam ecclesiæ introitu erat, eodem Paulino teste, ubi ita inquit:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

In frontibus quoque dextræ lævæque porticus depictis crucibus hoc erat adscriptum epigramma:

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quæque super signum resident cœleste columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

VIII. Exstant ea in re ejusdem Paulini et aliorum Patrum testimonia, ex quibus etiam, ut observat Gretserus lib. II *De sancta Cruce*, cap. IX, addiscimus tres fuisse coronatæ crucis species. Prima specie continetur illa crux quæ circulo sive corona circumdatur, ita ut crucem undequaque ambiat; eique coronæ Apostolorum vel aliorum cœlitum aliquando effigies adde-

Digitized by Google

bantur. De hujusmodi cruce coronata Paulinus loquitur in recitatis illis versibus :

Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli.

Tales cruces sæpe repræsentantur nobis in nummis antiquis licet sine Apostolorum imaginibus, nominatim vero in illo qui est Pulcheriæ Augustæ apud Baronium ad annum 453. Tales itidem cruces interdum divinitus sunt ostensæ hominibus, vel admonendis, vel terrendis; et in primis Juliano apostatæ, ut testatur S. Gregorius Nazianzenus in Oratione I adversus ipsum Julianum, ubi præter cætera ita inquit : « Ferunt, cum Julianus sacris operam daret, » exta animalium coronatam crucem edidisse : » quæ res alios quidem horrore, summaque » sollicitudine et anxietate affecit, eoque adduxit » ut potentiam nostram præsentiscerent. » Ubi nota aruspices, qui una cum Juliano nefariis sacris operabantur, visa cruce coronata, non modo agnoscere cœpisse crucis gloriam et potentiam, sed etiam formidare.

IX. Secunda species crucis coronatæ est cum ipsi crucis vertici corona imponitur, ad eamque alludit Paulinus, ubi ita cecinit :

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem.

Et ubi idem Paulinus dixit :

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.

Ejusmodi crux fuit etiam Constantini Magni Labarum; quod, ut Eusebius lib. I *De vita Constantini*, cap. XXV, testatur, summo in fastigio coronam habebat. Sed neque solum unam coronam, verum et plures interdum impositas fuisse cruci, innuere idem Paulinus videtur in iis versibus :

Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, coronæ.

Causa additæ coronæ in eo indicatur versiculo :

.... tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Non enim corona venit sine cruce, sicuti nec crux sine corona; nam, ut paulo ante dicebat Paulinus,

Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent.

X. Tertia crucis coronatæ species est cum ipsa Crucifixi imago corona insignitur, non quidem spinea, sed digniore, et tanto Regi convenientiore, ut aurea, vel inaurata. Tradit Gretserus laudato loco, non semel in antiquis picturis Christum in cruce pendentem auream capiti impositam coronam gestare. Tum ait, Wildinæ prope Œnipontum antiquissimam Crucifixi statuam exstare in templo jam Præmonstratensium, ligneam, ingentis magnitudinis, utrinque adstante B. Virgine et S. Joanne, « Christo corona aurea redimito. » Ferunt gigantem illius tum loci dominum, conversum ad fidem Christi, Crucifixi hanc effigiem suis manibus ad pietatem posteritati testandam fecisse. Sed de ritu coronandi imagines sacras, vide quæ infra dicemus ad titulum XV *De benedictione imaginis B. Mariæ Virginis*, et in ejusdem tituli Appendice secunda. Vide apud Angelum Roccam antiquissimas Crucifixi effigies coronatas.

XI. Quod denique ritum consecrandi seu benedicendi crucem spectat, de quo nobis in præsenti agendum est, videtur et ipse suam a temporibus Apostolorum, si qua fides Decreto Pii Papæ I, qui floruit circa annum 147, ducere originem. In eo siquidem Decreto legitur ut, « qui pejerat in manu Episcopi, aut in cruce » consecrata, tres annos pœniteat; si vero in » cruce non consecrata, annum unum pœniteat. » Meminere hujus Decreti non modo Ivo Carnotensis episcopus, parte XII, cap. LXII, Burchardus episcopus Wormatiensis, lib. XII, cap. V, et Gratianus in can. *Qui pejerat*, XXII, quæstione V, sed et in suo *Pœnitentiali* Theodorus, qui floruit VII Christi sæculo. Exstat in Ordine antiquo Romano et in pervetustis Pontificalibus libris, ut infra ostendemus, peculiaris Ordo Pontificalis benedicendi seu consecrandi crucem, ut vel inde saltem addiscamus veterem et de ea re Ecclesiæ morem, qui hodie aliquorum Præsulum negligentia passim negligitur, dum in altaribus collocari cruces non benedictas sinunt.

XII. Testes sunt Euthymius, parte II, cap. XX; Nicon *Contra Armenios;* Nicephorus, lib. XVIII, cap. LIII, et alii, ipsos Armenios crucem minime ab ipsis adorari, nisi prius superstitiosis suis ritibus expiaretur : « Crucem, inquiunt, ex qua» cumque materia constet, prius non veneran» tur, aut adorant, quam eam quasi hominem » abluerint, et in ejus medio clavum fixerint, » et sacrificii sanguine ipsam inunxerint. » Ubi nota intelligi hic ab Euthymio per *sanguinem sacrificii*, sanguinem boum, et id genus alio-

Digitized by Google

rum animalium sacrificatorum. Armenii enim cultu judaico, ut ibidem testatur Euthymius, immolabant boves, et oves, et agnos, et victimarum sanguine limina inungebant et cruces : « Porro clavum, » inquit laudatus auctor, « ideo figunt in cruce in Christi nomine, ut » ostendant unum sanctæ Trinitatis esse Crucifixum, id est divinam ejus naturam, quo quidem Patrem et Spiritum sanctum cum Christo » crucifigunt. Tres item ligneas constituunt » cruces, easque inter se conjunctas Trinitatem » sanctam appellant. Atque hac item ratione, » crucifixam fuisse Trinitatem confitentur, » cum tres ita cruces coaptent, et eo facto id » prædicent. »

XIII. Distinctius paululum, quod quidem ad crucem attinet, hæc habet Nicon in Epistola ad Enclistium, quæ exstat in Bibliotheca Patrum, tomo XXV, pag. 327 : « Armenii Trinitatem » passam dicunt; tres enim cruces conjungentes, et uni ligno tanquam jugo affigentes, nominant hoc : Sancta Trinitas. » Et infra : « Crucem non adorant, nisi clavum in eam » immiserint, et ipsam quoque baptizaverint : » postquam autem clavo fixa et baptizata crux » fuerit, et alterum duorum lignorum divisum » et relictum fuerit, rectum scilicet, vel transversum, id solum quod relictum est adorant. » Ibidem de Aphthardocitis Armeniis memoratus Nicon sic inquit : « In festo autem Sanctorum » Theophaniorum, non oratione, non Evangelio, » non Hymno, non aliarum Scripturarum lectione utuntur, sed crucem tantum in aquam » immergentes, hoc sibi sufficere existimant. » Vide Jacobum Gretserum, lib. I *De sancta Cruce*, cap. I, ubi locum Euthymii laudat Armenios ipsos confutantis exemplo S. Gregorii Magnæ Armeniæ episcopi, qui jussit « cruces ligneas » quibusdam in locis a se collocatas adorari, ad » easque tanquam ad sacra perfugia concurri, » idque cum nondum esset Pontifex declaratus, » easque nec ablutione, nec clavo, nec sanguine » expiasset. »

XIV. Cæterum ut et hoc obiter addamus quod docet ipse Gretserus lib. I *De sancta Cruce*, cap. LIII, non consecrantur imagines Crucifixi, quasi sine benedictione non sint id quod sunt, nempe typi Salvatoris nostri crucifixi, et firmissima adversus dæmones dæmonumque insidias præsidia et propugnacula, signaque sancta et adoranda; sed benedicuntur ut hoc veluti publico testimonio ad usus pios destinentur, utque ad priorem sanctificationem et virtutem quam habent, hoc ipso quod sunt imagines, accedat precibus et meritis Ecclesiæ major sanctificatio et virtus : cum benedictiones Ecclesia tam habeat efficaces, ut ea itidem quæ nihil virtutis et sanctificationis habent, nisi quam a benedictione Ecclesiæ accipiunt, ut est aqua et sal, precationibus suis sanctificet, et ex numero rerum profanarum eximat, efficiatque ut mirandos effectus producere possint.

XV. Hinc cum in Concilii Nicæni II actione VI, Gregorius episcopus Neocæsareæ, iconoclasta, asseruisset imagines esse res profanas, nihilque sanctitatis in se continere, cum a pictore vel sculptore nequeant sanctificari, neque ulla sit certa precum formula qua consecrentur, respondit Epiphanius diaconus : « Multa quæ in » nobis sacrata sunt, orationem sacram non » recipiunt, cum inde et ex ipso nomine plena » sint sanctitudine simul et gratia. Et propterea » hæc, ut re vera veneranda, honoramus et salutamus : ipse enim typus vivificæ crucis absque oratione sacra effectus, penes nos colitur, » et contenti sumus figura ejus ad suscipiendam » sanctificationem. Et per adorationem quæ » facta est a nobis in eum, et per notam in » fronte expressam, atque per signaculum » quod in aere per digitum fit, abigere dæmones speramus. Similiter et in imagine per » nominis annotationem ad primitivi honorem » reducimur : et salutantes ac honorabiliter » adorantes percipimus sanctificationem. Nam » et sacra diversa vasa habentes, hæc salutamus » atque amplectimur, et sanctitatem quamdam » percipere ab eis speramus. Itaque aut crucem » et sacra vasa stulte dicturi sunt communia et » inhonoranda, sicut fecit ea faber, et pictor, et » textor, eo quod non habeant orationem sacram » sanctificantem illa : aut certe et venerabiles » imagines tanquam sacras, et sanctas, et honorandas admittent. » Huc usque Epiphanius : ex cujus verbis apparet eo tempore quo celebrata est Nicæna II Synodus, anno scilicet 787, saltem apud Orientales morem non fuisse cruces benedicendi : alioqui unico verbo potuisset Gregorii iconomachi calumniam et impietatem refellere. Apud Latinos mos cruces benedicendi profecto est antiquissimus.

Digitized by Google

§ I.

Nova crux, seu tabula in qua Crucifixus est depictus, hoc modo benedicitur. Paratis thure thuribuloque cum igne et aqua benedicta, Pontifex paratus supra rochettum, amictu, stola, pluviali rubri coloris et mitra simplici, stans sine mitra dicit :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Bene✠dic, Domine Jesu Christe, hanc crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate dæmonum, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Alia Oratio. OREMUS.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris bene✠dicere hoc lignum crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum; sit solamen et protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Primus ritus qui olim ad benedicendam crucem ex antiquo Romano Ordine servabatur, fuit profecto, ut primitus fieret benedictio salis et aquæ, deinde Litania, postea vero bina recitata Oratio ab Episcopo benedicente diceretur. Verum ex manuscripto Pontificali monasterii Lyrensis ante annos sexcentos exarato cautum lego ut « in consecratione sanctæ crucis primum » Letaniæ agantur, deinde dicat Episcopus ter : » *Deus, in adjutorium meum intende;* postea » faciat exorcismum salis et aquæ, et cætera » usque : *Exorcizo te, creatura salis, quatenus* » *consecrata sis aqua sancta, ac proficias ad de-* » *dicationem hujus sanctæ crucis, ut per te et* » *per benedictionem divinam, auxiliante Domino,* » *sive per os, et per manus, atque officium no-* » *strum hæc crux divinitus per gratiam Spiri-* » *tus sancti consecretur, et perpetualiter ad* » *adorandam imaginem Domini nostri Jesu* » *Christi consecrata permaneat, et Spiritus* » *sanctus habitet in hac cruce sancta. Per eum-* » *dem.* »

II. Recitata hac benedictione cautum præterea fuit ex eodem monasterii Lyrensis Pontificali, ut « tunc lavetur Crux aqua benedicta, » modulando hanc Antiphonam : *Asperges me,* » *Domine,* cum Psalmo, *Miserere mei, Deus;* » eisque absolutis, recitatæ ex nostro hoc § Orationes dicerentur; quarum prima post illa verba, « qui gaudebat in prævaricatione primi » hominis per vetitum lignum, » hoc habet additamentum : « tristis tamen dimisit per lignum » crucis tuæ, quos antea seductos habuit. San- » cti ✠ fica, quæsumus, Domine, istud signa- » culum passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obsta- » culum, et credentibus in te perpetuum salutis » vexillum, Salvator mundi. Qui cum. » Prolixior est altera Oratio; longe prolixior tertia quæ sequitur, prolixissima autem quarta. Has omnes describere consulto hic omitto, cum ipsum Ordinem integrum ad benedicendam crucem in Appendice exhibere satius ducam.

III. Ex Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, secundum

Digitized by Google

cujus præscriptum benedictio crucis, sicut et aliarum rerum ad ecclesiæ usum, fiebat dum ipsa ecclesia dedicabatur, post binas nostri hodierni Pontificalis Orationes, hæc tertia sequebatur : « Omnipotens sempiterne Deus, qui per » lignum perdito mundo lignum redemptionis » tuæ crucis prædestinasti : quæsumus ut bene» dicere digneris hoc lignum similitudine crucis » tuæ signatum : et præpara in ea tuis fidelibus » virtutem, inimicis autem obstaculum, ad au» gendum nomini tuo credentium chorum vir» tute cœlesti. Per. » Qua Oratione finita, statim Episcopus crucem cum aqua benedicta lavabat, dicebatque hanc Orationem : « Omnipotens » æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Chri» sti, tu conditor animarum, vel Angelorum, et » siderum : tu fundasti terram super stabilita» tem suam, tu creasti mare; tu solus omni» potens Deus sine principio et sine fine : bene» dic hanc crucem fabricatam ad instar et ad » imaginem crucis in qua passus est Filius tuus » unigenitus Jesus Christus pro salute mundi, » quæ erat diffusa rore proprio decorati sangui» nis Jesu Christi Filii tui : benedicimus et con» secramus istam crucem in honorem et memo» riam nominis tui, ut sit benedicta et consecrata » hæc crux inter mysteria Ecclesiastica in ho» nore Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus » sancti, qui tecum. » Mox mandat ut extergatur crux cum linteo, et postea offeratur incensum ; de quo ritu nos infra suo loco. Vide quæ dicemus.

IV. Consentit cum hodierno quidem Romano Pontificali codex manuscriptus Pontificalis Gulielmi Durandi, ubi de benedictione novæ crucis agit; sic enim ait : « Benedictio novæ crucis, » seu tabula in qua Crucifixus est depictus sive » sculptus, fit hoc modo. Præparentur enim » ante omnia thus, turribulum et aqua bene» dicta. Postea Pontifex incipit ℣. *Adjutorium* » *nostrum, etc.* » Ubi nota aliquid hic inveniri nostro Pontificali expressius; cum dicat benedicendam crucem, non modo in qua Crucifixus est depictus, verum etiam ubi sculptus est. Rursus in prima Oratione, post illa verba « per ve» titi ligni sumptionem, » hocce in ipso Gulielmi Durandi Pontificali additamentum legitur : « Sancti ✠ fica, Domine, istud signaculum pas» sionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, et » credentibus in te perpetuum perfice salvatio» nis vexillum. » Quæ quidem verba in cunctis quæ vidi, vel ante emendationem Clementis VIII Papæ, editis Pontificalibus desiderantur.

§ II.

Deinde dicit voce mediocri, extensis manibus ante pectus, Præfationem : ***Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus sanctum ac terribile nomen inter cæteras visibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant : qui in figuram unigenitæ sapientiæ tuæ ligno vitæ a principio paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis mortem cavere, et vitam admoneres obtinere perpetuam. Quique nos vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coæternæ tibi Sapientiæ Dei, et Domini nostri Jesu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es. Te supplices exoramus ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli, quo pretioso Filii tui sanguine triumphasti, fidelium tuorum devotione compactum erectumque est, cœlesti tua bene✠dictione sanctificare digneris; ut omnibus hic genua flectentibus, ac tuæ majestati supplicantibus, largior et cordis compunctio, et admissorum indulgentia concedatur : atque intercedente ipsa victoriosissima unigeniti***

Digitized by Google

Filii tui passione, et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere. Da, quæsumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur et sumus, ut quoties triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuemur, quotiesque mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, et majorem tibi devotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ majestatis examine, cum, paventibus elementis, cœlorumque commotis virtutibus, signum istud glorificum redemptionis nostræ apparuerit in cœlo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur. Quod sequitur dicitur submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit. *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Dicendam hanc ab Episcopo Præfationem mediocri voce, et quidem super crucem, cautum est manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Vetus autem Ordo Romanus mandat ut ipsam Præfationem, quam vocat Consecrationem, dicat Episcopus *alta voce*. De ipsa Præfatione ne unum quidem verbum in Pontificalibus antiquis, Gemmeticensis monasterii annorum circiter mille, et monasterii Lyrensis ante annos sexcentos scripto. Compacta est ex variis sacrarum litterarum sententiis, qualis est illa, « sanctum ac terribile nomen, » desumpta ex Psalmo cx, versiculo 9, et alia quæ paulo post legitur, « ligna quoque fructifera laudare » ac benedicere, etc., » desumpta ex Cantico trium puerorum apud Danielem prophetam, cap. III.

II. Quod dicitur initio Præfationis, Deum in figuram unigenitæ Sapientiæ suæ, ligno vitæ a principio paradisum voluptatis ornasse, ut ejusdem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis mortem cavere, et vitam admoneret obtinere perpetuam, profecto alludit ad caput II *Geneseos*, ubi ita auctor *Pentateuchi* Moyses scribit : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi.* Sunt qui immortalitatis causam primo homini in solo ligno vitæ posuerunt, adeo ut etiamsi peccasset homo, semper tamen victurum fuisse existiment, si paratum semper haberet illius arboris usum. Idcirco enim dicunt hominem primum per ejectionem e paradiso semotum fuisse ab illo ligno, ne de fructu ejus comedens semper viveret. Cui sententiæ favere videntur verba Domini ejicientis Adam e paradiso : *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum. Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est; ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ;* uti legitur in fine capitis III *Geneseos.*

III. Ita plerique veterum Patrum sensisse putantur, ut Irenæus, Hilarius, Methodius, et alii apud eximium theologum Guillelmum Estium in libri secundi distinctionem decimam octavam, § VI, ubi aliorum sententiam probabilem esse asserit, qui docent immortalitatem fuisse primo homini ex utroque simul, scilicet ex interna bona qualitate et ex ligno vitæ, quemadmodum et nunc temporalis conservatio vitæ hominis partim dependet ex interna corporis temperie, partim ex alimento. Quanquam hoc interest, quod bona illa constitutio corporis inerat ex bona animi constitutione, id est justitia, non item homini lapso. Hac igitur bona corporis qualitate per peccatum deperdita, negant solum vitæ lignum mortem ab homine prohibere potuisse; quemadmodum nunc, nec cibus quamvis optimus hominem lethali morbo laborantem potest eripere mortis periculo, sic ut non ex hujusmodi morbo moriatur.

IV. Hæc sententia valide roboratur ex illo quod scribit Apostolus in Epistola ad Romanos,

Digitized by Google

cap. VIII, ubi ait corpus mortuum esse propter peccatum. Per hoc enim significatur in ipso corpore nunc inesse corruptionis et mortis causam, quæ non inerat ante peccatum; scilicet aut morbidam quamdam ac mortiferam qualitatem, aut potius privationem bonæ illius constitutionis ac temperaturæ, quæ ante peccatum inerat, cujus nimirum defectu nunc corpus mortuum dicatur. His accedit manifesta probatio ex Concilii Arausicani II canone I, et Concilii Tridentini sessione V, can. I, in quibus definitur totum hominem, secundum corpus et animam, per peccatum in deterius mutatum fuisse. Inde enim sequitur, quod docent theologi, in ipso corpore ante peccatum fuisse qualitatem quamdam, qua ita bene sese haberet, ut posset non mori. Estque hæc compluribus locis doctrina S. Augustini, ut lib. I *De peccatorum meritis*, cap. XVI, lib. IX *De Genesi ad litteram*, cap. X, et lib. XI, capite XXXII, et lib. XIII *De Civitate Dei*, cap. III et cap. XXXIII. Hoc etiam S. Leo voluisse videtur, quando dixit hominem immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam. Dos enim immortalitatis hominis secundum corpus, non in aliquo externo, sed in ipso corpore hominis constituenda est. Atque huic sententiæ subscribunt plerique theologi, quam ut probabiliorem memoratus Estius amplectitur; qui etiam eam opinionem improbat, quæ dicit ita hominem factum immortalem, ut etiam sine esu ligni vitæ semper vivere posset, si non ei fuisset præceptum ut de eo comederet.

V. Jam multæ hic essent quæstiones agendæ, an prædicta virtus ligni vitæ fuerit naturalis; an semel vel sæpius utendum fuisset ligno vitæ; itemque utrum immortalitas primi status fuerit homini naturalis; verum ne in theologorum messem falcem mittere videamur, illas ipsis discutiendas relinquimus. Ut itaque rem nostram agamus, illud omittendum non est, quod in ipsa nostra Præfatione subjungitur, lignum vitæ typum Dominicæ crucis fuisse : « Arbor » vitæ, inquit Cornelius in *Genesim*, est crux » Christi, quæ in medio paradisi, id est Eccle- » siæ, erecta vitam dat mundo : in quam pro- » inde conscendere gestiens sponsa ait, capite VI » *Canticorum : Ascendam in palmam, et appre- » hendam fructus dulces gutturi meo.* » Similia habent et alii interpretes. Andreas Cretensis, oratione I habita in venerabilem pretiosæ et vivificæ crucis exaltationem, inter alia elogia, quibus Christi crucem exornat, illam *vitæ lignum* appellat. Tum vero ita orationem concludit : « Benedictum lignum, ex quo arca » fabricata est, mundum in diluvio symbolice » conservans : benedictum est lignum, ex quo » cum latro comedisset, deliciis cumulatus est : » benedictum lignum, ex quo cum Adam com- » munis parens non prius comedisset, mortem » cum vita commutavit, velut qui nimia præci- » pitantia lignum scientiæ gustasset, tum de- » mum ligni ejusmodi factus particeps, qualita- » tem sensit, atque in pristinum revocationem » invenit; benedictum est lignum, per quod » curvatur brachium superbum et cervices ini- » micorum inflectuntur, datque terga barbarus, » et Scytha fugit nemine persequente. »

VI. Quod reliqua spectat quæ in Præfatione habentur, videri possunt elegantissimi S. Leonis Papæ, S. Maximi Episcopi, atque aliorum Sanctorum Patrum sermones, quos de Passione et cruce Dominica scripserunt. Sunt enim in iis plurima quibus Præfatio ipsa egregie dilucidatur.

§ III.

OREMUS..

Deus, qui beatæ crucis patibulum, quod prius erat scelestis ad pœnam, convertisti redemptis ad vitam; concede plebi tuæ ejus vallari præsidio, cujus est armata vexillo. Sit ei crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen; sit ei in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultura; ut per eam pastor in futuro gregem conservet incolumem, quæ nobis, Agno ✠ vincente, conversa est in salutem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

Alia Oratio. ℣. OREMUS.

Sancti✠fica, Domine Jesu Christe, signaculum istud passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstant binæ istæ Orationes in Ordine antiquo Romano, in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, et in aliis multis. Exstant et in Pontificali monasterii Lyrensis ante annos sexcentos scripto, sed mutatis omnino multis periodis, uti in Appendice videre est; eratque tertia Oratio, quæ post lavatam crucem cum aqua benedicta et cantatam Antiphonam, *Aspergis me, Domine*, cum Psalmo, *Miserere mei, Deus*, ab Episcopo dicebatur. Secunda Oratio hic descripta, est quidem pars Orationis illius, *Bene ✠ dic, Domine Jesu Christe*, etc., in § I recitatæ, juxta præscriptum scilicet Pontificalis Gulielmi Durandi, et aliorum, ut in Commentario ipsius § adnotavimus.

II. Notanda nunc sunt primæ Orationis verba, quibus dicitur crucis patibulum, quod prius erat scelestis ad pœnam, conversum a Christo fuisse redemptis ad vitam. Certe in honorem crucis Christi, qua stygium hostem vicit et a potestate ipsius homines liberavit, supplicium crucis, quod apud Romanos et alios populos ignominiosum, servile erat et frequens, ut ex Plauto in *Milite glorioso*, Horatio, Cicerone, Apuleio, Seneca, Suetonio et aliis colligere licet, Constantinus quidem lege lata prohibuit, teste Sozomeno lib. I *Historiæ*, cap. VIII; Nicephoro lib. VII, cap. XLVI, et aliis. Quod et usu receptum fuit, pœnaque illa omnino sublata. Hinc S. Augustinus, Sermone XVIII *De verbis Domini* secundum Matthæum, cap. IX, inquit : « Quia » ipse Christus honoraturus erat fideles suos in » fine hujus sæculi, prius honoravit crucem in » hoc sæculo; ut terrarum Principes credentes » in eum, prohiberent aliquem nocentium cru- » cifigi; et quod cum magna insultatione per- » secutores Judæi Domino procurarunt, magna » fiducia servi ejus etiam reges in fronte nunc » portant. »

III. Idem Augustinus non uno in loco idipsum prædicare consuevit. Etenim *in Psalmum* XXXVI Concione II, ita scribit : « Quan- » tacumque patiaris, non pervenies ad illas » insultationes, ad illa flagella, ad illam spineam » coronam, ad illam postremo crucem, quia » jam de pœna generis humani sublata est. Cum » enim apud antiquos scelerati crucifigerentur, » modo nullus crucifigitur. Honorata est, et » finita est; finita est in pœna, manet in gloria. » A locis suppliciorum fecit transitus ad frontes » imperatorum. » Idem S. Doctor, *Tractatu* XCVII *in Joannem*, idipsum confirmans, ita inquit : « Si spectat impietas, videt regem pro virga » regni lignum sui portare supplicii. Si pietas, » videt regem bajulantem lignum ad semet- » ipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam » in frontibus regum. » Frequentissimus profecto est Augustinus in eo argumento sæpius pertractando, ut in ejus operibus videre est, quorum loca omnia tædiosum hic esset recensere. Eadem passim habent et alii Latinæ Ecclesiæ Patres, quos longo agmine affert Jacobus Gretserus in suis *De sancta Cruce* libris.

IV. Sed ut Græcos etiam de ea re audiamus, S. Joannes Chrysostomus, in *Homilia* quadam in qua Christum probat esse Deum, estque Homilia LXI tomi VI, postquam crucem, uti ante nos observavit Petavius eruditissimus, et in ea toleratum supplicium quantæ olim ignominiæ fuerit, solita dicendi copia declaravit; quantus eidem ex Christi cruciatu et perpessione splendor et dignitas accesserit, majori eloquentiæ vi et facultate describit. Non enim ita regis caput corona decorari regia inquit, ut cruce, quæ est ornatu omni pretiosior, et quod omnes exhorrescebant antea, hujus effigiem modo sic esse omnibus optabilem, ut hanc ubique reperias, apud principes, apud subjectos, apud feminas, apud viros, apud virgines, apud maritatas, apud servos, apud ingenuos, apud omnes, et in omnibus locis, quæ ipse eloquentissimus

Digitized by Google

doctor distinctim describit, dicens : « Etenim » hanc assidue insculpunt universi in membro» rum nostrorum insigniori parte; ac sic tan» quam in cippo, in fronte quotidie figurantes » circumferunt. Hæc ipsa crux in sacra mensa; » hæc in Sacerdotum consecratione; hæc rursus » cum Christi Corpore ad cœnam mysticam » resplendet. Hanc ubique passim exultantem » videas in ædibus, in foris, in solitudinibus, » in viis, in montibus, in nemoribus, in clivis, » in mari et navibus atque insulis, in lectis, in » palliis, in armis, in thalamis, in conviviis, in » vasis argenteis et aureis, in unionibus, in pi» cturis muralibus, in jumentorum multifariam » affectorum corporibus, aut eorum qui a dæ» monibus infestantur; in bellis, in pace, diebus » ac noctibus, in luxuriantium choreis, in duro » victu utentium sodalitiis. »

V. Sic igitur honoratam ætate sua crucem ubique fuisse docet Chrysostomus, ejusque figuram tum ad ornatum, tum ad remedium ac præsidium circumlatam fuisse, atque vel pecudum morbo laborantium corporibus inscriptam; quod adeo non improbat, neque superstitionis et idololatriæ damnat eximius ille Pater, ut hoc argumento contra gentiles et Judæos utatur ad probandam Christi divinitatem; dum quod infame et ignominiosum antea censebatur, post illius passionem gloriosum est; optandum deinceps esse demonstrat, sic inquiens : « Usque adeo non solum fugienda » non est crux, ut etiam desiderabilis et ama» bilis sit, et omnium studio digna, ubique co» ruscans, et dispersa in domorum parietibus, » in contignatione, in libris, in urbibus, in pa» gis, in desertis et habitabilibus locis. » Eadem tradunt et alii Patres, ex quibus addiscimus morem erigendi cruces in viis publicis, in triviis, in compitis non recentem esse, sed veterem atque omnino diuturnum.

VI. Prohibuerunt tamen sancti Patres et christiani principes, venerationis ergo, jam olim vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis signum crucis sculpere vel pingere. Id quidem cautum est ex lege I Cod. *Nemini licere signum Salvatoris*, *etc.*, et ex canone LXXIII Concilii Trullani, qui ita inquit : « Cum crux nobis vivifica salutare ostenderit, » nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut » ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, » eum quem par est honorem habeamus. » Quamobrem, et mente, et sermone, et sensu » adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ » a nonnullis in solo ac pavimento fiunt, om» nino deleri jubemus, ne incedentium con» culcatione victoriæ nobis trophæum injuria » afficiatur. » Tum ita addit : « Eos itaque » qui deinceps crucis signum in solo con» struunt, segregari decernimus. » Hæc laudatus canon, qui quidem confirmat Theodosii et Valentiniani III Augustorum legem ad Eudoxium prætorii præfectum, quam *Codici* suo inseruit etiam Justinianus; ejusque verba hæc sunt : « Cum sit nobis cura diligens per omnia » superni Numinis religionem tueri, signum » Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, » vel in silice, vel in marmoribus humi positis » insculpere vel pingere, sed quodcumque re» peritur, tolli, gravissima pœna mulctando eos » qui contrarium statutis nostris tentaverint, » specialiter imperamus. »

VII. Docet eximius Lupus in laudatum Trullanum canonem, desumptam esse hanc legem ex pietate Helenæ Augustæ Dominicam crucem a gentibus defossam quærentis, de qua post repertum ejus titulum scribit in Theodosii imperatoris Oratione funebri S. Ambrosius : « Me» tuebat calcare sacramentum salutis, » id est terram, in qua constabat latere istud sacramentum. De Tiberio II Augusto narrat S. Gregorius Episcopus Turonensis, lib. V *Historiæ*, cap. XIX, quod cum deambulans per palatium vidisset in pavimento domus tabulam marmoream in qua crux Dominica erat insculpta, ita locutus sit : « Cruce tua, Domine, frontem nostram muni» mus et pectora, et ecce eam sub pedibus con» culcamus : » addit citius jussisse eam auferri, et grandem thesaurum sub marmore invenisse. Hodie, ut in opere nostro *De codice sancti Evangelii*, *etc.*, lib. II, cap. XVIII, notavimus, in nostris templis non sine abusu passim videmus, cum sacrorum hominum insignibus sacratissimam crucis effigiem pavimento insculptam, quam pedibus inviti calcamus. Utinam hic abusus tollatur! multo magis alius, quo ut meientes arceant, in domorum angulis crucem pingunt!

Digitized by Google

§ IV.

Tum offertur Pontifici thus in navicula, aut alio vase, quod Pontifex stans sine mitra benedicit, dicens :

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene✠dicere et sancti✠ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo; ut nunquam lædatur a morsu antiqui serpentis, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ V.

Quo facto, Pontifex imponit thus in thuribulum. Deinde aspergit crucem aqua benedicta, et mox eam incensat. Tum dicit adhuc stans sine mitra : *Sanctificetur lignum istud, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti : et benedictio illius ligni, in quo membra sancta Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno, ut orantes inclinantesque se propter Deum ante istam crucem, inveniant corporis et animæ sanitatem, Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.* ℟. *Amen.* Tum Pontifex stans ante crucem genibus ipsam devote adorat et osculatur. Idem faciunt quicumque alii voluerint.

COMMENTARIUS.

I. Tametsi Gulielmi Durandi Pontificale eadem dicat quæ in duobus hisce §§ descripta sunt; in antiquis tamen Pontificalibus multa sunt quæ hunc incensi suffitum faciendum ad crucem præcedunt. Vetus Ordo Romanus post recitatam superius Præfationem, quam Consecrationem vocat, præscribit ut hæ recitentur preces : « Rogamus te, Domine, suppliciter » invocantes, ut signum illud sanctæ crucis sit » salus credentium in te per passionem crucis » tuæ, et per signum sanctitatis tuæ, signum » sit Dei vivi, signum salutis, signum beatæ » Trinitatis, signum cœlestis gloriæ, signum » Salvatoris nostri Jesu Christi Domini nostri, » hoc est, crux Salvatoris nostri, crux Patriar- » charum, crux Prophetarum, crux Apostolorum » sanctorum, crux Martyrum Christi, crux Ec- » clesiæ Dei, crux omnium credentium in san- » ctam et perfectam Trinitatem. » Respondetur. « Amen. Alleluia. »

II. His fusis precibus, hanc aliam adjunctam Orationem legimus : « Te, Domine, quæsumus, » qui das animabus salutem per signum crucis » tuæ, ut in locis, vel domibus ubi crux ista » fuerit fixa, fugentur dæmones et immundi » spiritus, ac pestifex expellatur inimicus, » morbisque careant et immunditiis, ac omnes » adversæ potestates cognitione tua sint procul » depulsæ, et virtute benedictionis tuæ sit be- » nedicta hæc crux, et sanctificata, et mundata » dignanter; et, in quocumque loco manserit, » in tuo nomine omnes timores meridiani atque » nocturni, et omnes terrores livoresque ser- » pentis excludantur, abscedantque insidiæ » inimici, et phantasmata pereant. Per. » Sequuntur mox binæ aliæ Orationes, quarum prima incipit : « Deus, qui beatæ crucis pati- » bulum, etc., » altera vero hunc in modum : « Sancti ✠ fica, Domine Jesu Christe, etc. » Utramque juxta Ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis supra in § III descripsimus. Tum mandat vetus ipse Ordo Romanus ut « as-

Digitized by Google

» pergat crucem aqua sancta, addens odorem » incensi, ita dicendo : *Sanctificetur istud li-* » *gnum in nomine Patris, et Filii, etc.* »

III. Ex antiquissimo Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis illud præterea cautum est, ut, post oblatum incensum in circuitu crucis et dictam Orationem, « Deus gloriæ, » Deus excelse sabaoth, etc., » de qua nos in § sequenti, Episcopus faciat signum de oleo sancto super crucem, et benedicat eam his verbis : « Consecrare et sanctificare digneris, Domine » Deus omnipotens, hanc crucem per istam » unctionem et nostram benedictionem in Chri- » sto Jesu Domino nostro, qui tecum vivit; » tum subjungat hanc Orationem, quæ ex laudato Pontificali *Benedictio* appellatur : « Sanctifica, » quæsumus, Domine, crucem istam, quam » dignatus es pro mundi salute ascendere ad » redimendum per passionem tuam humanum » genus, qui diu in captivitate diaboli et laqueis » capiebatur. Itaque nunc istud salutiferum per » medicinam unctionis tuæ olei et aspersionis » hujus aquæ ad liberationem generis humani, » et ad effugandum dæmones, ac expellendos » morbos et omnes languores animarum per » invocationem nominis tui restaurare digneris, » per te, Jesu Christe, qui vivis. » Ubi nota consuevisse alicubi benedici crucem non modo suffitu incensi et aspersione aquæ benedictæ, sed etiam sancti olei unctione. Exstant et hi ritus in Pontificali monasterii Lyrensis ante annos sexcentos scripti, ex quo tamen præscriptum est ut prius, quemadmodum superius notatum est, lavetur crux cum aqua benedicta; deinde super ipsam faciat Episcopus signum de chrismate, postea aspergat aqua benedicta, tum super ipsam adoleat thus, insuper vero eam elevet, et ab omnibus adoretur, canendo Antiphonam : « O » Crux splendidior cunctis astris, etc., » quam vide in Appendice, ubi hunc integrum ad benedicendam crucem nos Ordinem referemus.

IV. Adorandam flexis genibus crucem, religiosoque osculo honorandam, tum ab Episcopo qui eam benedixit, tum etiam ab aliis, si voluerint, edicit quidem manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, et alia antiquissima et recentiora Pontificalia. Est pervetusta Ecclesiæ consuetudo, quam *Patrum traditionem* vocat Jonas Aurelianensis libro I *De cultu imaginum*. Rusticus diaconus, Justiniano imperante, contra acephalos scribens, adorari crucem ex veteri consuetudine testatur his verbis : « Et » adoramus omnes crucem, et per ipsam illum » cujus est crux. » Asterius Amasenus episcopus, qui sæculo Christi IV floruit, in Oratione de sancta Euphemia, ubi imaginem ipsius et martyrii ab ea exantlati describit : « Virgo, in- » quit, veneranda in pullis vestibus sola sedet, » manibus in cœlum extentis, Deum in malis » adjutorem invocans. Huic porro precanti supra » caput apparet signum, quod ex præscripto le- » gis Christiani adorant, et inscribunt sibi. » Hic certe adorationem figuræ crucis, uti post Petavium doctissimum observant alii theologi, ex lege Christianis indictam docet sanctitate, doctrina et eloquentia inter primores Græcorum Patrum merito numerandus Asterius, cujus totam Orationem insertam leges in Actione IV septimæ Synodi œcumenicæ, quæ fuit Nicæna secunda.

V. Afferri possent et alii Patres, quos longo agmine theologi afferunt adversus insolentiam hæreticorum qui crucis imaginem adorandam pernegant. Sed ne in longum noster hic Commentarius abiret, iis relictis, non omittendum duximus quod de quibusdam sui temporis Christianis narrat Amalarius Fortunatus, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIV, fuisse nimirum nonnullos qui crucem ipsam Domini, in qua mortem ille pertulit, adorare velle præ se ferrent, figuram autem ipsius venerari detrectarent : « Fuerunt quidam qui volebant dicere » se velle eamdem crucem adorare in qua Do- » minus crucifixus est. Utinam in omnibus » ecclesiis haberetur! præ cæteris merito vene- » raretur. Quamvis omnis ecclesia eam non » possit habere, tamen non deest eis virtus san- » ctæ crucis in eis crucibus quæ ad similitudi- » nem veræ crucis factæ sunt. » Sunt præterea qui crucis nudæ et simplicis imagines non improbant; at Crucifixi effigiem pictam vel sculptam cruci addere detestantur. Verum et hic etiam error est; nam Crucifixi imaginem cruci additam S. Augustinus probat in lib. II *De visitatione infirmorum*, cap. III : « Habent siquidem » Christianorum arcana illius Dominicæ crucis, » quod de crucis ipsius imaginatione crucem » cognominant, quod et nos omni veneratione » dignissimum fatemur, et ad recordationem » Crucifixi nostri veneramur. Adjicitur etenim

Digitized by Google

» super crucem quædam hominis inibi patientis
» imago, per quod salutifera Jesu nobis reno-
» vatur passio : hanc complectere humiliter,
» venerare suppliciter ; tamen hæc ad memo-
» riam tibi reduces : »

Nec Deus est, nec homo præsens, quam cerno figura.
Sed Deus est, et homo, quem signat sacra figura ;
Verus homo, verusque Deus, tamen unus uterque.
Probra crucis patitur, mortem subit, et sepelitur.
Vivit idem ; crucis hæc per signa triumphat ab hoste.
Id notum vobis crucis hujus littera reddit.
Scilicet ipsius nota sunt crux et Crucifixus.
Hanc et ego veneror, Jesum quoque semper adoro.

VI. Adoratam flexis genibus figuram crucis vel ab ipsis imperatoribus, testantur passim antiqui Patres, inter quos christianus poeta Prudentius in *Apotheosi* ita cecinit adversus Judæos :

. . . . . Jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi ;
Vexillumque crucis summus dominator adorat.

Plura de hac re videri possunt veterum Patrum testimonia, atque exempla adorationis cruci flexis genibus factæ a Christianis apud Jacobum Gretserum, et alios scriptores in libris quos ediderunt de cruce. Cæterum ut nihil huic Commentario desit, quod spectat benedictionem thuris in § IV descriptam, exstat ejus formula in Ordine antiquo Romano, sed aliquantum contractior. Sic enim altera e tribus incensi seu thymiamatis benedictionibus, quæ ibidem exstant, inquit : « Domine Deus omnipotens, cui
» adstat exercitus Angelorum, dignare respicere
» et benedicere hanc creaturam incensi, ut
» omnes languorum dæmonumque insidiæ,
» odorem ipsius sentientes fugiant, et separen-
» tur a plasmate tuo, quod Filii tui pretioso
» sanguine redemisti, ut nunquam lædantur a
» morsu serpentis antiqui. Per. » Thuris suffitum ad fugandos dæmones esse efficacem, docent Innocentius III lib. II *De mysteriis Missæ*, cap. XVII, et Gulielmus Durandus lib. IV *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. X, atque alii auctores argumento ejus, quod scriptum est Tobiæ cap. VI.

§ VI.

Si vero crux est ex metallo, vel lapide, loco præcedentis Orationis, videlicet, *Sanctificetur, etc.*, Pontifex, stans sine mitra, dicit sequentem Orationem :

Deus gloriæ, Deus excelse sabaoth, fortissime Emmanuel, Deus Pater veritatis, Pater sapientiæ, Pater beatitudinis, Pater illuminationis ac vigilationis nostræ, qui mundum regis, qui cuncta regna disponis, qui es bonorum collator munerum, et bonorum omnium attributor; cui omnes gentes, populi, tribus et linguæ serviunt, cui assistit omnis Angelorum legio; qui largiris famulis tuis fidem et laudem tui nominis, ut debita tibi oblata persolvant; cui prius fides offerentium complacet, deinde sacrificatur oblatio, quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, ut sancti✠fices tibi hoc signum crucis, et conse✠cres, quod tota mentis devotione famulorum tuorum religiosa fides construxit, trophæum scilicet victoriæ tuæ, ac redemptionis nostræ, quod in amorem Christi triumphalis gloria consecravit. Aspice hoc signum crucis insuperabile, per quod diaboli est exinanita potestas, mortalium restituta libertas : quæ licet fuerat aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honorem per gratiam; et quæ reos quondam puniebat supplicio, nunc et noxios absolvit a debito. Et tibi quid per hoc placere potuit, nisi id per quod tibi placuit nos redimere? Et nullum tibi debitum amplius munus est, quam quod tibi tunc corporis dedicavit affixio; nec tibi est magis familiaris oblatio, quam quæ familiari manuum tuarum extensione sacrata est. Illis ergo manibus hanc crucem accipe, quibus illam amplexus es, et de sanctitate illius hanc sancti✠fica; et

Digitized by Google

sicuti per illam mundus expiatus est a reatu, ita offerentium famulorum tuorum animæ devotissimæ, hujus crucis merito, omni careant perpetrato peccato; et tuæ veræ crucis obtectu, enitescant successibus assiduis triumphatores. Radiet hic unigenitus Filii tui Domini nostri splendor divinitatis in auro; emicet gloria passionis ejus in ligno; in cruce rutilet nostræ mortis redemptio; in crystalli splendore vitæ nostræ purificatio. Sit suorum protectio, spei certa fiducia; eos simul cum gente et plebe fide confirmet; spe et pace consociet; augeat triumphis; amplificet in secundis; proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis; ut eos temporali florentes gloria muniat, et ad perpetuam redemptos coronam, ad regna cœlestia potenti virtute perducat. Præsta propitiationem sanguinis ejus, per ipsum datorem qui seipsum dedit redemptionem pro multis, qui se hostiam pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno crucis suæ, Principatus et Potestates humiliavit, qui tecum sidereo considet throno, indissolubili connexione Spiritus sancti, per infinita sæculorum sæcula. ℟. *Amen.* Tum Pontifex flexis ante crucem genibus eam devote adorat et osculatur; idem faciunt quicumque alii voluerint.

COMMENTARIUS.

I. Docent sacræ ac veteres Ecclesiæ Historiæ crucis effigies jam olim non modo ex ligno, sed ex argento et auro, alioque metallo confectas. Auctor variarum quæstionum inter opera S. Athanasii, in responsione ad quæstionem XVI, moris sui ævi meminit, quo figura quidem crucis ex duobus lignis conficiebatur. Oswaldum Angliæ regem, qui obiit anno 642, crucem ligneam erexisse in loco ubi pugnaturus erat, eamque innumeras virtutes edidisse, scriptum reliquerunt Beda venerabilis, lib. III *Historiæ Anglicæ*, cap. II, et Amalarius Fortunatus, lib. I *De Ecclesiasticis officiis*, cap. XIV. « Ostenditur, inquit, usque hodie, et in magna » veneratione habetur locus ille, ubi venturus » ad pugnam Osvaldus, signum sanctæ crucis » erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus » est ut in tanta rerum necessitate, suis culto- » ribus cœlesti succurreret auxilio. In cujus » loco orationis innumeræ virtutes sanitatum » noscuntur esse patratæ, ad indicium vide- » licet ac memoriam fidei regis. Nam et usque » hodie multi de ipso loco sacrosanctæ crucis » assulas excidere solent, quas cum in aquas » miserint, eisque languentes homines ac pe- » cudes potaverint, sive asperserint, mox sani- » tati restituuntur. » Vide S. hujus Martyris Vitam apud Surium die V augusti.

II. Confectam ex ære crucem Macrinam in pectore pendentem tulisse, testatur Gregorius Nyssenus in Epistola ad Olympium monachum. S. Joannem Chrysostomum cruces fecisse argenteas, Eudoxia suppeditante, easque cum cereis, funalibus ac luminaribus deferri constituisse, commemorant Cassiodorus, lib. X *Tripartitæ historiæ*, cap. VIII; Socrates, lib. VI, cap. VIII; Sozomenus, lib. VIII, cap. VIII, et alii. Constantinum donasse crucem auream purissimam, quæ pendebat libras centum quinquaginta, auctor est *liber Pontificalis*, ubi agit de S. Silvestro Papa. Crucem plumbeam, cum qua sepultus fuit S. Birinus episcopus Dorcestrensis, repertam fuisse in ejus tumulo, legere est in ejus Vita apud Surium, die III decembris. Alias ex alia materia confectas cruces gemmisque pretiosissimis sacrisque reliquiis ornatas, produnt passim antiqui Ecclesiasticarum rerum scriptores.

III. Hujusmodi cruces ex metallo factas peculiari jam olim Oratione consuevisse ab Episcopo benedici, constat ex Ordine antiquo Romano, in quo is exstat titulus: *Benedictio crucis metallizatæ*: incipitque a recitata prolixa Oratione: *Deus gloriæ, Deus excelse sabaoth, etc.*, ut in nostro hodierno Pontificali, cui et in hac quidem re consonat pervetustum Pontificale monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, et Pontificale monasterii Lyrensis ante annos sexcentos exaratum, in quorum altero ante illa verba memoratæ Orationis, *Radiet hic,*

Digitized by Google

quæsumus, Domine sancte, Pater, etc., præfixa est hæc Rubrica : « Si crux argento, vel auro, » seu gemmis est ornata, benedicatur his ver- » bis. » Ubi nota antiquum esse ritum benedicendi alia Orationis forma crucem ex metallo vel lapide confectam; unde satis liquet nihil fere esse in hodierno Romano Pontificali, quod priscis Pontificalibus libris non consonet.

IV. Ut aliqua tandem de Græco ritu dicamus, exstat et apud ipsos Oratio, quam dicit Pontifex super nova depicta imagine, quam prius sacro unguento in quatuor ejus partibus linit, quemadmodum nonnullæ olim Ecclesiæ Latinæ consueverunt, uti superius ostensum est ex ipso Anglicano et Lyrensi Pontificali; eamque fuisse disciplinam Ecclesiæ Romanæ, manifeste liquet ex Responsis Adriani I ad dubia Francorum, lib. I, cap. XXXIX : « Usus, inquit, sanctæ nostræ » Catholicæ et Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ » fuit, et est, quando sacræ imagines vel histo- » riæ pinguntur, prius sacro chrismate ungun- » tur, et tunc a fidelibus venerantur, instar fa- » cientes ut locutus est Dominus ad Moysen » dicens : *Facies unctionem olei*, etc. » Ex quo scilicet et altare et omnia templi et Sacrificii ministeria ungantur et consecrentur. Alludit ad caput XXX *Exodi*, versiculo 21. Cæterum hoc Adriani testimonium citans Lupus eruditissimus, tomo III, in sua Dissertatione *De septima Synodo generali*, cap. V, scribit hunc pium morem etiam hodie in quibusdam Italiæ Ecclesiis dici servari. Quod ipse non facile crediderim, cum omnes hodie Ecclesiæ Latinæ, post emendationem Pontificalis Romani a Clemente VIII et Urbano VIII peractam, servent Romani emendati Pontificalis præscriptum, in quo nulla fit mentio ungendi chrismate sacras imagines, quas Episcopus benedicere solet.

V. Itaque, ut Græcum ritum prosequamur, de novæ imaginis benedictione a Pontifice peragenda, in *Euchologio* a doctissimo Jacobo Goar edito, pag. 672 editionis Venetæ, ita legimus : « Linit eam sacro unguento in quatuor par- » tibus, et precatur hoc pacto : *Pax omnibus.* » *Dominum precemur. Domine Rex noster om-* » *nipotens, Pater Domini nostri et Salvatoris* » *Jesu Christi, qui Moysen servum tuum, ut* » *Cherubim imaginem in sacrato tuo Tabernaculo effingeret, jussisti : unde nos quoque,* » *Domine, sanctas imagines in eorum memoriam* » *componere accepimus. Rogamus itaque te, Rex* » *noster, ut super hanc sanctam imaginem san-* » *cti tui Spiritus gratiam et Angelum tuum* » *mittas, ut coram oraturo fiat in precum com-* » *plementum : gratia, et misericordia, et hu-* » *manitate unigeniti Filii tui clementis Domini* » *et Dei Salvatoris nostri Jesu Christi.* Excla- » matio. *Quia convenit tibi gloria, honor, et* » *adoratio; Patri, et Filio, et sancto Spiri-* » *tui, etc.* »

VI. Duos Cherubim aureos et productiles jussu Dei a Moyse ordinatos, et ex utraque parte Propitiatorii positos, constat ex libro *Exodi*, cap. XXV, versic. 17 et 22, itemque ex cap. XXXVII, versic. 7. Atque hæc quædam sunt loca, quibus sacri scriptores ac theologi nostri passim utuntur ad probandum, ex veteri etiam Testamento licere sacras et facere et habere imagines. Sane per duos Cherubim aureos intelliguntur duæ statuæ vel imagines aureæ repræsentantes duos Angelos Cherubinos, quæ positæ erant in Tabernaculo super Arcam fœderis, et expansis alis tegebant Arcam, erantque in summo honore ac veneratione apud Judæos, quod essent præcipua pars et ornamentum Arcæ : quæ cum tota ab ipsis Judæis honoraretur, imagines quoque quæ ipsam Arcam ornabant, honoratas fuisse dicendum est. Argumentum est doctissimi Becani in *Manuali Controversiarum*, libro III, capite II, *De Christo*, quæstione V, ubi ex laudato veteris Testamenti loco recte admodum colligit adversus heterodoxos, adorari posse imaginem Christi.

VII. Sed, relicta hac theologis controversia, cum superius de ritu Græco facta sit mentio de benedictione novæ imaginis depictæ, sciendum est ex Jacobo Goar in *Notis ad Ordinem sacri Ministerii*, pag. 22, tantum exhibere Græcos sacris imaginibus cultum, ut non minus exemplo sint quam admirationi. Has corporis veneratione, et odoribus incensi, vestibus, floribus, donariis ex animo non illiberali prosequuntur, si tamen pictæ sint, et mera Sanctorum lineamenta, non profana simul plura (ut nunc plerumque artis pictoriæ, non devotionis Christianæ studio fit) et a sanctis aliena contineant. A sculptilibus autem tanquam ab idolis abhorrent, de quibus Davidicum illud, *Os habent, et non loquentur, etc.*, concinere non verentur. Verum etsi media planaque sculptura, eo quod

Digitized by Google

ad picturam accedat, hodieque utantur in sacris imaginibus formandis; antiquitus tamen etiam integre sculptis cultum ipsos exhibuisse, ex Paulo Diacono addiscimus, qui lib. *Historiæ* suæ XXI, narrat, Judæum quemdam Phœnicem Leonis Isauri tempore Gizid Arabum principi suasisse, ut « venerabiles quæ in ecclesiis in » toto principatu suo imagines honorabantur, » deponeret. » Clarius autem sequenti libro refert, « Constantinum Copronymum imagines » magni secreti, quæ sculptæ erant in ligno, » deposuisse, et cæterarum imaginum facies » delinivisse, » idest delevisse, uti explicat Goar. Vide Lupum in laudata *De septima Synodo Generali* dissertatione, cap. v, ubi inter alia refert Anastasii Bibliothecarii locum aientis, ipsam Synodum VII non modo pictas imagines, sed quasvis figuras probasse. Quod mirum videri non debet, cum de Leone Isauro diserte scribat auctor Vitæ S. Stephani Auxentiani, quod primus ejus furor æream Domini crucifixi statuam, ecclesiæ portis superpositam, invaserit ac deturbarit.

VIII. Hunc olim ritum apud Græcos servatum, ut non modo ipsi picturas, sed et statuas Sanctorum etiam haberent, docet nos Epistola Michaelis et Theophili imperatorum, in qua conqueruntur, quod quidam Græcorum « Cor» pus Domini in manus imaginum ponebant, » a quibus communio accipiebatur : quod quidem pictis imaginibus convenire non potest, sed fictis, seu statuis; ut scite observat Joannes Mabillonius, præfatione I in sæculum V Ordinis S. Benedicti, num. XIX; ubi etiam notat rariorem quidem tunc temporis apud Græcos ejus rei fuisse usum, et nulla Ecclesiæ auctoritate approbatum. Certe in æde Sanctæ-Sophiæ a Justiniano imperatore constructa sæculo VI, cum multæ essent imagines, nullæ tamen fictæ exstabant, sed tantum cælatæ insculptæque in argenteis tabellis, referente Paulo Silentiario teste oculato : quæ quidem effigies a dictis et planis parum differunt, uti et tessellatæ.

IX. Celebris denique et apud Græcos fuit olim ritus, ut ob conceptam de cruce in bellorum periculis fiduciam, qua plurimæ cœlitus illis concessæ fuere victoriæ, solemniter crucem erigerent; exstatque ea de re Callisti Patriarchæ Oratio, in pretiosæ et vivificæ crucis elevatione; ejusque verba apud memoratum Goar in *Euchologio*, pag. 652, hæc sunt : « Domine Deus noster, qui Filium tuum uni» genitum cuncta pro generis nostri salute » perpeti paratum in mundum mittere, cru» cemque et mortem subire voluisti, ut nos » amara mortis tyrannide eriperet, cunctosque » ad se per pretiosæ et vivificæ crucis insu» peratæ et invictæ armaturæ adorationem al» liceret. Te rogamus et precamur Patrem sub» sistentis in te coæterni et glorificandi tecum » Verbi, ut per hujusmodi vivificam crucem, » Christianorum gentem in unum concilies » consensum; piisque et Christum amantibus » imperatoribus non adversus invisibiles modo, » sed et visibiles eorumque potestati oppositos hostes trophæa victoriasque impertiaris. » Per crucem siquidem direptus est infernus, » portæ paradisi sunt reseratæ, ad cœlum via » facta est libera, et Altissimi ad dexteram » consessum consequi expectamus. Per eam » sanus factus est aer, renovata est creatura, » cœlestia cuncta et terrestria in unam com» pacta sunt Ecclesiam. Per eam reges impe» rant, per eam Martyrum chorus, Pontificum » caterva, Monachorum gloria, Sacerdotum » decor, mulierum honestas, cuncta denique » per eam ejusque venerationem diriguntur. » Ita, Domine Deus noster, misericordiarum » Pater, pietatis fons, clementiæ abyssus in» vestiganda, exaudi me peccatorem et in» dignum servum tuum in hac hora, virgam» que peccatorum adversus Justorum sortem, » et desideratæ hæreditatis partem, extensam » comprime, et ne tradas nos in finem propter » nomen tuum sanctum; sed amanti Christum » imperatori nostro calamitatum eum deti» nentium relaxationem, et angustiarum, tu» multuum et seditionum in eum ingruentium » liberationem concede. Brachium ejus cor» robora, regnum ejus confirma, fines imperii » expande, et sub ejus pedibus insurgentes » in eum substerne. Angelicis castris circum» valla illum, profundam securamque pacem » illi concede : ut et nos, præliis tumultibus» que cunctis excussis, quietam et tranquillam » vitam agamus, in omni pietate et honestate, » uno corde et ore uno laudantes et celebran» tes te solum verum Deum nostrum; virtute » pretiosæ et vivificæ crucis; intercessionibus

Digitized by Google

» super omnes benedictæ Deiparæ, et omnium » Sanctorum. Amen. »

X. Tradit in Notis ad ipsam Orationem eruditus Jacobus Goar, eidem Orationi faciendæ causam dedisse Imperii Græci decidentem in dies gloriam, et imperatorum in venerandam crucem devotionem summam, ac conceptam de illa in bellorum periculis fiduciam, qua plurimæ cœlitus illis concessæ fuere victoriæ. Apparente namque illa in sublimi aere, postquam ejus signo Labarum Romanus Constantinus insignivit, et de Licinio tyranno triumphum egit, illud in veneratione habitum in bellis semper prætulerunt imperatores Romani. Hinc celebres illæ victoriæ crucis auxilio comparatæ; hinc ei cum imagine Virginis Nicopœæ curru regio vectæ, ac triumphales honores delati; hinc ei trophæa et laudes Epiniciæ decantatæ; hinc tandem inter alia tria sacra flamula, medius ei digniorque locus in exercitu deputatus; de quo Codinus, *De officialibus Palatii Constantinopolitani, et officiis magnæ Ecclesiæ*, ita scribit: « Aliud flamulum crux est, habens imagines » magnorum Martyrum Demetrii, Procopii, et » utriusque Theodori; » quorum scilicet alter fuit magister militum, alter Theodorus Terones dictus est; ut diserte distinguitur in Novella II Manuelis Comneni, et tradunt historici. Educto exercitu cum imperator hostes aggressurus procederet, in altum Oratione præmissa erigebatur, et in conflictu, Pontifici, vel præcellenti Ecclesiæ Ministro committebatur gestandum. Plura de cruce scitu digna videri possunt apud laudatum Gretserum.

APPENDIX

In qua Ordines Pontificales ad benedicendam novam crucem referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, quod in Vaticana bibliotheca exstat.

DE BENEDICTIONE NOVÆ CRUCIS RUBRICA.

Benedictio novæ crucis, seu tabulæ in qua Crucifixus est depictus seu sculptus, fit hoc modo. Præparentur enim ante omnia thus, turribulum, et aqua benedicta. Postea Pontifex incipit: « ℣. Adjutorium, etc. ℟. Qui fecit, etc. » ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. » Oremus. » Oratio. « Bene✠dic, Domine, hanc » crucem tuam, per quam eripuisti mundum » a potestate dæmonum, et superasti passione » tua suggestorem peccati, qui gaudebat in » prævaricatione primi hominis per vetiti ligni » sumptionem. Sancti✠fica, Domine, istud » signaculum passionis tuæ, ut sit inimicis tuis » obstaculum, et credentibus in te perpetuum » perfice salvationis vexillum. Qui cum Deo » Patre vivis et regnas, etc. ℟. Amen. »

Oremus. « Rogamus te, Domine sancte, Pa» ter omnipotens, æterne Deus, ut digneris be» ne✠dicere hoc lignum crucis, ut sit reme» dium salutare generi humano, sit soliditas » fidei, bonorumque operum profectus, sit » animarum redemptio; sit solamen et prote» ctio ac tutela contra sæva jacula visibilium et » invisibilium inimicorum. »

Deinde junctis manibus ante pectus dicit super illam voce mediocri: « Per omnia sæcula » sæculorum. ℟. Amen. Dominus vobis» cum, etc. »

Oremus. « Deus qui beatæ crucis patibu» lum, etc. »

Oremus. « Oratio. Sancti✠fica, Domine » Jesu Christe, hoc signaculum, etc. »

Benedictio incensi. « Oremus. Domine Deus » omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum » cum tremore, quorum servitium spirituale, » et (a) ignotum esse cognoscitur, dignare re» spicere, bene✠dicere et sancti✠ficare hanc » creaturam incensi, ut omnes languores om» nesque infirmitates, cunctæque insidiæ inimici

(a) Corrigendum *igneum*. Alia menda levioris momenti partim nos, partim diligens corriget lector.

Digitized by Google

» odorem istius incensi sentientes effugiant, et » separentur a plasmate tuo, quod pretioso Filii » tui sanguine redemisti, ut nunquam lædatur » a morsu antiqui serpentis. Qui tecum vivit et » regnat, etc. ℟. Amen. »

Posito itaque thure in turribulo, mox aspergat crucem cum aqua benedicta, addens odorem incensi, et consequenter dicens hanc benedictionem : « Sancti ✠ ficetur istud lignum in nomine » Pa ✠ tris, etc. »

Omnibus expeditis, ipse flexis genibus devote adoret ante crucem, et obsculetur ipsam, et quicumque alii voluerint. Quidam etiam, quando crux est de metallo, addunt et dicunt sequentem Orationem : « Deus gloriæ, excelse » Sabaoth, fortissime Emanuel, Deus Pater » veritatis, Pater sapientiæ, Pater beatitudinis, » et pulchritudinis Pater, etc. »

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, quod Romæ in bibliotheca Angelica S. Augustini asservatur.

BENEDICTIO CRUCIS NOVÆ.

« Benedic, Domine Jesu Christe, hanc cru- » cem tuam, per quam eripuisti, etc.

» Rogamus te, Domine sancte Pater, etc.

» Per omnia sæcula sæculorum, etc.

» Deus qui beatæ crucis patibulum, etc. »

ITEM BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

« Sanctifica, Domine Jesu Christe, etc. »

Hic aspergat eam aqua sancta cum odore incensi, et dicit : « Sanctificetur istud signum in » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » Amen. Et benedictio illius signi sit in loco » isto in quo sancta membra Salvatoris suspensa » sunt, ut orantes, etc. Per eundem Dominum » nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Pa- » tre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat » Deus, per omnia sæcula sæculorum. »

ORDO III.

Ex manuscripto Pontificali Monasterii Lyrensis ante annos sexcentos scripto, ab Edmundo Martene edito lib. II *de antiquis Ecclesiæ Ritibus* cap. XXIII, pag. 373 et seqq.

IN CONSECRATIONE SANCTÆ CRUCIS.

Primum Letaniæ agantur : deinde dicat Episcopus ter : « Deus in adjutorium meum » intende : » postea faciat exorcismum salis et » aquæ, » et cetera usque, « Exorcizo te, creatura » salis, quatenus sis aqua sancta, ac proficias ad » dedicationem hujus sanctæ crucis, ut per te, » et per benedictionem divinam, auxiliante » Domino, sive per os et per manus atque offi- » cium nostrum hæc crux divinitus per gratiam » Spiritus sancti consecretur, et perpetualiter » ad adorandam imaginem Domini nostri Jesu » Christi consecrata permaneat, et Spiritus » sanctus habitet in hac cruce sancta. Per eum- » dem. »

Tunc lavetur crux aqua benedicta, modulando hanc Antiphonam : *Asperges me, Domine. Miserere mei.* Sequitur Oratio :

« Benedic, Domine, hanc crucem, per quam » redemisti mundum a potestate dæmonum, et » superasti passione tua suggestorem peccati, » qui gaudebat in prævaricatione primi hominis » per vetitum lignum : tristis tamen dimisit » per lignum crucis tuæ quos antea seductos » habuit. Sancti ✠ fica, quæsumus, Domine, istud » signaculum passionis tuæ, ut sit inimicis tuis » obstaculum, et credentibus in te perpetuum » salutis vexillum, Salvator mundi. Qui cum. »

Alia.

« Rogamus te, Domine sancte, Pater omni- » potens, æterne Deus, ut sancti Spiritus tui » gratia ad consecrandam divinæ pietatis Uni- » geniti Domini nostri operationem nos efficias » idoneos, atque bene ✠ dicere digneris hoc » signum crucis, ut sit remedium salutare ge- » neri humano, sit soliditas fidei, profectus » bonorum operum, redemptio animarum, pro- » tectio et tutela contra sæva jacula inimicorum, » et in utriusque naturæ solutionem sit propi- » tiatio spiritualis omnium in te credentium. » Per eumdem. »

Alia.

« Deus, qui beatæ crucis patibulum, quod » prius erat scelestis ad pœnam, conversis in » sanguine Filii tui redemisti ad liberationem : » benedic, quæsumus, hoc signum crucis san- » ctitatis tuæ sacramento, et concede plebi tuæ » illius vallari præsidio cujus est armata vexillo. » Sit nobis hæc crux fidei fundamentum, spei » suffragium, in adversis defensio. Sit in hoste » victoria, in civitate concordia, in campo cu- » stodia, in domo fultura. Gregem tuum, Do-

Digitized by Google

» mine, per virtutem Crucis tuæ conserva inco-
» lumem, et hæc cœlesti sanctificatione gloriosa
» ad vitam perducat sempiternam, quæ nobis
» Agno vincente conversa est in salutem. Per
» eumdem. »

Oratio.

« Deus omnipotens, gloriose Deus, Pater be-
» nignitatis immensæ, qui pretioso Unigeniti
» tui cruore per passionem Crucis mundum a
» debitæ mortis eripuisti dispendio, et spirituali
» illuminatione vivificasti, quique cuncta regna
» disponis, qui etiam es bonorum collator mu-
» nerum, et virtutum omnium largus attributor,
» cui gentes et populi serviunt, cui omnis legio
» Angelorum famulatur, quique largiris famu-
» lis tuis unde ad laudem sancti nominis tui
» debita tibi vota persolvant : cui prius fides
» offerentium complacet, et deinde sanctificatur
» oblatio : quæsumus exorabilem clementiæ
» tuæ bonitatem, ut sanctifices et conse ✠ cres
» tibi ad honorem, et fidelibus tuis ad miseri-
» cordiæ propitiationem hoc signum crucis,
» quod voluntaria mentis devotione pia ac re-
» ligiosa fides construxit, trophæum scilicet
» victoriæ tuæ, et vexillum redemptionis no-
» stræ, quodque in amorem Christi filii tui
» triumphali in ævum gloria consecramus. Ac-
» cipe hoc signum crucis insuperabile, quo et
» diaboli est exinanita potestas, et mortalium
» tua largitione restituta libertas. Licet fuerit
» aliquando crux in pœna, sed nunc versa est
» in honorem per gratiam : et quæ quondam
» reos puniebat supplicio, nunc tuæ redemptio-
» nis gratia obnoxios absolvit a debito. Per hoc
» tibi, Domine, nitimur placere, per quod tibi
» placuit nos redimere. Nullum tibi debitum
» amplius munus est, quam quod tui corporis,
» Christe, dedicavit affixio. Nec tibi est ulla
» magis familiaris oblatio, quam quæ manuum
» tuarum extensione sacrata est. Illis ergo ma-
» nibus hanc crucem accipe, quibus illam
» amplexatus es, et de sanctitate illius hanc
» sanctifica : ac sicuti per illam mundus expia-
» tus est a reatu, ita offerentis famuli tui anima
» devotissima ejusdem crucis merito, et inter-
» cessionibus omnium Sanctorum tuorum ab
» omnibus terrenæ corruptionis nexibus absol-
» vatur, simulque retributionis æternæ solatia
» hujus sanctæ Crucis gratia a te crucifixo per-
» cipiat, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis
» et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.
» Amen. »

Si crux argento, vel auro, seu gemmis est ornata, benedicatur his verbis :

« Radiet hic, quæsumus, Domine sancte
» Pater, unigeniti tui Filii splendor divinitatis
» in auro. Emicet gloria passionis ejus in ligno.
» In gemmarum colore rutilet nostræ mortis
» redemptio, in splendore christalli nostræ vitæ
» purificatio. Sit tuorum hæc sancta crux pro-
» tectio, spes firma, certa fiducia, nosque simul
» et omnem plebem fide confirmet, spe solidet,
» pace consociet, augeat triumphis, amplificet
» prosperis, proficiat cunctis fidelibus ad per-
» petuitatem temporis, ad vitam æternitatis, ut
» nos, et temporali florentes gloria muniat, et
» perpetua redimitos corona, ad regna cœlestia,
» te miserante, perducat. Præsta per propitia-
» tionem Sanguinis Jesu Christi, quo placatus
» es, per ipsum mediatorem, qui se dedit re-
» demptionem pro multis, qui se hostiam pro
» delictis nostris offerre dignatus est, qui exal-
» tatus in ligno sanctæ Crucis, principatus et
» potestates humiliavit, qui tecum sidereo con-
» sidet in throno, indissolubili connexione
» Spiritus sancti, per infinita secula seculorum.
» ℟. Amen. »

Hic faciat Episcopus de chrismate signum super crucem, et benedicat eam his verbis :

« Consecrare et sanctificare digneris, Domine
» Deus omnipotens, hanc crucem per istam
» sanctam unctionem, et nostram benedictionem
» in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit et
» regnat, etc. »

Hic aspergat eam aqua benedicta. Sequitur Oratio.

« Sanctifica, quæsumus, Domine, crucem
» istam, quam dignatus es pro mundi salute
» ascendere ad redimendum passione tua hu-
» manum genus, quod diu in captivitate diaboli
» et laqueis capiebatur. Itaque nunc istud sa-
» lutiferum signum crucis cum aspersione
» hujus aquæ sancti ✠ fica, ac sacro unctionis
» tuæ chrismate benigniter perfunde ad libe-
» rationem generis humani, et ad effugandos
» ab eis dæmones, et expellendos morbos, ut et
» omnes languores corporis et animæ hujus
» sanctæ crucis præsentia per invocationem
» sanctissimi nominis tui repellantur, et cre-

Digitized by Google

» dentes in te spirituali medicinæ remedio vi-
» vificentur. Per. »

Hic adoleatur thus super ipsam crucem, cantando hanc Antiphonam : *Domine, ad te dirigatur.* Psalmus : *Domine, clamavi.*

« Domine Jesu Christe, salus immortalis, rex
» Angelorum, via et veritas credentibus in te,
» qui pro salute totius mundi de sede majestatis
» tuæ humilis descendisti ad terram, et in cru-
» cem ascendisti, suspensusque in ligno ad re-
» demptionem generis humani, hoc signum
» passionis tuæ pius sanctificasti : ideoque si-
» gnaculum istud Crucis tuæ, quo nos rede-
» misti, portamus tam in fronte quam in corde,
» contra sæva jacula inimici vexillum fidei, et
» veritatis ad nostram æternam salutem. Pro-
» inde, Domine, suppliciter te deprecamur, ut
» signum istud sanctæ Crucis tuæ salubre sit
» remedium Ecclesiarum tuarum, et sit hæc
» sancta Crux signum universorum credentium
» in sanctam et perfectam Trinitatem. Mirifica,
» quæsumus, Domine, misericordias tuas per vir-
» tutem sanctæ Crucis tuæ, et concede propitius,
» ut cum thimiamatis istius fragantia locis ac
» domibus fidelium, ubi crux ista manserit,
» fugentur dæmones et immundi spiritus, ac
» pestiferi expellantur morbi, careant immun-
» ditia, et omnes adversæ potestates et insidiæ
» inimici cognitione tua sint repulsæ, et in vir-
» tute benedictionis tuæ sit benedicta, sanctifi-
» cata et mundata; ut sit tibi Domino Deo
» gratiarum actio, et super nos atque populum
» tuum benedictio, et salutarium donorum
» tuorum affluentia per te, Salvator mundi. »

Post hæc elevetur crux, et ab omnibus adoretur; canteturque hæc Antiphona : « O Crux
» splendidior cunctis astris, mundo celebris,
» hominibus multum amabilis, sanctior univer-
» sis; quæ sola fuisti digna portare talentum
» mundi. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia
» ferens pondera, salva præsentem catervam
» in tuis hodie laudibus congregatam. Alleluia,
» alleluia, alleluia, alleluia.

» Super omnia ligna cedrorum tu sola excel-
» sior, in qua vita mundi pependit, in qua
» Christus triumphavit, et mors mortem supe-
» ravit. Alleluia.

» Omnipotens sempiterne Deus, cujus san-
» ctum et terribile nomen inter ceteras visibiles
» creaturas signa quoque fructifera laudare ac
» benedicere non cessant, te supplices deprecamur, ut hoc singulare signum, quod ad
» exemplum illius primi sacratissimique vexilli
» ob memoriam sanctæ Crucis expressum est,
» cœlesti benedictione sanctificare digneris, ut
» omnibus ante illud genuflectentibus, ac tuæ
» Majestati supplicantibus largiatur cordis com-
» punctio, et indulgentia concedatur admisso-
» rum, atque, intercedente ipsa victoriosissima
» passione Unigeniti tui, et tibi placita postulare
» et citius valeant postulata percipere. Per. »

Consecrata crux benedicatur his verbis :
« Benedictio atque sanctificatio omnipotentis
» Dei Patris, simulque incarnati Verbi, atque
» Paracliti Spiritus sancti, maneat jugiter super
» hanc similitudinem Crucis Christi, ut sit hæc
» crux omnibus adorantibus salubre remedium,
» in secula seculorum. Amen. »

TITULUS XIV.

DE BENEDICTIONE CRUCIS PECTORALIS.

I. De cruce pectorali Episcoporum actum a nobis fuse jam fuit tomo I hujus operis, in Prolegomenis, cap. XIII, ubi non modo de ejus origine et usu apud Latinos, verum etiam apud Græcos nonnulla notata sunt. Quantum vero ad ejusdem crucis benedictionem attinet, nihil in priscis manuscriptis Pontificalibus libris, nihil prorsus apud scriptores antiquos invenio. Sed neque exstat is præsens titulus in editis ante Clementem VIII Pontificalibus, in quibus post titulum *De benedictione novæ crucis*, statim sequitur titulus ille qui inscribitur *De benedictione imaginis Beatæ Mariæ Virginis.* Porro, uti alibi notatum est, ex Durandi Pontificali

Digitized by Google

liquido constat, sua ipsius ætate, sæculo nimirum XIII, crucem pectoralem gestatam quidem ab Episcopis fuisse, sed nondum inter ornamenta Episcoporum translatam, in potestate tamen Episcopis eam adhibere, vel non adhibere. Constat nihilominus, sæculo XIV, non modo inter Episcoporum peculiaria ornamenta crucem ipsam fuisse adscriptam, verum etiam ubi ipsam Episcopi accipiebant, Missam celebraturi, hanc ex Romano Missali Fratrum Minorum, quod exstat in Vaticana Bibliotheca num. 4743, pronuntiabant formulam : « Tuam Crucem adoramus, Domine, tuamque gloriosam recolimus Passionem, et tu miserere nobis, qui passus es clementer pro nobis. Amen. »

§ I.

Ad benedicendam crucem Pastoralem, Pontifex potest uti forma assignata pro benedictione crucis proficiscentium in subsidium Terræ sanctæ, ut infra.

COMMENTARIUS.

Tametsi antiquus non sit præsens titulus, *De benedictione crucis pectoralis*, quam nempe Episcopi ad collum appensam gestant, videaturque a Clemente VIII adjunctus, cum in editis ante ipsum Pontificem libris Pontificalibus haudquaquam inveniatur : est tamen non ita recens alius titulus, qui non modo in Pontificalibus editis, sed et in manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi, qui floruit sæculo XIII, et in aliis habetur inscriptus *De benedictione et impositione crucis proficiscentibus in subsidium et defensionem fidei christianæ, seu recuperationem Terræ sanctæ*. Estque is titulus XXI juxta ordinem titulorum partis II Romani hodierni Pontificalis. Ergo cautum est ex nostra hac Rubrica, ut Pontifex ad benedicendam crucem pectoralem uti possit ea forma quæ in ipso titulo XXI est assignata. Videsis quæ nos in ejusdem tituli Commentariis suo loco dicemus, et quæ paulo superius ad tituli hujus initium notavimus.

TITULUS XV.

DE BENEDICTIONE IMAGINIS B. MARIÆ VIRGINIS.

I. Nonnulla de sacrarum imaginum usu attigimus in Commentariis tituli XIII, ubi de benedictione novæ crucis egimus; longe plura de ipsa re in sequenti dicemus titulo qui est : *De benedictione imaginum aliorum Sanctorum.* Quod autem titulum præsentem spectat, indaganda primum est nobis imaginum Beatæ Virginis antiquitas. De imagine Deiparæ a S. Luca Evangelista depicta primus omnium meminisse creditur Theodorus Lector, qui sæculo Christi VI vixit, cum lib. I, cap. I, ait, « Eudoxiam ab urbe Hierosolymitana ad Pulcheriam misisse imaginem Matris Domini, quam Lucas depinxerat. » Hæc Pulcheria Augusta, vita in virginitate sanctissime perfuncta, etsi Marciano imperatori connubio conjuncta, multisque exantlatis pro fide catholica laboribus, anno tandem Christi 453, ætatis suæ quinquagesimo quarto, migravit in cœlum, teste Baronio in suis *Annalibus*. S. Pulcheriæ memoria quotannis recolitur tam apud Græcam quam Latinam Ecclesiam ipsa die ejus obitus, nempe undecima mensis septembris. Ea vero cum publice ab Ecclesia in Romano Martyrologio laudetur in memorata die 11 septembris, quod multa præclara opera in templorum et hospitalium domorum ædificia contulerit, de iis agens Nicephorus, lib. XIV, cap. II, et lib. XV, cap. XIV, inter alia memorat ὁδηγῶν ab ea erectum, in quo tradit eam posuisse divinam imaginem Deiparæ

Digitized by Google

Virginis quæ a S. Luca depicta traditione majorum ferebatur; quam quidem ei missam dono fuisse Hierosolymis ab Eudocia Augusta, conciliatæ inter eas amicitiæ signo, præfatur Theodorus Lector asserit.

II. His accedit testimonium Simeonis Metaphrastæ, sæculi IX scriptoris, qui et ipse imaginis a S. Luca depictæ meminit : unde non tam facile iis adhærendum videtur qui id pernegantes pertinaciter laudata testimonia flocci pendunt. Non enim adduci possum ut credam memoratos scriptores Theodorum, Metaphrasten, Nicephorum, quos multi nostræ ætatis scriptores doctissimi sequuntur, cardinales Baronius, Bellarminus et alii, rem tanti momenti temere creditam, sine aliqua saltem Patrum memoria litteris consignasse. Sane, ut verbis utar clarissimi scriptoris Antonii Sandini sacræ et Ecclesiasticæ antiquitatis peritissimi, in sua *Apostolica Historia*, pag. 287, etsi Scriptura S. Lucam professione medicum, ut Petrum piscatorem, et Matthæum telonarium faciat, non tamen inficiatur illum pingendi artem calluisse. Neque ex eo quod pingendi ars exsecrabilis apud Judæos esset, potest recte colligi Lucam, qui Judæus non erat, pictorem non fuisse. Adde quod, si Lucas Judæus fuit, Judaica religione jam ejurata, Deiparæ imaginem pinxit ea specie quam vel oculis vel auribus hauserat. Tandem, etsi Judæis non licuit picturam publice profiteri, nihilominus privatim animi causa pingere eisdem licuisse crediderim, Christi præsertim ætate : quo tempore cum Pilatus, referente Josepho, *De bello Judaico*, lib. II, cap. VIII, Cæsaris imagines Hierosolymis exponere tentasset, probabile est illuc pictores aliquos ea occasione accersitos. Atque hoc quidem modo Virginis Deiparæ imagines, quæ a S. Luca depictæ feruntur, defendit adversus Piceninum scriptor omni elogio superior, dignitate ac profundissima doctrina eminentissimus Ludovicus Vincentius Gotti in suo celebri ac vere aureo opere italice scripto, cui titulus, *La vera Chiesa di Cristo,* tomo II, parte II, articulo XVI, § XV, num. LXXXVII.

III. Objiciunt adversarii Nicænam secundam Synodum, œcumenicam septimam, nullam, ut Catholico dogmati aversus Iconomachos robur adderet, pictam a S. Luca Deiparæ imaginem protulisse. Quod tamen mirum videri non debet, cum, sicut et aliæ, id generis historiæ fortasse Catholicis tunc temporis in mentem non venerint. Neque obstat quod S. Augustinus, lib. VIII *De Trinitate* cap. V, scribit : « Neque » enim novimus faciem Virginis Mariæ, ex qua » ille a viro intacta, neque in ipso partu cor» rupta, mirabiliter natus est. » Nam, ut recte observat laudatus Sandinus, de vera, non de picta loquitur Augustinus Virginis facie, eamque nos nec vidisse dicit nec novisse, ac proinde nos talem credere, qualem effingimus cum de Maria loquimur aut cogitamus, ut integrum Augustini locum legentibus liquet. Etsi autem alienum a vero minime putem S. Lucam pinxisse aliquas Deiparæ imagines, ut fuse ostendit vir clarissimus Vincentius Riccardus, Cler. Reg., ad Orationem XVIII sancti Procli; certe non facile illud crediderim, omnes quæ a S. Luca depictæ B. Virginis imagines vulgo feruntur, eas vere a S. Luca fuisse depictas. Quamvis vero, uti ex titulo sequenti constabit, antiquissimæ in Ecclesia fuerint sacræ imagines, verisimillimum est Christianos erga Deiparam summe devotos, quam Reginam Sanctorum omnium sciebant, ipsam coloribus seu sculptura expressisse; præsertim cum in ipsius honorem, ipsi adhuc in terris degenti, varii scriptores tradant ædificatas fuisse ecclesias, uti fuse ostendit Tobias Corona in suo italice scripto *De sacris Templis* opere.

IV. Quod spectat inscriptionem tituli qui est *De benedictione imaginis beatæ Mariæ Virginis*, extat is idem titulus in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi et in aliis multis, etsi ipsum in Pontificalibus antiquioribus minime invenerim. Sed neque autumo hunc ritum benedicendæ imaginis beatæ Virginis sæculo XIII, quo Durandus floruit, primum cœpisse, cum ipse auctor in suo Pontificali non loquatur de ipsa benedictione tanquam suo tempore primum adinventa. Est itaque longe antiquior, et quemadmodum olim aliæ sacræ imagines, ut alibi dictum est, et B. Virginis imago benedici consuevit.

Digitized by Google

§ I.

Pontifex benedicturus imaginem Beatæ Mariæ Virginis, paratus supra rochettum amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, stans sine mitra dicit : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Quo facto, aspergit figuram aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

Exstat is ritus, uti superius notatum est, in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in quo sub Rubrica *De benedictione imaginis beatæ Mariæ Virginis*, ita legimus : « Benedictio » imaginis beatæ Mariæ Virginis fit hoc modo : » Pontifex enim dicit : ℣. *Adjutorium, etc.* ℟. » *Qui fecit, etc.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et* » *cum spiritu tuo. Oremus. Deus, qui de beatæ* » *Mariæ Virginis utero, etc.* Quo facto, mox » aspergit illam aqua benedicta. » Oratio est antiquissima in Ecclesia, legiturque in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, VIII kalendas aprilis, sub titulo qui inscribitur : *Annuntiatio Angeli ad beatam Mariam.* Initium ejus Orationis ita habet : *Deus, qui in beatæ Mariæ Virginis utero, etc.*, eoque modo in codice Rodradi et apud Amelium etiam legitur ; et quidem recte, ut scite notat Hugo Menardus in Notis, pag. 49, cum in Evangelio S. Matthæi, cap. XVIII, sic legatur : *Quod in ea natum est.* In Missali Romano legitur *Deus, qui de beatæ, etc.*

§ II.

Deinde inchoat, Schola prosequente, Antiphonam *Sub tuum præsidium*. Qua incœpta, et dum ea cantatur, thurificat imaginem ipsam ter ducens thuribulum. Deinde sedet reassumpta mitra, donec compleantur Antiphona et Psalmi sequentes. Antiphona toni II : *Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris ; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.* Tempore Paschali Antiphona : *Alleluia, alleluia.* Psalmus LXXXVI, *Fundamenta ejus,* dicitur totus cum *Gloria Patri.* Deinde dicitur Antiphona toni I : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Alleluia.* Psalmus CXXII, *Ad te levavi oculos meos,* dicitur totus cum *Gloria Patri.* Finitis Antiphonis et Psalmis prædictis, Pontifex surgit, deposita mitra, et dicit :

OREMUS.

Deus, qui Virginalem aulam beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es : da, quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Eadem quæ in hoc § habentur legere est in laudato manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, si id excipias quod de Paschali tempore in hoc § nostro notatur. Quantum ad Orationem, desumpta est ex Vigilia Assumptionis Beatæ Virginis die 14 mensis augusti; estque omnino antiqua Oratio, cum ipsam ad dictam diem legamus in *Libro Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, et in aliis pervetustis Missalibus libris. Quod Antiphonas spectat, sunt ævi recentioris, excepta Antiphona *Ave, Maria, etc.*, desumpta ex Evangelio S. Lucæ, cap. I, versiculo 27 : *Ave, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus.*

II. Quoniam vero hujus Antiphonæ, seu salutationis Angelicæ mentio incidit, aliud additamentum Angelicæ huic salutationi, quam Christiani omnes solent hodie recitare, desumptum est quidem ex ipso cap. I Evangelii Lucæ, versiculo 42, ubi legitur sanctam Elisabeth, ut audivit salutationem Mariæ, repletam Spiritu sancto exclamasse voce magna, et dixisse : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Additamentum denique, *Sancta Maria*, in nulla precum formula ante annum 508 reperiri inquit Grancolas in Breviarium Romanum, cap. XXV, sed tunc temporis usurpari cœpisse, *Sancta Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, Amen;* fratresque Minores addidisse postea, *nunc et in hora mortis nostræ;* uti in eorum Breviario legitur edito anno 1515.

III. Docet autem Baronius ad annum 431, ipsum additamentum compositum fuisse ab Ephesini Concilii Patribus, in ejusque comprobationem afferre solent auctores qui Baronium secuti sunt, locum ex Severo Patriarcha Alexandrino in libro *de Baptismate*, ad cujus finem ita hæc Oratio concepta reperitur : « Pax » tibi Maria, gratia plena, Dominus tecum, be- » nedicta tu inter mulieres, et benedictus fru- » ctus qui est in utero solus Christus. Sancta » Maria, Mater Dei, ora pro nobis, inquam, pec- » catoribus. Amen. » Sane respondet Grancolas, librum ipsum, nomen Severi Alexandrini Patriarchæ præferentem, nullam fidem mereri; quod nullus inter Alexandrinos Patriarchas eo nomine appellatus sit; atque hanc esse ait rationem cur in quibusdam libris manu exaratis Severo Antiocheno tribuatur. Sed, pace hujus auctoris, hoc parum refert, modo in antiquis manuscriptis codicibus Oratio ipsa reperiatur, ad comprobandam additamenti antiquitatem quod memoratus Grancolas in nulla precum formula ante annum 1508 reperiri contendit. Sed de hac re eruditissimus Antoninus Bremond in sui *Ordinis Prædicatorum Annalibus*, tomo I, videri potest, ubi de Rosario Virginis a sancto Dominico primum adinvento et prædicato disserit.

§ III.

Deinde Pontifex imponit Antiphonam, Schola prosequente. Qua incœpta, sedet cum mitra, donec perficiatur Antiphona toni IV : *O gloriosa Dei Genitrix, Virgo semper Maria, quæ Dominum omnium meruisti portare, et Regem Angelorum sola virgo lactare, nostri, quæsumus, pia memorare, et pro nobis Jesum Christum deprecare : ut, tuis fulti patrociniis, ad cœlestia regna mereamur pervenire.* Canticum beatæ Virginis, Lucæ I, *Magnificat anima mea Dominum*, dicitur totum cum *Gloria Patri*. Finita Antiphona, surgit Pontifex, sine mitra stans usque ad finem Cantici. Quo finito, dicit :

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis ut, qui vere eam Genitricem Dei

Digitized by Google

esse credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, clementissima cujus dispensatione cuncta creantur ex nihilo; hanc imaginem in honorem piissimæ Genitricis Filii tui Domini nostri Jesu Christi venerabiliter adaptatam bene✠dicere et sancti✠ficare digneris; et præsta, misericordissime Pater, per invocationem nominis tui, atque ejusdem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quem pro salute generis humani, integritate Virginis Mariæ servata, incarnari voluisti, quatenus precibus ejusdem sacratissimæ Virginis, quicumque eamdem misericordiæ Reginam, et gratiosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerint, et de instantibus periculis eruantur, et in conspectu divinæ majestatis tuæ de commissis veniam impetrent; ac mereantur in præsenti gratiam, quam desiderant, adipisci; et in futuro perpetua salvatione cum Electis tuis valeant gratulari. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Ultimo aspergat imaginem aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Legitur et hæc Antiphona una cum Cantico *Magnificat*, et duabus Orationibus recitatis in memorato manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. De prima Oratione jam diximus supra, inveniri illam in libro *Sacramentorum* S. Gregorii, mirumque videri potest cur iterum in hoc § repetatur. Alteram Orationem nullibi me legisse fateor, excepto manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Puto ipsius auctoris temporibus adscribendam. Notanda sunt illa Orationis verba, quibus sanctissima Virgo Deipara *misericordiæ Regina et gratiosissima Domina nostra* appellatur; non desunt enim hæretici qui ea verba carpant, præsertim vero Petrus Pseudomartyr, in Commentario ad caput III Epistolæ primæ ad Corinthios, ubi scribit Antiphonam *Salve Regina, mater misericordiæ, etc.*, non posse ullo modo ab impietate defendi, quod in ea nimirum Antiphona illa omnia Mariæ tribuantur quæ soli Deo conveniunt.

II. Sed audiamus, quæso, hæretici ratiunculam, qua prima Antiphonæ ipsius verba carpit: « Deus est, inquit, proprie Pater misericordiarum, II Cor., I. Non ergo licet vocare Mariam » matrem misericordiæ, nisi divinis honoribus » eam ornare velimus. » Sed hoc argumentum nullius est quidem ponderis; ut enim omittamus Ecclesiæ auctoritatem, quæ hanc Antiphonam, sicut et illam, *Alma Redemptoris Mater, etc.*, ab Hermanno Contracto, ut aiunt, compositam, qui XI Christi sæculo floruit, religioso usu probavit: dico primo, merito ipsam Virginem Reginam vocari et Dominam, quod vera Mater Christi, Regis regum et Domini dominantium, est: secundo autem, ideo Matrem misericordiæ appellari, quia Christi Mater est, per quem misericordiam a Deo consecuti sumus; quia nobis quotidie misericordiam a Deo precatur et impetrat; vel demum quia Mater valde misericors est. Vide eminentissimum S. R. E. cardinalem Robertum Bellarminum in suis *Theologicis Controversiis*, lib. I, *De bonis operibus in particulari*, cap. XV, ubi totam ipsam Antiphonam *Salve, Regina, etc.*, per singulas partes a calumniis hæreticorum vindicat.

Digitized by Google

APPENDIX

In qua Ordo ad benedicendam beatæ Mariæ Virginis imaginem refertur ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi.

DE BENEDICTIONE YMAGINIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS RUBRICA.

Benedictio ymaginis beatæ Mariæ Virginis fit hoc modo. Pontifex enim dicit: ℣. *Adjutorium, etc.* ℟. *Qui fecit, etc.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus qui de beatæ Mariæ, etc.* Quo facto, mox aspergit illam aqua benedicta; deinde inchoat Schola prosequente Antiphonam: « Sub tuum præsidium confugi» mus, Dei genitrix Virgo, nostras deprecatio» nes ne despicias in necessitatibus, sed a pericu» lis cunctis libera nos semper, Virgo benedi» cta. » Psalmus: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Antiphona: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Psalmus: *Ad te levavi.* Et interim incensat (*a*) ymago ejusdem. Post hoc dicit Oremus. Oratio: *Deus qui virginalem aulam, etc.* Sequitur Antiphona: « Gloriosa Dei Genetrix, » Virgo semper Maria, quæ Dominum omnium » meruisti portare, et Regem Angelorum sola » Virgo lactare, nostri quæsumus pia memorare, » et pro nobis Christum deprecare, ut tuis fulti » patrociniis, ad celestia regna mereamur per» venire. Magnificat anima mea Dominum. » Oremus. » Oratio: *Deus qui de beatæ Mariæ Virginis utero, etc.*

Alia Oratio: « Omnipotens sempiterne Deus » clementissime, cujus dispositione ex nihilo » cuncta creantur, etc. » Ultimo aspergat illam aqua benedicta.

APPENDIX ALTERA

In qua antiquus enarratur ritus coronandi sacras Sanctorum imagines, præsertim vero imagines Deiparæ Virginis, quibus a Reverendissimo Capitulo Sancti-Petri de Urbe aureæ quotannis donantur coronæ ex legato comitis Alexandri Sfortiæ Pallavicini in testamento ab ipso condito die 3 mensis julii anni 1636.

I. Primis sæculis coronarum usus omnino idololatricus fuit. Constat enim plurimos Christifideles, quod in Romanorum imperatorum die natali, aut alio festo, domos ac januas suas coronare, seu de coronata domo procedere nollent, crudele martyrium subiisse. Fuse id quidem testantur prisci scriptores, præsertim vero Tertullianus, qui in libro *De corona militis*, cap. I, ait vulgatam fuisse Christianorum disciplinam ut coronis abstinerent. Subjicit autem cap. X, morem fuisse ethnicorum sacerdotum, ut, cum diis sacra facerent, coronis ornarentur: « Ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ et aræ, ipsi » ministri et sacerdotes eorum coronantur. Ha» bes omnium collegiorum sacerdotalium coro» nas apud Claudium. »

II. Neque vero sacerdotes tantum coronabantur, sed et omnes qui ea deorum ethnicorum festa celebrabant, vel solemni precatione supplicationes faciebant: positis enim per omnia fana et delubra pulvinaribus, sacerdotes, patricii, nonnunquam omnes tribus et ordines

(*a*) Corrigendum *ymaginem*, vel potius, *incensatur*. Occurrunt et alia menda minoris momenti, quæ diligenti lectori corrigenda relinquimus.

Digitized by Google

cum conjugibus et liberis, præeunte pontifice maximo, aliquando duumviris, pueris, ingenuis, libertinis, virginibusque, patrinis ac matrinis, coronati incedebant, laurcam manu tenentes, ut docet Tertullianus in laudato libro, cap. VII, et aliis congestis auctoribus probat eruditus Alexander ab Alexandro, lib. V *Dierum genialium*, capite XXVII. Ergo erant olim coronæ propria idolorum ac paganorum hominum ornamenta, ab iisque abstinebant Christiani, ne profanis illorum idololatriæ ritibus subscribere viderentur, et ne aliqua intercederet fidelibus conventio cum Belial. Quare non a sacerdotibus tantum ethnicorum ad fidem conversis, ut diserte jubet Concilium Illiberitanum, can. LV, sed et ab omni Christiano Catholico et a Catechumeno id summe cavendum monet Tertullianus in ipso libro *De corona militis*, cap. II; quin et Innocentius I, qui floruit labente sæculo Christi IV, Epistola sua XXIV, cap. IV, sacris Ordinibus initiandos prohibet « qui post baptismum » coronati fuerint. » Porro auctor est S. Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagogi*, Christianos, ad reverentiam spineæ Coronæ Domini nostri, coronis intextis floribus tempora ornare exhorruisse.

III. Quamvis autem ex dictis nonnulli auctores deducant, non licuisse primis sæculis sacras imagines coronare, quod nimirum hujusmodi ritus tunc temporis esset suspectus, scandalosus, piorumque oculorum offensivus; paganismi vero extinctionem abstulisse quidem omnem offensionem et scandalum, atque ita coronandi sacras imagines ritum, ex impio ac superstitioso, factum esse pium atque religiosum, ut eruditus Lupus, in Dissertatione *De Septima Synodo generali*, actione V, autumat. In ea ego tamen sententia sum, ut dicam consuevisse vel primis sæculis Christianos, non quidem se vivos coronare, sed Sanctos quos sciebant una cum Christo in cœlis regnare, coronis redimitos depingere. Hujus moris vestigia cernere hodieque est in variis picturis quæ adhuc supersunt in pervetustis sacris Urbis cœmeteriis, in quibus Deiparæ ac Sanctorum imagines cernuntur coronis ornatæ, a priscis Christifidelibus in eisdem locis depictæ, ubi sæviente persecutione sese latitaverant. Quod mirum videri non debet, cum sæpe ac sæpius in divinis Scripturis legamus, non modo omnes Beatos vocari reges, sed etiam habere ipsos coronas in capitibus suis. Unde legimus in Evangelio Matthæi, cap. XXV, illud Christi Domini oraculum : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* In Apocalypsi vero, cap. IV, ait S. Joannes de viginti quatuor Senioribus, quod erant circumamicti vestimentis albis, habebantque in capitibus suis coronas aureas. Et in ejusdem libri Apocalypsis cap. XII, Deiparam Virginem describens, juxta sacrorum interpretum expositionem, ait quod *erat amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.*

IV. Visos sæpe Angelos cœlitus ad eos coronas deferre qui pro Christi fide martyrium subibant, Martyrum Acta passim testantur; præsertim vero Martyrum quadraginta Cappadocum, de quibus ita legimus in Breviario Romano, die 10 mensis martii : « Licinio imperatore, et » Agricolao præside, ad Sebasten Armeniæ urbem quadraginta militum fides in Jesum » Christum, et fortitudo in cruciatibus perferendis enituit. Qui sæpius in horribilem carcerem detrusi, vinculisque constricti, cum ora » ipsorum lapidibus contusa fuissent, hyemis » tempore frigidissimo nudi sub aperto aere supra stagnum rigens pernoctare jussi sunt, ut » frigore congelati necarentur. Una autem erat » omnium oratio. » *Quadraginta in stadium » ingressi sumus, quadraginta item, Domine, » corona donemur, ne una quidem huic numero » desit. Est in honore hic numerus; quem tu » quadraginta dierum jejunio decorasti, per » quem divina Lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadraginta dierum jejunio Deum » quærens ejus visionem consecutus est.* Et hæc » quidem illorum erat oratio. » Tum ita subdit : « Cæteris autem custodibus somno deditis, solus vigilabat janitor, qui et illos orantes et » luce circumfusos, et quosdam de cœlo descendentes Angelos tanquam a Rege missos, » qui coronas triginta novem militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur : *Quadraginta hi sunt, quadragesimi corona ubi » est?* Quæ dum cogitaret, unus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum desiliens, sanctos illos summo dolore affecit. » Verum Deus illorum preces irritas esse non » est passus : nam rei adventum admiratus ja-

Digitized by Google

» nitor, mox custodibus e somno excitatis, de-
» tractisque sibi vestibus, ac se Christianum
» esse clara voce professus, Martyribus se ad-
» junxit. » Recenset insignem hanc historiam S. Basilius Magnus, *Homilia in Quadraginta Martyres*, quæ fusius describitur in antiquis eorum Actis apud Metaphrasten, et apud Laurentium Surium, die 9 martii.

V. Hisce aliisque id genus edocti exemplis, ac divinæ Scripturæ testimoniis, primævi fideles consueverunt jam olim Deiparæ et Sanctorum imagines coronis ornare, primum quidem in cœmeteriis, præsertim vero in cœmeterio Pontiani, in quo ad sepulchrum SS. Martyrum Abdon et Senen depictus conspicitur Christus Dominus, dextera manu coronam S. Abdon, sinistra vero S. Senen coronam imponens; deinde in ecclesiis passim: ut enim alias omittam recentioris ævi, in ecclesia Sanctæ-Agnetis, via Nomentana hodieque cernitur imago ipsius virginis coronam in vertice habentis, eamque imaginem putant studiosi antiquitatis scriptores ab Honorio I Pontifice Maximo factam fuisse. Floruit Honorius initio sæculi VII. Sed et de Gregorio III, qui creatus Pontifex Maximus fuit anno 731, scribit in ejus Vita Anastasius Bibliothecarius, in imagine sanctæ Dei Genitricis diadema aureum, et collare aureum de gemmis fecisse. Testatur tandem Gulielmus Durandus in suo *Divinorum Officiorum Rationali*, lib. I, cap. III, morem esse antiquum, suoque tempore passim usitatum, ut in ecclesiis sacræ imagines cum coronis in capitibus suis depingerentur. Id quod passim nos hodie cernimus in antiquis picturis longe ante Gulielmum factis, in quibus tum Christus etiam crucifixus, tum Virgo Deipara, tum Sancti fere omnes coronati repræsentantur. Videsis quæ de eo ritu ac more Ecclesiæ pervetusto diximus supra in Commentariis ad titulum XIII *De benedictione novæ crucis*.

VI. Reliquum est ut describamus ritum quo Capitulum Sancti-Petri de Urbe centum abhinc annis coronas aureas quotannis donat sacris imaginibus B. Mariæ Virginis, ex legato comitis Alexandri Sfortiæ Pallavicini. Est autem is ritus seu Ordo typis editus, ejusque verba hæc sunt :

« Inter præcipua sacrosanctæ Vaticanæ basilicæ decora, non infimum sane locum sibi vindicat elargitio coronæ aureæ quæ singulis fere annis, ex legato comitis Alexandri Sfortiæ Pallavicini, ad augendum Deiparæ cultum excitandamque fidelium pietatem erga ejusdem beatissimæ Virginis imagines, antiquitate et miraculis per locorum Ordinarios comprobatis magis commendatas, fieri consuevit.

» Ut igitur ea qua par est dignitate coronatio hujusmodi peragatur, ordinem a cæremoniarum Magistris approbatum, munerisque illius functioni apprime consentaneum tradere visum fuit. Primum autem quæ coronationi præmittenda sunt; deinde quæ in ipsa coronatione debent observari; tum quæ eamdem sequuntur, exponemus.

» Principio autem, ut sacra beatæ Virginis imago juxta mentem laudati Alexandri Sfortiæ Pallavicini coronari valeat, illam non minus vetustate quam populi concursu ac miraculorum frequentia celebrem esse oportet. Quibus, per authenticas Ordinariorum litteras reverendissimo Capitulo una cum supplici libello exhibitas, rite probatis, per idem Capitulum collegialiter congregatum corona decernitur; indictoque functionis peragendæ anno, ejus muneris exsecutio ut plurimum Canonico ejusdem Capituli seu alteri personæ in dignitate constitutæ demandatur.

» Ut vero corona per artificem elaboranda capiti imaginis beatæ Virginis coronandæ adamussim respondeat, Oratoribus munus incumbit transmittendi ad Urbem mensuram ejusdem *capitis*, sive per longitudinem latitudinemque sumptam, si in tabula vel tela imago depicta sit: sive per circulum orbemque, si ea in ligno, ære vel marmore fuerit incisa. Atque ita dicendum, si una cum B. Virgine adsit imago sanctissimi Domini nostri Jesu Christi.

» Confecta ad imaginis formam corona Canonico delegato traditur, qui intra annum a reverendissimo Capitulo præfinitum, certam coronationi celebrandæ diem indicit : atque interim litteras in forma Brevis a Summo Pontifice expediri curat, quibus Indulgentia plenaria conceditur omnibus qui vere confessi et sacra Communione refecti, eadem die ecclesiam illam ubi sacra imago colitur (cujus etiam numismata ab ejusdem ecclesiæ Deputatis solent imprimi ac populo distribui) pie ac religiose visitaverint.

» Cum autem ad destinatum locum Canonicus delegatus viatorio habitu indutus advenerit,

Digitized by Google

honorifice, ut decet, ab ejus incolis exceptus, statim ad ecclesiam Deiparæ coronandæ procedit, præcedente ante coronationem tribus diebus continuis campanarum sonitu, aliisque festivis lætitiæ signis a Ministris ecclesiarum publice edendis.

» Interim ecclesia solemniori quoad fieri potest apparatu ornari debet. Si sacra imago sit amovibilis, in ara maxima, supellectile pretiosa cereisque luminibus decenter ornata, sub baldachino collocabitur. Sin autem loco moveri nequeat, idem ornatus in qua fuerit cappella servetur. Tota vero ecclesiæ pars interior holosericis seu cortinis nobilioribus contegetur, appensis etiam ad parietes inscriptionibus hinc inde debito ordine distributis; ejusdemque imaginis exemplar in tabula vel tela expressum supra majorem templi januam apponetur, una cum stemmate sanctissimi Pontificis feliciter regnantis, eminentissimi Cardinalis archipresbyteri, reverendissimi Capituli et Canonici delegati, si adsit.

» Omnibus igitur opportune præparatis, pridie ante coronationem, sub vesperam canuntur Litaniæ beatæ Mariæ Virginis cum Hymno : « Ave, maris stella, » et Oratione :

« Famulorum tuorum, quæsumus, Domine, » delictis ignosce : ut, qui tibi placere de actibus » nostris non valemus, Genitricis Filii tui Do- » mini nostri intercessione salvemur. Qui tecum » vivit et regnat, etc. »

» Die vero sequenti Delegatus, modo sit Canonicus SS. basilicæ Vaticanæ, licet nulla alia dignitate præfulgeat, Prælatitiis violacei coloris insignibus indutus cum mantelletta et rocchetto, tanquam Protonotarius Apostolicus, etiam juxta Urbis consuetudinem, a primoribus loci stipatus ad ecclesiam accedit, ibique a Clero vel a magistratu exceptus, aspersorium accipit, quo seipsum tantum aqua benedicta aspergit, idque facit etiam præsente Episcopo : deinde genuflectit ante altare in quo servatur augustissimum Eucharistiæ sacramentum, et aliquantisper orat. Tum surgit, et, facta genuflexione, procedit ad locum functioni destinatum : ibique coram primoribus civitatis seu loci, ac Notario testibusque præsentibus, tradit Deputatis ecclesiæ coronam auream, excepto prius ab eis juramento, quod illam super Virginis caput perpetuo retinendam conservandamque curabunt juxta formam legati. Qua de re publicum a Notario conficitur instrumentum. Tum clara distinctaque voce hoc idem instrumentum legitur, necnon Decretum reverendissimi Capituli de coronatione peragenda, deque Delegati deputatione.

» Postea Delegatus benedicit coronam in aureo, seu argenteo pollubro positam, dicens : « Sub tuum præsidium, etc. ℣. Adjutorium » nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœ- » lum et terram. ℣ Dominus vobiscum. ℟. Et » cum spiritu tuo. Oremus.

» Omnipotens sempiterne Deus, cujus cle- » mentissima dispensatione cuncta creata sunt » ex nihilo : Majestatem tuam supplices depre- » camur ut hanc coronam pro ornatu sacræ » imaginis genitricis Filii tui Domini nostri fa- » bricatam benedicere et sanctificare digneris. » Per eumdem, etc. »

« Aspergit eam aqua benedicta, et incensat.

« Deinde, præcedente cruce, sacra corona ad altare B. Virginis octo intorticiis stipata cum pompa defertur, Delegato intonante Hymnum : « O gloriosa Virginum, » et Choro cantorum alternatim prosequente : cum Oratione :

« Deus qui virginalem aulam B. Mariæ sem- » per Virginis, in qua habitares, eligere digna- » tus es : da, quæsumus, ut sua nos defensione » munitos, jucundos facias suæ interesse coro- » nationi. Qui vivis et regnas cum Deo Pa- » tre, etc. »

» Deinde deponitur corona super pulvino ad cornu Epistolæ, et promulgatur Indulgentia in forma Brevis ab Ordinario loci recognita.

» Postea cantatur Missa, quæ erit votiva solemnis de B. Maria, ab Episcopo, vel a Delegato, aut a digniori Canonico Capituli seu illius Ecclesiæ, assistentibus Ordinario loci, Canonicis sacris paramentis albis indutis, Cleroque cæterarum Collegiatarum. Si vero Delegatus Missam celebret, sive eidem ab aliis celebratæ assistat, distincta illi sedes, quam imperialem vocant, cum ornamento posttergali, vulgo *Tosello*, super tabulatum duobus saltem gradibus elevatum, decentique tapeto coopertum, præparabitur cum assistentia Magistri cæremoniarum SS. basilicæ, una cum genuflexorio, appositis pulvinaribus, si Canonicus sacrificio Missæ tantum assistat. Absoluto autem Evangelio, ipse

Digitized by Google

Delegatus de laudibus beatæ Virginis brevem Orationem habet.

» Si vero Delegatus Missam celebrat, Episcopo assistente, etiamsi ipse episcopus non sit, benedicit incensum, illud in thuribulum imponit, et altare seu imaginem more solito incensat. Ante purificationem, et antequam digitos abluat Delegatus vel Episcopus, juxta antiquum et sacrum primævæ Ecclesiæ morem, a Diacono et Subdiacono sumenda est Communio.

» Post Missam Delegatus pluviali indutus, si fuerit Episcopus aut Sacerdos, procedit ad altare, inclinatoque ante imaginem coronandam reverenter capite, genua flectit, et intonat Hymnum : « Regina cœli, lætare, alleluia, » Choro musicorum prosequente.

» Sin autem Diaconus vel Subdiaconus, superpelliceo et rocchetto indutus, interim super tabulatum ascendit, et auream coronam capiti sacræ imaginis reverenter imponit, dicens : « Sicuti per manus nostras coronaris in terris, » ita et a Christo gloria et honore coronari me» reamur in cœlis. » Quo facto, tubis tympanisque clangentibus pulsantur campanæ, et mortaria aliaque tormenta bellica exploduntur.

» Si una cum sanctissima Matre imago quoque Filii ejus Domini nostri Jesu Christi fuerit, hæc primum coronanda erit, dicente Delegato : « Sicuti per manus nostras coronaris in terris, » ita et a te gloria et honore coronari merea» mur in cœlis. »

» Deinde Episcopus vel Delegatus incensum benedicit, imponit, ac triplici ductu coronatam imaginem incensat.

» Hymno autem finito, prosequitur, dicens : ℣. « Corona aurea super caput ejus. ℟. Expressa » signo sanctitatis, gloria honoris, et opus for» titudinis. ℣. Coronasti eam, Domine. ℟. Et » constituisti eam super opera manuum tuarum. » Oremus.

» Præsta, misericors Pater, per invocationem » Genitricis unigeniti Filii tui Domini nostri » Jesu Christi, quem pro salute generis humani, » integritate Virginis Mariæ servata, carnem » sumere voluisti ; quatenus, precibus ejusdem » sacratissimæ Virginis, quicumque eamdem » misericordiæ Reginam, et gratiosissimam Do» minam nostram coram hac effigie suppliciter » honorare studuerint, et de instantibus peri» culis eruantur, et in conspectu divinæ maje» statis tuæ de commissis et omissis veniam » impetrent : ac mereantur in præsenti gratiam, » quam desiderant, adipisci, et in futuro per» petua salvatione cum electis tuis valeant gra» tulari. Per eumdem, etc. »

» Tum pro gratiarum actione intonatur Hymnus : « Te Deum laudamus ; » cum Oratione : « Oremus.

» Deus, cujus misericordiæ non est numerus, » et bonitatis infinitus est thesaurus : piissimæ » majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, » tuam semper clementiam exorantes : ut qui » petentibus postulata concedis, eosdem non » deserens, ad præmia futura disponas. Per » Christum Dominum nostrum. »

» Postea sine cantu recitatur Psalmus : « De » profundis ; » cum Oratione :

« Deus veniæ largitor et humanæ salutis » amator, quæsumus clementiam tuam, ut » animam Alexandri benefactoris quæ ex hoc » sæculo transivit, B. Maria semper Virgine » intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad » perpetuæ beatitudinis consortium pervenire » concedas. Per Christum Dominum nostrum. » Amen. ℟. Requiescat in pace. ℟. Amen. »

» Tum submissa voce dicitur. « Pater noster » et Ave Maria, » pro Capitulo et Canonicis SS. basilicæ. « Oremus pro Benefactoribus no» stris. Retribuere dignare, Domine, omnibus » nobis bona facientibus propter nomen tuum » vitam æternam. Amen. »

» Deinde dicitur Oratio quam Benedictus XIII Summus Pontifex in coronanda sancta imagine B. Virginis Mariæ nuncupatæ *della Rotonda*, in civitate Albanensi posita, addidit. « Oremus.

» Defende, quæsumus, Domine, B. Maria » semper Virgine intercedente, sacrosanctæ » Vaticanæ basilicæ ab omni adversitate fami» liam, et toto corde tibi prostratam ab hostium » propitius tuere clementer insidiis. Per Chri» stum Dominum nostrum. »

» Post Vesperas, quæ solemniter cantantur cum Antiphona et Psalmo, ut in festo S. Mariæ ad Nives, panegyrica Oratio habetur de laudibus beatæ Virginis Mariæ : ejusque imago per vias publicas mundatas, ac virentibus frondibus vel floribus conspersas, in signum lætitiæ ab eodem Canonico deputato aliisque primoribus cum pompa defertur ; et a magistratu civitatis in honorem ejusdem cereus magni ponderis offertur.

Digitized by Google

» Ad solis occasum, lætitiæ signa interim eduntur, accensis ubique facibus, in ea præsertim regione ubi templum est coronatæ Imaginis, et ex composita machina artificialis ignis editur.

» Utque Deiparæ cultus magis excitetur, mos est per integrum triduum conciones panegyricas inter Missarum solemnia, oratoria, sacrasque academias aliaque similia inter musicos concentus, pro fidelium pietate ac religione, celebrare.

» Ejusdem coronatæ Imaginis exemplaria religionis causa distribuenda typis imprimuntur: nimirum triginta in serico croceo seu rubro cum ornamento aureo vel argenteo reverendissimis DD. Canonicis SS. basilicæ Vaticanæ, et unum forma præstantiori pro eminentissimo Cardinali archipresbytero. Alia insuper septuaginta in papyro pro Beneficiatis et Clericis ejusdem basilicæ.

» Item depingitur ejusdem Deiparæ coronatæ imago in tela cum inscriptione et ornamento, quæ in eadem basilica ad perpetuam rei memoriam asservetur.

» Quæ omnia una cum instrumento de quo supra dictum est, cumque historia sanctæ imaginis, ejusque coronationis, ad reverendissimum D. Secretarium Capituli a Deputatis illius ecclesiæ transmittuntur, in archivo Vaticano reponenda, et ad perenne rei gestæ monumentum diligenter asservanda. »

Hactenus ordo servandus in tradendis coronis aureis, quæ, uti superius dictum est, ex legato comitis Alexandri Sfortiæ Pallavicini donantur quotannis sacris imaginibus beatæ Mariæ Virginis: puto equidem me rem curioso lectori facturum gratissimam, si elenchum recenseam sacrarum ipsius Deiparæ imaginum quibus huc usque coronæ donatæ sunt. Agendæ autem sunt gratiæ præstantissimo Episcopo Cyrenensi, ac bonarum litterarum fautori Nicolao Xaverio S. Maria, qui ex archivo Capituli sacrosanctæ basilicæ Principis Apostolorum, in qua Canonicus est, elenchum ipsum mihi describendum curavit.

Anno 1631, die 27 augusti, beatæ Mariæ Virgini de Febri in basilica Sancti-Petri.

Anno 1632, die 3 septembris, beatæ Mariæ Virgini de Montibus.

Anno 1633, die 6 julii, beatæ Mariæ Virgini de Victoria.

Anno 1634, die 5 aprilis, Mariæ Virgini et ejus Filio in via Cupa.

Die 29 julii, beatæ Mariæ Virgini de Pace et Populo.

Die 7 septembris, beatæ Mariæ Virgini de Consolatione.

Anno 1635, die 22 augusti beatæ Mariæ Virgini sine labe Conceptæ in S. Laurentio ac Damaso.

Die 30 decembris, beatæ Mariæ Virgini Annuntiatæ in Turribus Speculorum.

Anno 1636, die 29 martii, beatæ Mariæ Virgini de Ara cœli.

Anno 1637, die 31 augusti, beatæ Mariæ Virgini Pietatis, in choro basilicæ Sancti-Petri.

Anno 1638, die 14 augusti, beatæ Mariæ Virgini in ecclesia Domus professæ Societatis Jesu.

Die 16 decembris, beatæ Mariæ Virgini monialium discalceatarum Sanctæ-Theresiæ.

Memoratæ Deiparæ imagines coronatæ quidem fuerunt ab ipso comite Sfortia dum viveret, eoque anno 1638 in mense octobri e vivis sublato, cœpit capitulum Sancti-Petri coronas donare, nempe:

Anno 1640, die 6 decembris, beatæ Mariæ Virgini de Rosario in ecclesia Sanctæ-Mariæ super Minervam.

Anno 1641, die 4 martii, beatæ Mariæ Virgini in ecclesia Sancti-Augustini.

Die 14 ejusdem mensis, beatæ Mariæ Virgini Montis vulgo *Magnanapoli*.

Die 15 julii, beatæ Mariæ Virgini de Transpontina.

Die 11 augusti, beatæ Mariæ ecclesiæ Sancti-Cosmati in regione Transtiberina.

Anno 1642, die 31 januarii, SS. Puero Jesu Mariæ de Febri in basilica Sancti-Petri.

Die 1 februarii, beatæ Mariæ Virgini in Via lata.

Die 20 maii, beatæ Mariæ de Planctu.

Anno 1643, die 17 novembris, sanctæ Mariæ Capellæ Gregorianæ in basilica Sancti-Petri.

Anno 1644, die 9 junii, beatæ Mariæ Virgini vulgo *di porta Angelica*.

Die 12 decembris, sanctæ Mariæ Virgini Lauretanæ nationis Picænæ.

Anno 1645, die 5 januarii, SS. Puero Jesu

Digitized by Google

S. Mariæ Virgini in ecclesia Sancti-Cosimati.

Die 7 februarii, beatæ Mariæ Virgini de Columna in basilica Santi-Petri.

Die 17 junii, beatæ Mariæ Virgini in ecclesia Sancti-Alexii.

Die 11 octobris, SS. Puero Jesu beatæ Mariæ, vulgo *della Colonna*.

In tabellis Capituli sequitur hunc in modum :

Beatæ Mariæ Virgini monialium S. Marthæ.

Beatæ Mariæ Virgini Miraculorum.

Anno 1646, beatæ Mariæ Virgini in Via.

Beatæ Mariæ Virgini Puritatis, in regione Burgi.

Puero Jesu beatæ Mariæ Virgini monialium Sanctæ-Marthæ.

Beatæ Mariæ Virgini, ac Puero Jesu de Scala Trans-Tiberim.

Puero Jesu beatæ Mariæ Virgini nationis Picenæ.

Anno 1647, Puero Jesu, beatæ Mariæ Virgini Capellæ Gregorianæ in nostra basilica.

Beatæ Mariæ Virgini, ac Puero Jesu in Fonte nuncupati prope basilicam Lateranensem.

Beatæ Mariæ Virgini Gratiarum in Foro Boario.

Beatæ Mariæ Virgini, ac Puero Jesu infra claustra monialium Sanctorum Xisti et Dominici.

Anno 1648, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu ecclesiæ Sancti-Joannis nationis Florentinæ.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu ecclesiæ Sancti-Laurentii in Lucina.

Anno 1649. beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu ecclesiæ Sanctæ-Mariæ in Vallicella.

Anno 1650, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu ecclesiæ Sancti-Sylvestri Montis Quirinalis.

Beatæ Mariæ vulgariter nuncupatæ *la Madonna di S. Giovannido*.

Beatæ Mariæ in Porticu.

Anno 1651, beatæ Mariæ de Constantinopoli.

Puero Jesu beatæ Mariæ Transpontinæ.

Beatæ Mariæ in Campitello.

Beata Mariæ, et Puero Jesu in ecclesia Sanctorum Cosmæ et Damiani in Foro boario.

Puero Jesu beatæ Mariæ de Planctu.

Beatæ Mariæ, ac Puero Jesu in ecclesia Sancti-Paulini regionis Arenulæ.

Puero Jesu in ecclesia Sanctæ-Mariæ de Puritate regionis Burgi.

Anno 1652, beatæ Mariæ, et Puero Jesu monialium Sanctæ-Annæ regionis Arenulæ.

Beatæ Mariæ, et Puero Jesu in ecclesia Pantheon, alias *la Rotonda*.

Anno 1653, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in Posterula.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu sub Porticu ecclesiæ Sancti-Apollinaris.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu, *Libera nos a pœnis inferorum*, in Foro Boario.

Anno 1654, beatæ Mariæ Virgini in ecclesia Sanctissimæ-Trinitatis Peregrinorum.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Salvatoris in Lauro.

Sanctissimo Puero Jesu Rosarii in ecclesia Sanctæ-Mariæ super Minervam.

Anno 1655, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Spiritus in Saxia.

Beatæ Mariæ Virgini in ecclesia monialium Campii-Martii.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sanctæ-Praxedis.

Anno 1656, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia de Monte-Serrato.

Anno 1657, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu de Gorto.

Anno 1658, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Rocci.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Gregorii in Monte-Cælio.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in Oratorio Sancti-Marcelli.

Anno 1659, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Martini de Montibus.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in Ecclesia Sanctæ-Mariæ Trans-Tiberim.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu de Monte-Sancto.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Jacobi Incurabilium.

Anno 1660, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Pistorum.

Anno 1661, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Mortis.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Joannis Decollati nationis Florentinorum .

Anno 1662, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu

Digitized by Google

in ecclesia Sanctæ-Mariæ Novæ in Foro Boario.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Chrysogoni in TransT-iberim.

Anno 1664, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Jacobi, vulgo *Scoffa cavalli*, super altare majus.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia, vulgo de *Bonfratelli*.

Anno 1665, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Celsi, vulgo *in Banchi*.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia nuncupata *del Sole*.

Anno 1666, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Suffragii.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Confalonis.

Anno 1667, sanctissimo Puero Jesu et beatæ Mariæ Virgini de Populo.

Sanctissimo Puero Jesu beatæ Mariæ Miraculorum.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Dionysii ad quatuor Fontes.

Beatæ Mariæ Virgini. et Puero Jesu in ecclesia Sanctæ-Luciæ, vulgo *della Tinta*.

Anno 1668, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Xisti Mendicantium.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sanctæ-Mariæ-Magdalenæ.

Anno 1669, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu ad Præsepe in basilica Sanctæ-Mariæ-Majoris.

Anno 1670, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu, alias *della Quercia*.

Anno 1671, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Blasii, vulgo *della Pagnotta*.

Pro corona aurea reaptata beatæ Mariæ Virgini Pietatis nostræ basilicæ.

Anno 1672, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in Cosmedin, alias *Scola Greca*.

Anno 1673, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in palatio excellentissimi ducis ab Altemps.

Anno 1674, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Ambrosii de Maxima.

Anno 1675, beatæ Mariæ Virgini in ecclesia Sancti-Salvatoris, alias *delle Copelle*.

Anno 1676, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in capella Sancti-Ignatii Domus Probationis.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia, alias *in Monte Rone*.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sanctæ-Mariæ Incurabilium.

Anno 1677, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in oratorio Sancti-Francisci Xaverii.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sanctæ-Mariæ in Trivio.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Adriani in Foro Boario.

Anno 1678, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Laurenti in Lucina.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Andreæ de Valle.

Anno 1679, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in oratorio prope Scalam-Sanctam.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sanctorum-Vincentii et Anastasii.

Anno 1681, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Blasii Montis Politiani extra Urbem.

Beatæ Mariæ Virgini in Provenzano Senarum intra Urbem.

Anno 1682, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in civitate Ripæ Transonæ in Piceno.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Gratiarum in civitate Veliterna.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Sanctæ Mariæ in Via civitatis Camerini.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu, vulgo *del buon Consiglio* terræ Genazzani.

Anno 1683, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu, vulgo *del Soccorso* civitatis Januensium.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu nuncupat. ad Mare Firmanæ diœcesis.

Anno 1684, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu vulgo *in Ruscelli* extra terram Vallerani.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu, vulgo *del Transito* in basilica Sancti-Joannis n Laterano.

Anno 1685, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in terra Magiorum civitatis Plebis.

Anno 1686, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia civitatis Forolivii.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia monialium Spiritus-Sancti Urbis.

Anno 1687, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Marci, PP. Servitarum civitatis Pisauri.

Digitized by Google

Beatæ Mariæ Virgini, in monasterio monialium Turris Speculorum.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Metropolitana civitatis Urbini.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu civitatis Cortonæ.

Anno 1688, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in monasterio monialium Campi-Martii.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Cryptæ Ferratæ in territorio Tusculano.

Anno 1689, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu civitatis Lucæ.

Anno 1690, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Tirani Vallis Tellina Comensis diœcesis.

Beatæ Mariæ Virgini Montis Nigri extra civitatem Liburni.

Anno 1691, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu civitatis Mediolani.

Anno 1693, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu civitatis Arimini.

Anno 1694, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Pantaleonis.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu ad Nives Frusinonis PP. Eremitarum Sancti-Augustini.

Anno 1695, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Marcelli.

Anno 1696, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in civitate Maceratæ.

Beatæ Mariæ Virgini Lauretanæ, et Puero Jesu civitatis Spoleti apud Clericos Regulares Sancti-Pauli.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Laurentii in Piscibus prope Vaticanum, Scholarum piarum.

Anno 1703, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu civitatis Castelli.

Beatæ Mariæ Virgini in ecclesia Sancti-Bernardi ad Columnam Trajanam; ac Confraternitatis SS. ipsius Deiparæ Nominis.

Anno 1704, beatæ Mariæ Virgini de Cibbona in territorio Tulphæ.

Beatæ Mariæ Virgini ad Præsepe apud sacras virgines sub invocatione omnium Sanctorum civitatis Senarum.

Anno 1705, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia cathedrali Hydruntina nuncupatæ S. M. de Oranto.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in cathedrali ecclesia civitatis Urbeventanæ sub titulo M. Sancti-Britii.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia eidem dicata terræ Sancti-Joannis Vallis Arni superioris in Etruria.

Beatæ Mariæ Virgini de Lacu diœcesis Brittinoriensis.

Anno 1707, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in cathedrali ecclesia civitatis Montis-Politiani.

Anno 1708, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Christophori PP. Eremitarum Sancti-Augustini civitatis Pinnæ.

Anno 1709, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu C. R. Theatinorum S. M. de Glara Verone.

Anno 1710, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Fontis Miraculorum apud Caracusium Insubriæ.

Anno 1712, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu de Monte in regno Neapolitano in regali monasterio Montis-Virginis-Majoris.

Anno 1713, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu de Planctu civitatis Fulginiæ.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in Dalmatia.

Anno 1714, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu nuncupatæ de Capocroce apud Clericos Regulares civitatis Tusculanæ.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu nuncupatæ *del Piradesso* extra mœnia civitatis Imolæ.

Anno 1715, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Forani diœcesis Ariminensis in territorio Appiani.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in monte Tersatti in Dalmatia diœcesis Signensis.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu Sanctissimæ Trinitatis civitatis Viterbiensis.

Anno 1716, beatæ Mariæ Virgini Humilitatis, et Puero Jesu in civitate Pistoriensi.

Anno 1717, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in ecclesia Sancti-Petri in Monte-Aureo.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu in Claro-Monte Czestochoviensi in regno Poloniæ.

Beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu prope Gontiam extra Italiam Gratiarum Mater nuncupatæ.

Anno 1718, beatæ Mariæ Virgini, et Puero Jesu

Digitized by Google

de Succursu nuncupatæ in civitate Montis-Alcini.

Anno 1720, beatæ Mariæ Virgini de Misericordia nuncupatæ in civitate Auximana.

Anno 1721, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu Leucensis, vulgo de Finibus Terræ in diœcesi Alessani.

Beatæ Mariæ Virgini de Misericordia nuncupatæ in civitate Maceratæ.

Anno 1723, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu Gratiarum nuncupatæ in civitate Beneventana.

Beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu de Incoronata nuncupatæ, in eremo Ordinis Camaldulensium prope Beneventum.

Anno 1724, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in ecclesia Sancti-Pauli Majoris Clericorum Regularium Theatinorum Neapoli.

Beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu, vulgo *de Bisognosi*, in vertice Montis-Casoli diœcesis Marsorum.

Anno 1726, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu de Gallorio nuncupatæ in territorio Arriciæ Albanens. diœcesis.

Beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in ecclesia Sancti-Florentii Ordinis Servorum civitatis Perusiæ.

Anno 1728, beatæ Mariæ Virgini de Suffragio cum Puero Jesu terræ Cryptarum in Collegiata Sancti-Joannis Baptistæ.

Anno 1729, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in ecclesia de Rotunda nuncupatæ Clericorum Regularium Scholarum piarum Albanens. civitatis.

Beatæ Mariæ Virgini Angelorum de Urbe cum Puero Jesu existenti in ecclesia sodalitatis Textorum-Sericanorum.

Anno 1731, beatæ Mariæ Virgini nuncupatæ *del Glorioso* civitatis Sancti-Severini in Piceno.

Anno 1732, beatæ Mariæ Virgini Dolorosæ de Jeroslau cum Filio Jesu e Cruce deposito, etc., existenti in silvis prope civitatem Jeroslavien, ad ecclesiam parochialem Jeroslaviensem translatæ.

Beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu Lauretanæ nuncupatæ civitatis Cremonæ.

Beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu existenti prope Olomucium in ecclesia Canonicorum Ordinis Præmonstratensis.

Anno 1733, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in ecclesia PP. Carmelitarum civitatis Drepani.

Anno 1733, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in ecclesia Clericorum Regularium civitatis Panormitanæ.

Anno 1735, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in ecclesia monialium Sororis Ursulæ Benincasa civitatis Neapolitanæ.

Anno 1738, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu in monte *sopra Varrese* diœcesis Novariensis.

Sacræ Imagines beatissimæ Virginis Mariæ diversis in locis a piis fidelibus propriis expensis coronatæ, sed vice et nomine reverendissimi Capituli basilicæ Principis Apostolorum.

Anno 1717, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu de Monte-Sancto nuncupatæ supra Goritiam existenti in ecclesia Fratrum Reformatorum Sancti-Francisci.

Beatæ Mariæ Virgini Claromontanæ Ozestochoviensis in regno Polono.

Anno 1719, beatæ Mariæ Virgini civitatis Brunæ Olomucensis diœcesis in Germania existenti in ecclesia Sancti-Thomæ Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini.

Beatæ Mariæ Virgini existenti in cathedrali ecclesia civitatis Trochi in Lithuania.

Anno 1725, beatæ Mariæ Virgini existenti in ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum prope civitatem Podscamien, in regno Poloniæ.

Anno 1726, beatæ Mariæ Virgini civitatis Zirorvicæ in Magno-Ducatu Lithuaniæ.

Anno 1731, beatæ Mariæ Virgini cum Puero Jesu existenti in ecclesia Sacromontana RR. Patrum Societatis Jesu archidiœcesis Pragensis.

Anno 1732, beatæ Mariæ Virgini existenti in ecclesia monialium Sancti-Francisci civitatis Wilnen, in Magno-Ducatu Lithuaniæ in regno Poloniæ.

Digitized by Google

TITULUS XVI.

DE BENEDICTIONE IMAGINUM ALIORUM SANCTORUM.

I. Sacras Christi Domini, Deiparæ Virginis, atque aliorum Sanctorum imagines consuevisse a Christianis jam olim depingi et in ecclesiis haberi, affirmant constanter ac passim antiqui scriptores, Episcopi, ac ipsi Romani Pontifices. Adrianus I, in litteris dogmaticis ad Constantinum Augustum ac ejus matrem Irenen, ita scribit : « Sanctorum figuræ ab ipsis sanctis fi» dei nostræ rudimentis apud omnes fuere Chri» stianos, atque in ecclesiis Sanctorum sacræ » figuræ expressæ atque depictæ hactenus fue» runt : quatenus gentilitas paganorum, con» specta divinæ Scripturæ depicta historia, ab » idolorum cultura et dæmonum simulacris, ad » verum Christianitatis lumen atque amoris Dei » culturam verti deberet. »

II. Idipsum docet in Orationibus suis S. Joannes Damascenus, cui consonat Theodosius Ammoriensis episcopus, abjurans iconoclasticam hæresim, sacrarumque imaginum venerationem profitens in prima Nicænæ secundæ Synodi actione, cum hocce additamento : « Quemadmo» dum Ecclesia Christianorum suscepit a sanctis » Apostolis et patribus, et usque ad nos. » Et in secunda actione Euthymius Sardensis episcopus, metropolita Lydiæ, prælectas in Concilio litteras Adriani Papæ indubitanter sequens, pollicetur profiteturque se « ita sapere de san» ctissimis iconibus, non quasi quoddam novum » dogma admittens, sed tanquam certissime » sciens de illis traditionem sanctorum Aposto» lorum, et sacratissimorum magistrorum qui » has reliquerunt in sancta Dei Ecclesia. » Hoc ipsum et alii Episcopi in ipsa actione asserunt; Gregorius tamen Pessinuntis episcopus, secundæ Galatiæ metropolita, cui Leo episcopus Rhodiorum, metropolita provinciæ Insularum, firmiter astipulatus est, illud adjungit in prima actione præfatæ Synodi, ab Antiochena sanctorum Apostolorum Synodo fuisse editum hunc canonem : « Ne ultra errent hi qui salvi fiunt, » circa idola, sed pro eis imaginentur Dei viri» lem statuam Domini nostri Jesu Christi. »

III. Iconoclastici conventiculi refutatio rem altius ducit; aitque sacras Christi Sanctorumque imagines, ipsius Domini esse traditionem. Quod improbandum minime est; quod enim ipse Dominus Jesus Christus imaginem suam non manufactam Abgaro Edessenorum principi miserit, Gregorius II Pontifex Maximus in litteris ad Leonem Isauricum adseverat; Adrianus I, in Epistola ad Carolum Magnum pro Synodo Nicæna II, et sanctus Joannes Damascenus, lib. IV *De Fide orthodoxa*, cap. XVI, orientalisque Ecclesia etiam semper indubitatum habuit. Enimvero, præter allegatos testes qui omni procul dubio exceptione majores sunt, ut pote sanctitate, doctrina et dignitate præstantes, ejus imaginis a Christo ad Abgarum missæ antiquissima invenitur mentio in *Actis* Samonæ et Guriæ, Martyrum Edessenorum, quæ non ita multo post eorum mortem, anno scilicet Christi 306, conscripta sunt, exstantque apud Surium die XVII kal. decembris, ipsiusque Baillieti judicio ex codice probato deprompta videntur. His adde Procopium, sæculi VI scriptorem, cujus meminit Evagrius lib. IV *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXVI; Theophylactum Simocattam, lib. II *Historiarum*, cap. III; Patresque Synodi Nicenæ II, œcumenicæ VII, qui actione V ipsius Synodi ejusdem imaginis testimonium protulerunt ad convincendos hæreticos iconoclastas.

IV. Sunt qui imaginem ipsam rejiciunt, quod Eusebius, lib. I *Historiæ Ecclesiasticæ*, c. XIII, ubi refert Epistolam Abgari ad Christum, et Christi ab Abgarum, de ea nullam faciat mentionem. Sed recte huic objectioni occurrit eruditus Sandini in *Historia familiæ sacræ*, ubi agit de Christo, pag. 274, dicens, unius vel alterius scriptoris silentium non esse anteponen-

Digitized by Google

dum testimoniis scriptorum qui rem expresse memorant et exponunt; deinde idcirco Eusebium nihil dixisse de imagine Christi Edessena, quia Arianus erat, et quidem ex illis qui falso dictitabant, quod postea ab Eutyche pertinacius assertum est, carnem Christi conversam esse in Divinitatem, ac proinde nulla imagine exprimi posse. Id quod animadversum est ab Epiphanio diacono, actione VI Concilii II Nicæni; et patet ex ipsius Eusebii Epistola ad Constantiam Licinii imperatoris uxorem. Petenti enim ut mitteret ad se Christi Salvatoris imaginem respondet non posse fieri quod petebat, « Quia cum duplici natura constet Christus Dominus, divina » scilicet et humana, neutrius imago exprimi » potest : non divina, quam nemo intelligentia » consequitur : non humana, cujus mortalitas » a gloria divinitatis absorpta est. » Nec dicas meminisse Eusebium, lib. VII, cap. XVIII, statuæ Christo positæ ab Hæmorrhoissa in urbe Paneade, nam ita meminit, ut animum suum imaginibus Christi adversum satis patefaciat; subjicit enim id fecisse gentilem feminam *gentili quadam consuetudine*.

V. Longum esset singulas hic criminationes recensere, quibus in Edessenam Christi imaginem Casaubonus usus est, exercitatione XIII, § XXXI, et post eum Hyacinthus Serry, exercitatione XLVI, § IX, quas quidem luculenter confutavit vir clarissimus Augustinus Calcagninus, *De imagine Edessena*, observatione II et III, atque ante ipsum eruditissimus Jacobus Gretserus in syntagmate *De imaginibus non manufactis*, cap. IX, exstatque tomo XVIII *Historiæ Byzantinæ*, pagina 261 editionis Venetæ; novissime vero Antonius Sandini, qui præfatas Hyacinthi Serry Exercitationes judicio sanctæ Sedis, sicut et alia quædam ejusdem auctoris opera, cæteroqui damnatas egregie confutavit. Cæterum, ut aliquid de ipsius Edessenæ imaginis historia dicamus, rem ita narrat sanctus Joannes Damascenus, libro IV *De Fide orthodoxa*, capite XVI: « Cum Abgarus Edessenorum rex pictorem mi- » sisset qui Domini exprimeret effigiem, ne- » que id pictor ob splendorem ex ejus vultu » emicantem assequi posset; Dominum ipsum » ait ex antiquorum traditione, admoto divinæ » vivificæque faciei suæ pallio, imaginem suam » in eo depinxisse, quam ad Abgarum misit, ut » hoc pacto desiderio ejus faceret satis. » Idipsum testantur in Epistolis suis superius memoratis Gregorius II ad Leonem Isauricum, et Adrianus I ad Carolum Magnum.

VI. Sed ut ut sit hujusmodi controversia, quod S. Lucas Evangelista Deiparam Virginem depinxerit, quodque a sanguinis fluxu per Dominicæ vestis attactum sanata mulier illa hæmorrhoissa æneam Christo statuam, divinis postmodum miraculis illustratam Cæsareæ Philippi dedicavit, testantur auctores antiqui Ecclesiæ, et certa omnium Ecclesiarum traditio, cujus meminit Lupus eruditissimus tomo II, in Dissertatione *De septima Synodo generali*, cap. II, et ante ipsum Petrus Cotonus lib. I *Ecclesiæ triumphantis*, cap. XXII; Bellarminus, Petavius et alii. Miracula ista adducit Eusebius Cæsariensis episcopus, testis oculatus, addens sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et ipsius etiam Christi Domini imagines *colorum varietate expressas* conservatasque, id est a majoribus acceptas, suo tempore fuisse ubique locorum usitatas.

VII. Varias crucifixi Domini nostri imagines antiquissimas cernere est apud virum clarissimum Angelum Roccam Camertem Ordinis Sancti-Augustini, Apostolici sacrarii præfectum, ac episcopum Tagastensem, tomo I operum ultimæ editionis Romæ factæ anno 1719, pag. 252. ubi quatuor exstant sacræ imagines, sub quarum prima ita legimus : « Imago Crucifixi » cedrino ligno a Nicodemo ex Pharisæis ho- » mine, et ex principibus Judæorum uno, dis- » cipuloque Christi Domini ante Passionem » occulto, incisa, et Lucæ asservata. » Altera est « imago Crucifixi cedrino item ligno a » S. Luca Evangelista, et individuo S. Pauli » omnis peregrinationis comite, incisa, et Siroli » apud Anconam asservata. » Utraque hæc imago regiis cernitur coronis insignita, et quatuor clavis cruci affixa, sed prima quidem talari tunica induta; altera vero nuda, linteoque sub alvum præcincta. Coronas aureas argenteasque sacris imaginibus jam olim apponi solitas diximus supra ad titulum XV, pag. 384. De numero clavorum quibus cruci Christus affixus est vide Molanum, lib. IV, cap. VI.

VIII. Christi Salvatoris imaginem per manus S. Lucæ Evangelistæ designatam, ac deinde ab ipso Christo Angelorum ministerio perfectam, testantur monumenta sacrosanctæ basilicæ La-

Digitized by Google

teranensis, itemque Joannes diaconus Lateranensis relatus a Panvinio in opere manuscripto de eadem basilica, ubi ita inquit : « Super hoc » altare est imago S. Salvatoris mirabiliter in » quadam tabula depicta, quam Lucas Evange- » lista designavit, sed virtus Domini Angelico » perfecit opificio. » Idipsum tradit S. Thomas, parte III, quæstione XXV, articulo III, ad IV, sic dicens : « Beatus Lucas dicitur depinxisse Chri- » sti imaginem quæ Romæ habetur. » Eumdem sequitur Joannes Baptista Paulianus in tractatu *De Jubilæo et Indulgentiis*, lib. III, cap. *De sanctissimis Reliquiis;* Fulvius Cardolus in Notis ad passionem SS. Getulii, etc., pag. 121, et alii.

IX. Servatur multis et maximis ornamentis aureis et argenteis gemmisque referta, et cortinis aureis decorata in oratorio Sancti-Laurentii quod dicitur *Sancta Sanctorum*, ab ipsomet Christo, ex miraculo, sacrato, ut scribit laudatus Paulianus, et a Nicolao III in præsentem formam exstructo; hoc, et Salvatoris imaginem, custodiente nobilissimorum civium Romanorum sodalitate, ut testatur Floravantes Martinellus in sua *Roma ex ethnica sacra,* Romæ edita, anno 1668, pag. 153, ubi etiam inter alia scribit, in ipsum oratorium nemini, nisi soli Romano Pontifici, licuisse olim intrare et divina Missarum mysteria celebrare. Addit, in memoriam mortis quam per Evam incurrimus, in ipsum locum ingredi vetitum prorsus feminis esse.

X. Testantur præterea ipsa basilicæ Lateranensis monumenta a memorato Martinello edita, Stephanum III Pontificem Maximum, qui post medium sæculum VIII floruit, in maximo Urbis, imo totius Italiæ periculo, congregato unanimiter populo fusisque lacrymis, cum hac sacrosancta imagine ad placandum iram divinam processisse eo plane modo quem Anastasius Bibliothecarius recenset his verbis : « In una » vero dierum cum multa humilitate sollicite » procedens in Litania cum sacratissima ima- » gine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu » Christi, quæ Achæropeta nuncupatur, simul- » que et cum ea alia diversa sacra mysteria re- » cipiens, proprioque humero ipsam sacram » imaginem cum reliquis Sacerdotibus idem » sanctissimus Papa gestans, nudisque pedibus » tam ipse quamque universa plebs incedentes, » in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, quæ Ad- » Præsepe nuncupatur, posito in omnium capi- » tibus populorum cinere, cum maximo ejulatu » pergentes, misericordissimum Dominum no- » strum deprecati sunt, alligans connectensque » adorandæ crucis Dei nostri pactum illud, » quod nefandus rex Langobardorum disrupit. »

XI. Auctore Panvinio, sacræ antiquitatis diligentissimo scrutatore, in opere manuscripto de Basilica Lateranensi, atque, ut testatur in suo Rituali codice Benedictus canonicus Sancti-Petri, ante sexcentos et supra annos hic mos in Ecclesia Romana solemnis fuit. Pontifex in die Paschæ mane post Primam indutus pluviali albo cum Diaconis Cardinalibus, dalmaticis vestitis, et mitris redimitis, itemque cum Subdiaconis cæterisque minoribus ordinibus, et capellanis suis, dalmaticis et tunicis amictis, ire solebat ad præfatum S. Laurentii oratorium; Presbyteri vero induebant se planetis, et Episcopi pluvialibus in loco eidem oratorio proximo, qui dicitur Basilica Sancti-Gregorii, hoc est ante cratem ferream qua aspicitur imago Salvatoris. Papa porro post Orationem induebatur usque ad dalmaticam, et exsurgens ingrediebatur ad adorandum Salvatorem; apertaque imaginis theca, osculabatur pedes ejus, dicens alta voce : « Sur- » rexit Dominus de sepulcro, alleluia. » Et omnes ei respondebant : « Qui pro nobis pe- » pendit in ligno, alleluia. » Tunc Acolythi portabant crucem capellæ super altare, et Papa adorabat eam post osculationem Salvatoris cum omnibus aliis. Deinde redibat ad sedem, et dabat pacem Priori Diaconorum Cardinalium redeunti ab osculo pedum S. Salvatoris, dicens : « Surrexit Dominus vere. » Et ille respondebat : « Et apparuit Simoni. » Secundus quoque Diaconus Cardinalis, osculatis pedibus Salvatoris, accedebat ad pacem Papæ, et Prioris Diaconorum Cardinalium, et ponebat se in ordine. Cæteri vero Diaconi Cardinales itidem faciebant. Deinde Primicerius cum Schola Cantorum eodem modo ad pacem ibat, et se in ordine recto dirigebat. Prior quoque basilicæ Lateranensis cum Diaconibus similiter. Item Subdiaconi regionarii cum Acolythis et Capellanis, et aliis palatinis Officiariis eodem modo pacem suscipiebant. Iterum autem Schola Cantorum cantabat : « Cruci- » fixum in carne, » et, « Ego sum A et Ω. » Pacis oblatione finita, Papa induebat planetam albam, pallium et mitram solemnem; descendensque

Digitized by Google

de palatio usque ad exitum Porticelli, ubi albus parafrænus cum naco scarlati supraposito, et argenteo fræno erat præparatus a Magistro mareschalco, et ab dextratoribus, suscepto regno ab Archidiacono, ita coronatus eques, præcedentibus bandulariis, Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Abbatibus, Subdiaconis et Diaconis Cardinalibus, subsequentibus vero Præfecto Urbis, aliisque nobilibus Romanis, proficiscebatur ad Sacra eo die facienda ad basilicam Sanctæ-Mariæ Majoris.

XII. Qualiter in Assumptionis beatæ Mariæ Virginis festo ex Lateranensi oratorio hæc eadem sancta imago procederet ad ipsam Sanctam-Mariam-Majorem in Exquiliarum colle, antiquum Cæremoniale sive Ordo Romanus apud memoratum Martinellum ita enarrat : « In ipsa Vespera » Vigiliarum præparatur portatorium in Sancto » Laurentio apud Lateranos, superposita tabula » imagine Christi Domini nostri insignita : a » medio noctis, concurrente populo, exeunt cum » Litania ad Sanctam-Mariam-Majorem (nunc » dicitur Sacta-Maria-Nova) mundatis per » viam plateis, et suspensis per domos lucernis; » ibique in gradibus Sanctæ-Mariæ deposita » aliquandiu icona, omnis chorus virorum et » mulierum, genibus ante eam flexis, pugnis » etiam cædentes, una voce per numerum dicit » centies *Kyrie, eleison;* fusisque lacrymis et » precibus, per Sanctum-Hadrianum recta via » vadunt ad Sanctam-Mariam. »

XIII. Meminit hujus processionis Andreas Fulvius, lib. II, cap. V, ejusque auctorem facit Leonem IV Pontificem Maximum; verum Benedictus canonicus Sancti-Petri in suo Rituali codice ait memoratæ solemnitatis institutorem fuisse Sergium Papam. Aiunt plerique auctores, inter quos laudatus Fulvius, lib. I, cap. *De Hostia Tiberina*, consuevisse anno 1545, quo librum edidit suum, pedes memoratæ imaginis lavari, « dum gestatur per Urbem mense augu» sti. » Factam hujusmodi lotionem cum herba quæ appellatur *Basilico*, docent nos superius laudata monumenta basilicæ Lateranensis; adduntque, quod « aqua illa, qua cum basilico » pedes ejus (imaginis) lavantur, a languenti» bus hausta, nonnullis exstat causa recupe» randæ salutis. » Porro quod ipsa processio fieri soleret in Pontificatu Leonis X, constat ex *Cæremoniali* Christophori Marcelli archiepiscopi Corcyrensis, lib. II, cap. XX. Quod hujusmodi pompæ omnes Urbis artifices interesse tenerentur ex lege Senatus Populique Romani lapidi incisa, testatur Paulus de Angelis in descriptione basilicæ Sanctæ-Mariæ Majoris, lib. XII, cap. V. Quod tandem triumphalis hæc pompa usque ad Pontificatum S. Pii V perduravit, habemus Sebastianum Fabrinum monachum Silvestrinum in suo libello Italice scripto, *De anni sancti* 1600 *Jubilæo*, cap. XVIII, ubi etiam ait ob varia inconvenientia tempore memorati Pontificis fuisse sublatam.

XIV. Placuit de ipsa S. Salvatoris imagine prolixe disserere, tum ob ejus antiquitatem, tum etiam ob varios ritus in ejus processione servatos. Possent et alia afferri exempla, et quidem primorum Ecclesiæ sæculorum, quæ nos condocent delatas fuisse solemni cum pompa apud Latinos in processionibus Ecclesiasticis sacras imagines. Sed lubet aliqua de Græcorum pietate ea in re dicere. Constat ergo jam olim Græcos ita Christi Domini imaginem ab ipso ad Abgarum missam coluisse, ut illam in exercitibus præferrent, ut victoriam consequerentur. De Philippo imperatoris Mauritii duce post dispositas utrinque acies jam prompto ad præliandum in Persas scribit Theophylactus lib. II, cap. III : « Ubi hostes appropinquare pul» verea nubes indicio fuit, Philippicus Dei ho» minis Jesu Christi effigiem circumfert. Jam » olim fama emanavit, et usque hodie durat, » eam effigiem non texentis manu comparatam, » aut pictoris arte coloribusque variatam, sed » divinitus efformatam esse. » Est illa venerabilis imago, quam applicato ad suam faciem mundissimo linteo impressisse, ac Abgaro Edessæ principi misisse fertur ipse Dominus, dum in terris degeret. Id quidem vetusti auctores testantur. Pergit autem Simocatta dicens quod « hanc effigiem sacra veste nudatam » gestans exercitum obibat, indeque audendi » generosam et inexpugnabilem militibus ala» critatem injiciebat. » Porro hæc pietas, ut idem testatur auctor, gloriosissimam victoriam meruit.

XV. Audiamus quid de Prisco, Philippici in ducatum successore, patiente rebellionem totius offensi exercitus, lib. III, cap. II, memoratus auctor scribat : « Prisco, inquit, sudor ire per cor» pus, et artus tremor occupare cœpit, animo

Digitized by Google

» hæsitanti quid ageret. Ergo Iliphredæ Dei » hominis effigiem, quam non mortali manu » confectam Romani appellant. .., per media » castra circumferendam committit, quo ad rei » adorandæ conspectum excitata reverentia fu- » rorem comprimeret, ac in modestiam et quie- » tem rerum perturbatio transiret. » Eamdem rem laudat in Ecclesiastica Historia Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius; additque de Philippico sanctus Martyr Theophanes, quod, Romanis die Dominico invasis a Persis, « Phi- » lippicus summo mane composito exercitu, » eoque in tria agmina distributo, in pugnam » processit. Ipse vero, Christi Dei et hominis » imaginem brachiis amplexus, singulos arma- » torum ordines præcurrebat, et cujusque animo » divinum robur inspirabat ac impertiebatur. » Eo propugnaculo manibus gestato, extremam » tenens aciem, largo lacrymarum imbre divi- » num Numen demulcens, cœlestium acies in » auxilium demissas excipiebat. »

XVI. De imperatore Heraclio adversus Chosroen Persarum regem notatu dignum est quod narrat idem Theophanes, sic dicens : « Impe- » rator mox, lata manibus Dei et hominis effi- » gie, hominis manu vel penicillo non effecta, » sed quam imaginem, quod cuncta formavit » et configuravit, divinum Verbum, absque co- » lorum delineatione, ut absque semine fœtum, » in lucem eduxit; ejusmodi, inquam, figura » divinitus exarata plane fidens, et oppignerata » exercitui fide, cum eis usque ad mortem de- » certaturum, et ut propriis filiis semper eis » devinciendum et copulandum pollicitus, ad » bellicos conflictus descendit. » Idipsum tradit Georgius Cedrenus, qui etiam de eodem Heraclio nondum imperatore, sed Africæ duntaxat duce, adversus imperatoris Phocæ tyrannidem veniente hæc habet : « Heraclius cum magna » et armata classe Constantinopolim appellit, » secum ferens etiam Servatoris nostri ima- » ginem, nullo manus ministerio factam. In » Sophiæ portu inter Heraclium et Phocam » commisso navali prælio, flagitiosus Phocas » superatus in regiam confugit. »

XVII. Notat hæc eruditissimus Lupus tomo XI, in dissertatione *De antiqua Disciplina Christianæ militiæ*, cap. XIII, ex eisque plura colligit; 1° quod Christiani in die Dominico præliari nequiverint, ideoque gentiles Persæ ipsos tunc invaderent; 2° quod invasi Christiani etiam isto die solerent se defendere ; 3° quod ista sacrosancta imago fuerit tunc totius exercitus propugnaculum ; 4° quod hac de causa passim deportaretur ad prælium; 5° quod circa illam exercita pietas exercitui impertiret divinum robur atque fiduciam; 6° quod Philippicus dux per istam pietatem a divina clementia obtinuerit auxilia cœlestis exercitus, id est sanctorum Angelorum. Laudatus Sicomatta adjungit, quod a rebelli in Priscum ducem exercitu patrata in reverendam imaginem irreverentia fuerit ruina totius Orientis.

XVIII. Cur imperator religiosissimus Constantinus adversus hostes prælaturus istam sacrosanctam imaginem non circumtulerit, rationem reddit memoratus Cedrenus ubi exponit omnem hujus originem et seriem sacræ imaginis. Ait siquidem ipsam a rege Abgaro fuisse suæ civitatis portæ superpositam, ibique mansisse usque ad Nepotis regnum, deinde vero ab Edessæ Episcopo fuisse occultatam, et in occulto usque ad Justiniani imperium perdurasse. Sane habuerunt Græcorum imperatores aliam sacrosanctam Deiparæ imaginem, quam in necessitatibus suis circumferebant. De Alexio duce Murzuflo scribit Nicetas Choniates : « Cum » imperator contra Balduinum Flandriæ comi- » tem exiret, atque uterque alteri occurrissent, » Romanis perterritis et trepide fugientibus, » solus derelictus pene periisset. Et Geni- » tricis Dei imago, quam Græcorum impera- » tores bello sociam adsciscunt, ab hostibus » capta est. » Observat Lupus quod, sicut a Philistæis arca Judæis, ita ista a Flandris capta imago fuit Græcis exordium plenæ ruinæ. Etenim Balduinus comes tandem cepit et ipsam Constantinopolim, factusque est imperator Græcorum

XIX. Longum esset alia recensere exempla tum Græcæ ac Latinæ pietatis, antiquique usus sacrarum imaginum a nascente ipsa Religione. Sed videamus, quæso, quid de eo usu pervetustæ Ecclesiæ Synodi edixerint. Egregium pro sacrarum imaginum antiquo in Ecclesia usu ac cultu habemus quidem in Concilio Illiberitano canonem XXXVII, ex quo constat quosdam Hispaniarum Episcopos non duntaxat privatim eas venerari, sed et ornandis ecclesiis imponere cœpisse. Verba canonis hæc sunt : « Placuit,

Digitized by Google

» picturas in ecclesia esse non debere, ne quod » colitur aut adoratur, in parietibus depin- » gatur. »

XX. Cardinalis Baronius tomo I *Annalium Ecclesiasticorum*, ad annum Christi 57, agens de sanctarum imaginum picturis, multis argumentis conatur ostendere canonem ipsum suppositiium esse, nec a Concilio Illiberitano latum, sed potius a quodam discipulo Claudii episcopi Hispani hæretici iconoclastæ, qui fuit fautor Felicis Urgelitani etiam hæretici Nestoriani damnati in Concilio Francordiensi; moveturque ex eo Baronius, quod Ferrandus diaconus, Dionysius Exiguus, et Cresconius, diligentissimi canonum collectores, ipsius decreti seu canonis nullam fecerint mentionem : id quod etiam observat Thomas Bozius, tomo II *De signis Ecclesiæ*, lib. XV, qui sequens opinionem Baronii ejus collegæ (erant enim ambo Presbyteri Sanctæ-Mariæ in Vallicella Romæ) adjungit et alia quæ ipse Baronius scripserat. Verum nimis levia hæc esse argumenta, recte admodum docet Gonzalez in *Commentario* ad ipsum canonem ; nam Ferrandus, Cresconius, Dionysius alios plures tam Ecclesiæ Latinæ quam Græcæ canones in suis collectionibus omiserunt. Unde cum præsens canon reperiatur non solum in ipso Concilio, verum et apud Burchardum, Ivonem et alios, recte ait non posse uti suppositiium rejici. Quod animadvertens Baronius, et re melius perpensa, pro canone ipso decertavit, uti videre est ad annum 305.

XXI. Canonis hujus, referente viro clarissimo Loaysa in Notis ad hunc canonem, variæ traduntur interpretationes a viris doctis ad asserendum sanctarum imaginum cultum et venerationem. Prima docet in eo quidem canone rejici imagines pictas, non vero sculptas. Secunda, quod tempore hujus Concilii, quod celebratum ante Cypriani tempora putat Morinus, lib. IX *De Pœnitentia*, cap. XIX, adhuc gentilium in Christianorum Ecclesias persecutio ingrueret, ideoque statuisse Patres ne quod adoratur, in parietibus depingeretur; ne scilicet Sanctorum imagines in parietibus depictæ et a persecutoribus inventæ contumelia afficerentur. Tertia, ne sanctæ imagines humore parietum facile deformarentur, crustisque dejectis pulchritudinem suam amittentes contemptui potius quam venerationi essent. Vide de hoc canone plura apud Ferdinandum Mendoza, Binium, Albaspinæum, Coriolanum, Gonzalez et alios passim eruditos scriptores.

XXII. Sed cum nostri non sit instituti rem hic fuse dogmaticam persequi, sed potius antiquam Ecclesiæ disciplinam, quæ sacras imagines in ecclesiis depingi curabat, docet Lupus in laudata Dissertatione, cap. II, S. Silvestrum Papam sacras imagines in publicas basilicas introduxisse occasione illius miraculi de quo Romanum Breviarum ad diem 9 novembris ita inquit : « Hodierno die primum publice ecclesia » consecrata est, et imago Salvatoris in pariete » depicta populo Romano apparuit. » Data Ecclesiæ pace, Latinas æque et Græcas ecclesias fuisse sacris imaginibus exornatas, liquet compluribus veterum Patrum testimoniis, quæ a septima generali Synodo, et a S. Joanne Damasceno in tribus doctissimis orationibus suis recensentur. S. Simeonem Styliten in tanta Romæ opinione fuisse cultum, scribit in sua *Historia veterum Patrum* Theodoretus, ubi de Simeone ipso agit, ut publicis privatisque in locis, in porticibus, in atriis, in officinis ejus effigies poneretur, cum omnes eum veluti vitæ præsidium, ducem et conservatorem habere vellent.

XXIII. Constat ex dictis, non modo loca profana, privata ac publica, sed ecclesias etiam sacris imaginibus fuisse ornatas. Curasse præterea majores nostros ut in aulæis, quæ in ecclesiarum ornatu adhibebantur, itemque in sacris vasis ac vestibus sacræ imagines exprimerentur, docet nos ex traditione Apostolica Concilium Nicænum II anni 787, actione VII, ubi ita decernit : « His ita se habentibus, regiæ » quasi continuati semitæ, sequentesque divi- » nitus inspiratum sanctorum Patrum nostro- » rum magisterium, et Catholicam traditionem » Ecclesiæ, nam Spiritus sancti hanc esse no- » vimus, qui nimirum in ipsa inhabitat; defi- » nimus in omni certitudine ac diligentia, sicut » figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita ve- » nerabiles ac sanctas imagines proponendas, » tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ » ex alia materia congruenter in sanctis Dei » ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in pa- » rietibus, ac tabulis, domibus, ac viis, tam » videlicet Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

Digitized by Google

» Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ » sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque An- » gelorum, et omnium Sanctorum simul, et » almorum virorum. »

XXIV. Auctor libri Carolini, qui definitiones Nicæni Concilii male acceperat, hunc usum imaginum in sacris vestibus commemorat, licet ex præconcepta in sanctas icones opinione, ideo illas *vestibus* ab Orientalibus attexi et appingi crederet, ut nimirum adorarentur : « Numquid, » inquit, lib. IV, cap. IX, sericæ, sive quarum- » libet materiarum vestes, sive pallia humanis » usibus apta, aut divinis cultibus mancipata, » figuris quibusdam decorata, variisque colori- » bus fucata, eo quod imagines habent, aut ab » illis (iconoclastis) sunt concremanda, aut ab » istis (a Patribus Nicænæ Synodi II) adoranda? » Affert hunc locum vir clarissimus Dominicus Georgius, lib. II *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. VIII; cum ipsoque auctore, Carolini quidem operis testimonio utimur, quod pervium sit ad ostendendum in sacris indumentis sacrarum imaginum usum etiam apud Orientales, cæterum illius opinionem ultro aversamur.

XXV. Quod imagines quoque Sanctorum auro et argento conflatæ super altare collocari solerent, abunde nos docet in Vitis Romanorum Pontificum Anastasius Bibliothecarius. In Vita Sixti Papæ III ait quidem Valentinianum Augustum hortatu illius obtulisse imaginem auream, et Apostolos duodecim; et Salvatorem gemmis pretiosissimis ornatum, voti gratia sui super confessionem beati Petri Apostoli posuisse. Rursus de Leone IV testatur varias imagines argenteas, quæ olim super altari locabantur, ecclesiis donasse. Quamobrem recte observat memoratus Georgius, cap. XXIX *Disquisitionum de sacro Ministerio*, quas præfixit libris *De Liturgia Romani Pontificis*, quæ adhuc etiam imagunculæ, effigies et thoracei vultus Sanctorum auro et argento fusi super altari diebus festis ponuntur, a priscis Ecclesiæ moribus originem trahere.

XXVI. Sacras imagines consuevisse jam olim deferri in processionibus Ecclesiasticis, testantur passim sacri scriptores, inter quos magnus Annalium princeps Baronius ad annum 590 testatur ex antiquis Ritualibus libris delatam fuisse imaginem beatissimæ Virginis, aerisque labem et contagionem fuisse illico dissipatam. Cum enim ad molem Hadriani ventum esset, visus est ex summa arce Angelus districtum ensem vagina recondens in signum placatæ cœlestis iræ. Quam sententiam secuti sunt Jacobus de Vitriaco Sermone in majore Litania, et alii; inter quos Baptista Mantuanus poeta præclarissimus, lib. IV *Fastorum*, processionem ipsam ita describit :

Hac major quoque luce meat Litanea per urbes,
Ac per rura procul clamore per aera misso,
Et populus supplex, longis per compita pompis,
Mane recens viridi dum ros in gramine lucet.
Protulit hunc olim morem, dum pestifer annus
Mauritio Romam premeret sub Cæsare, major
Gregorius, quando passis apparuit alis
Angelus Augustæ super alta cacumina molis.

Carolus tamen Sigonius lib. I *De regno Italiæ* scribit id quidem contigisse die Paschæ anno sequenti, ac tum circa imaginem auditum esse Angelorum chorum Deiparæ accinentem Antiphonam illam celebrem : « Regina cœli, lætare, » Alleluia; quia quem meruisti portare, alle- » luia; resurrexit sicut dixit, alleluia. » Cui Gregorius divino spiritu subjunxit extremum versiculum : « Ora pro nobis Deum, alleluia. »

XXVII. Sat de usu antiquo imaginum in Ecclesia recepto diximus, de quibus insignia exstant complurium Patrum testimonia apud memoratum Cotonum, lib. I *Ecclesiæ triumphantis*, capite XXII, et apud virum clarissimum Dionysium Petavium, tomo VI *Theologicorum Dogmatum*, libro XV *De Incarnatione*, et alios complures Ecclesiæ scriptores : nunc operæ pretium erit abusus quosdam perstringere, qui in sanctas et salutares observationes irrepserunt, quosque prorsus aboleri Tridentini Patres cupere se vehementer dixerunt, sessione XXV, in decreto de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus; « ita ut nullæ » falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi » erroris occasionem præbentes statuantur. » Quibus verbis certum est prohiberi eas imagines, quæ rudibus præbent occasionem errandi contra definitionem Ecclesiæ in aliquo dogmate fidei aut morum. Hujusmodi erat pictura quæ alicubi cernebatur, nempe in historia Annuntiationis Deiparæ et Incarnationis Dominicæ, corpusculum quoddam humanum inter radios quos diffundebat Spiritus sanctus, descendens ad uterum beatissimæ Virginis.

XXVIII. Hanc picturam præbere non solum

Digitized by Google

occasionem periculosi erroris, sed et hæretici, ex eo liquet, quia Valentinus quidem jam olim ab Ecclesia uti hæreticus damnatus fuit, quod doceret Christum corpus de cœlo attulisse, et per Mariam tantum tanquam per fistulam transiisse. Unde S. Antoninus tertia parte, tit. VIII, cap. IV, § II : « Reprehensibiles, inquit, sunt » etiam pictores, cum pingunt ea quæ sunt » contra fidem; cum faciunt Trinitatis imagi- » nem unam personam cum tribus capitibus, » quod monstrum est in rerum natura; vel in » annuntiatione Virginis parvulum puerum » formatum, scilicet Jesum, mitti in uterum » Virginis, quasi non esset de substantia Virgi- » nis corpus ejus assumptum; vel parvulum » Jesum cum tabula litterarum, cum non didi- » cerit ab homine. » Picturis hujusmodi addi et aliæ possunt quas hodieque cernimus fieri contra Evangelii narrationem; beatam nimirum Virginem semivivam humi jacentem juxta crucem dilectissimi Filii sui Domini nostri Jesu Christi; cum alias in Evangelio Joannis cap. XVIII, legamus : « Stabant juxta crucem Jesu Mater » ejus, etc. »

XXIX. Illud autem hic admonendi sumus, in corrigendis hujusmodi imaginum abusibus, nihil esse privata auctoritate attentandum, sed zelum cum discretione esse adhibendum. Quamobrem si quis Parochus prædictas aut similes falsi erroris imagines abolere vellet, exemplo Ezechiæ regis, qui, uti habetur lib. IV *Regum*, cap XVIII, serpentem æneum, quem Moyses fecerat, confregit; is zelum quidem haberet, sed non secundum scientiam, ut verbis utar Apostoli in Epistola ad Romanos, cap. X. Hæc enim, quemadmodum scite docet eruditus Joannes Molanus, *De historia sacrarum imaginum*, lib. II, cap. XXIV, privata auctoritate, et illegitime et periculose fierent. Solius enim Apostolicæ Sedis est ambigua definire, et minus aperta declarare, et toti Ecclesiæ præscribere, sic ut nullus hæreticus aut de hæresi suspectus pronuntiari debeat, nisi ob dogma prius clare definitum non ab Inquisitoribus, aut doctis scriptoribus, aut celebribus Universitatibus, nisi forsitan Sedi Apostolicæ cooperantibus, sed ab ipsa Sede Apostolica. Non ergo decet privatum hominem alienos limites invadere, et aliquid circa prædictas imagines attentare, præsertim cum Concilium Tridentinum in laudata sessione de ea re ita edixerit : « Quod si aliquis dubius aut » difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino » aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat : » Episcopus, antequam controversiam dirimat, » Metropolitani et comprovincialium Episcopo- » rum in concilio provinciali sententiam exspe- » ctet; ita tamen ut nihil inconsulto sanctissimo » Romano Pontifice novum aut in Ecclesia ha- » ctenus inusitatum decernatur. »

XXX. Rectissime etiam admonet clarissimus scriptor Molanus, recitato loco, diligenter animadvertendam esse admonitionem S. Gregorii Papæ, qui lib. IX, epistola IX, ad Sirenum Episcopum Massiliensem, indiscretum ejus zelum in confringendis quibusdam sacris imaginibus, justo dolore accensus, ita redarguit : « Perla- » tum siquidem ad nos fuerat, quod inconsi- » derato zelo succensus, Sanctorum imagines » sub hac quasi excusatione, ne adorari de- » buissent, confregeris. Et quidem, quia eas » adorari vetuisses omnino laudavimus, fre- » gisse vero reprehendimus. Dic, frater, a quo » factum Sacerdote aliquando auditum est » quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non » debuit revocare, ne, despectis aliis fratribus, » solum te sanctum et esse crederes sapien- » tem? Aliud est enim picturam adorare, aliud, » per picturæ historiam, quid sit adorandum » addiscere. Nam quod legentibus scriptura, » hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia » in ipsa etiam ignorantes vident quod sequi » debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt. » Unde, et præcipue gentibus, pro lectione » pictura est. Quod magnopere a te, qui inter » gentes habitas, attendi debuerat, ne, dum » recto zelo incaute succenderis, ferocibus ani- » mis scandalum generares. Frangi vero non » debuit quod non ad adorandum in ecclesiis, » sed ad instruendas solummodo mentes fuit » nescientium collocatum. Et quia in locis » venerabilibus Sanctorum depingi historias » non sine ratione vetustas admisit, si zelum » discretione condiisses, sine dubio, et ea quæ » intendebas salubriter obtinere, et collectum » gregem non dispergere, sed potius disper- » sum poteras congregare, ut pastoris in te » meritum nomen excelleret, non culpa dis- » persoris incumberet. Hinc autem, dum in » hoc animi tui incaute nimis motus exseque- » ris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, ut

Digitized by Google

» maxima eorum pars a tua se communione » suspenderit. »

XXXI. Multa in hac Epistola observant Theologiæ dogmaticæ scriptores; verum ego illud animadvertam, male quosdam ex perperam intellecta hac S. Gregorii Epistola, et aliis ejusdem S. Patris litteris, docere imagines esse utiles, ac fructuose poni in ecclesiis, verum ad solam idiotarum hominum instructionem, adeoque nullam venerationem, ne quidem salutatoriam debere illis impendi. At certum est istiusmodi ingenii homines minime intelligere S. Gregorium, qui in laudata Epistola ad Serenum diserte damnat solam incompetentem imaginum adorationem, qua Christianus populus Massiliensis signis tanquam rebus serviliter inserviebat : etenim idem Gregorius, lib. VII, epistola V, ad Januarium Calaratinum in Sardinia episcopum, acriter reprehendit Petrum quemdam, ex Judæo novellum fidelem, qui sequenti die baptismatis sui, hoc est Dominico in ipsa festivitate Paschali, imaginem Dei Genitricis et venerandam crucem posuerat, quasi Christianitatis titulum, in Judæorum synagoga violenter invasa, easdemque mandat « cum ea qua dignum est veneratione efferri, » et omnia in pristinum statum reformari. Ubi nota, palam hic docere S. Gregorium imagines istas esse venerandas veneratione salutatoria. Vide Lupum in *Scholio ad decretum de Fide a septima Synodo editum*, ubi fuse explicat S. Gregorii et aliorum Patrum de ea re mentem.

XXXII. Est et illud quoque animadvertendum, munus esse pastoris populum suum de sacris imaginibus instruere, ne ex ipsarum inspectione in periculosum errorem rudiores incidant. Docent id quidem in laudato decreto Patres Concilii Tridentini, sic aientes : « Quod » si aliquando historias et narrationes sacræ » Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, » exprimi et figurari contigerit, doceatur po- » pulus, non propterea Divinitatem figurari, » quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus » aut figuris exprimi possit. » Quibus verbis sat indicat Synodus, magna cautione imagines Divinitatem sive sanctissimam Trinitatem sub corporali specie exprimentes esse populo proponendas. Sane Dei Patris, seu ipsius Divinitatis corpoream imaginem multis sæculis fuisse ab Ecclesia ignoratam, ostendit Lupus in celebri sua laudata Dissertatione, cap. II. Quando hujusmodi pictura incœperit, difficile est dedefinire; ipsam non licet amplius improbare, cum damnata sit eorum thesis ab Alexandro VIII qui asserebant : « Dei Patris sedentis » simulacrum nefas est Christiano in templo » collocare. » Quod temere quidem dictum est; non enim hujusmodi pictura intendit Ecclesia significare Deum esse corporeum, hoc enim summa fatuitas et stoliditas summa esset vel animo cogitare. Deum Patrem idcirco depingimus in figura senis, vel quia ita apud Danielem visus est, vel ad ostendendam ejus æternitatem et auctoritatem.

XXXIII. Jam non desunt hæretici qui imaginem Dei Patris in Ecclesia Catholica pio usu receptam, cappa Sacerdotali, et regali corona triplici insignitam sugillant. Sic quidem Petrus Molinæus, Calvinista, scurra impius in *Novitate Papatus*, lib. II, controversia II, cap. I, sectione postrema : « Verum forma habitus » qua Deus Pater repræsentatur apparatu Pa- » pali, amictus cappa, seu Pontificali pallio, » cum triplici corona, patenti nobis docu- » mento est quem in finem hujusmodi abusus » introductus fuerit. Enimvero non eo fine » invectus est ut Deus quo cultu decet hono- » retur, sed ut Papa divino honore potiatur. » Sic enim, dum populus rudis Deum intuetur » infulatum et palliatum, existimat in Papa » nonnihil divinum esse : quosdam etiam fu- » turos ita vecordes non dubito, qui Deum » majori in pretio habeant, eo quod Papali » habitu indutus effulgeat. »

XXXIV. At vocem dederunt nubes; quid enim sunt verba ista, quam meræ nugæ et inanes præstigiæ, quas egregie refellit vir clarissimus Andreas Saussay, parte I *Panopliæ Sacerdotalis*, lib. VII, cap. VII? Ait itaque primo, Molinæum falso supponere nos Deum Patrem in forma quam essentialem arbitremur exprimere. Siquidem personam Patris nunquam incarnatam, proinde et prorsus incorpoream, Deumque ipsum unum in essentia, trinum in personis, esse prorsus incircumscriptum et invisibilem, constanter profitemur. Tridentini œcumenici Concilii, sessione XXI, tam perspicua quam solida doctrina est, populum Christianum sedulo esse admonendum a suis

Digitized by Google

Pastoribus « Divinitatem figurari non posse, » quasi corporeis oculis conspici vel coloribus » aut figuris exprimi queat; sed duntaxat hi- » storias et narrationes sacræ Scripturæ re- » præsentari, in quibus Deus ipse sub sensi- » bilibus figuris apparere voluit. » Apparuisse autem Filium in carne, quam pro salute nostra induit; Spiritum sanctum in columbæ specie super eum descendisse, et super Apostolos in linguis igneis fuisse delapsum; Patrem vero in forma *Antiqui dierum*, *cujus capilli erant velut lana munda*, conspectum a Daniele Propheta, in divinis Libris legimus, et fide certa credimus. Quis autem sana mente dixerit nefas esse res gestas in Scriptura, vel eloquio referre, vel calamo aut penicillo exprimere? Recte Thomas Waldensis, in volumine III *De Sacramentalibus*, tit. XIX, ait : « Quod Scriptura facit verbis. cur artifex non » faciet signis? An magis peccatum circa hanc » rem incurrit penicillus, quam penna; ima- » go, quam littera? »

XXXV. Docet deinde laudatus auctor, corona triplici triplex regnum, cœleste, terrestre et inferum designari, quod soli Deo competit : unde dilectus Discipulus Joannes in Apocalypsi, cap. XIX, triumphum ejus describens, asserit se eum multiplici corona redimitum conspexisse : *Et in capite ejus,* inquit, *diademata multa.* Scilicet, ut ait Apostolus in Epistola ad Philippenses, cap. II, *cœlestium*, *terrestrium*, *et infernorum*. Porro alba, seu poderis, vestis est sacerdotalis, qua indutum Dei Unigenitum Joannes ipse, cap. I Apocalypsis, se vidisse testatur. Quid igitur absurdi est, si in ornatu regali et sacerdotali repræsentatur Deus, qui in sacris Litteris ejusmodi titulis et insignibus sese præbuit aspectabilem, et venerabilem vestimento candido nive nitidiore, ut apud Danielem Prophetam legitur cap. VII.

XXXVI. Recte insuper ait Saussaius, palam Molinæum insanire, qui a nobis sic repræsentari Deum Patrem somniat, ad persuadendum populo in Papa quid divinum inesse, vel Deum ex habitu Papæ aliquem honorem proprio ampliorem mutuari. Antequam enim Papa tres coronas circa suam Pontificiam tiaram gestaret (qui mos post Innocentium III inolevit, cum anteriores Pontifices unica tantum corona gesserint cinctam tiaram), Deus Pater regali in throno sedens triplici diademate coronatus depingi consueverat; quemadmodum ex antiquis imaginibus apparet, quarum insigne specimen exstat in manuscripto codice Gallicani Ritus perveteri, ut pote ante annos sexcentos exarato; cujus monimentum piæ antiquitatis, et veritatis catholicæ subsidium, genuina, ut ait, expressione subjicit in laudato loco *Panopliæ Sacerdotalis* memoratus auctor Saussay.

XXXVII. At vero, ut in cæteris suis partibus quæ imagines spectant, Tridentinum decretum dilucidemus, monet inter alia ut *omnis superstitio in imaginum sacro usu tollatur.* Quod memoria Sanctorum quibusdam locis in solemniori habeatur honore quam alibi, non debuit ab hæreticis nostri temporis in argumentum idololatriæ et superstitionis trahi, sed potius divinæ beneficentiæ, quæ, sicut experientia abunde testatur, magis uno loco mirabilem se ostendit in Sanctis quam alio. Cujus si rationem quæras, Augustini verbis utar, qui in Epistola CXXXVII ita scribit : « Ubique » quidem Deus est, et nullo continetur vel in- » cluditur loco, qui condidit omnia : et cum a » veris adoratoribus in spiritu et veritate opor- » tet adorari, ut in occulto exaudiens, in oc- » culto etiam justificet et coronet; verumtamen » ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, » quare in aliis locis hæc miracula fiant, in » aliis non fiant. » Et postea : « Non in om- » nibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit » ille, qui dividit propria unicuique prout » vult. » Refert istud Augustinus, ut scite docet Molanus, lib. II, cap. XXXVI, ad inscrutabile Dei judicium, qui, sicut non in omnibus Sanctis dedit eamdem gratiam, ita non in omnibus locis per eumdem Sanctum pariformiter operari decrevit. Porro superstitio quam in imaginum sacro usu tollendam Tridentini Patres jubent, est cum iis quis indebitum cultum præstat, vel eas colens certo credat se ex hac vita non migraturum sine pœnitentia et sacramentis. De quo abusu vide Concilium Moguntinum a Sebastiano archiepiscopo. sub Pontificatu Pauli III habitum, cap. IV.

XXXVIII. Mandat præterea Synodus, ut in ipso imaginum sacro usu ac veneratione *omnis turpis quæstus eliminetur.* Fuerunt jam olim, suntque etiam hodie nonnulli Clerici ac Mona-

Digitized by Google

chi, qui exsecranda prorsus audacia ob avaritiam et quæstum falsa de suis sacris imaginibus miracula effingunt ac prædicant, ut simpliciores homines easdem venerentur ac ditent. Vidi non semel zelantissimos Præsules coactos fuisse eas alio asportari facere, ut ita quorumdam sacrorum hominum impietatem et avaritiam cohiberent. Huc spectat constitutum Concilii Rothomagensis anni 1545, ubi Patres, can. VII, modos illos damnant qui videntur introduci *gratia quæstus*, denominandi imagines, ut pote *Notre-Dame de Recouvrance*, *Notre-Dame de Pitié*, *de Consolation*, *de Grâce*. Nam talia cognomenta esse inquiunt occasionem superstitionis in multis, quasi sit plus in una imagine quam in altera. Fateor me non improbare Ecclesiarum usum, in quibus quædam imagines beatæ Virginis iis nominibus appellantur; sed nolim ut imperitus populus credat speciale nomen alicui imagini inditum esse ad significandum effectum quem inditum nomen præfert. Quod hi modi appellandi imagines specialibus quibusdam nominibus introduci videantur ut plurimum quæstus causa, ex multis Synodis colligi potest. Hinc non dubium est quin extirpandis superstitionibus abusibusque circa sacrarum imaginum venerationem medium efficacissimum et pene necessarium sit, omnem ex earum veneratione provenientem quæstum eliminare, qui directe vel indirecte in emolumentum atque utilitatem Sacerdotum cedit.

XXXIX. Ut omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur, in ipso etiam Tridentini Concilii decreto cautum legimus. Visæ quandoque sunt in sacris locis Sanctorum imagines viventium adhuc hominum ora vultusque referre; quod quidem eliminari prohiberique debet, velut pestiferum illecebrosæ cognitionis irritamentum; ad hunc enim modum sacris abuti imaginibus nefarium est; eamque ob causam Gentes jam olim irrisit S. Clemens in sua *Adhortatoria ad Græcos seu ad Gentes oratione*, pag. XXII, his verbis : « Praxiteles, ut » declarat Posidippus in libro de Cnidio, Ve» neris Cnidiæ construens imaginem, fecit eam » formæ similem Cratinæ, quam amabat, ut » adorarent miseri amicam Praxitelis. Cum » floreret autem Phryne meretrix Thespiaca, » pictores omnes imitabantur Veneris imagines » ad Phrynes pulchritudinem. Sicut rursus la» picidæ quoque Mercurios effingebant Athenis » ad Alcibiadem. Restat nunc tuum adhibere » judicium, si velis etiam adorare meretrices. »

XL. Porro, si in picturis omnis lascivia vitari debet, quanto magis quicquid ad libidinem provocat? ut merito hic exclamet Ambrosius Catharinus de cultu imaginum disserens : « Quod vero omnium est teterrimum hac tem» pestate, in excelsis templis, sacellisque of» fendas picturas tantæ lasciviæ, ut quidquid » natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat » contemplari, ad excitandam non devotionem, » sed cujusvis demortuæ carnis libidinem. » Picturæ aspectum dare insensato concupiscentiam, testatur quidem Sapiens cap. XV, versiculo V; obscœnasque imagines esse pessimum libidinis incentivum, docet flagitiosus ille in Terentii Eunucho adolescens, qui pictum Jovis adulterium spectans lapsus dicitur, et quasi cœlesti magisterio seductus in stuprum. Hinc istiusmodi picturas etiam in Gentilium, adeoque longe magis in Fidelium ædibus, præsertim vero in ecclesiis damnat S. Augustinus lib. II *De civitate Dei*, cap. VII. Cui addi potest canon C Concilii Trullani, sic dicens : « Oculi » tui recta aspiciant, et omni custodia serva cor » tuum : jubet Sapientia. Corporis enim sensus » sua facile in animam effundunt. Picturas » ergo quæ oculos perstringunt, sive in tabulis, » sive quovis alio modo fiant, et mentem cor» rumpunt, et ad turpium voluptatum movent » incendia, nullo modo deinceps exprimi ju» bemus. »

XLI. Religiose servari hunc canonem apud Græcos, testantur qui ipsarum imagines in Orientalibus ecclesiis aspexerunt. Quibus adde Gulielmi Durandi testimonium, qui suo vel tempore de ipsis ita scribit in suo *Rationali divinorum Officiorum*, lib. I cap. III : « Græci utun» tur imaginibus, pingentes illas ut dicitur, » solum ab umblico supra, et non inferius, ut » omnis stultæ cogitationis occasio tollatur. » Quod, apud Latinos, Tridentinum decretum pictores æque et Ecclesiarum Præsules atque Rectores passim et frequenter neglexerint, plane constat ex multis et variis Synodis, quæ post ipsum celebratæ fuere. An et hodie non videmus pingi alicubi S. Mariam Magdalenam

Digitized by Google

seminudam, eleganterque ornatam, et, quod ridiculum videtur, meretricio habitu vestitam, ac gemmis coruscantem, pœnitentiam agentem, aut crucem provolutis genibus amplectentem? Quis autem non videt, utiliorem esse tabulam quæ Magdalenam nobis refert ad Domini Jesu pedes modeste vestitam ac effuse lacrymantem, quam eam quæ illam exhibet qualis erat dum septem dæmoniorum esset deditissima famula! Optabant id quidem viri pii et eruditi, additque in Homiliis suis Petrus Bacharius : « Malim Su- » sannam pingi ac delineari ingemescentem ac » lacrymis infusam ad cœlum attollentem ocu- » los, quam seminudam ad lavacri aquas se » stigmate perungentem. »

XLII. Jam dixi, iterumque dicendum est, obscœnas imagines provocare etiam homines pios ad ea perpetranda quæ hic pudet recensere. Profecto rem formidabilem Carthagine factam refert apud S. Prosperum Auctor librorum *De divinis promissionibus*, lib. III, cap. VI : « Quædam » juvencula Arabs natione, ancillæ Dei habitum » gestans, cum, in balneo lavans, simulacrum » quoddam Veneris impudice respiceret, et » seipsam, eique se consimilans, domicilium se » diabolo præbuit : » ab ipso scilicet dæmone invasa fuit et possessa. Utinam innumeras pene hominum animas vel hoc medio obscœnarum imaginum quotidie diabolus non invaderet! Utinam ex nuditate ipsarum nulla in adolescentibus destructio, nullum in pusillis scandalum oriretur. Viderint ergo pictores, qui istiusmodi imagines exprimunt : viderint Ecclesiarum Rectores, qui ipsas in ecclesiis et altaribus collocari sinunt, ne suo malo discant quid sit quod Dominus in Evangelio Matthæi, cap. XVIII, ait : « Qui » scandalizaverit unum de pusillis istis qui in » me credunt, expedit ei ut suspendatur mola » asinaria in collo ejus et demergatur in pro- » fundum maris. Væ homini illi, per quem » scandalum venit! »

XLIII. Mandant præterea Tridentini Patres, aliæque passim Synodi postea habitæ, tantam circa imagines diligentiam et curam ab Episcopo esse adhibendam, « ut nihil inordinatum » aut præpostere et tumultuarie accommodatum, » nihil profanum nihilque inhonestum appareat, » tum domum Dei deceat sanctitudo. » Temerarios quorumdam ausus qui profana quædam sacris imaginibus miscere non erubescunt damnavit olim VII Synodus, actione IV, citans S. Nili ad Olympiodorum proconsulem Epistolam, in qua ita inquit : « Scribis mihi num decorum » putem, cum in animo habeas fani ædificatio- » nem in honorem sanctorum Martyrum, ejus- » que qui per eorum testata certamina, labores, » et sudores prædicatus est Christus, ut imagi- » nes in sacro loco omnigenarum animantium » per parietes undique fieri cures : has quidem » a dextra parte, illas vero a sinistris; quo spe- » ctatores per terram casses, apud eosque lepo- » pores et capreas circumcursantes, venatores » fugientia animalia velociter cum canibus in- » sequentes videant; in mari vero emissa retia, » omneque genus piscium captum, in terramque » piscatorum manibus eductum; præterea ex » gypso omne id quod oculos pascere potest » effectum, idque in domo Dei contemplentur. » Nequaquam, sed in vulgari domo mille cruces » figi, quam historias avium, jumentorum et » serpentium germinumque malim. Ego vero » ad scripta sic respondeo, puerile plane esse et » stultum ejuscemodi rebus oculos fidelium » fascinare velle, etc. »

XLIV. Neque vero solum in ecclesiis, sed nec in monasteriis profanas hasce imagines depingi debere, fuse ac eleganter ostendit S. Bernardus in celebri sua *Apologia ad Guillelmum Sancti-Theodorici Abbatem*, cap. XII, ubi, postquam præcedenti capite luxum et splendidum Prælatorum apparatum perstrinxit, abusum ac luxum in templis et oratoriis exstruendis, ornandis, pingendisque ita arguit : « Sed hæc parva sunt. » Veniam ad majora, sed ideo visa minora quia » usitatiora. Omitto oratoriorum immensas al- » titudines, immoderatas longitudines, super- » vacuas latitudines, sumptuosas depolitiones, » curiosas depictiones : quæ dum orantium in » se retorquent aspectum, impediunt et affe- » ctum, et mihi quodammodo repræsentant » antiquum ritum Judæorum. Sed esto, fiant » hæc ad honorem Dei. Illud autem interrogo » Monachus Monachos, quod in Gentilibus gen- » tilis arguebat : *Dicite*, ait ille, *Pontifices,* » *in sancto quid facit aurum?* Ego autem dico : » Dicite, pauperes (non enim attendo versum, » sed sensum), dicite, inquam, pauperes, si ta- » men pauperes, in sancto quid facit aurum? » Et quidem alia causa est Episcoporum, alia » Monachorum. Scimus namque quod illi sa-

Digitized by Google

» pientibus et insipientibus debitores cum sint, » carnalis populi devotionem, quia spiritualibus » non possunt, corporalibus excitant ornamentis. » Nos vero qui jam de populo eximus, qui » mundi quæque pretiosa ac speciosa pro Chri- » sto reliquimus, qui omnia pulchre lucentia, » canore mulcentia, suave olentia, dulce sapien- » tia, tactu placentia, cuncta denique oblecta- » menta corporea arbitrati sumus ut stercora, » ut Christum lucrifaciamus, quorum, quæso, in » his devotionem excitare intendimus ? Quem, » inquam, ex his fructum requirimus ? Stulto- » rum admirationem, an simplicium oblatio- » nem ? An quoniam commixti sumus inter » Gentes, forte didicimus opera eorum, et ser- » vimus adhuc sculptilibus eorum ? »

XLV. Pergit sanctus Abbas, et postquam perstrinxit captiosum sacrarum reliquiarum ornatum, hæc statim subjicit : « Ostenditur pul- » cherrima forma Sancti vel Sanctæ alicujus, » et eo creditur sanctior quo coloratior. Currunt » homines ad osculandum, invitantur ad do- » nandum ; et magis mirantur pulchra quam » venerantur sacra. Ponuntur dehinc in ecclesia » gemmatæ non coronæ sed rotæ, circumseptæ » lampadibus, sed non minus fulgentes insertis » lapidibus. Cernimus et pro candelabris arbo- » res quasdam erectas multo æris pondere, » miro artificis opere fabricatas, nec magis co- » ruscantes superpositis lucernis quam suis » gemmis. Quid, putas, in his omnibus quæritur? » pœnitentium compunctio, an intuentium ad- » miratio ? O vanitas vanitatum ! sed non vanior » quam insanior. Fulget ecclesia in parietibus, » et in pauperibus eget. Suos lapides induit » auro, et suos filios nudos deserit. De sumptibus » egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt » curiosi quo delectentur, et non inveniunt » miseri quo sustententur. Ut quid saltem San- » ctorum imagines non reveremur, quibus uti- » que ipsum, quod pedibus conculcatur, scatet » pavimentum ? Sæpe spuitur in ore Angeli, sæ- » pius alicujus Sanctorum facies calcibus tunditur » transeuntium. Et si non sacris his imaginibus, » cur vel non parcitur pulchris coloribus ? cur » decoras quod mox fœdandum est ? cur depin- » gis quod necesse est conculcari ? Quid ibi » valent venustæ formæ, ubi pulvere maculan- » tur assiduo ? Denique quid hæc ad pauperes, » ad monachos, ad spirituales viros ? Nisi forte » et hic adversus memoratum jam Poetæ ver- » siculum propheticus ille respondeatur : *Do- » mine, dilexi decorem domus tuæ, et locum » habitationis gloriæ tuæ*. Assentio : patiamur » et hæc fieri in Ecclesia, quia etsi noxia sunt » vanis et avaris, non tamen simplicibus et » devotis. »

XLVI. Concludit tandem hoc caput Bernardus, deridetque picturas quasdam in monasteriorum claustris fieri solitas, stylumque suum ita exacuit : « Cæterum in claustris, coram lu- » gentibus Fratribus, quid facit illa ridicula » monstruositas, mira quædam deformis for- » mositas, ac formosa deformitas ? Quid ibi » immundæ simiæ ? quid feri leones ? quid » monstruosi centauri ? quid semihomines ? » quid monstruosæ tigrides ? quid milites pu- » gnantes ? quid venatores tubicinantes ? Videas » sub uno capite multa corpora, et rursus in » uno corpore capita multa. Cernitur hinc in » quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce » caput quadrupedis. Ibi bestia præfert equum, » capram trahens retro dimidiam ; hic cornutum » animal equum gestat posterius. Tam multa » denique tamque mira diversarum formarum » ubique varietas apparet, ut magis legere li- » beat in marmoribus quam in codicibus, to- » tumque diem occupare singula ista mirando » quam in lege Dei meditando. Proh Deum ! Si » non pudet ineptiarum, cur vel non piget » expensarum ? »

XLVII. Hactenus S. Bernardus, cujus prolixam orationem describere libuit, ut videas quanta sit illorum calliditas, qui, ad trahendam sibi simplicium ac devotorum hominum pecuniam, pulcherrimas Sanctorum formas ostendunt, et quidem coloratiores, ut sanctiores credantur. Sat de hoc abusu nos diximus, quem non modo Patres Ecclesiæ sed etiam variæ Synodi improbarunt atque damnarunt, inter quas sancta Synodus Tridentina statuit, « nemini licere ullo in » loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta, » ullam insolitam ponere vel ponendam curare » imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit. » Id quod in *Epitome Constitutionum Caroli Magni videre est*, tit. *De Pace*, cap. XVII.

XLVIII. Observo hanc disciplinam passim neglectam, quemadmodum usum laudabilem ac pervetustum benedicendi novas imagines antequam in altaribus collocentur. Eaque omis-

Digitized by Google

sio esse videtur causa cur sæpe in sacratissima templa eorumque altaria quædam imagines introducantur vel parum honestæ, vel quæ non solidæ innituntur historiæ; quamvis non inficias iverim, posse aliquid verisimile pictura exprimi quod in historica narratione deest. Hinc, tametsi in historia Dominicæ Incarnationis Evangelia non exprimant quid egerit beatissima Virgo, steterit ne an sederit, an vero flexis genibus piæ meditationi vel sacrorum librorum lectioni fuerit intenta, cum ingressus ad ejus cubiculum Angelus dixit : *Ave gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus :* quia vero maximam habet probabilitatem quod tunc temporis genibus flexis in Redemptionis nostræ meditatione se occuparit, ex communi fere sacrorum Scriptorum consensu, recte ita depingi solet Possent afferri alia id genus exempla, quæ videri possunt apud eruditum Molanum, lib. II *De historia sacrarum Imaginum,* cap. XIX.

XLIX. Insuper, quod nostram rem spectat nostrique tituli inscriptionem, cautum est ex Concilio provinciali IV Mediolanensi, cui præfuit S. Carolus, ut « cruces et Sanctorum » imagines solemniter statisque precibus ex » Ecclesiæ ritu benedicantur. » Ubi nota, ejusmodi benedictionem ritum Ecclesiæ appellari. Unde idem S. Antistes, parte IV *Actorum,* ubi agit de instructionibus fabricæ ecclesiasticæ, cap. XVII, de sacris imaginibus picturisve, non modo mandat habendam esse rationem loci in quo sacræ imagines poni debent, « sed et antiqui » ritus ecclesiastici; ut, cum scilicet expressæ » sunt Sanctorum imagines, solemni benedi- » ctione, statisque precibus Pontificali Sacerdo- » talive libro præscriptis, consecrentur. » Patres Concilii Bituricensis, anni 1584, tit. XI expresse jubent, ut « benedicant Episcopi novas imagines » priusquam in ecclesiis recipiantur, et nemo » imaginem ponere audeat nisi ab Episcopo » probatam. » Quibus adde Concilium provinciale Beneventanum XIV, a Vincentio cardinale Ursino, Beneventanæ Ecclesiæ metropolita, anno 1693 celebratum, tit. XXXVIII, cap. III, in quo præscriptum est ut « imagines altaribus et » capellis non apponantur, nisi prius ab Epi- » scopo vel de ejus facultate stato ritu benedi- » cantur. » Quibus verbis sat docet de licentia Episcopi posse alios inferiores Sacerdotes imagines benedicere. Id quod passim docent theologi et canonici juris consulti. Inter quos vide Paulum Mariam Quarti in lib. *De Benedictionibus*, et Jacobum Pignatellum, tom. IX *Consultationum canonicarum*, consultatione LXXXVI.

L. Ex hactenus enarratis duo præsertim addiscimus. Primum quidem, non posse publice in ecclesia exponi aliquam Christi vel Sanctorum imaginem sive pictam sive scupltam, quæ prius examinata et approbata ab Episcopo non fuerit; improbari autem imaginem insolitam, illam scilicet quæ veritati Scripturarum, traditionum aut Ecclesiasticarum historiarum adversetur. Hinc cum Fratres Servitæ depinxissent imaginem beatæ Virginis cum stola sive amiculo nigri coloris, jussum fuit a sacra Rituum Congregatione ut depingeretur cum stola cærulea, teste Pignatello in laudata Consultatione.

LI. Alterum quod ex dictis addiscimus, illud est, decere quammaxime ac pene esse necessarium ut sacræ imagines saltem in altaribus collocandæ benedicantur; id enim docent non quidem privati auctores sed multæ sacræ Synodi, ac, uti inquit S. Carolus in suis aureis Conciliis, et Actis Ecclesiæ Mediolanensis, *antiquus ritus ecclesiasticus*, cujus testis est Adrianus I Pontifex Maximus in *Responsis ad dubia Francorum,* lib. I, cap. XXXIX, ejusque locum una cum aliis ea de re antiquissimis Ecclesiæ monumentis superius descripsimus. Porro quod Gentes solitæ fuerint consecrare statuas suas, et oleo inungere, testatur Arnobius, lib. I. *Adversus Gentes*, his verbis : « Si quando conspexeram lubrica- » tum lapidem, et ex olivi unguine ordinatum, » tanquam inesset vis præsens, adulabar, affa- » bar, et beneficia poscebam. » Etiam apud Danielem Prophetam legimus, cap. III, quod « Nabuchodonosor rex misit ad congregandos » satrapas, magistratus et judices, duces, et » tyrannos, et præfectos, omnesque principes » regionum, ut convenirent ad dedicationem » statuæ quam erexerat. » Et ut alia innumera id genus exempla omittamus, Moyses ipse, ut in divinis Scripturis legitur, Domino jubente, cum exstruxisset tabernaculum, sacravit illud cum mensa, altari, æreis vasis et omnibus utensilibus, non solum divinis precibus, verum etiam olei unctione linivit. Et de Salomone refert Scriptura, lib. III *Regum*, cap. VI, cum perfecisset templum, illud cum altari et reliquis

Digitized by Google

ad divinum cultibus pertinentibus consecrasse. Si ergo id faciebant Gentiles, et in veteri Testamento, Domino jubente, Hebræi, qui umbris legis deserviebant, quanto magis nos, quibus veritas patefacta est, hoc facere debemus ?

LII. Scio Doctores docere communiter, non omnia quæ præscribuntur in Rubricis vel Rituali bus libris necessario obligare, cum non semel nil aliud contineant quam solam directionem. Scio etiam in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali expresse haberi, quod *Sanctorum imagines benedici necesse non sit*. Verum, cum hoc et in Conciliis passim provincialibus duobus abhinc fere sæculis celebratis reperiatur præscriptum, et antiquitus etiam religiose servatum, puto culpandam esse Episcoporum dedesidiam qui novas imagines in ecclesiis atque altaribus suarum diœceseon collocari sine benedictione patiuntur, tum præsertim quod benedicendi imagines facultatem aliis elargiri possunt; estque hæc praxis zelantissimorum Præsulum, quos omnes vel in hac cæremonia pie, diligenter, ac assidue servanda facile superavit Benedictus XIII, Pontifex Maximus, qui pictas sculptasque Sanctorum imagines innumeras pene consecravit, ut qui ab ejus, dum viveret, latere erant, fidem testatissimam faciunt, præsertim vero vir clarissimus Venantius Philippus Piersanctes, Apostolicarum cæremoniarum Magister, cujus consilio et directione Pontifex ipse in peragendis sacris functionibus ut plurimum utebatur. Est autem Piersanctes ecclesiasticæ antiquitatis peritissimus, in ejusque jugi studio consummatissimus.

LIII. Hæc religio benedicendi sacras imagines egregie enituit in altero inclyti Ordinis Prædicatorum decore, S. Pio V, Pontifice Maximo, de quo ita in ejus Vita, lib. VI, cap. I, scribit elegantissimus Antonius Gabutius, Presbyter congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli : « Ut omnium mentes ad Deum » rite colendum, ac suam quemque salutem » procurandam excitaret, precatorias coronas, » piaculares calculos, æreas tum cruces tum » Sanctorum imagines, ac cereas Agni cœlestis » effigies, res ad augendam piorum religionem » in primis accommodatas, plurimas variis » temporibus rite consecravit. Quæ res tanta » pietate ac veneratione excipiebantur ab omnibus, quantam ex omni memoria recordari » nemo potest. » Affirmat Gabutius in laudato lib. VI, cap. II, usum sacrorum numismatum, sive ex ære imaginum, ab ipso Pio Pontifice V primum fuisse inductum, vel certe plurimum excitatum. Qua autem id occasione factum ita memoratus auctor enarrat.

LIV. Margarita Austriaca, Parmæ Placentiæque principe, Belgium pro rege Catholico Philippo II gubernante, rebelles quidam hæretici ibi tumultuantes ei supplicem libellum iniqua et impia postulata continentem obtulerunt. Id vero illam ægre ferentem, unus ex primariis ejus consiliariis, vir pius, consolabatur, nihilque hoc esse faciendum : qui enim libellum obtulissent, fere omnes *gueux* esse : quæ vox gallica, latine mendicos nebulonesve significans, in vulgus protinus diffusa perduellibus illis *gueux* indidit cognomentum. Appellationis ignominiam illi quidem optimum dissimulare, seque non rebelles sed regi suo fideles in specie profiteri, atque eos in gratiam *gueuseos*, id est *abjectos* ac *mendicos* nuncupari, quasi gloriæ ducere. Mox æreum sive plumbeum numisma sibi fundi curavere : cujus in altera parte regis effigies erat expressa, ipsorum manibus in fidem junctis, initæ inter se conspirationis argumentum; his verbis gallice circumfusis : *Regi fideles usquequaque*. Ex altera vero parte mendicantis hominis speciem, bulgasque vel sacculos a tergo gestantis expresserant, adjectis verbis : *Regi fideles usque ad bulgas*. His ergo simulacris collo appensis, vestibus cinericii coloris induti procedebant. Illarum inde gentium Catholici homines, ut certo Religionis symbolo ab hæreticis dignoscerentur, æreas vel argenteas et ipsi imagines de collo pendentes, quarum ex altera facie Christi Salvatoris caput, in altera vero Deiparæ Virginis, puerique Jesu matris in gremio sedentis, effigies erat impressa, publice circumferebant.

LV. His de rebus Pius ab ipsa Margarita certior factus, Catholicorum pietatem commendavit, eas effigies rite benedixit et consecravit, atque illas pie gestantibus vel inspicientibus, Deumque precantibus, sacra Apostolicæ Indulgentiæ præmia concessit. Quæ religio proinde sic increbuit, ut fere omnes Catholicam fidem ubique gentium profitentes, divinis hisce vel muneribus ornari vel præsidiis communiri pie contenderint. Itaque cum ab ipso Pio, tum ab

Digitized by Google

aliis Pontificibus ejus successoribus ejusmodi imagines et cruces, multiplici seu materia seu forma conflatas, et precationum coronas, et piaculares globulos, et alia id genus pietatis monumenta, populis, principibus, regibus, et sacrorum Antistitibus efflagitantibus, tam liberali religione consecrari, tam amplisque Indulgentiæ donis cumulari videbamus, ut, ne specie boni quid irreperet mali, quod jam passim fieri solebat, Clemens VIII, Pontifex Maximus, pro summa auctoritate singularique sapientia sua, rem certis legibus coercendam ac temperandam, edito super id decreto, existimaverit.

LVI. Hactenus Antonius Gabutius, cujus locum integrum, prout ipse narrat, idcirco descripsimus, quod sanctarum ex ære imaginum originem, usum atque benedictionem contineat. Est enim res scitu digna, et a nostro instituto minime aliena, quod est de ecclesiasticarum rerum origine, ubi datur nobis occasio, pertractare.

§ I.

Pontifex stans sine mitra dicit : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines seu effigies sculpi aut pingi non reprobas, ut, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem, ad imitandum, memoriæ oculis meditemur : hanc, quæsumus, imaginem, seu *sculpturam, in honorem ac memoriam beati N. apostoli tui,* vel *martyris,* vel *confessoris, aut pontificis,* vel *virginis adaptatam, bene✠dicere ac sancti✠ficare digneris; et præsta ut quicumque coram illa ipsum gloriosissimum apostolum tuum,* vel *martyrem,* vel *confessorem,* aut *pontificem,* vel *virginem, suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu, a te gratiam in præsenti et æternam gloriam obtineat in futuro. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Ultimo aspergat eas aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Posse non solum Episcopum sacras imagines benedicere, sed eas benedicendi aliis Sacerdotibus facultatem tribuere, dictum jam superius fuit. Explicemus itaque descriptam Orationem, et primo initium ipsius, in quo dicitur a Deo Sanctorum imagines seu effigies sculpi aut pingi non reprobari. Jam hic opponent statim hodierni iconomachi, quod olim sui præcessores a Nicæna II Synodo damnati identidem in ore habebant, locum scilicet ex cap. XX Exodi desumptum, in quo Deus præcepit Moysi : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Sed cum eum locum fuse explicent Bellarminus, Petavius, et theologi fere omnes, allatisque variis argumentis ostendant minime ipsum officere Catholicorum disciplinæ ac mori sculpendi seu pingendi sacras imagines; sat erit hic venerabilis Bedæ locum recensere, qui *De templo Salomonis* disputans, cap. XIX, eos arguit qui sacras iconas retinere metuebant ob illud præceptum : *Non facies tibi sculptile;* eosque remittit ad palmas, malogranata, Cherubinos, serpentem æneum, aliasque rerum species, quæ in divinis Litteris pictæ in divino lumine collocantur.

II. Ergo idem Deus, qui Moysi et Hebræorum populo dixit : *Non facies tibi sculptile,* nec ullam hominis, Angeli, aut bestiæ similitudinem; Cherubinos, ac æneum etiam serpentem fieri per eumdem Moysen jussit. Unde impius

Digitized by Google

Marcion *inconstantiam adscripsit Omnipotenti;* accusavitque quasi *mutabilem*, utpote qui *alibi vetet, alibi mandet*. Cui tamen respondet Tertullianus in libro *De Idololatria*, cap. v : « Idem » Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, » extraordinario præcepto serpentis similitudi- » nem indixit. » Dixit paulo ante, « effigiem » ærei serpentis suspensi in modum, figuram » designasse Dominicæ Crucis a serpentibus, » id est ab Angelis diaboli, liberaturæ nos, » etc. » Latius et hoc tractat in libro *Adversus Judæos*, et in libro III *Adversus Marcionem*. Fuit Marcion natione Ponticus, patria Sinopensis, qui ob corruptam virginem de Ecclesia sua ejectus, Romæ a Summo Pontifice reconciliatus fuit. Verum non contentus Cerdoniana hæresi in quam infelicissimus ruit, novos de suo excogitavit errores anno circiter 155, quos ut facilius suaderet, varia corrosit corrupitve sibi adversantia sacræ Scripturæ loca, dictusque idcirco deinceps *mus Ponticus*.

III. Iis obiter dictis, notanda sunt alia Orationis verba, quibus docemur, admitti quidem a Deo Sanctorum imagines « ut, quoties illas » oculis corporeis intuemur, toties eorum actus » et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis » meditemur. » Est una hæc ex multis utilitatibus quæ habentur ex usu sacrarum imaginum ; *excitatio* scilicet *ad imitandum*. Explicatur prolixe hæc utilitas in VII Synodo, actione VI, de eaque egregie loquitur Basilius, *Oratione in Quadraginta Martyres*. Notum est apud Terentium in *Eunucho*, juvenem quemdam, conspecta tabella in qua pictus erat Jupiter stuprum inferens Dianæ, ad simile flagitium perpetrandum provocatum fuisse. E contrario S. Gregorius Nazianzenus, carmine *De virtute*, quod citatur in VII Synodo, actione IV, narrat impudicam mulierem, cum ad quemdam evocata veniret, et in ipso limine conspexisset imaginem Polemonis, continentissimi hominis, non modo confusam erubuisse, sed et pœnitentia ductam domum suam rediisse.

IV. Si autem Gentilium imagines tantam apud ipsos vim habuerunt, recte admodum Catholica Ecclesia, non modo in generali Nicæna II, sed et in variis Synodis, jussit eas potissimum observandas esse imagines quæ ad pœnitentiam et peccatorum detestationem ipso visu nos movent. Quare cum ex avaritia et habendi studio aliquis rapitur, Matthæum ex telonio Apostolum illi indicat, qui, relicta avaritiæ insania, Christum secutus est. Si quis autem amore meretricio detinetur, casti Josephi imaginem proponit, qui, spreto vitæ periculo, a procaci et insultante femina aufugit. Luxurioso quoque mollibusque vestimentis induto, et non eroganti in pauperes quæ posset ab istis pretiosis vestibus sumere et a sua delicata vita, Joannis imago pilis camelorum induti, et eum qui tollit peccata mundi indicantis, exemplum utilissimum præstat. Sic denique cum Sancti insignibus virtutis vel passionis suæ pinguntur, repræsentant profecto nobis quasi per compendium, non modo quid ipsi, quos veneramur, egerint passive sint, sed etiam documentum exhibent, ut eorum virtutem vel tolerantiam in adversis imitemur.

V. Apud sanctos Patres testimonia passim invenies, quibus magis magisque hæc sacrarum imaginum utilitas comprobatur. Nam, ut alios omittam, S. Gregorius, lib. IX, Epistola IX, ita scribit : « Quod legentibus scriptura, hoc idiotis » præstat pictura cernentibus : quia in ipsa etiam » ignorantes vident quid sequi debeant. » Et lib. VII, Epistola LV, ad Secundinum monachum, sibi imagines Sanctorum donari et transmitti postulantem, his respondet litteris : « Valde nobis tua postulatio placuit, quia illum » toto corde quæris cujus imaginem præ oculis » habere desideras, ut te visio corporalis quoti- » diana reddat exercitatum, et, dum picturam » illius vides, ad illum animo inardescas cujus » imaginem videre desideras. Ab re non faci- » mus, si per visibilia invisibilia demonstramus. » Scio quod imaginem Salvatoris nostri non » ideo petis ut quasi Deum colas, sed per re- » cordationem Filii Dei, in ejus amore recale- » scas. » Certe apud Græcos S. Gregorius Nyssenus in *Encomio S. Theodori* narrat, hujus constantissimi athletæ gloriosa certamina fuisse in quodam templo a peritissimis pictoribus expressa cum effigie Christi Servatoris, qui spectaculo præerat; docetque in primis castæ picturæ varietatem ad illustria Martyrum facinora adhibitam, et ita demum concludit : « Solet » etiam pictura tacens in pariete loqui, maxi- » mamque utilitatem adferre. » Idem, scribens *In Cantica*, de se profitetur magnam vim lacrymarum profudisse, cum depictam Abrahami

Digitized by Google

historiam vidisset natum suum multo jucundissimum immolare conantis. Asterius quoque pie collacrymatus est, cum in templi cujusdam pariete contueretur Euphemiam Dei causa vitam suam in acerbo cruciatu ponentem. Exstant hæc et alia id genus exempla in laudata II Nicæna Synodo.

VI. Scio nonnullos, similibus perperam intellectis Patrum testimoniis, fateri quidem imagines esse utiles ac fructuose poni in ecclesiis, verum ob solam idiotarum instructionem, ut ad Sanctorum imitanda exempla excitarentur, non vero ut ipsæ coli possint, ne quidem salutatoria veneratione. Sed misere hallucinantur, cum, uti superius notatum est, Patres non damnent nisi incompetentem solum imaginum adorationem : venerari etenim ipsas imagines possumus, et quidem cultu religioso, inferiori tamen, et vario pro varietate imaginum. Sicque imaginibus sanctis, ut scite docet Bellarminus, lib. II *De reliquiis et imaginibus Sanctorum*, cap. XXV, non debetur proprie dulia, sed cultus inferior qui dici potest dulia *secundum quid*, vel dulia *analogice* seu *reductive*.

VII. Hinc in descripta nostra Oratione recte Deus rogatur ut quicumque imaginem alicujus Sancti *suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu gratiam* (ab ipso Deo) *in præsenti et gloriam obtineat in futuro*. Innumera pene beneficia per religiosum cultum sacrarum imaginum a Deo impetrata passim narrant scriptores Ecclesiastici, præsertim vero Bollandiani in Vitis Sanctorum. Scribit Theodoretus in *Historia veterum Patrum*, ubi agit de S. Simone Stylite, ita ipsum cultum honoratumque Romæ fuisse, ut publicis privatisque in locis, in porticibus, in atriis, in officinis ejus effigies poneretur, eumque veluti vitæ suæ præsidium haberent. Scribit etiam Zonaras in Vita Michaelis Balbi, cum Leo Armenus imagines persequeretur, filium ejus Sabbatium Constantinum, qui mutus erat, accessisse ad statuam sancti Gregorii Nazianzeni, et Sanctum ipsum mente precatum, loquendi usum divino miraculo recepisse.

VIII. Quoniam vero in descripta nostra Oratione varii Sanctorum ordines recensentur, potest enim benedicenda imago esse vel Apostoli, vel Martyris, vel Pontificis, vel Confessoris, vel Virginis, miror cur in ipsa Oratione nulla prorsus mentio fiat imaginis sanctæ alicujus Viduæ, et imaginis Patriarcharum, Prophetarum, et Angelorum, qui etiam solent depingi et in altaribus collocari. Puto equidem, si benedicenda sit hujusmodi imago, posse Episcopum hasce denominationes addere; cum nulla assignari possit ratio cur S. Petrus nominari debeat nomine Apostoli, non vero Elias nomine Prophetæ, et Monica nomine Viduæ. Puto etiam, si Sanctus cujus imago benedicitur esset urbis patronus, addi posse in benedictione et nomen patroni, uti addiscere licet ex manuscripto Pontificali codice Ecclesiæ Arelatensis in Ordine ad benedicendam imaginem S. Stephani; ex quo illud cautum est, ut imago ipsa ungatur in pectore ad modum crucis, sub ista verborum formula : « Unctio ✠, consecratio ✠ » et sanctificatio ✠, quam huic imagini ad ho- » norem sancti patroni nostri protomartyris » Stephani dignanter infigimus, sit totius dia- » bolicæ fraudis expulsio, sitque fidelium aug- » mentatrix devotio, in nomine Patris, et Filii, » et Spiritus sancti. »

IX. Sequitur deinde Oratio quam lubet hic describere, estque hujusmodi : « Omnipotens » et ineffabilis Deus noster, cujus nutu cuncta » bene disponuntur, quique electis fidelibus » tuis, per Sanctorum tuorum supplices inter- » cessiones, in fide Ecclesiæ sanctæ tuæ, Para- » disi aditum pie et misericorditer indulsisti; et » qui dulia Sanctos et electos tuos venerari et » adorari voluisti, quos fundatissima et sacra- » tissima mater nostra Catholica Ecclesia digne » veneratur et colit; hanc statuam, effigiem, » sive imaginem ad exaltationem tui nominis » gloriosi, et in honorem et reverentiam glo- » riosissimi ac triumphatissimi protomartyris » tui Stephani erectam et fabricatam, sic bene- » dicere ✠, et sanctificare ✠, et consecrare ✠ » digneris, ut inimicus conditionis humanæ » diabolus et Satan antiquus neminem in hujus » imaginis et Sancti venerationem illudat, de- » votionem non deturpet, eique devotos non » supplantet; sed potius, te indulgente, populus » tuus fidelis et devotus in ejusdem sanctissimi » patroni nostri Stephani frequentem venera- » tionem, et ob præsentem imaginem, illius » assiduam memoriam et continuam comme- » morationem, consequatur in fine dierum suo- » rum gratiam tuam summam et cœlestem; ut,

Digitized by Google

» sicut invictus ille athleta Stephanus proto-
» martyr tuus pro inimicis oravit et pie depre-
» catus est, ita nos devotos suos apud te dignos
» deprecando efficere mereatur; et, sicut filium
» tuum ad dextram tuam humanis suis oculis
» in gloria tua videre meruit, sic nos, eo inter-
» cedente, gloriam tuam conspicere facias; ut
» in cœlestibus cum electis et Sanctis tuis sine
» fine habitare valeamus, te præstante, cui ho-
» nor est et infinita gloria in sæcula seculorum.
» Amen. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris,
» et Filii, et Spiritus sancti descendat super
» hanc venerandam protomartyris Stephani ef-
» figiem, sive statuam, et super nos devotos
» suos. Amen. »

X. Exstant in aliis Pontificalibus aliæ Orationum formulæ ad benedicendas imagines Sanctorum. Consentit cum nostra hodierni Pontificalis Romani illa Oratio quæ in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali legitur, et in editis ante Clementem VIII Pontificalibus. Cæterum satis mirari nequeo cur in nostro saltem hodierno Romano Pontificali nulla ritus illius mentio fiat quo benedicendæ sint sanctissimæ Trinitatis, vel Spiritus sancti, aut quædam peculiares Christi Domini nostri imagines, quas constat antiquitus fuisse in Ecclesia usitatas. Consulendam esse ea de re sacram Rituum Congregationem arbitror; non enim Episcopo licere videtur aliquid de suo descriptis in Romano hodierno Pontificali ritibus addere. Hinc cum Petrus S. R. E. Cardinalis Otthobonus Vicecancellarius, et insignis SS. Laurentii ac Damasi basilicæ perpetuus Commendatarius, novam sanctissimæ Trinitatis imaginem in altari propriis sumptibus a se erecto ac decentissime ornato, quod anno Christi 1736 solemni ritu dedicavit, benedicere voluit, hac quidem formula, a viro clarissimo, ac Apostolicarum cæremoniarum Magistro rituum peritissimo, Venantio Philippo Piersancte, concinnata, et Sanctissimo Domino nostro CLEMENTE XII Pontifice Maximo approbata, usus est : « ℣. Adjutorium
» nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœ-
» lum, et terram. ℣. Domine, exaudi orationem
» meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Do-
» minus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Ore-
» mus. Deus a quo universa creata benedici de-
» siderant, et ipse nullius horum indiges bene-
» dictione, suscipe propitius vota ac deprecа-
» tiones nostras, quibus te humiliter exoramus
» ut bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris
» hanc imaginem; et quoties illam intuemur,
» Nomen sanctum tuum credere semper et
» invocare nos facias; quatenus æternæ et in-
» dividuæ Trinitatis mysterium ore et corde in-
» tegro confitentes in terris, una cum Angelis
» et Sanctis omnibus, te sine fine glorificare
» mereamur in cœlis. Qui trinus et unus vivis
» et regnas in sæcula seculorum. Amen. »

XI. Tandem, ut nihil nostro huic Commentario desit quod ad disciplinam sacrarum imaginum attinet, sciendum est, ex præscripto variorum Conciliorum, tum provincialium tum diœcesanorum, imagines sacras vetustate corruptas, si reparari non possint, comburi debere, et cineres in sacrarium projici. Id quidem statuit Concilium provinciale Beneventanum anni 1693, Vincentii Cardinalis Ursini (qui postea fuit Benedictus XIII Pontifex Maximus) titulo XXXVIII, cap. IV, argumento ducto a canone *Ligna* et can. *Altaris, De Consecratione*, distinctione I. Idipsum jam ante decreverat S. Carolus Borromæus in suo provinciali IV Mediolanensi Concilio, cap. II, *De sacris reliquiis, miraculis et imaginibus*, ubi ita prope finem legimus : « Si quæ sacræ tabulæ imagi-
» nesve pictæ, nimia vetustate, carie, situ aut
» sordibus pene deletæ, indecenti aspectu sunt,
» eas Episcopus pia religiosaque pictura, ab iis
» quorum interest, renovari jubeat; aut, si id
» non potest, omnino deleri. Ne tabulæ San-
» ctorum imaginibus expressæ vetustate con-
» sumptæ in vilem et sordidum profanumque
» usum convertantur : sed, ut de altaris pallis
» ac velis, temporis usura pene confectis, beati
» Clementis Pontificis et Martyris decreto san-
» citum est, in ignem conjiciantur; tum cine-
» res præterea, ne pedibus inquinentur, in pa-
» vimenti fossis collocentur. Imagines quoque
» sacræ sculptæ, si deformatæ sint, amoveantur,
» et sub pavimento ecclesiæ, aut saltem sub cœ-
» meterii solo collocentur. » Hactenus S. Carolus, cui et aliæ Episcoporum Synodi consonant.

Digitized by Google

APPENDIX

In qua ad benedicendum Sanctorum imagines Ordo describitur ex manuscripto Pontificali Gulielmi (a) *Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur.*

DE YMAGINUM SANCTORUM BENEDICTIONE RUBRICA.

Quamquam Sanctorum ymagines benedici necesse non sit, si tamen aliquis ex devotione illas benedici voluerit, hoc modo fiat. Incipiat enim Pontifex : ℣. « Adjutorium nostrum in nomine » Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram. ℣. » Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui » Sanctorum tuorum ymagines seu effigies » sculpi aut pingi non reprobas, ut, quoties il- » las oculis, etc. » Ultimo aspergat eam aqua benedicta.

TITULUS XVII.

DE BENEDICTIONE SACRORUM VASORUM ET ALIORUM ORNAMENTORUM IN GENERE.

I. Cum de harum rerum benedictione tum in titulo *De ecclesiæ dedicatione*, cum etiam alibi fuse dixerimus; quæcumque nos in iis locis attulimus, ad hujus quoque tituli explicationem transferri commode possunt. Exstat is titulus in variis Pontificalibus, præsertim vero in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi cum eadem inscriptione, ritu ac Orationibus in titulo hoc nostro præsenti descriptis; licet ut plurimum istiusmodi benedictiones fieri ab Episcopis solitæ essent, cum ecclesias dedicabant, uti ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, antiquo Romano Ordine, et pervetustis æque ac recentioribus libris Pontificalibus liquet.

II. Etsi autem de sacris Ecclesiæ vasis alio loco memini me fuisse locutum, quemadmodum etiam et de ornamentis ecclesiæ, abs re nihilominus minime erit de eisdem ad tituli hujus ornamentum aliqua adjungere. Sunt quidem sacra vasa in ecclesia omnino antiquissima, eisque custodiendis jam olim custos deputatus fuit, quem Græci scevophylacem, et cimeliarchen vocant, interque officia et dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ Codinus et *Euchologium* recensent. Fungebatur hoc officio in Ecclesia Romana S. Laurentius, II Christi sæculo; de quo sic canit Prudentius.

Hic primus e septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior,
Clausuris sacrorum præest,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus.

III. Plura de sacris vasis eorumque custode videri possunt apud eruditissimum Vincentium Riccardum, inclyti Ordinis Clericorum Regularium quos Theatinos vocant, in Commentario ad primam Orationem S. Procli archiepiscopi Constantinopolitani, ubi inter alia docet, eum

(a) Consonat manuscriptum Pontificale Durandi cum nostro : in manuscripto Pontificali Barensi, et in Ordine antiquo Romano nullum exstat ejus ritus vestigium.

Digitized by Google

qui cimiliis seu vasis sacris pretiosis præerat *cimeliarcham* jam olim a Græcis appellatum fuisse; « ut etiam hodie in ecclesia cathedrali » civitatis Neapolis is qui ejus thesauro præest » cimiliarcha appellatur; utpote quæ Græcorum » olim colonia innumeras huc usque græcas » voces servaverit. » Porro is olim mos semper et ubique in Ecclesia invaluit, ut sacra vasa neque in privata domo neque a profanis hominibus, sed in æde sacra a Ministris Ecclesiasticis sollicite et caute servarentur. Hinc in Concilio Chalcedonensi inter crimina quæ Ibæ episcopo objecta fuerunt, secundum hoc fuit, quod calicem gemmatum magni pretii in sacra ecclesiæ vasa sub custodis cura non reposuerit, et nescirent quid de eo factum esset.

IV. Quod spectat ornamenta ecclesiæ, sunt quidem et ipsa varii generis, de eisque passim loquuntur scriptores Ecclesiastici, inter quos Gulielmus Durandus, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. III, num. XXIII, ita scribit : « Porro ornamenta ecclesiæ in tribus consistunt, » id est in ornatu ecclesiæ, chori et altaris. » Ornatus ecclesiæ consistit in cortinis, aulæis, » et pallis sericis et purpureis, et similibus; or- » natus chori, in dorsalibus, tapetis, substra- » toriis et bancalibus. Dorsalia sunt panni in » choro pendentes a dorso Clericorum; sub- » stratoria, quæ pedibus substernuntur; tapeta » etiam sunt panni qui pedibus substernuntur » quasi stratio pedum, et præcipue pedibus Epi- » scoporum qui mundana pedibus calcare de- » bent; bancalia sunt panni, qui super sedes » vel bancas in choro ponuntur. » Hactenus ille de ecclesiæ ornatu; deinde vero de ornatu altaris ita inquit : « Altaris vero ornatus consistit » in capsis, in pallis, in phylacteriis, in cruci- » bus, in aurifrisio, in vexillis, in codicibus, » in velaminibus, et in cortinis. »

V. Explicat deinde hæc ornamenta singulatim Durandus : erantque jam longe ante ipsum in Ecclesiæ usu, præsertim vero cortinæ, quarum meminit S. Joannes Chrysostomus in Homilia III super Apostoli Epistolam ad Ephesios, sic inquiens : « Quando videris trahi quæ in ostiis » sunt cortinas, tunc existima cœlum superne » deduci, et descendere Angelos. » Ad consecrationem sacræ Hostiæ deducebantur altaris cortinæ, ut tremendum Mysterium ab omnibus circumstantibus circumspiceretur. Id quod etiam hodie Græci religiose observant. Dolet Lupus tomo VI operum ultimæ editionis, in Dissertatione *De quibusdam Patrum locis*, cap. VIII, quod a paucis annis novitas quædam pessime nostris altaribus cœperit auferre cortinas : « Est, » inquit, « abusus per Episcopos omnino » castigandus ac reformandus. Altarium enim » cortinæ alias insuper habent mysticas ratio- » nes. »

VI. Porro ad ipsas cortinas seu vela referendas scite autumat Joannes Cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV, num. XI, Orationes veli seu velaminis, quæ in Liturgia Jacobi Apostoli, et in Basilii Magni Anaphora leguntur, non autem ad velum calicis, ut quidam perperam existimavit. Addit fuisse jam olim apud Latinos aliud velum sive cortinam, quæ inter chorum et presbyterium, ubi chorus in medio ecclesiæ ante altare et presbyterium situs est, quadragesimali tempore expandi solebat, de qua loquuntur usus antiqui Cisterciensis, cap. XV, et vetus Cæremoniale Benedictinum, cap. XXXI. Aiunt ejus usum adhuc vigere in quibusdam Ecclesiis Gallicanis; vigetque etiam hodie in multis nostri regni Neapolitani Ecclesiis.

VII. Exstat in *Sacramentario Gallicano* a Joanne Mabillonio edito, *Musæi Italici* tomo I, parte II, pag. 389, ex codice monasterii Bobiensis litteris majusculis sub medium sæculum VII exarato, *Benedictio omni quod in Ecclesia offertur*. Qui titulus mendose scriptus, ex *Sacramentario* Gregoriano Menardi Hugonis commode reparatur, in quo titulus sic legitur : *Benedictio super munus quod quis Ecclesiæ offert*. Quid sibi velit *munus* hoc loco, explicat idem Menardus; ait enim intelligi de his omnibus quæ a Fidelibus offeruntur ad ecclesiæ ornatum. Oblationes vero quæ super altari fiunt, Deo omnium largitori addicuntur et mancipantur; quod quidem perspicue docet S. Augustinus in Epistola CXLIX, num. XVI, alias Epistola XLIX ad Paulinum, his plane verbis : « Voventur autem omnia quæ » offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio, » quo sacramento prædicatur nostrum illud vo- » tum maximum quo nos vovimus in Christo » esse mansuros, utique in compage Corporis » Christi. »

VIII. Curandum quidem illud Episcopo potissimum est, ut cuique suæ diœcesis ecclesiæ

Digitized by Google

necessaria ornamenta non desint, nitida quidem et munda, præsertim illa quæ divino Sacrificio celebrando esse usui debent. Quid enim opus est aulæis sericis parietes ecclesiæ ornare, cum alias alicubi sacris vestibus longo usu consumptis sacrum facere Sacerdotes cogantur, non sine fidelium scandalo et divinæ Majestatis injuria ? Vidi aliquando non sine animi sensu nitere templi parietes ac pavimentum ipsum marmorum crustis, vestes autem sacras atque altarium linteamina fœda ac pene lacera. Certe religiosiores ea in re fuerunt laici principes quam Episcopi ipsi, quibus ecclesiæ commissæ sunt. Refert Eginardus in Vita Caroli Magni, ipsum Carolum Magnum ingentem copiam elargitum esse ecclesiis vasorum ornamentorumque ea opulentia quæ pietati et zelo ejus ac domus Dei decori responderet, ut ne ostiarios quidem pateretur, qui in extremo gradu sunt, suo fungi munere inter sacra, nisi Clericali in veste fulgerent. Usos jam olim Græcos splendidis vestibus testatur S. Gregorius Nazianzenus in *Somnio de Anastasia*, ubi ita canit :

Ministri autem in splendidis vestibus
Adstabant, fulgoris Angelici imagines.

IX. Vasa, vestes atque ornamenta sacro usui destinata debere priusquam adhibeantur benedici, dictum iterum atque iterum fuit. Is saltem mos vel a nascente Christiana Religione receptus fuit apud Latinos. Quantum ad Græcos, etsi alibi notavimus Leviticis Sacerdotalibusque indumentis semel et generatim cultui divino dicandis Benedictiones *Euchologium* non continere ; suaque Diaconum, quoties induit, Sacerdoti benedicenda offerre ; Sacerdotem vero propria assumpturum, nusquam benedictionis expertia relinquere : puto nihilominus a Græcis fuisse aliquando usitatum ut sacra et ipsi ornamenta benedicerent. Perhibet siquidem scriptor Vitæ S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, Photium pseudopatriarcham, ejus æmulum hostemque infensissimum, ut suis partibus Præsules quoslibet implicaret, casulas stolasque eis dono mittere solitum, quas prius prece et consecratione quadam sua, si non potius exsecratione, perfudisset : « Humeralibus et » orariis et aliis status Sacerdotalis coemptis » insignibus, secreto preces super ea quasdam, » si tamen preces et non potius diræ exsecrationes » appellandæ sunt, pronuntiabat; sicque ea » singulis loco muneris largitionisque dabat. » Agebat hæc Photius circa annum 858, quo in locum Ignatii injuste expulsi in Episcopatum Constantinopolitanum intrusus est.

§ I.

Pontifex sacra vasa vel alia ornamenta benedicere volens, stans sine mitra dicit : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi, Domine Pater clementissime, preces nostras, et hæc purificanda vasa et ornamenta, sacri altaris atque Ecclesiæ tuæ sacri ministerii usui præparata, bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, a quo omnia immunda purgantur et in quo omnia purgata clarescunt, supplices omnipotentiam tuam invocamus, ut ab his vasis et ornamentis, quæ tibi offerunt famuli tui, omnis spiritus immundus confusus longe discedat, et per tuam bene✠dictionem, ad usum et ministerium sancti altaris et ecclesiæ tuæ sanctificata permaneant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Jam dixi ad initium tituli exstare hasce Orationes in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in quo tamen prima Oratio ita incipit : « Exaudi, Domine, preces, etc. » Altera vero hunc in modum : « Omnipotens sempiterne » Deus, a quo et per quem omnia immunda » purgantur, etc. » In hac secunda Oratione notandum illud est quidem, benedici vasa et ornamenta ecclesiæ, ut ad usum et ministerium ipsius ecclesiæ et altaris permaneant. Quamobrem jure merito, et auditui horribile et visui exsecrabile a Patribus Bracarensis Concilii III, anno 675, judicatum est quod quidam Sacerdotum, sacrilega temeritate præcipites, vasa Domini in proprios usus assumentes, epulas sibi in eis comedendas apponerent. Aiunt se obstupentes hoc malum deflere, deflentesque obstupescere, ut illic humana temeritas sibi epulum præparet, ubi sanctum Spiritum cognoscitur advocasse; et ibi esum carnium crapulatus assumat, ubi divina visus est celebrasse mysteria; et in quibus tantum sibi offerre sacramenta pro expiatione delictorum præcipit, in his expleat voluntatem ludibrii sui.

II. Ergo contra hujusmodi sacrilegos homines ita statuunt : « Et ideo hujus de cætero præsumptionis persona, quæ sciendo divina vasa vel ministeria aut in usus suos transtulerit, aut comedere in his vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui vel officii periculum sustinebit : ita tamen ut, si de sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur; si vero Religiosus, ab officio deponatur. » Addunt mox, sub hac quoque damnationis sententia et illos obnoxios teneri « qui Ecclesiastica ornamenta, vela vel alia quælibet indumenta atque etiam utensilia, sciendo in suos usus transtulerint, vel alias donanda vel vendenda crediderint. » Id quod etiam vetus canon LXXIII, Apostolis tributus, districte prohibet, ita inquiens : « Vas aureum vel argenteum, vel velum sanctificatum nemo amplius in suum usum convertat : hoc enim fit præter jus et contra leges. Si quis autem deprehensus fuerit, mulctetur. » Ubi obiter nota 1°, quod fuse alibi dictum est, primis jam Christi sæculis sacra supellectile instructa fuisse templa, in vasisque aureis libasse Antistites; 2° verbum *mulctetur* de degradatione esse intelligendum. Quamobrem quosdam qui crimen istud non esse degradatione dignum assererent, et in laudato Apostolorum vulgari Canone se fundarent, merito culpat in Constantinopolitanæ apud Apostolorum basilicam celebratæ Synodi canonem X Theodorus Balsamon. Constat profecto ob istud etiam crimen Fredericum II imperatorem degradatum fuisse.

III. Patrarunt non semel hoc enormissimum crimen non modo laici ac Clerici inferiores, sed et ipsi etiam Episcopi. Etenim inter articulos ob quos Ibam Episcopum ad degradationem postulavit Clerus Edessenus, primus fuit quod sacra ecclesiæ vasa distraxisset et sibi pretium reservasset. De Porphyrio patriarcha Antiocheno refert Palladius Helenopolitanus episcopus, « illum, præter cætera scelera, sacra quoque vasa post ordinationem suam fudisse, principibusque largitum; » in solutionem scilicet sui empti ab illis Episcopatus. Quod quidem scelus, simile impio memorati Porphyrii facinori, quantum in Occidente grassaretur, præsertim in Ecclesia Moguntina, perspicue testantur ejusdem Ecclesiæ Chronicon, ad annum 1560, et in Mariani *Scoti Supplemento* Abbas Dodochinus, ubi aiunt auream sexcentarum librarum crucem, factam a Willigiso Moguntino archiepiscopo, successores illius in simoniam et alias sordes expendisse.

IV. Describit hanc crucem Conradus Episcopus in veteri *Chronico rerum Moguntiarum*, cujus locum prolixum lubet describere, ut videas quanta fuerit olim majorum pietas in instruendis sacris templis altaribusque : « Erat », inquit, « et alia crux lignea auro optimo vestita, in qua imago erat aurea Domini crucifixi; quæ imago cujuslibet communis hominis magnitudinem excedebat, concava, sed multum spissa, cujus venter plenus erat reliquiis et gemmis pretiosissimis. Dicebatur autem nec Romanum imperium meliores habere. Hæc crux poterat dissolvi membratim in juncturis; primo in talo, in genubus, in femore, in humeris, in cubito, in manibus, in collo, ubi corpori inhærebat : cætera pars corporis,

Digitized by Google

» dorsum scilicet et venter, pariter cohærebant; » et hoc ideo ut commodius et securius posset » in arca sibi ad hoc deputata specialiter reser- » vari. Hæc raro ponebatur, nisi forte præsente » rege, vel alio magno principe, et in festis » Paschæ, et Pontifice hoc jubente. Cum autem » hoc fieri oportebat, tunc in loco valde emi- » nenti in templo super trabem, ubi nulli alie- » no patebat accessus, a ministris fidelibus loca- » batur. In hujus imaginis capite, loco oculorum » erant duæ gemmæ quas carbunculos vocant, » tantæ magnitudinis ut duo vitelli ovorum, qui » in tenebris coruscabant. Huic cruci inscriptus » erat versus iste,

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

« Et nota, quod una libra habet duas marcas » auri. Sic ergo erunt mille et ducentæ marcæ » auri probatissimi; nec silendum arbitror: pro » speciali hujus auri examinatissimo valore crux » ipsa proprio nomine censebatur; vocabatur » autem Benna. »

V. Post annum Christi millesimum, quod non pauci Episcopi temere vasa atque ornamenta ecclesiarum distraherent, coactus fuit Gregorius VII in sua quinta Romana Synodo, can. XIX, statuere, « Ut omnes Episcopi ornamenta ec- » clesiæ, sine certa utilitate aut gravi necessitate, » nullo modo nulloque ingenio ecclesiis sub- » trahant. » Id quod clarius expressit idem Pontifex, lib. V, Epistola XX, ad Raynerium episcopum Aurelianensem de eo crimine accusatum: « Inter cætera, » inquit, « quæ olim perversa » mente egisti, pene cuncta ecclesiæ tibi com- » missæ ornamenta, pallia videlicet, calices, » thuribula, patenas et cætera Deo sacrata, non » ad utilitatem Dei et præfatæ ecclesiæ, non » in adjutorium pauperum et captivorum, sed ad » libitum tuum et inanem gloriam atque super- » biam distraxisti. » Tum eidem comminatur degradationem, nisi de eo crimine se purget.

VI. Est præterea antiqua Ecclesiæ regula in istiusmodi ministeriorum sanctitate fundata, ne præter summam ecclesiæ necessitatem pignori dentur. Rationem ejus rei assignat S. Fulbertus Carnotensis episcopus in quadam Epistola, quam tomo II edidit Lucas Dacherius: « Vendi » potest » inquit, « aut in frusta comminui » sacrum ministerium; sed incongruum est ut » in vadimonium ponatur. Etenim sæculares » personæ debitam reverentiam sacris mi- » nisteriis nesciunt impendere, quoniam hic » usus non est eis commissus. Fortasse autem » contingere potest ut prope arcam, vel in ea » domo in qua vasa abscondita sunt, commit- » tantur adulteria et fornicationes et ea crimina » quæ iram Dei provocent. » Hujus irreverentiæ periculum egregie exaggerat, ac divinæ ultionis exemplo comprobat. Tum addit, nec apud Clericos posse oppignerari, quod ipsorum oppigneratio sit ipsum Christum Dominum in nummularii servitutem tradere. Sed de his alias.

VII. Alio quoque loco dictum jam fuit, vasa et ornamenta ecclesiæ atque altari destinata nefas esse in alios profanos usus converti. Novi nihilominus sacristas nonnullos pulvinaria altarium non semel cepisse ut genibus viri nobilis vel Episcopi supponerentur. Id quod inter alios expresse vetat Concilium Mediolanense S. Caroli provinciale V, *Constitutionum* parte III, in eo capite inscripto *De Ecclesiis, earum supellectile et fructibus*, ubi hæc habet: « Pulvinaria » Missalium usui addicta ne Episcopi quidem, » nedum alterius cujusquam, genibus cubitisve, » ullo loco, nec vero in ecclesia, supponantur, » neque præterea ad ullum profanum usum » adhibeantur. » Porro alienum etiam a ratione videtur scamna ipsa ecclesiæ a sacristis non semel locari, atque huc illucque in publica urbis loca deferri, præsertim bacchanalium tempore, ut in eisdem commode sedeant qui publicis spectaculis delectantur.

VIII. Longum esset et alios similes recensere abusus, quorum alii ex avaritia, alii ex ignorantia Ecclesiasticæ disciplinæ procedunt. Ut ut sit ea res, pro tituli hujus coronide illud potissimum adnotandum est, quod semel ac iterum in suis Conciliis, juxta præscriptum sacrorum canonum et antiquæ Ecclesiæ praxim, S. Carolus statuit benedicenda scilicet ornamenta ecclesiæ et sacris addicta, antequam adhibeantur. In Concilio provinciali II Mediolanensi, tit. II, decreto XX, ita inquit: « Quæ vestes, et orna- » menta cujusvis generis ad usum sacrum com- » parata, ecclesiæ instituto benedici debent; ea » in Missæ sacrificio cæterisque divinis Officiis » ne prius adhibeantur quam solemnibus pre- » cibus ab Episcopo, vel ab alio qui auctoritatem » habet, benedicta sint. » Idipsum mandat in Synodo diœcesana II, decreto IX, aliique Episcopi in suis Conciliis passim.

Digitized by Google

TITULUS XVIII.

DE BENEDICTIONE TABERNACULI SEU VASCULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA.

I. Vetustissima Ecclesiæ Catholicæ consuetudine receptum fuisse, ut, propter infirmorum communionem, necnon ob alias magnas et necessarias causas, Eucharistia in ecclesiis asservaretur, antiquissimi Ecclesiæ scriptores testantur; etsi plerique Protestantes, peracto Sacrificio, Eucharistiam, aut ut ad ægrotos deferatur, aut ut ad fidelium communionem servetur, reservari non posse contendant, temereque asserat Hospinianus, *De origine cæremoniarum et rituum*, pag. 91, post Concilium Lateranense IV, quod habitum fuit anno 1215, Innocentio III Pontifice Maximo, cœpisse primum in templis parari « tabernacula et ædi- » culas in quibus incluserunt Sacramentum. »

II. Verum enim vero, quod a Christianæ Religionis primordiis asservari in templo Eucharistia cœperit, pro comperto habet Stephanus Duranti, lib. I. *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, capite XVI, ubi describit locum Epistolæ II S. Clementis ad Jacobum fratrem Domini; cujus verba hæc sunt : « Reliquias fragmentorum » Corporis Domini custodire debent, ne qua » putredo in sacrario inveniatur, ne, cum ne- » gligenter agitur, Corpori Domini gravis in- » feratur injuria. » Et paulo post : « Qui autem » residua Corporis Domini quæ in sacrario » relicta sunt, consumunt. » Idem, lib. VIII *Constitutionum*, cap. XX, ubi agit de Eucharistiæ communione, ita ait : « Postquam omnes » sumpserunt, accipiant Diaconi reliquias et » portent in pastophoria. » Pastophorii variæ ab eruditis afferuntur significationes. S. Hieronymus in caput XL Ezechielis, sacrarium inquit, in quo jacet Corpus Christi qui verus est Ecclesiæ et animarum nostrarum sponsus, proprie thalamum seu παστοφόριον appellari.

III. Fuit præterea et vetus mos, ut in columbis aureis argenteisve super altare appensis divina Eucharistia servaretur, uti videre est in Concilio Constantinopolitano sub Menna, anno 536 habito, et in œcumenica Synodo VII, quæ est Nicæna II, itemque in Vita S. Basilii Magni, auctore Amphilochio Iconii episcopo : cum enim precibus a Deo gratiam obtinuisset ut suis verbis Sacrificium offerre posset, accepto divinitus pane et vino, ipsisque consecratis, tempore confractionis panem divisit in tres partes : « unam quidem sumpsit cum timore multo, » alteram vero reservavit ut cum ipso sepeli- » retur, tertiam reposuit in columba aurea, » eamque pendere voluit supra altare. » Narrat hæc quidem Amphilochius, additque de ipso Basilio, quod « gratias agens Deo sine intermis- » sione quod fecisset mirabilia, accersivit au- » rifabrum, jussitque confici columbam ex auro » puro, in qua eam quam diximus reposuit » portionem, suspendens eam supra mensam » sanctam in specie sanctæ columbæ illius quæ » apparuit in Jordane Domino baptizato. » De hujusmodi columbis, et earum in ecclesiis Orientis usu, celebre exstat in V Synodi actione I testimonium, in qua Clerici æque ac Monachi Antiocheni contra Severum ejus urbis non jam pastorem sed lupum ita queruntur : « Nec san- » ctis ille pepercit altaribus nec sacris vasis, » ea conflans et sui similibus erogans. Præ- » sumptum est et hoc ab eodem, o Beatissimi, » nam columbas aureas et argenteas in foramen » Spiritus sancti, super divina lavacra et altaria » appensas, una cum aliis sibi appropriavit. » Relegit hanc querimoniam in II Synodo Nicæna, actione V, Antonius monachus. Etiam istas columbas in usu fuisse in Ecclesia Occidentali, multis allatis veterum Latinorum scriptorum testimoniis probari posset. Legitur in testamento Perpetui episcopi Turonensis, legasse ipsum « Amalario Presbytero capsulam unam com-

Digitized by Google

» munem de serico, item peristerium et colum-
» bam argenteam ad repositorium. » Peristerium, ciborium erat, seu tabernaculum in cujus cavo appensa erat columba ex qua pendebat pyxis sacram Eucharistiam continens. Floruit Perpetuus labente sæculo v. Plura de hisce columbis adducunt Rosweidus in Notis ad Epistolam XII S. Paulini; Novarinus in *Agno Eucharistico* lib. v, cap. LV, et alii.

IV. Porro tabernaculum, seu ciborium, illud hodie dicitur in quo vasculum seu pyxis cum divina Eucharistia asservatur. Vocabatur olim *Conditorium*, ut in primo pervetusto Romano Ordine a Mabillonio edito legitur; describens enim quibus cæremoniis Pontifex ad altare procedit, ait quod, ostensa ipsi a Subdiacono Eucharistia, « nunc inclinato capite Pontifex
» vel Diaconus salutat sancta et contemplatur,
» ut si fuerit superabundans, præcipiat ut po-
» natur in conditorio. » Quam vocem ita laudatus explicat Mabillonius : « Conditorium hic
» locus seu vasculum erat in quo Eucharistia
» recondi solebat. » Hoc vasculum in codice Remensi alio nomine vocatur *Chrismalis* seu *Chrismale*, ut patet ex præfatione ad ipsum benedicendum quæ in eodem codice hunc in modum legitur : « Præfatio Chrismalis. Ore-
» mus, Fratres charissimi, ut Deus omnipotens
» hoc ministerium, Corporis Filii sui Domini
» nostri Jesu Christi gerulum, benedictione,
» sanctificationis tutamine, defensionis dona-
» tione implere dignetur orantibus nobis. » In Anglicano Monasterii Gemmeticensis Pontificali, annorum circiter mille, et in aliis quoque Pontificalibus, ubi de illius benedictione agitur, *Eucharistiale vasculum* nuncupatur.

V. Neque solum iis nominibus, sed etiam *Turris* hujusmodi vasculum jam olim dici consuevit, ejusque testis est luculentissimus S. Gregorius Turonensis in libro *De gloria Martyrum*, cap. LXXXVI, ubi turrim ipsam e manibus impuri Diaconi elapsam : « Tempus
» ad offerendum sacrificium advenit. Accepta-
» que turre Diaconus, in qua ministerium Do-
» mini Corporis habebatur, ferre cœpit ad
» ostium, ingressusque templum ut eam altari
» superponeret, etc. » S. Remigius in suo testamento, apud Flodoardum, lib. v *Historiæ Remensis*, ex vase aureo decem librarum, quod ipsi Clodoveus donaverat, jussit quidem « tur-
» riculam et imaginatum calicem fabricari, »
hæredique suæ Ecclesiæ Remensi donari. Ubi, licet aliqui legant *thuribulum*, legendum tamen esse *turriculam* probat Saussay in *Panoplia Sacerdotali*, lib. IX, cap. IV. Scribit idem Flodoardus, lib. II, cap. VI, de quodam Laudone Remensi archiepiscopo, quod « turrim quoque
» auream, quam ad votum suum fabricari fe-
» cerat, super altare posuit sanctæ Mariæ Re-
» mensis ecclesiæ, et patenas tres. » Turrim auream ad asservandum Corpus Domini fecit quidem Felix Bituricensis episcopus, qui vivebat anno 575, eumque ea de re laudat Venantius Fortunatus, lib. III, carmine XXV :

Quam bene juncta decent, sacrati ut Corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona, ferant.
Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis.
Ista placere magis ars facit atque fides.

VI. Constat et apud Græcos sacras fuisse pyxides pro conservanda sacratissima Eucharistia, quæ peregrinis a longinquo ad loca sancta visitanda confluentibus distribuebatur. Testatur id quidem Humbertus S. R. E. Cardinalis, qui Constantinopolitana legatione functus est anno 1054, cujus historiam legere est apud Canisium in *Thesauro Monumentorum*, et apud Cardinalem Baronium in suis *Annalibus Ecclesiasticis*. Sic autem Humbertus inquit : « Ad hæc si quid
» ex sancta et venerabili Eucharistia in Hiero-
» solymitanis ecclesiis superfuerit, nec incen-
» dunt nec in foveam mittunt, sed in pixidem
» mundam recondunt, et in sequenti die com-
» municant ex ea populum, quia cotidie com-
» municant ibi, eo quod conveniunt illuc ex
» diversis provinciis Christiani. » Hanc non improbabiliter credi originem communionis laicorum sub una specie panis in Ecclesia Hierosolymitana, propter frequentiam incredibilem peregrinorum ad sacra mysteria confluentium, docet Thomassinus tomo III *Disciplinæ*, lib. I, cap. XV, num. IV; additque exempli hujus auctoritatem manasse in reliquuum Occidentem.

VII. Hinc certo liquet hallucinari Morinum, lib. VIII *De Pœnitentia*, cap. XIV, et Joannem Bona Cardinalem, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XVII, scriptores cæteroqui doctissimos, quum aiunt servatum antiquitus in Ecclesia corpus Christi propter infirmorum communionem, hodiernamque consuetudinem plures particulas reservandi, ad fideles in ipsa ecclesia etiam extra

Digitized by Google

Sacrificium communicandos, a Mendicantibus Fratribus primum fuisse introductam et ab aliis deinde usurpatam, ipso Romano Rituali refragante, in quo nunc etiam decernitur propter infirmos Eucharistiam asservari. Sed hoc leve est argumentum : constat enim, quarto Christi sæculo non fuisse celebratum Romæ quotidie Sacrificium, uti dilucide ostendit eruditissimus Franciscus Berlendi Clericus Regularis in celeberrimo opusculo *De oblationibus ad altare*, italice scripto, pag. 97 secundæ editionis. Et tamen testatur S. Hieronymus, tum in Epistola XXVIII, ad Lucinium Bœticum, tum in Epistola L, ad Pammachium, hanc fuisse Romæ suo tempore consuetudinem ut quotidie Eucharistiam fideles perciperent.

VIII. At vero minime est addubitandum quin Mendicantes suam sedulam præstitissent operam, ut fideles ad morem penitus fere exstinctum resumendum accenderent. Plerique enim Christiani tam diu a sacra suscipienda Eucharistiæ communione abstinebant, ut Innocentius III, in Concilio generali IV, cap. XL, eos coegerit, constituta excommunicationis pœna, saltem semel in anno, in Paschate, Eucharistiæ Sacramentum suscipere. Exstat hoc decretum in cap. *Omnis utriusque sexus* XII, *De pœnitentiis et remissionibus*. Sane initio sæculi XVI, sanctissimæ Eucharistiæ frequentiorem usum maxime promovit, uti habetur in Breviario Romano, S. Caietanus Ordinis Clericorum Regularium institutor, tum S. Ignatius Societatis Jesu fundator, postea S. Philippus Nerius, qui Romæ anno 1575 Congregationem Oratorii instituit. Quibus adde Bonsignorium Cacciaguerram, nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis Presbyterum, a S. Francisco Salesio, et ab aliis doctis viris summopere commendatum, qui jam longe ante sanctum Philippum Nerium multum conatus fuerat, non modo frequentibus sermonibus et adhortationibus, sed et libris editis, frequentem et quotidianam Eucharistiæ susceptionem promovere; uti ex ejus Epistolis opusculisque, semel ac iterum tum Romæ tum alibi in lucem editis, liquet.

IX. Nunc eo revertamur unde digressi sumus, aliaque monumenta afferamus quæ Hospinianum hæreticum doceant, longe ante Concilium Lateranensem IV cœpisse in ecclesiis parari tabernacula et ædiculas quibus Eucharistia includebatur, usui nimirum fidelium vel infirmorum, vel aliorum qui extra Sacrificium communicare volebant. Id nos jam satis ostendimus, sed adhuc sciendum est consuevisse olim Eucharistiam non modo in columbis aureis argenteisque includi, sed etiam in calicibus ex eadem materia elaboratis, qui sub altaris fornice appendebantur. Atque huc spectat quod legitur in Vita Gregorii Papæ III, quem ait Anastasius fecisse *calicem unum argenteum qui pendet in apside oratorii*. Creatus fuit is Gregorius Pontifex Maximus anno Christi 731.

X. In plerisque ecclesiis illud antiquitus fuit in more ut calix iste, seu pyxis vel vasculum, in quo erant sacræ particulæ, in armario poneretur, et quidem erecto in medio altari ad basim crucis. Id enim perspicue evincitur ex canone III Concilii Turonensis II, quod anno Christi 580 celebratum est : « Ut Corpus Domini » in altari non in imaginario ordine, sed sub » crucis titulo componatur. » Hujus loci, quod armarium seu armariolum vocabatur, ubi pyxis cum divina Eucharistia asservari solet, meminit quidem Renerus S. Laurentii in libro *De Viris illustribus monasterii* sui, illudque insigni miraculo illustrat his verbis : « Parœcitanam vero » ecclesiam depasta sunt incendia, sed ibi nihi- » lominus Christi gloriosa magnificata est dexte- » ra; cum fuerit namque tanta conflagratio ut » etiam campanas liquefecerit ejusdem ecclesiæ, » armariolum tamen ligneum quo in pixide » clausum corpus Dominicum habebatur cor- » rumpi adustione non potuit, sacrosanctum » scilicet servante Sancto sanctorum, cujus caro » requievit in spe, cujus non derelicta fuit ani- » ma in inferno, cui datum est non videre cor- » ruptionem. »

XI. Legitur denique in Vita S. Stephani regis Hungariæ, qui obiit anno Christi 1038 apud Surium die 20 augusti, inter alia dona quæ constructæ a se ecclesiæ B. Virginis in Alba civitate largitus est, recenseri elegantissimum tabernaculum simile nostris hodiernis pro Eucharistia ibi asservanda : « Eucharistiæ ædicu- » lam, quam ciborium vocant, arte mirabili » supra Christi mensam exstructam. » Ubi nota ciborium hic a pyxide distingui, a vase scilicet ipso in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ponitur; non enim aliud in recitato loco ciborium significat, quam tabernaculum,

Digitized by Google

quod etiam hodie alibi custodiam vocant, in quo vas ipsum, seu pyxis, asservatur. Haberi tamen illud pro certo debet quod docet Goar in *Notis ad Officium Præsanctificatorum*, num. XXXIV, vas asservandis consecratis Hostiis dedicatum, *ciborium*, *custodiam*, *tabernaculum* vocari a nostris Latinis consuevisse, sicut et a Græcis ἀρτοφόριον, κιβώριον, κυστωδιάν. Petrus de Alectis episcopus Senogalliensis, in *Itinerario Gregorii Popæ XI*, ejus quidem vocis meminit, sic dicens : « Reservata Eucharistia, repositaque » per suas manus sacratissimas in custodia. »

XII. Est quidem vetus Romanæ Ecclesiæ mos, ut summis Pontificibus longum iter conficientibus sacrosanctum Christi Corpus præferatur; multisque exemplis ostendit eruditissimus Angelus Rocca, Apostolici Sacrarii Præfectus et Episcopus Tagastensis, in suo Commentario *De sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo*. At nec desunt exempla quibus sanctissimum Christi Corpus delatum fuisse compertum est, ubi Episcopi, imperatores, reges, ac alii iter conficiebant. Archiepiscopum Beneventanum, dum suam diœcesim visitaret, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ante se deferre consuevisse, eamque consuetudinem usque ad annum Domini 1464 durasse, ex manuscripto codice in Archiepiscopio Beneventano asservato testatur laudatus Rocca, qui etiam eumdem ritum ab aliis quoque servatum docet. Sed hæc obiter.

XIII. Quanquam vero olim multæ ecclesiæ tabernacula in medio altari haberent mirabili arte constructa ac lapidibus pretiosis ornata, cujusmodi multa hodieque Neapoli visuntur, præsertim vero in ecclesia monialium Cœnobii Sanctissimæ-Trinitatis et in templo Sancti-Dominici nationis Calabræ; fuit nihilominus alicubi consuetudo ut in pariete altaris Eucharistia asservaretur; uti videre est Romæ in ecclesia Sanctæ-Crucis in Hierusalem. Id quod in decretis generalibus a Hieronymo episcopo Famaugustæ, Apostolico Visitatore S. Mediolanensis Ecclesiæ, confectis, et jussu S. Caroli de suggestu lectis et promulgatis, penitus improbatur, cap. inscripto : *Tabernaculum ligneum pro sanctissimo Sacramento conservando*. Hinc non videtur mos esse laudabilis recens exortus, in medio gradus mensæ altaris sine ullo fere tabernaculi signo, Eucharistiam asservandi; cum maxime quod ipsa ædicula in eum modum constructa nullo solet conopeo contegi, contra ritum in Concilio IV provinciali Mediolanensi S. Caroli, et in aliis plerisque aliorum Episcoporum Synodis præscriptum.

XIV. Plura de tabernaculi materia, forma et ornatu videri quidem possunt in variis Conciliis tum provincialibus, tum diœcesanis. Verum satis erit hoc loco describere quæ de ipso tabernaculo servari præscripsit S. Carolus in *Actis Ecclesiæ* suæ *Mediolanensis*, parte IV, ubi agit de Instructionibus Fabricæ Ecclesiasticæ, cap. XIII, sic dicens : « Quoniam vero ex decreto provin- » ciali tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ » in altari majori collocari oportet, de eo in- » structionem aliquam hoc loco fieri oportet. » Primo illud in ecclesiis insignioribus, ubi » potest, e laminis argenteis aut æneis, iisdem- » que inauratis, aut e marmore pretiosiori fieri » decens est. Quod tabernaculi opus polite » elaboratum, et apte beneque inter se com- » pactum, piis item mysteriorum Passionis » Christi Domini imaginibus exsculptum, et » inauratum, artificio, et certis locis, periti » viri judicio decoratum, religiosi et venerandi » ornatus formam exhibeat. Intrinsecus autem » tabulis populeis circumamictum esse debet » vel aliis ejusmodi, ut ab humiditate quæ ex » metalli marmorisve genere existit, sanctissima » Eucharistia illo amictu omnino defendatur. » Ubi tabernaculum ejusmodi non fiat, tunc e » tabulis non aureis, vel aliis quæ humiditatem » gignunt, sed populeis aut similibus polite » elaboratis, et religiosarum, ut supra, imagi- » num sculptura ornatis iisdemque inauratis » exstruatur; amplum pro dignitate et magnitu- » dine rationeve ecclesiæ in cujus altari majori » collocandum est; forma vel octangula vel » sexangula vel quadrata vel rotunda, prout de- » centius et religiosius accommodata videbitur » ad ecclesiæ formam.

XV. Hæc et alia scitu digna legere est in laudato cap. XIII *Instructionum Fabricæ Ecclesiasticæ*, quæ exstant parte IV *Actorum Ecclesiæ Mediolanensis*. Cæterum, quod nostrum præsentem spectat titulum, cautum et illud fuit in Concilio S. Caroli provinciali VI, antequam adhibeatur, benedicendum esse tabernaculum. Sic enim legitur in eo capite quod *De sacramentalibus* inscribitur : « Sacra prece ex for-

Digitized by Google

» mula libri Pontificalis tabernaculum etiam » ligneum, in quo sanctissima Eucharistia re» condatur, ante benedicatur quod ad illius » recondendæ usum adhibeatur. » Neque vero solum tabernaculum, sed et ipsam pyxidem consuevisse antiquitus benedici, satis nos docent pervetusti libri Pontificales, qui eum ritum exhibent a nobis inferius suo loco referendum. Debere et hodie ipsam pyxidem, priusquam in ea ponatur divina Eucharistia, benedici, docet inter aliòs eruditus Henao, *De Eucharistia*, disputatione XVI. Auctore Jacobo Lafon, eximio Ordinis Prædicatorum scriptore, in *Doctrina morali de Sacramentis*, pag. 470, pyxis in qua conservantur hostiæ, licet ex præcepto Ecclesiæ non sit consecranda, conveniens est tamen ut id fiat, cum debeat contingere Corpus Christi; nec frustra præscribuntur Orationes in tanti Sacramenti cultum. Unde vix a peccato excusari qui hostias in pyxide non consecrata ponit, docet Paludanus in IV, distinctione XIII, quæstione I, articulo IV. Sotus ibidem, quæstione I, articulo III; et alii. Licet autem ipsa aut saltem illius cuppa nonnisi argentea esse debeat intusque deaurata, commendatur tamen a S. Hieronymo S. Exuperius episcopus Tholosanus, qui tempore exundantium barbarorum, ne istiusmodi sacra vasa illorum rapinæ cederent, ipsa in pauperum usum conflarat, canistroque vimineo Domini Corpus, Sanguinem vero portabat in vitro.

XVI. Quæ hactenus diximus jam impudentissimi mendacii sive ignorantiæ arguunt protestantem hæreticum Hospinianum aliosque complures ejusdem furfuris, temere aientes, a tempore Concilii Lateranensis IV, celebrati anno 1215, cœpisse in templis parari tabernacula et ædiculas quibus Sacramentum includi solet. Fuse enim jam ostendimus, extra usum Sacrificii asservatam fuisse Eucharistiam in altari. Cui disciplinæ multum roboris tribuit quod in laudem Gorgoniæ sororis suæ scribit S. Gregorius Nazianzenus, ubi narrat eam morbo liberatam, cum, ad altare procumbens, Eucharistiam, quæ super ipso altari asservabatur, adoravit ingentique clamore invocavit : « Desperatis, » inquit, « aliorum omnium auxiliis, » ad mortalium omnium medicum confugit, » noctisque intempesta caligine observata, cum » levius aliquanto morbus urgeret, ad altare » cum fide procumbit, eumque qui super illud » colitur, cum magno clamore obtestans omni» busque nominibus appellans, atque omnium » rerum quas unquam mirifice gesserat com» monefaciens, nam utriusque Testamenti hi» storias callebat, tandem pia et præclara qua» dam impudentia effertur. Eam quæ Christi » fimbria sanguinis profluvium compresserat, » imitatur. Quidque fecerit, audite. Caput cum » pari clamore uberrimisque lacrymis, mulier» culæ illius instar quæ olim Christi pedes irri» garat, altari admovens, nec se ante ab eo di» scessuram minitans quam sanitatem consecuta » sit, ac deinde hoc suo pharmaco totum cor» pus perungens, ac sicubi quidpiam signorum » pretiosi Corporis aut Sanguinis manus condi» derat, id lacrymis admiscens, (o rem admiran» dam !) protinus liberatam se morbo sentit, » atque et corpore et animo et mente levis ab» scedit, hanc spei mercedem consecuta ut quod » speraverat obtineret, animæque firmitate cor» pori firmitatem compararet. »

XVII. Referri nonnisi ad asservatam in ecclesia Eucharistiam debet et illud exsecrandum scelus hæreticorum Donatistarum, quod ab Optato Milevitano, qui circa medium IV Christi sæculum floruit, breviter his verbis describitur : « Jusserunt Eucharistiam canibus fundi, » non sine signo divini judicii; nam iidem ca» nes accensi rabie ipsos dominos suos, quasi » latrones sancti Corporis reos, dente vindice, » tamquam innotos et inimicos laniaverunt. » Nec solum sub specie panis, verum etiam sub vini specie servatam fuisse aliquando in Ecclesia Eucharistiam, patet ex Epistola S. Joannis Chrysostomi ad Innocentium I Papam, ubi ait, ingressis militibus in sacrarium ubi sacra erant reposita, sanctissimum Christi Sanguinem in militum vestes effusum fuisse; quia scilicet tunc alicubi laici sub utraque specie communicabant. Quem morem, justis de causis, pluribus abhinc sæculis ab Ecclesia sublatum, tanta animi pertinacia Hussitæ retinuerunt, ut suis etiam in templis, domibus, vexillis, et aliis rebus calices pingerent, unde et *Calicularii* vocati sunt; ortaque est occasio uni poetarum dicendi:

Tot pingis calices, Bohemorum terra, per urbes,
Ut credas Bacchi numina sola coli.

XVIII. Ergo antiquissima est consuetudo asservandi in altari Eucharistiam; descriptique Patrum loci ac stupenda Gorgoniæ sanatio hæ-

Digitized by Google

reticos de ignorantia sua convincunt, cum ipsam consuetudinem temere pernegant. Ne autem sibi gratulentur et quasi parta jam victoria triumphum canant, quia scilicet eloquentissimus Ecclesiæ Doctor, de Eucharistia verba faciens, signorum nomen usurpavit; notandum hic obiter est, quod nostri docent theologi, Patres non semel Eucharistiam vocasse imaginem, signum, figuram, Sacramentum, Corporis Christi antitypum; nempe secundum partem exteriorem sumptam, non autem si consideretur secundum partem interiorem quam includit. Constat quidem Eucharistia essentialiter ex duabus partibus, quarum una, quæ exterior est, sensibus subjacet; altera vero, quæ penitus est interior, a nullo sensu percipitur. Cum secundum hanc alteram partem veteres Eucharistiam perpenderunt, eam profecto proprium, verum, ipsummet Christi Corpus appellarunt; cum autem attenderunt ad exteriorem partem, ad species nimirum panis et vini, dixerunt eam esse signum, figuram, Sacramentum Corporis Christi. Unde satis liquet, ea nomina corporalem Christi præsentiam in Eucharistia minime excludere. Cæterum cum nostri non sit instituti de hac controversia fuse disputare, consulendi sunt Bellarminus, Jueninus, et alii passim theologi. Interim vero videri potest titulus in tertio Decretalium libro *De custodia Eucharistiæ*, cap. I, ubi Innocentius III, Pontifex Maximus, statuit ut in cunctis ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur. Id quod et aliæ Synodi statuerunt, relatæ ab eruditissimo Emmanuele Gonzalez una cum aliis scitu dignis in commentario ipsius capitis I.

§ I.

Pontifex, tabernaculum sive vasculum pro conservanda sacrosancta Eucharistia benedicere volens, stans sine mitra, dicit : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc, pro corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum, bene✠dictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Tum aspergit illud aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Benedicebat jam olim Pontifex vasculum in quo Eucharistia reconditur, ubi ecclesiam dedicabat, uti ex Ordine antiquo Romano liquet; agens enim de ipsa dedicatione ecclesiæ, id est de ritu eam benedicendi, inter aliarum supellectilium sacrarum benedictiones, legitur Præfatio vasculi in quo Eucharistia reconditur, his verbis : « Oremus, Fratres dilectissimi, ut » Deus omnipotens hoc vasculum, Corporis Filii » sui Domini nostri Jesu Christi gerulum, suæ » benedictionis tutamine, suique Filii Domini » nostri munere, ac sancti Spiritus virtute im- » plere dignetur. Per.... in unitate ejusdem Spi- » ritus sancti. » Sequitur benedictio : « Omni- » potens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus » nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut » per nostram benedictionem hoc vasculum » sanctificetur, et Corporis Christi novum se- » pulchrum, Spiritus sancti gratia, perficiatur. » Per eumdem.... in unitate ejusdem Spiritus » sancti. »

II. Exstat tum hæc Præfatio, cum benedictio ad benedicendum hujusmodi vasculum pro Eucharistia asservanda, in manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, qui vixit sæculo VII; in quo tamen, sicut et in aliis plerisque Pontificalibus, uti superius innuimus, appellatur *Chrismale : Mysteriale* seu *Eucharistiale*, in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille;

Digitized by Google

in quo licet prima Oratio seu Præfatio cum descripta ex antiquo Romano Ordine concordet, secunda tamen omnino diversa est, et in hunc modum concepta : « Deus, qui, sacra Scriptura » testante, tribus diebus et tribus noctibus, ser- » vata integritate divinitatis, sponteque peracta » humani corporis fractione, insinuans casurum » quod corruptibile est, et resurrecturum quod » spiritale, in sepulchro jacuisti; Eucharistiale, » quæsumus, quod nos indigni ad mystici Cor- » poris tui custodiam consecramus et benedi- » cimus, tu in nomine sanctæ Trinitatis, An- » gelum tuum custodem deputans, consecrare » et benedicere digneris; quatenus qui ex eo, in » acceptione Corporis tui, viarum præsumpse- » rint viaticum paternarum, cœlesti hic et in » futuro, te miserante, non destituantur auxi- » lio. Per. »

III. Rursus in antiquo Romano Ordine præter benedictionem vasculi in quo Eucharistia reconditur, alius exstat ritus quo ciborium benedicebatur, id est umbraculum altaris, ut ibidem notatur hoc titulo : *Præfatio ciborii, id est umbraculi altaris.* Ejusque formula hæc est : « Oremus, Fratres charissimi, Deum rectorem » ac gubernatorem omnium sæculorum, ut im- » memor omnium delictorum et facinorum » juventutis, et ignorantiæ sive temerariæ præ- » varicationis meæ, istud instrumentum ad ho- » norificentiam nominis sui compactum placitus » ac misericors illustratione vultus sui benedi- » cere et sanctificare dignetur. Per. » Sequitur deinde Oratio, quæ in eodem Romano Ordine *Consecratio* appellatur, sub hac formula : « Om- » nipotens sempiterne Deus, qui fideli famulo » tuo Moysi præcepisti ut duos Cherubim super » arcam testamenti collocaret, quam extensis » ad alterutrum alis protegerent, versis vultibus » in propitiatorium : quæsumus ineffabilem cle- » mentiam tuam ut hoc tegimen venerandi al- » taris tui, in quo ipse unigenitus Filius tuus » Dominus noster Jesus Christus, qui est propi- » tiatio pro peccatis nostris, fidelium manibus » jugiter immolatur, et sub quo Sanctorum tuo- » rum corpora, quæ veraciter fuerunt arca te- » stamenti tui, receptacula videlicet Spiritus » sancti, per eumdem consubstantialem tibi Fi- » lium, qui factus est nobis a te sanctificatio et » redemptio, in virtute ejusdem Spiritus veri- » tatis, universa antiqui hostis falsitate cum sa- » tellitibus suis depulsa, cum omnibus orna- » mentis ad ipsum umbraculum pertinentibus » vel ab illo dependentibus aut eidem supposi- » tis, tua sancta benedictione perfundere et con- » secrare, atque ad tuitionem pignorum san- » ctorum, ac roboranda sive multiplicanda » vota fidelium tuorum, diutino tempore con- » servare digneris, annuente eodem Domino » nostro Jesu Christo Filio tuo, qui tecum. »

IV. Ritui descripto adnectit idem vetus Ordo Romanus alium ritum aliamque Præfationem atque Consecrationem, quibus minus sive itinerarium ciborium benedicebatur : « Oremus, in- » quit, dilectissimi, indulgentiam omnipotentis » Dei, ut postpositis humanæ fragilitatis admis- » sis, consuetæ misericordiæ suæ munere, hoc » repositorium sacris usibus præparatum, per » unigenitum Verbum, virtutem scilicet et sa- » pientiam suam, in Spiritu sanctificationis con- » secrare dignetur. » Atque hæc erat quidem Præfatio pro minore seu itinerario ciborio benedicendo ; consecratio autem constabat his verbis : « Consecrare et sanctificare dignare, » quæsumus, sancte Pater omnipotens, æterne » Deus, hoc conditorium sanctorum pignorum » ad recondenda in eo tuorum munera pretiosa » Sanctorum, in Christo Jesu Domino nostro, » qui. » Hic ciborium videtur esse parvum tabernaculum, portatile scilicet, et instar majoris effictum quod in altari stabile erat. Plura de ciborio vide apud eruditum Stephanum Duranti, lib. *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XVI. Cæterum quod super ciboriis crux olim poni consueverit, testimonium illustre habemus in testamento S. Everardi, ubi legat capellæ suæ *ciborium cum cruce aurea*, *etc.*, itemque *crucem auream cum crystallo super ciborium.* Hæc autem ciboria quæ exstabant in capella S. Everardi, *ciboria minora* vocantur, uti post Carolum Ducange in *Notis ad Paulum Silentiarium*, pag. 574, observat eruditus Georgius in disquisitionibus *De sacro ministerio*, cap. XXXII, num. II, ubi etiam observat, hujusmodi ciboria ita appellari quod essent portatilia et instar majorum ciboriorum efficta. S. Carolus, cap. XIII *Instructionum fabricæ Ecclesiasticæ*, mandat in summo tabernaculo ponendam esse imaginem Christi resurgentis, vel sacra vulnera exhibentis.

V. Etsi itaque hodie appellationem ciborii

Digitized by Google

passim sacræ pyxidi, vel tabernaculo in quo ipsa includitur, vulgares librorum Ritualium editores applicent, constat nihilominus, ex iis quæ ex Ordine antiquo Romano diximus, ciborium olim nihil aliud fuisse quam conopeum altaris, sive umbraculum quo altare obtegebatur, quodque in forma turriculæ erectum quatuor in columnis ad altaris cornua exsurgentibus incumbebat. Columnarum autem capita ornata erant maximis crateribus argenteis : quod usitatum ornamentum his temporibus erat, ut ex descriptione duodecim columnarum, in ecclesia quam Hierosolymis exstruxit Constantinus, apud Eusebium videre est lib. III *De Vita Constantini*, cap. XXXVIII. Suprema ciborii pars formam sphæræ referebat egregiis ornata floribus, unde nonnunquam *sphæra*, *lilia* et *malum* dicitur. Supra sphæram stabat crux, et testatur Paulus Silentiarius, et constat ex variis ciboriis quæ hodieque in nonnullis ecclesiis sive majoribus Urbis altaribus cernere est. Ad diversos arcus inferius inter columnas vela explicata pendebant, quæ totum altare contegebant. Atque hæc erant antiqua ecclesiarum insigniorum ciboria.

VI. Est quidem aliud tabernaculum, quod S. Carolus in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis* appellat portatile (vulgo *ostensorium* nuncupant), quodque agendis processionibus vel exponendæ sacræ Hostiæ usui est. An statim ab initio festi Corporis Christi, quod Urbanus IV Pontifex Maximus instituit, ejusque officium S. Thomas concinnavit, delata patenter fuerit Eucharistia dubitare videtur Joannes Baptista Thiersius in tractatu quem *De SS. altaris Sacramenti expositione* inscripsit, lib. II, cap. IV, in eamque propendet sententiam quæ Corpus Christi in calice seu vase alio absconditum deportatum fuisse sustinet. Coævam esse processionem festo probat quidem Grancolas ex Concilio Senonensi Parisiis primum anno 1320, can. I; ex statutis Ecclesiæ Tornacensis anno 1325, et Carnotensis anno 1330 ; tum vero addit : *In Gallia itaque et Parisiis incepta est* (processio), *neque in Italiam, Papiam scilicet, transiit ante annum* 1404.

VII Sed labi uterque Gallus scriptor videtur, Thiersius æque ac Grancolas. Quod enim in vase aperto Eucharistia delata fuerit, fuse ostendit Edmundus Martene, et ipse Gallus, in opere *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XXIX, num. V; quia scilicet in antiquo Missali Fiscamnensi ad usum Ecclesiæ Rothomagensis scripto, cujus character annos 400 hodie longe superat, ante hujus diei festi Missam præmittuntur ea quæ in processione sunt canenda, atque in prima initiali littera efformatur imago duorum Presbyterorum sanctissimum Sacramentum in vase gestatorio omnino apertum, ut nunc fit, humeris gestantium. Idem eruit ex Missali Melodunensi, ante annos quadringentos exarato, in quo, feria V post festum sanctissimæ Trinitatis, habetur Missa de sanctissimo Sacramento, cui appicta est imago Sacerdotis sacram Eucharistiam manu gestantis sub baldachino a quatuor viris delato, qui perinde ac Sacerdos ipse reliquique Clerici nudum caput florum coronis ornatum habent.

VIII. Est denique de hac re celeberrimum testimonium, quod ipse memoratus Martene affert ex manuscripto Ordinario Silvanectensis Ecclesiæ, ab annis circiter 450 manu exarato, in quo ita legitur : « Post Primam, processiones sanctorum Reguli et Frambaldi, et omnes Curati » civitatis cum suis parochianis, et Canonici » Sancti-Mauritii, veniunt ad ecclesiam Cathe» dralem. Tum fiet processio in cappis sericis, in » qua sacratissimum Corpus Christi in aperto » vasculo positum defertur ab Episcopo, vel Decano, vel antiquiori Canonico reverenter. » De eo tandem quod Grancolas scribit, delatam in Gallia primum post annum 1300 Eucharistiam in solemni processione fuisse, videri potest eruditissimus Lupus, tomo XI operum, editionis Venetæ, in dissertatione *De sacris processionibus*, cap. III, ubi fuse ostendit Urbanum IV, processionem licet non præceperit, omnino tamen probasse ac in Italia inchoasse.

IX. Sed ut hanc rem uberius nos prosequamur, tametsi nonnulli addubitent an ab Urbano simul cum ipso festo sanctissimi Sacramenti instituta fuerit processio, quia scilicet de illa ab Urbano in sua Constitutione nulla fiat mentio, probabilius est, quod clarissimi auctores docent, utriusque solemnitatis auctorem fuisse, quippe cum publica processio ex communi Ecclesiæ usu ad festi solemnitatem pertineat, ut docet Jacobus Eveillon in libro *De processionibus Ecclesiasticis*, cap. XVIII. Urbano quidem in ipsa institutione ea mens fuit ut omni genere solemnitatis, et plene, ut loquitur, hoc festum

Digitized by Google

celebraretur. Et certe plausus ille populorum, et publica omnium ordinum tripudiatio, exsultatio et jubilatio, quæ in celebratione hujus festi commemorantur a laudato Pontifice, non æque videntur posse convenire divinis Officiis, quæ statarie, ut aiunt, in choro a solis Clericis canuntur, ac pompæ ipsi processionis; et in sola evectione sanctissimi Sacramenti, quæ fit procedendo per vias et loca publica, cernitur imago triumphi illius Christi, cujus causa ipsemet institutor Urbanus, et Tridentini Concilii Patres, sessione XIII, cap. V, dicunt institutum fuisse hoc festum ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam atque insaniam.

X. Sunt quidem in hac sententia non modo memoratus Lupus, et Jacobus Eveillon in laudato libro, cap. XXV, verum etiam Joannes Luziardus in *Epitome Historiæ universalis*, cap. CCXXXIII; Hermanus Scheder in *Chronicis in* VI *ætate mundi;* Philippus Bergomas in *Supplemento Chronicorum*; Onuphrius Panvinius in *Additionibus ad Platinam in Vita Urbani IV;* Federicus Nausea in *Catechismo Catholico*, lib. VI, cap. XXXVIII; Joannes Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgii, die* V *aprilis;* Alphonsus Ciaconius in *Vitis Pontificum*, ubi agit de Urbano IV; Henricus Spondanus in *Continuatione Annalium cardinalis Baronii* anno Christi 1264; et alii, qui docent Urbanum IV, Romanum Pontificem Maximum, instituisse solemnitatem Corporis Christi cum processionibus et Octavis a cunctis fidelibus celebrari.

XI. Errat itaque Joannes Trithemius, aliique etiam auctores errant, ubi aiunt Joannem XXII, ultra ordinationem Urbani Clementinis insertam, novas Indulgentias concessisse atque processionem ordinasse. Nulla enim prorsus mentio habetur in Constitutionibus Joannis, sive quæ inter Extravagantes, sive quæ in Bullario habentur. Neque enim verisimile est, ut scite observat clarissimus Eveillon, Joannem Pontificem, quando suas illas Constitutiones corpori Juris inseruit, tanti momenti ordinationem omissurum fuisse, cum ipse Constitutiones Urbani IV et Clementis V de ejusdem festi institutione et celebratione minime omiserit. Certe verba Concilii Senonensis perspicue indicare videntur in usu fuisse eam processionem in Gallia ante Pontificatum Joannis, qui electus fuit VII idus augusti anno 1316. Ex quibus patet quam longe errarint qui prima initia hujus processionis retulerunt ad annum 1404, decepti verbis Donati Bossii, qui in *Chronicis* suis scribit, die Jovis XXIX maii ejus anni, Corpus Christi solemniter per Papiam urbem circumferri cœptum esse, quasi quod tunc Papiæ novum fuit, toti orbi ante ignotum et inusitatum fuisse oporteret.

XII. Est quidem ritus non recens inventus, sed jam inde a primis temporibus in Ecclesia usitatus, ut divina Eucharistia in processionibus Ecclesiasticis circumferretur. Constat id quidem ex canone V Concilii III Bracharensis, quod habitum est anno Christi 675. « Bona » quidem res est, inquit, divina Sacerdotibus » contrectare mysteria; sed cavendum valde est » ne hoc quisque ad usum pravitatis suæ intor- » queat unde soli Deo de bona conscientia pla- » cere debuerat. Scriptum est enim : *Væ his* » *qui faciunt opus Dei negligenter et desidiose.* » Ut enim quorumdam Episcoporum detestanda » præsumptio nostro se cœtui intulit dirimenda, » agnovimus quosdam de Episcopis, quod in » solemnitatibus Martyrum, ad Ecclesiam pro- » gressuri, reliquias collo suo imponant, et, ut » majoris fastus apud homines gloria intume- » scat, quasi ipsi sint reliquiarum arca, Levitæ » albis induti in sellulis eos deportant. Quæ de- » testanda præsumptio abrogari per omnia de- » bet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas » sola prævaleat, si modum suum uniuscu- » jusque ordinis reverentia non agnoscat. »

XIII. Ergo mandant Patres Bracharensis Synodi antiquam in hac parte et solemnem consuetudinem observari, nimirum « ut in festis » quibusque arcam Dei cum reliquiis non Epi- » scopi sed Levitæ gestent in humeris, quibus » et in veteri Lege onus idem impositum no- » scitur et præceptum. Quod si etiam Episcopus » reliquias per se deportare elegerit, non ipse a » Diaconibus in sellula vehatur, sed potius pe- » disequo eo una cum populis progressione » procedente, ad conventicula sanctarum eccle- » siarum, sanctæ Dei reliquiæ per eumdem Epi- » scopum portentur. » En anno salutis 675 Concilium diserte significat antiquam et solemnem fuisse consuetudinem gestandi in humeris, et publico ritu honoris et adorationis causa, arcam Domini in qua erat divina Eucharistia, procedendo una cum populis ad ecclesias

Digitized by Google

sanctas : « Et ideo, » sunt verba Concilii, « antiqua in hac parte et solemnis consuetudo » servabitur, ut in festis quibusque, etc., » ut dictum paulo superius est. Si ergo jam tunc antiqua et solemnis fuit illa consuetudo, certum est aliquot ante sæculis ejus rei usum in Ecclesia Catholica fuisse receptum et observatum; quod quidem haud procul abest ab Apostolicis sæculis, ut scite observat doctissimus Jacobus Eveillon loco citato.

XIV. Ne quis vero hæreat in verbo *reliquiarum*, quasi de Martyrum ossibus reliquiisve accipiendum foret, ut quidam perperam intellexerunt; scire opus est reliquias in recitato canone nihil aliud significare quam Corpus Christi. Usus enim fuit in primitiva Ecclesia, et subsecutis etiam temporibus, ut sanctum Domini Corpus, cum asservabatur, nomine *reliquiarum* appellaretur, quasi quod ex Sacrificio anteacto reliquum superesset. Ea appellatione usi sunt præter alios auctor nomine S. Clementis in Epistola II ad Jacobum fratrem Domini; et lib. VIII *Constitutionum Apostolicarum*, cap. XIII et XXXI; S. Cyrillus, qui præfuit Concilio Ephesino, anno Christi 631, in Epistola ad Calosirium, ubi vocat Christi Corpus λείψανον; S. Germanus Constantinopolitanus episcopus in *Theoria mystica*, ubi appellat θεῖα λείψανα, *divinas reliquias;* itemque, ut *Euchologium* Græcorum omittam, in quo etiam ipsæ voces exstant in *Liturgia Præsanctificatorum*, Patres quidem Concilii Matisconensis II, can. VI, diserte appellant *reliquias sacrificiorum*, et simpliciter etiam *reliquias*. Quia scilicet peracto Sacrificio, quod reliquum erat, in locum ad hoc destinatum transferebatur, et pro ægrotantium necessitate aut pro sequenti Sacrificio, uti dictum est, asservabatur.

XV. Rursus, ut canon plenius intelligatur, sciendum et illud est, quod Sacerdos, ubi in Missa verba illa pronuntiabat : *Hæc commixtio, etc.*, duplicem fuisse olim ab ipso particulam in calicem immissam, alteram nempe quæ ex præcedenti Sacrificio conservata fuerat, quamque Pontifex ad altare procedens in capsa gerebat, cum asservata fuisset in capella, aut intra templi septa, aut etiam aliquando intra Episcopalis palatii muros ad hoc ædificata; alteram vero quæ ex præsenti Sacrificio sumebatur, quæ una cum illa præcedentis Sacrificii particula mittebatur in calicem, ut quasi ex concatenatis per hanc reservatam particulam Sacrificiis unum et juge Sacrificium intelligeretur. Quod sane convenit cum his quæ scripsit Innocentius I, Pontifex Maximus, in Epistola I, ad Decentium Eugubinum episcopum, cap. V, ubi innuere videtur fermentum de quo ipse loquitur, esse particulam Eucharistiæ reservatam quæ ad alias vicinas ecclesias mittebatur, ut cum Sacrificio quod in his celebrabant commisceretur. Hanc ergo reservatam cum ad ecclesiam et altare prodeunt Pontifices deferrent, aliqui, sive honoris erga eam, sive alia de causa, voluerunt etiam a Diaconis in sellulis gestari. Quod posthac vetitum est.

XVI. Jam nullum superest dubium quin in recitato canone Bracharensi *reliquiarum* nomine divina Eucharistia intelligatur; id enim perspicue evincitur ex ipsius canonis verbis : « Bona » quidem res est divina Sacerdotibus contrectare » mysteria; » itemque ex illis : « sanctæ Dei » reliquiæ, et arca Domini : » quæ quidem verba reliquiis Martyrum convenire nequaquam possunt, sed soli Eucharistiæ Sacramento, quod Deum præsentem in se, et cœlestis cibi manna continet, cujus figura exstitit arca veteris Testamenti quæ cum religione et reverentia portabatur a Levitis, quasi Dei sedes ex ejus propitiatorio oracula edentis, et vota suorum exaudientis: de quo solo Sacramento dici potest quod in eo divina mysteria contrectentur a Sacerdotibus.

XVII. Cæterum cum has Christi Corporis reliquias, de quibus laudatus canon loquitur, aut ex viciniori Ecclesia aut etiam ex Episcoporum capellis, Dominicis aut festis diebus, ad majorem ecclesiam Episcopus asportaret, fortasse hoc ipsum est quod ritum illum invexit gestandæ divinæ Eucharistiæ in solemni processione, in Ecclesia tum Latina tum Græca; in qua quidem antiquus mos fuit, quoties Mysteriorum Præsanctificatorum Missa celebranda esset, ut Sacerdos sacris vestibus indutus Hostiam consecratam capiti, venerationis ergo impositam in disco velo cooperto gestans, ac longiore circuitu per ecclesiam, lento et composito incessu progrediens, eam a tabernaculo seu reconditorio ad mensam propositionis e latere altaris instructam deferret, ut inde postea altari ad rem sacram faciendam inferretur, præeuntibus cereis accensis, et Diacono capite reverenter inclinato thus ado-

Digitized by Google

lente, populus vero interea flexis genibus in adorationem procumberet, Præposito ecclesiæ ter inclamante: « Venite, adoremus; » et Choro subinde accinente: « Ecce Sacrificium mysti- » cum et consummatum. » Id constat ex Liturgia Præsanctificatorum, et ex ejusdem declaratione quæ habetur in *Euchologio* Jacobi Goar; itemque ex *Theoria mystica* sancti Germani archiepiscopi Constantinopolitani; ex Nicolao Cabasila in *Expositione Liturgiæ;* ex Arcudio, lib. III *De concordia Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis*, cap. XIX, LVII et LVIII; et ex aliis. Atque hæc sacræ Eucharistiæ circumgestatio in *Expositione Liturgiæ Præsanctificatorum* appellatur *Processio sacrorum donorum.*

XVIII. Quanquam vero ex Bracharensi canone Diaconorum succollantium humeris Episcopum Corpus Domini ferentem gestari prohibeatur, adhuc tamen aliquod ejus ritus vestigium Romæ superest, ubi Summus Pontifex in processione solemni Corporis Domini, dum ipse illud manibus suis gestat, in sellula laicorum humeris deportari solet; tametsi Benedictus XIII, Pontifex Maximus, senio confectus, quoad vixit, morem hunc nusquam servarit, sed pedibus progrediens suis, nudoque prorsus capite, summa animi devotione quæ in vultu elucebat, divinam Eucharistiam gestare solitus fuit. Eamdem hanc pietatem in suo *Commentario* brevi *rerum in orbe gestarum ad annum* 1566 commendat Laurentius Surius in S. Pio V, altero ex Prædicatorum Ordine Pontifice Maximo, sic scribens: « In festo sacrosanctæ Eucharistiæ, » licet fractis esset viribus et medicorum opera » uteretur, attamen vere Pius Pontifex non sella » pro more gestatus nec corona Pontificia orna- » tus, sed cum maxima populi ædificatione pe- » dibus ingrediens, illud præstantissimum Cor » poris Christi voluit circumferre Sacramen- » tum. »

XIX. Gestatam jam olim sanctissimam Eucharistiam, antequam ejus festum peculiare ab Urbano IV institueretur, et quidem variis servatis ritibus, varia exempla nos condocent. Inter decreta a Lanfranco edita, qui post acquisitum a Nortmannis regnum primus Ecclesiam Anglicanam rexit, pulcherrime ordinavit processionem Dominicæ in Palmis cum divinæ Eucharistiæ delatione, hoc ritu: « Cantore » incipiente Antiphonam *Occurrunt turbæ*, » exeant duo Sacerdotes albis induti qui portent » feretrum, quod parum ante diem ab eis Sa- » cerdotibus illuc debet esse delatum, in quo et » Corpus Christi debet esse reconditum. Ad » quod feretrum præcedant statim qui vexilla » portant, et cruces, et cætera quæ superius di- » cta sunt. » Sancit ipsum gestari per omnem processionem et honorari piissimis cæremoniis. Singulare est quod narrat Joannes Bohemus libro III *De omnium gentium moribus*, cap. XV, ubi hæc habet: « In Franconia Pentecostes » tempore ubique fere hoc agitur: conveniunt » quicumque equos habent aut mutuare possunt, » et cum Dominico corpore, quod Sacerdotum » unus etiam equo insidens collo in bursa sus- » pensum defert, totius agri sui limites obequi- » tant, cantantes supplicantesque ut segetes » Deus ab omni cœli injuria et calamitate velit » servare. »

XX. Quo ritu Brundusii in nostro regno Neapolitano in festi Corporis Christi processione Eucharistia deportaretur, enarrat in suis *Brundusinis Historiis* Carolus Veranus: « Brun- » dusii, inquit, in hunc usque diem mos obser- » vatus obtinuit ut, singulo quoque anno in » solemnitate Corporis Christi, sanctissimum » Sacramentum equo albo nec non mansueto ac » pulcherrime phalerato per civitatem deferatur. » Quare Archiepiscopus, hac die Sacerdotalibus » vestibus pluvialique interea indutus, talique » equo insidens, sanctissimum Sacramentum a » duobus Acolythis assidue incensatum, in sup- » plicatione maxime solemni sub umbella a sex » Canonicis delata, gestare solet, duobus civi- » tatis primariis, Gubernatore scilicet et regio » Assessore, equi frenum tenentibus ipsumque » ducentibus. » Adjungit ritus causam atque originem, quem curiosus lector apud ipsum auctorem legere potest. Quod Eucharistia, quæ Summum Pontificem dum iter conficit solet præcedere, quandoque etiam ab albo equo, quandoque a duobus albis mulis deportaretur, iique postmodum ab omni opere liberi fierent, testatur in suo Commentario *De sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo* Angelus Rocca. De albarum mularum usu antiquissimo in triumphalibus curribus, in transferendis sacris reliquiis, et ubi Cardinales iter conficiunt, vide eruditum Vincentium Riccardum in *Commentario ad*

Digitized by Google

Orationem IX *S. Procli archiepiscopi Constantinopolitani.* Quicquid autem de iis sit, ut ritum gestandæ in processione divinæ Eucharistiæ, ad quem sensim devenimus, tandem absolvamus, sanxit jam sacra S. R. E. Cardinalium Congregatio, Eucharistiam in solemni processione non deportandam nisi per manus Sacerdotis. Id quidem testatur Bartholomæus Gavantus.

XX. Ex dictis hactenus jam liquido constat, quod cæteroqui eruditi quidam scriptores pernegant, antiquum esse Ecclesiæ morem gestandæ atque etiam publice exponendæ divinæ Eucharistiæ. Etsi enim primis sæculis propter Gentiles et Judæos publice illa minime exponeretur, exponebatur tamen non modo Christianis, sed et neophytis. Id quidem fuse atque egregie ostendit Lupus, omnium eruditissimus, tomo XI ultimæ editionis, in dissertatione *De sacris Processionibus*, cap. IX, ubi insignem S. Augustini locum exponit ex Sermone ejus VIII ad neophytos habito : « Memor sum promissionis meæ. » Promiseram enim vobis qui baptizati estis, » sermonem quo exponerem Dominicæ mensæ » Sacramentum quod modo etiam videtis, et » cujus nocte præterita participes jam facti estis. » Debetis scire quid accepistis, quid accepturi » estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis » ille, quem videtis in altari, sanctificatus per » Verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, » imo quod habet calix, sanctificatum per Ver» bum Dei, Sanguis est Christi. » Episcopalis sermo, ait Lupus, apud Afros fiebat intra Missam, statim post cantatum Evangelium. Id quod nos fuse ostendimus, ex more Ecclesiæ universo, in opere nostro *De codice sancti Evangelii, atque servatis, etc.*, libro II, cap. XXIX.

XXII. Adesse Episcopali sermoni poterant quidem non solum pœnitentes et catechumeni, sed Gentiles etiam et Judæi ; verum Augustini memoratus sermo ad solos neophytos ex hesterna promissione habitus fuit, et quidem ante Consecrationem atque Præfationem, imo et ante Offertorium, uti constat ex iis verbis : « Quod » modo etiam videtis;» et ex aliis quæ sequuntur : « Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus » per Verbum Dei, Corpus est Christi. » Ex quibus constat loqui Augustinum de præsanctificata exposita ad videndum et adorandum, non vero de Eucharistia tunc in Sacrificio consecrata. Id quod clarius ea verba innuunt quæ in ipso Sermone VIII paulo post subjicit Augustinus, dicens : « Non tibi videatur vile quia vides. » Quæ quidem verba aperte significant sacrosanctam panis speciem non in ciborio fuisse vase clausam, sed nudam in vase *monstratorio* sive *ostensorio.*

XXIII. Similem S. Augustini sermonem habemus et apud S. Fulgentium, in fine libri *De Baptismo Æthiopis,* sic aientem : « Hoc quod » videtis in altari Dei, etiam transacta nocte » vidistis. Sed quid esset, quid sibi vellet, quam » magnæ rei Sacramentum contineret, nondum » audistis. Quod ergo videtis panis est et calix : » quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. » Quod autem fides vestra postulat instruenda, » panis est Corpus Christi, calix Sanguis Chri» sti. » Tum veritatem, et omnia sancti hujus Sacramenti mysteria insigniter exponit Fulgentius, qui laudato Sermoni hunc præfixit titulum : *Sermo S. Augustini episcopi ante altare ad infantes de Sacramento.* Ex quo addiscimus dictum hunc sermonem non ex ambone, sed ante altare, post ejectos infideles, pœnitentes et catechumenos, qui sermonem ex ambone audierant; remanentibus autem neophytis, quos ad altare ducebat Episcopus, ad eosque coram sacrosancta Eucharistia in altari exposita alium sermonem habebat.

XXIV. Primam, quæ in ipsa sacra nocte fiebat, sacrosancti Mysterii expositionem et ostensionem laudat etiam S. Ambrosius, qui in III *De Sacramentis* libro, cap. II, sacramentum Confirmationis exponit, quæ statim a sacri fontis egressu baptizatis dabatur, statimque hæc addit : « Post hæc quid sequitur ? Venire habes ad al» tare. Quoniam venisti, videre habes quæ ante » non videbas, hoc est Mysterium quod legisti » in Evangelio. Si tamen non legisti, certe au» divisti. » Etiam in libro *De initiandis*, c. VIII, scribit baptizatis statim a sacri fontis egressu imprimi sacrosanctum signaculum Christianæ Confirmationis, et adjungit : « His abluta plebs » dives insignibus ad Christi contendit altaria, » dicens : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui* » *lætificat juventutem meam.* Venit igitur videns » sacrosanctum altare compositum, exclamans » ait : *Parasti in conspectu meo mensam.* Nunc » illud consideremus, ne quis visibilia videns, » dicat forte : Judæis Deus manna pluit, pluit

Digitized by Google

» coturnices, Ecclesiæ autem illi dilectæ hæc » sunt quæ præparavit, de quibus dictum est, » quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec* » *in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus* » *diligentibus eum*. Ergo, ne quis hoc dicat, » summo studio volumus comprobare quod et » antiquiora sint Sacramenta Ecclesiæ quam » synagogæ, et præstantiora quam est manna. »

XXV. Scitissime post hunc recitatum Ambrosii locum observat Lupus consuevisse Episcopum exposita sacra Mysteria neophytis plenissime explicare, durasseque expositionem per totam octavam ; fuisse autem similem expositioni hodiernæ, nisi quod illa clausis basilicæ januis fieret, ne quis profanus posset obrepere. Porro scribit S. Ambrosius altare, ubi sacra Eucharistia exponebatur pro neophytis, ut dictum est, fuisse compositum et splendide ornatum : quod quidem tanto Sacramento consentaneum est. Quid enim faciendum non est pro Rege regum ac Domino dominantium Domino nostro Jesu Christo ? De S. Ludovico IX, Francorum rege, ad sacrum bellum profecto, scribit in ejus Vita Gaufredus a Bello-Loco quod adscensurus navem, obtenta prius a Legato Romani Pontificis Odone Tusculano episcopo speciali facultate, Corpus Domini nostri Jesu Christi « in loco navis dignissimo et convenien- » tissimo fecit poni, et pretiosum tabernaculum » ibi erigi, pannisque sericis et aureis operiri. » Fecit insuper ibidem altare collocari et decen- » ter ornari, ubi quotidie divinum Officium » solemniter audiebat; videlicet omnes Horas » canonicas, et, præter Canonem, quæ pertine- » bant ad Missam, Sacerdote et Ministris sacris » vestibus indutis secundum quod congruebat » diei. » Ergo ornanda est ecclesia, ac præsertim altare, ubi adest divina Eucharistia, estque is ritus antiquus, ut tradit S. Ambrosius, habemusque exempla illustria in historia veteri Ecclesiastica, in qua legimus S. Remigium Remensem episcopum, dum Clodovæum baptizari oportuit, baptisterium et omnem basilicam adeo ornasse, ut admirans rex barbarus quæreret an istud esset cœleste regnum, quod ipsi Episcopus in catechismo promiserat; ut in *Ecclesiæ Remensis Historia* Flodoardus presbyter scribit, libro I, cap. XXXI.

XXVI. Hunc morem, dum hæc typis committerentur, servatum vidi in nostra ecclesia Sancti-Hieronymi Charitatis; sericis enim undique fuit ornata aulæis, ubi duo Hebræi recens ad fidem Christi conversi, frater et soror, ambo adolescentes, facultate prius ab Eminentissimo S. R. E. cardinali Guadagnio Sanctissimi Domini nostri Papæ Vicario obtenta, ab archiepiscopo Philippensi Cavalchino, memoratæ ecclesiæ ac Patrum Prælato, solemni ritu baptizati sunt in festo Trinitatis, die XXIV maii 1739, post Vesperas. Fuit maris, cui nomen Joseph, patrinus illustrissimus Præsul Joseph Herculanus ; feminæ autem, cui Margarita nomen, matrinæ munus egit excellentissima Domina Isabella Acquaviva Strozzia. Celebratus est autem Baptismus una cum Confirmatione in nostra ecclesia, tum quia altare majus, quod est nobilior ejusdem ecclesiæ pars, ad principes Strozzios pertinet, tum etiam quod opera unius e nostris, Patris Josephi Rossi, ipsi adolescentes una cum patre et matre alioque eorumdem filio Francisco Maria, quem paulo ante in ecclesia monialium Sancti-Benedicti Campi Martii sacro lavacro abluerat S. R. E. cardinalis Guadagnius, patrinum per procuratorem agente S. R. E. cardinali Coscia, ad Christi fidem conversi sunt. Porro tantus fuit in nostra ecclesia concursus, ut multi super confessionalibus atque ecclesiæ fenestris locum caperent; facto autem catechismo in limine ecclesiæ, collatoque in medio ecclesiæ Baptismo, in ara principe adolescentes ipsi confirmati fuere.

XXVII. Quoniam vero de expositione sanctissimi Sacramenti superius institutus est sermo, omittendum tandem non est quod ea de re statuit S. Carolus in Concilio suo provinciali IV Mediolanensi, *Constitutionum* parte II, cap. *Quæ ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pertinent*. Mandat 1° ut altaris vel capellæ ubi exponetur collocabiturve ornatus decens sit ac religiosus; 2°, ut cerei in altari accensi, ad summum decem, minimum vero sex, decenti crassitudine ac longitudine colluceant; lampades item ne plures quam duodecim aut tredecim, nec vero pauciores quam tres; 3°, ut liceat Episcopo ob causam permittere ut major luminum numerus aliquando adhibeatur. Ex quadam Clementis XI Instructione observanda in Oratione Quadragenarum Horarum, cum scilicet sanctissimum Sacramentum exponitur, edita anno 1705, die 20 januarii ; quam deinde

Digitized by Google

et alii Pontifices confirmarunt, Innocentius XIII, Benedictus XIII, et Clemens XII (quem nobis diu sospitem servet Deus), inter alia cautum est ut viginti cerei in altari ardeant ubi divina Eucharistia exponitur. Exstat Instructio ipsa apud virum clarissimum Cajetanum Merati, clericum regularem, in *Additionibus ad Gavantum*, tomo I, parte I, pagina 685 et seqq., in quibus varias agitat quæstiones, dubiaque resolvit quæ ex ipsa expositione oriri possunt. Sed hisce omissis quæstionibus, ut tandem ad ea quæ superius de tabernaculo portatili dicebamus revertamur, puto equidem tabernaculum istud portatile seu ostensorium, de quo sermo superius est institutus, debere primum benedici antequam exponendæ sacræ Eucharistiæ usui sit; adhiberi autem potest ea benedictionis formula quæ in præsenti titulo descripta est.

XXVIII. Lubet nunc ad calcem Commentarii hujus recensere quæ de ipso tabernaculo parvulo seu portatili, quod vulgo *ostensorium* nuncupant, mandat S. Carolus in Concilio suo provinciali IV, sub eo titulo quem inscripsit: *Quæ ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pertinent*. Sic enim inquit: « Tabernaculum autem quod agendis processionibus » vel exponendæ sacræ Hostiæ usui est, pellu» cido vitro vel crystallo undique circumdatum » sit; lunulamque, forma instructionibus su» pellectilis Ecclesiasticæ præscripta, hujusmodi » habeat ut aperiri commode possit, et fra» gmenta colligi, si quæ forte ibi relicta sunt. » Ipsa autem lunula, saltem cum supposito » parvulo scuto, ex argento constet. » Vide *Acta Mediolanensis Ecclesiæ* ab eodem S. Præsule concinnata, parte IV, libro II *Instructionum supellectilis Ecclesiasticæ*, ubi varia de ipso tabernaculo parvulo sanctissimæ Eucharistiæ præscribit. In Concilio Coloniensi anni 1452, et apud alios scriptores, istud tabernaculum portatile *remonstrantia* dicitur; alicubi vero appellitatur *sphæra*.

TITULUS XIX.

DE BENEDICTIONE CAPSARUM PRO RELIQUIIS ET ALIIS SANCTUARIIS INCLUDENDIS.

I. Tametsi in omni fere Ecclesiæ sæculo hæretici non defuerint, qui nihil esse detestabilius dicerent quam Sanctorum vita functorum exuvias, sancti nihilominus Ecclesiæ Doctores ac Patres sacræque Synodi ipsorum semper impietatem confutarunt. Late id quidem theologi ostendunt et eruditi canonici juris interpretes in titulum *Decretalium* qui inscribitur *De reliquiis et veneratione Sanctorum*. Nos ea duntaxat colligemus quæ præsentem hunc nostrum titulum illustrant, quæque nos manifeste docent quanta fuerit fidelium pietas in ipsis reliquiis rite, religiose ac splendide asservandis. Reliquiæ tametsi aliquando pro Christi Corpore accipiantur, ut superius fuse ostendimus, passim tamen ac communi usu loquendi pro Sanctorum ossibus atque exuviis sumuntur, præsertim vero in præsenti titulo.

II. Quanto in pretio essent apud primos Christianos, vivente adhuc Apostolo, illius sudaria et semicinctia, quorum virtute et morbi curabantur et spiritus nequam a corporibus obsessis egrediebantur, testantur *Acta Apostolica*, cap. XIX. Dolebat sane Vigilantio hæretico quod reliquiæ pretioso operirentur velamine, et non potius pannis vel cilicio colligati in sterquilinium projicerentur; sed hoc inter alia argumento compressit S. Hieronymus, nempe hanc esse religiosam Episcoporum omnium consuetudinem, ut dissolutos Sanctorum cineres *in serico et vase aureo* portarent. Atque hæc fuit quarti sæculi disciplina, quo vivebat S. Hieronymus et adversus Vigilantii errores scripsit, uti videre est in ejusdem sancti Doctoris Epistolis.

III. Sub iisdem temporibus mos ille servaba-

Digitized by Google

tur, ut brandeis quibusdam Sanctorum reliquiæ involverentur; erantque vela, seu pallæ sericæ aut lineæ, quæ venerandis Sanctorum lipsanis applicatæ, Christianis, tanquam ipsorum Sanctorum reliquiæ, dispertiebantur; cum olim summis eas digitis attrectari nefas putaretur: teste Gregorio Magno, qui lib. III, epistola XXX, ad Constantiam Augustam, S. Petri et Pauli reliquias dedicandæ eorum basilicæ causa postulantem, ita scribit: « Cognoscat autem tran» quillissima domina, quia Romanis consuetudo » non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut » quidquam tangere præsumant de corpore; » sed tantum in pyxide brandeum mittitur, » atque ad sacratissima corpora Sanctorum » ponitur. Quod levatum in ecclesia quæ est » dedicanda, debita cum veneratione recon» ditur; et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt » ac si illuc specialiter eorum corpora refe» rantur. Unde contigit ut, beatæ recordatio» nis Leonis Papæ temporibus, sicut a majo» ribus traditur, dum quidam Græci de talibus » reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc » ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, » et ex ipsa incisione sanguis effluxerit. »

IV. Narrat hanc S. Leonis historiam Sigebertus, anno 441; cui similem de ipso Gregorio refert in ejus Vita Joannes Diaconus, lib. II, adjungens fuisse brandeum pannum quemdam pyxidi ab ipso Pontifice inclusum et Pontificali sigillo signatum. Hinc cum quidam Occidentalium Ecclesiarum seu principum legati, irati ob denegatas Sanctorum reliquias brandeumque earum loco a Summo Pontifice oblatum, vocarent *vilem pannum*, et pretiosis suæ patriæ palliis opponerent, eorum murmurationes brandei incisione ac emisso inde sanguine curatas fuisse ab ipso Gregorio, in laudato lib. II memoratus Joannes Diaconus testatur. Porro brandea ista, seu velamina, sudaria, pallæ et alia hujusmodi, sacrosanctis Sanctorum corporibus intra aras vel thecas occlusis, per fenestellas quæ aris aut thecis aderant, juxta priscum Ecclesiæ ritum, admovebantur. De hisce autem fenestellis agunt Gregorius Turonensis, lib. II *De gloria Confessorum*, cap. XXXVII; Beda, lib. I *Historiæ Anglicanæ*, cap. III; Evodius, lib. III *De miraculis S. Stephani*, cap. XII; et alii.

V. Fuit et olim mos ut sacræ reliquiæ in aureis argenteisve capsis includerentur; non enim licitum erat ipsas reliquias extra capsas oculis hominum exponere, uti constat ex cap. LXII Concilii Lateranensis IV, quod relatum est in cap. *Cum ex eo* II, *De reliquiis et veneratione Sanctorum;* ejusque disciplinæ hæc assignatur ratio, ne detractores scilicet occasionem sumerent obloquendi et blasphemandi; videntes enim ossa nuda, ut verbis utar Hostiensis in dicto cap. II, dicunt: « Truffæ sunt; si » enim sanctus esset, non esset sic consumptus, » non attendentes ad illud quod generaliter » omnibus dictum est, *Genesis* cap. III: *Cinis* » *es, et in cinerem reverteris.* » Fateor equidem me non probare eorum consuetudinem qui non solum ossa Sanctorum dimidia ac nuda, sed, quod indecentissimum est, ipsorum sputa ac purulentiam venerationi fidelium exponunt, et tanquam venerandas reliquias tradunt; id quod theologi passim reprehendunt.

VI. Sed, ut quod nostri est instituti prosequamur, est capsa arcula seu repositorium; Leg. III, § I, ff. *De supellectile legata:* proprie hic significat arcam in qua Sanctorum reliquiæ reconduntur, aliisque etiam nominibus appellari solet in duobus hisce versiculis contentis, quos edidit Joannes de Garlandia in *Synonymis:*

Dic arcas, thecas, cistas, vel scrinia, capsas:
Capsula, capsella, de capsa diminuuntur.

De hujusmodi capsis sacras Sanctorum reliquias continentibus faciunt passim mentionem antiqui non modo scriptores Ecclesiastici, sed etiam sancti Patres, inter quos S. Joannes Chrysostomus, in celebri *Homilia de SS. Bernice et Prosdoce virginibus*, Christifideles sua eloquentia excitat ad ipsas invisendas capsas amplectendasque: « Fortasse, inquit, non me» diocri erga Sanctas illas amore exarsistis: » cum hoc igitur ardore coram ipsarum reliquiis » procidamus, ipsarum capsulas complectamur: » multam enim possunt virtutem capsulæ Mar» tyrum obtinere, quemadmodum et ossa Mar» tyrum magnam vim habent. »

VII. Similia et apud alios scriptores invenio, qui etiam nos docent consuevisse hujusmodi capsas auro, argento ac gemmis ornari; uti videre est apud Eginardum, libro II *De translatione reliquiarum SS. Martyrum Marcellini et Petri*, cap. IX., et lib. IV, cap. X, apud Surium, tomo VII, die 2 junii. Vixit Eginardus tempore Caroli Magni, cujus erat cancellarius; deinde

Digitized by Google

vero Ordinem Sancti-Benedicti professus est. *Chronicon Fontanellense*, cap. VIII, memorat « capsam auro et gemmis decoratam continen- » tem pignora diversorum Sanctorum. » Capsæ argenteæ « sepulcri Salvatoris, et S. Jacobi » reliquias » continentis meminit in *Chronico* suo Hugo Flaviniacensis, pag. 270. Plura de eadem re testimonia passim invenies apud Surium in Vitis Sanctorum. Cur autem Sanctorum reliquiæ pretiosis condantur vasis seu receptaculis, edicit in suo *De Sanctorum reliquiis sermone* antiquus scriptor Theophridus abbas, his verbis : « Ossa Sanctorum, licet mortali condi- » tione arescant, virtutum tamen viriditatem, » ut herba, germinant, quanquam idem in ge- » nerali resurrectione perfectius implendum » esse divinæ Scripturæ astruunt. In dispositis- » sima sane Dei tanta quasi Patrisfamilias » domo vasa in honore esse ac fuisse electi cre- » duntur; ideo et eorum reliquiæ in vasis » aureis atque argenteis et gemmatis, et in om- » nibus quæ pretiosa sunt reconduntur. Et sicut » sanctum altare non sanctificatur ab auro, sed » sanctificat; sic et quodlibet vas quod sanctarum » reliquiarum in se continet thesaurum, non » dat sed accipit gratiam sanitatum; et tactum, » quasi etiam illud quod interius latet tangatur, » fugat multa genera infirmitatum. » Exstat is sermo una cum aliis ejusdem auctoris in *Bibliotheca Patrum*, ultimæ editionis tomo XII.

VIII. Quod insuper talium capsarum benedictionem spectat, antequam in ipsis sacræ reliquiæ recondantur, ritus est Ecclesiæ pervetustus, uti ex sequentibus Commentariis manifeste patebit; eumque ritum renovavit sedulus collapsæ Ecclesiasticæ disciplinæ reparator S. Carolus, parte IV *Actorum Ecclesiæ Mediolanensis*, *Instructionum Fabricæ Ecclesiasticæ* cap. XVI, ubi sermonem instituens de locis, vasis loculisve quibus sacræ reliquiæ reconduntur, ita inquit: « Capsa autem, vel theca, vel loculi, vel » vascula, cujusmodi sint, stata prece in libro » Pontificali Ritualive præscripta, rite prius be- » nedicantur quam reliquiæ sacræ in illis inclu- » dantur.» Miror itaque cur hodie passim sacræ reliquiæ in parvis thecis argenteis, stata prece minime benedictis ab Episcopis, collocentur. Puto equidem servandos esse hac in re Ecclesiæ ritus, tollendumque abusum non benedicendi prius capsas ac thecas etiam parvulas, quam reliquiarum sacrarum particulæ in illis includantur.

IX. Neque vero temere in thecis loculisque seu capsis includendæ sunt sacræ reliquiæ, et venerationi fidelium exponendæ; nam prius diligenter examinari et approbari ab Episcopis debent, servato præsertim Concilii Tridentini decreto, sessione XXV, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum;* quo inter alia præscriptum est « nulla admittenda esse nova » miracula nec novas reliquias recipiendas, nisi » eodem recognoscente et approbante Episcopo, » qui, simul atque de iis aliquid compertum » habuerit, adhibitis in consilium theologis et » aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati » consentanea judicaverit. Quod si aliquis du- » bius aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel » omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio » incidat, Episcopus, antequam controversiam » dirimat, Metropolitani et comprovincialium » Episcoporum in Concilio provinciali senten- » tiam exspectet; ita tamen ut nihil, inconsulto » Sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in » Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. »

X. De observandis ab Episcopo in authenticandis reliquiis præclarissimam dissertationem historico-moralem adornavit hoc anno 1739 amicus noster vir clarissimus Andreas Hieronymus Andreuccius, Societatis Jesu, congregationis Sacerdotum-Sæcularium in Domo-Professa Romana Director; qui rem totam quatuor hisce propositionibus complectitur. Prima est : « Episcopus non debet in authenticandis reli- » quiis procedere temere ac sine accurata con- » sideratione; 2° debet advertere an reliquia, » quæ sibi exhibetur authenticanda, talis sit » qualem deceat publico cultui et venerationi » exponi; 3° debet advertere an reliquia, quæ » sibi proponitur authenticanda, sit reliquia » Sancti canonizati vel beatificati; » 4° demum hæc est propositio : « debet advertere an constet » sufficienter de identitate reliquiæ, scilicet » quod ea sit Sancti, et ejus Sancti cujus esse » dicitur, ita ut prudenter operari censeatur qui » illam ut talem approbat et judicat. » Utinam opella hæc seu dissertatio ab omnibus Episcopis evolvatur, ab iis vero præsertim qui non semel temere et sine accurata consideratione in authenticandis sacris reliquiis procedunt. Porro ipsa congregatio Sacerdotum in Domo-Professa

Digitized by Google

Romana Societatis Jesu erecta laudato Andreuccio plurimum debet, cum non modo casus, ut aiunt, morales pertractet, sed varias etiam quæstiones quæ ad sacram historiam et Ecclesiasticam disciplinam ac ritus spectant.

XI. Cum autem nulla sit res tam sancta qua tandem homines improbi non abutantur, reperti non raro fuerunt qui, sive turpis lucri gratia, sive superstitione cæca, sive alio nequissimo fine abrepti, scripta Sanctis dolo malo appicta, et quævis mortuorum ossa, pro veris Sanctorum reliquiis venditarunt. Hac nota inustos a sanctis Patribus sacros homines non semel legimus. Id enim de circumcellionibus Monachis asserit S. Augustinus in libro *De opere Monachorum*, cap. XXVIII. Idipsum de Monachis Græcis testatur S. Gregorius lib. III, Epistola XXX, quin et S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De divinis Officiis*, cap. XV, gyrovagos describens Monachos, docet quod ex his alii *membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant*. Vide Commentarium in canonem IV Chalcedonensem, nostro I tomo *Conciliorum*, pag. 296.

XII. Igitur ad vitandam omnem in re tanti momenti deceptionem, ubi olim de veritate sanctarum reliquiarum dubium aliquod subiisset, viri sancti eas igne probare solebant : « Ut » reliquiæ, in quibuscumque locis de Ariana » hæresi inventæ fuerint, prolatæ a Sacerdotibus » in quorum ecclesiis reperiuntur, Pontificibus » præsentatæ igne probentur. » Verba sunt canonis II Cæsaraugustani Concilii quod habitum est anno 592. Probationis hujusmodi exempla illustria occurrunt passim apud scriptores Ecclesiasticos. Narrat Leo Marsicanus, lib. II *Chronici Casinensis*, cap. XXXIII, quod cum Monachi quidam, ab Hierosolymis venientes, lintei particulam, cum quo pedes Discipulorum Salvator extersit, monasterio suo obtulissent, et « cum a pluribus super hoc nulla fides adhibe- » retur, illi fide fidentes protinus prædictam » particulam in accensi thuribuli igne desuper » posuerunt, quæ, mox quidem in ignis colorem » conversa, post paululum vero, amotis carbo- » nibus, ad pristinam speciem mirabiliter est » reversa. » Forte dicet quispiam indubias Sanctorum reliquias, quales erant S. Martini episcopi Turonensis, S. Radegundis reginæ, et civis mei S. Francisci de Paula, inclyti Ordinis Minimorum institutoris, duobus fere abhinc sæculis in ignem ab hæreticis conjectas fuisse et ab igne consumptas. Verum scite respondet Joannes Mabillonius, Præfatione I in *Sæculum* VI *Ordinis Sancti-Benedicti*, § V, n. XLV, miracula quæ olim obtinere potuit Ecclesiæ fides et oratio, hæreticorum impietatem non meruisse.

XIII. Quonam vero ritu probatio illa peragaretur, ex duobus manuscriptis codicibus monasterii Sancti-Remigii Remensis, annorum circiter sexcentorum, addiscere licet, in quibus, in eo titulo qui inscribitur *Oratio ad probandas reliquias*, hæc legimus : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam;* III Psalmus : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina,* cum *Gloria Patri*, et cum *Alleluia* tribus vicibus; Psalmus : *Exsurgat Deus, etc.*, usque : *Cantate Deo, psalmum dicite*, tribus vicibus, cum *Gloria Patri;* Hymnus : *Veni, creator Spiritus, etc.;* Oratio : *Deus, qui corda fidelium;* Antiphona : *Justus Dominus.* Psalmus : *In Domino confido;* Antiphona : *Sanctis qui in terra sunt;* Psalmus : *Conserva me, Domine;* Antiphona : *Igne me examinasti;* Psalmus : *Exaudi, Deus;* Antiphona : *Hæc est generatio;* Psalmus : *Domini est terra;* Antiphona : *Deus, exaudi orationem;* Psalmus : *Deus, in nomine tuo;* Antiphona : *Beati quos elegisti, Domine;* Psalmus : *Te decet;* Antiphona : *Veritas de terra;* Psalmus : *Benedixisti, Domine;* Antiphona : *Credidi propter;* Psalmus : idipsum; Antiphona : *Laudate Dominum de cœlis;* Psalmus : *Laudate Dominum in Sanctis ejus;* Antiphona : *Trium puerorum;* Psalmus : *Benedicite;* Antiphona : *Te gloriosus;* Psalmus : *Quicumque vult salvus. Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum.* Tunc Letania usque : *Omnes Sancti, orate pro nobis. Kyrie, eleison,* III. *Christe, eleison,* III. *Kyrie, eleison,* III. *Pater noster. Et ne nos. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis.*

Oremus.

« Domine Deus, Jesu Christe, qui es Rex re- » gum, et Dominus dominantium, et amator » omnium in te credentium, qui es justus Ju- » dex, fortis et potens, qui Sacerdotibus tuis » tua sancta mysteria revelasti, et qui tribus » pueris flammas ignium mitigasti : concede » nobis indignis famulis tuis, et exaudi preces

Digitized by Google

» nostras, ut pannus iste *vel* filum istud quibus » involuta sunt ista corpora Sanctorum, si vera » non sint, crementur ab hoc igne; et, si vera » sint, evadere valeant; et justitiæ non domi- » netur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati; » quatenus veritas tua tibi declaretur, et nobis » omnibus in te credentibus manifestetur, ut » cognoscamus quia tu es Deus benedictus in » sæcula sæculorum. Amen. » *Pater noster.* Tunc Antiphona : *Igne me examinasti.* Et, dum incipitur, in ignem reliquiæ ponantur tamdiu donec ter finiatur ipsa Antiphona cum Psalmo : *Probasti, Domine, cor meum,* et cum *Gloria Patri.* Sicque faciens, reliquiæ utrum veræ sint an falsæ, reperies.

XIV. Hactenus ritus probandi reliquias ex duobus manuscriptis codicibus monasterii Remensis, quem refert eruditus Edmundus Martene libro III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus,* capite VIII; Theodoricus Ruinartus in *Appendice ad Gregorium Turonensem;* Joannes Mabillonius; et alii, ex quibus discimus quam accurati fuerint antiqui Patres in sacris reliquiis appro bandis, ne qua fraus irreperet. In *Actis Sanctorum* apud Bollandianos, præter ignem alii recensentur modi indagandæ veritatis reliquiarum, eaque in re fuse disserit vir clarissimus Marcus Antonius Buldhetus, canonicus insignis basilicæ Sanctæ-Mariæ Trans-Tiberim, lib. III, cap. XI sui eruditissimi operis italice scripti, *De cœmeteriis sanctorum Martyrum, et antiquorum Christianorum Urbis;* ac præsertim in celeberrimo opere suo *De beatificatione Servorum Dei, et canonizatione Beatorum,* Prosper Lambertinus S. R. E. cardinalis undequaque doctissimus, et Bononiensis Ecclesiæ archiepiscopus vigilantissimus.

XV. Circa Sanctorum reliquias celebre est S. Gregorii Magni, Pontificis Maximi, responsum ad Augustinum Cantuariensem in Anglia episcopum, quem ad illius gentis conversionem miserat. Erant sane in quadam Anglorum ecclesia reliquiæ quædam quas S. Sixti Martyris esse vulgus credebat, easque hoc titulo venerabatur; Augustinus contra, pro incertis ac suspectis eas reputans, Gregorium rogat sibi ut S. Sixti veras reliquias transmitteret, ad corrigendam, si qua esset, superstitionem. Cui Gregorius ita respondet : « Fecimus » quod petisti, quatenus populus, qui in loco » quondam S. Sixti Martyris corpus dixerunt » venerari, quod tuæ fraternitati nec verum nec » veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi et » probatissimi Martyris beneficia suscipiens co- » lere incerte non debeant. » Tum hanc suam de ea re opinionem aperit, dicens : « Mihi ta- » men videtur quia, si corpus, quod a populo » cujusdam Martyris esse creditur, nullis illis » miraculis coruscat, et neque aliqui de anti- » quioribus existunt qui se a parentibus passio- » nem ejus audisse fateantur; ita reliquiæ, quas » petisti, seorsum condendæ sunt, ut locus in » quo præfatum corpus jacet, modis omnibus » obstruatur, nec permittatur populus certum » deserere et incertum venerari. » Exstat hoc responsum in calce lib. XII Epistolarum S. Gregorii, post interrogationem nonam memorati Augustini. Ubi nota 1° ad probandam veritatem sacrarum reliquiarum requiri inter alia testimonium antiquiorum, qui de ipsa sacrarum reliquiarum veritate majorum traditionem se habere fateantur; 2° reliquias illas censendas incertas prorsus ac dubias, quæ eo adminiculo carent; 3° tandem, ad tollendam omnem falsi cultus occasionem, et ne populus incertam rem dubiamque veneretur, modis omnibus occultandas. Hæc quidem docet Magnus Gregorius, cujus opinioni atque judicio innumera quæ brevitatis studio præterimus, aliorum doctorum Pontificum facta exemplaque illustria suffragantur.

§ I.

Pontifex capsas pro reliquiis et aliis sanctuariis includendis benedicere volens, stans cum mitra, dicit : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram. Oremus, Dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem ut, qui omnia per unigenitum Filium suum in virtute Spiritus sancti valde bona creavit, ipse nobis indignis, ad conservationem harum capsarum reliquiis Sanctorum*

Digitized by Google

suorum condendis paratarum, rorem gratiæ suæ clementer infundere dignetur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc Oratio non modo in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, sed et in antiquo Romano Ordine, in quo tamen nulli præfiguntur versiculi, appellaturque *Præfatio consecrationis capsarum.* In Pontificali autem Durandi præter versiculum *Adjutorium nostrum, etc.*, legitur etiam versiculus *Dominus vobiscum.* Ex manuscripto codice Pontificali Sancti-Victoris, annorum circiter sexcentorum, ubi agitur de ritu benedicendi *scrinii*, seu *arcæ*, vel *capsæ*, primum quidem recitabantur Litaniæ, deinde vero ter Episcopus dicebat *Deus, in adjutorium meum intende;* postea exorcismum aquæ faciebat, ut supra in dedicatione ecclesiæ, adjungens hæc verba : « Quatenus consecrata sis aqua sancta, » et proficiens ad dedicationem hujus scrinii, » *vel* arcæ, *vel* capsæ, ut per te et per benedi- » ctionem divinam, auxiliante Domino, sive per » os et per manus atque officium nostrum, hæc » arca, *vel* scrinium, *vel* capsa divinitus per » gratiam Spiritus sancti consecretur, et perpe- » tualiter consecrata permaneat, et Spiritus » sanctus habitet in hoc scrinio, *vel* in hac arca, » *vel* in hac capsa. »

II. Aspergebat deinde Episcopus scrinium, vel arcam, capsamve cum aqua benedicta, psallendo Antiphonam *Asperges me, Domine;* tum vero istam Orationem pronuntiabat : « Actiones » nostras, quæsumus, Domine, aspirando præ- » veni et adjuvando prosequere, ut, interve- » niente beata et gloriosa semper Virgine Dei » genitrice Maria cum omnibus Sanctis, cuncta » nostra operatio a te semper incipiat et per te » cœpta finiatur. Per Dominum. » Finita Oratione, extergebatur scrinium vel capsa cum linteo a ministris, et, cantata Antiphona *Qui habitat*, subjungebat Episcopus istam Orationem : « Domine, Deus omnipotens, qui Moysi famulo » tuo in montem ascendere præcepisti, et eum » inter immensa cœlestium oracula mysterio- » rum, etiam arcam testamenti, Scriptura te- » stante, proprio ore præparare jussisti, cujus » longitudinem et latitudinem nec non et altitu- » dinem, secundum præfinitam pietatis tuæ » mensuram, divino famine discrevisti : exaudi » nos, quæsumus, indignos, qui super universas » creaturas dignissimus a sæculo solitus es » etiam indignissimis auditum præbere, et mi- » sereri; et concede nobis observantibus, et » hanc arculam in tui nominis impressione » lavantibus et benedicentibus, ut sit in tuo » sancto nomine sanctificata atque benedicta, » quatenus cunctorum hic precamina funden- » tium preces exaudiantur, et a te pissimo » remuneratore cunctorum squaloribus pecca- » torum purgari, et in perpetuum tueri me- » reantur. Per Dominum. »

III. Mandat deinde laudatus codex Pontificalis Sancti-Victoris « ut perungat Episcopus ipsum scrinium vel capsam, intrinsecus faciens crucem in quatuor locis cum chrismate, canendo Antiphonam, et psalmum *Magnus Dominus*, dicente postea Episcopo hanc Orationem : « Domine Deus universorum, in quo » solo cœlestium machina ingeniorum atque » terrestrium constat cunctorum, quique non » solum Angelicis creaturis divinarum rerum » præsagimina, sed etiam humanis ingenia » divinitus afflata, in hujus vitæ corruptela » (quod mirabilius est et misericordius) na- » scentibus et manentibus, largiri dignatus es : » qui etiam inter cæteros, quos in hoc mundo, » a primordio usque in hanc horam, variis et » subtilissimis ditasti ingeniis, Beseleh et » Oliab, discipulos famuli tui Moysis, sa- » pientia et intellectu in fabrefactis rebus ad » culturam Dei pertinentibus, et miro præ cæ- » teris Israeliticæ plebis ingenio decorare di- » gnatus es, in tantum, ut etiam in præfigura- » tionem Ecclesiæ tuæ de imputrescibili materia » arcam testamenti lignorum miro ingenio, » prout prius famulo tuo Moysi propagasti, » componere mererentur : exaudi nos depre- » precantes misericordiam tuam, et immitte » super hanc arcam, chrismatis unctione in » Christi nomine perunctam, serenissimam » pietatis tuæ benedictionem; ut nos, qui in » arca testamenti divini triplex leginus et

Digitized by Google

» credimus munus imponi et recondi, videlicet » tabulas testamenti, urnam auream manna » repletam, et virgam disciplinæ, te trinum in » Ecclesia legislatorem, Deum incarnatum ho- » minem, correctorem animarum credamus et » confiteamur; quatenus te confitentes et glo- » rificantes, panem vivum et verum mandu- » care, et in perpetuum tecum vivere merea- » mur in cœlis. Per Dominum. »

IV. Præscriptum præterea est ex eodem codice Sancti-Victoris, ut, dicta ista Oratione, postea Episcopus faciat crucem cum incenso super ipsum scrinium, vel arcam, vel capsam fumigante thuribulo, modulando hanc Antiphonam, *Domine, ad te dirigatur*, et dicendo sequentem Orationem : « Dominator Domine » Deus universarum cœlestium et terrestrium » creaturarum, qui supernorum fragrantia » odoramentorum, solus Sacerdos Sacerdotum » inter Angelicas placaris naturas : præsta be- » nedictionem tuam super hanc arcam ad san- » ctimonia tua recondenda præparatam, et » thuris incensu per manus servorum tuorum » redolentem; et concede nobis misericordiam » tuam poscentibus, ut quicumque ad hanc » nomen sanctum tuum et tremendum adora- » mus, supernorum vasa aurea Angelorum » virtutum ornamentis, et sanctarum precum » copiis, replere mereamur; et ab æterno re- » muneratore Domino nostro Jesu Christo, co- » ram conspectibus cœlestium et terrestrium » universum mundum judicante, gaudia, te » miserante, consequamur æterna. Per Domi- » num nostrum. »

V. Hæ Orationes una cum præscriptis ritibus, exceptis Antiphonis et Psalmis, exstant etiam in celeberrimo et antiquissimo Pontificali monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, in eo titulo qui inscribitur : *Incipit benedictio scrinii vel arcæ*. In ipso siquidem primitus dicuntur Litaniæ, quas sequitur Oratio : *Actiones nostras, etc.*; eaque dicta, lavatur arca interius et exterius cum aqua exorcizata ab Episcopo, et tergitur a Ministris, cæteraque aguntur quæ ex laudato Sancti-Victoris rituali codice descripsimus; in quo etiam illud habetur, quod in Pontificali Anglicano desideratur, ut nimirum dicta Oratione « Dominator » Domine Deus universarum cœlestium et » terrestrium creaturarum, etc., » tunc benedicatur scrinium seu capsa, dicente Episcopo : « Benedictio Dei Patris omnipotentis, » unigenitique Filii ejus Domini nostri Jesu » Christi, sancti quoque Spiritus, descendat » super hoc scrinium, et virtus Altissimi ma- » neat semper super illud. Amen. » Porro in argenteis scriniis asservari consuevisse Sanctorum reliquias, ex Leone Hostiensi addiscimus, lib. III, cap. XXVIII, quem citat Baronius ad annum 1023, ubi de Benedicto Papa VIII ita scribit : « Duo argentea scrinia plurimis San- » ctorum referta reliquiis, quæ reverendissi- » mus Papa Benedictus, ob amorem et reve- » rentiam sanctissimi Patris nostri Benedicti, de » sacrario Lateranensis palatii sumpta ad Ca- » sinensem direxit ecclesiam. »

VI. Placuit hæc describere, ut videas quam religiose ac pie ritus hodie neglectus benedicendi capsas pro reliquiis includendis, ab antiquis et præstantissimis ecclesiarum Prælatis servaretur. Hodie sine ullo fere delectu distribuuntur sacri Martyrum cineres et ossa, includunturque in thecis capsisque profanis, nulla prius juxta Ecclesiæ ritum prece præscripta benedictis. Utinam hic tollatur abusus; multo magis alius, quo quidam ipsas thecas capsasque, quæ sacras reliquias aliquando continuerunt, in alios profanos usus convertunt! Deberent enim comburi, ac cineres in sacrario vel in fossis ecclesiarum recondi, argumento a fortiori ducto ex canone *Ligna* XXXVI, *De Consecratione*, distinctione I. Vidi in urbe conspicua urnas marmoreas, in quibus diu requieverant præclarissimorum Martyrum corpora, in porticibus ecclesiarum jacuisse neglectas, ad easque non modo laicos sed et Ecclesiasticos homines mingere. Quod quidem absurdum erat : cum constet ad veteres atque inanes reliquiarum loculos, in quibus aliquando Sanctorum exuviæ jacuerunt, insignia patrata fuisse miracula. Vide Bollandianos ad diem 21 januarii, pagina 362, ubi recensens Thomas a Kempis quædam miracula sanctæ Agnetis, inter alia inquit, ad veterem atque inanem capsam reliquiarum præfatæ Virginis, pulsum capitis dolorem fuisse.

Digitized by Google

§ II.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus inæstimabilis, Deus ineffabilis, Deus misericordiarum et totius consolationis; qui Moysi famulo tuo præcepisti ut, juxta exemplar quod ei in monte demonstrasti, arcam de lignis imputribilibus construeret, et eam auro mundissimo circumdaret, in qua urna aurea, manna cœlesti plena, cum tabulis testamenti digito majestatis tuæ conscriptis, in testimonium futuris generationibus servari deberet; quique nostris sæculis eadem sacratius intelligenda manifestasti, dum corpus unici Filii tui opere Spiritus sancti de incorrupta Virgine conceptum, et anima rationali vivificatum, omni plenitudine divinitatis replesti; te suppliciter imploramus, omnipotens Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur; ut hæc vascula Sanctorum tuorum pignoribus præparata, eisdem Sanctis tuis intercedentibus, cœlesti bene✠dictione perfundere digneris; quatenus qui horum patrocinia requirunt, ipsis intercedentibus, cuncta sibi adversantia, te adjuvante, superare, et omnia commode profutura, abundantia largitatis tuæ mereantur invenire. Et, sicut illi, te, Domine, inspirante, spiritualium nequitiarum versutiam cavere, et humanitus exquisita tormenta non solum contemnere, sed etiam penitus evincere, Christo Domino confortante, potuerunt; ita ipsorum merita venerantibus et reliquias humiliter amplectentibus, contra diabolum et angelos ejus, contra fulmina et tempestates, contra grandines et varias pestes, contra corruptum aerem et mortes hominum vel animalium, contra fures et latrones, sive gentium incursiones; contra malas bestias, et serpentium ac reptantium diversissimas formas, contra malorum hominum adinventiones pessimas, eorumdem Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictæ potentiæ tuæ, ad depulsionem nocivorum et largitatem proficuorum, semper et ubique propitius extende.* Quod sequitur dicit submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri. *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Hæc Præfatio in Ordine antiquo Romano vocatur quidem *Consecratio in modum Præfationis;* incipitque ab iis verbis, *Deus inæstimabilis*, *Deus ineffabilis*, *etc.*, ut in nostro Romano Pontificali et in manuscripto Gulielmi Durandi habetur. Porro alludunt prima Præfationis verba ad caput *Exodi* xxv, in quo Deus formam construendæ arcæ Moysi præscribit, et quidem juxta exemplar quod ipsi in monte monstraverat; itemque alludunt ad caput IX Epistolæ Pauli ad Hebræos, in qua meminit Apostolus arcæ testamenti circumtectæ ex omni parte auro, in qua urna aurea manna cœlesti plena, virga Aaron, et tabulæ testamenti as-

Digitized by Google

servabantur. Ex his enim quæ in veteri erant Testamento, et imperfectione illarum hostiarum, ostendit Apostolus in ipsa Epistola novi Testamenti perfectionem, in quo Christus, pontifex et hostia semel oblata, emundat conscientiam a peccatis.

II. Sed his obiter adnotatis, explicare fusius lubet quæ in ipsa Præfatione inferius habentur de sacrarum reliquiarum virtute, quæ contra diabolum et angelos ejus plurimum valent. Testantur id quidem Patres ecclesiæ, inter quos S. Hieronymus in libello *Adversus Vigilantium*, dolentem Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, temereque contendentem; pannis vel cilicio colligatas debere in sterquilinium projici, ita inter alia scribit : « Ergo » sacrilegi sumus, quando Apostolorum basili- » cas ingredimur? sacrilegus fuit Constantinus » imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lu- » cæ et Timothei transtulit Constantinopolim, » apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores » Vigilantii illorum se sentire præsentiam con- » fitentur? » Fugatos dæmones virtute sanctarum reliquiarum, innumera pene exempla nos docent, allata a Surio, et a Bollandianis in Vitis Sanctorum, et a Cæsare cardinale Baronio in suis *Annalibus Ecclesiasticis*. Celeberrimum illud est quod de S. Babyla episcopo et martyre narrat S. Joannes Chrysostomus in aurea sua *contra Gentiles Homilia*, dicens S. Martyrem præsentia suarum reliquiarum dæmonis potestatem exstinxisse. Cujus rei eam rationem assignat : « Ea est enim Sanctorum potestas » ut illorum superstitum dæmones ne umbras » quidem aut vestes ferre possint, vita autem » functorum et loculos reformident. »

III. Eleganter idem S. Chrysostomus, *Homilia* XCII, tomo V, de sacris reliquiis agens, Martyrum vulnera stellis ipsis quæ cœlo infixæ sunt, splendidiora esse affirmat, quia scilicet stellas dæmones contuentur, Martyrum autem vulnera videre illi non possunt, sed statim diffugiunt : « Atque hoc, inquit, ego non solum » ex iis probo quæ jam pridem occiderunt, sed » ex iis etiam quæ hodieque fiunt. Etenim dæ- » moniacum aliquem et furentem capiens, ad » illud sanctum sepulcrum adducito ubi sitæ » sunt Martyris reliquiæ, et omnino resilire » ipsum ac fugere videbis. Si enim tanquam » super carbones ambulandum sibi esset, ita » statim ab ipso vestibulo fugiet, nec vel locu- » lum ipsum aspicere audebit. » Tum ita concludit : « Quod si nunc tanto post tempore cum » in pulverem cineremque conversus est, mo- » numenti conspectum non sustinent neque nu- » dorum ossium Sancti; perspicuum est, tunc » cum illum cruore purpuratum videbant et » vulneribus undecumque fulgentem magis » quam radiis solem, obstupefactos dæmones et » oculis reverberatos diffugisse.

IV. Scriptor Ecclesiæ pervetustus, Origenes, lib. VIII *Contra Celsum*, Martyres ait, dum pro Christo torquerentur, dæmonibus ingentia attulisse damna eosque imbecilliores effecisse : « Propterea cum id experientia didicissent se a » veritatis testibus, id est Martyribus, vinci ac » superari, veriti sunt iterum ad plectendos » Christianos accedere. Ita donec molestiarum » quas perpessi sunt obliviscantur, verisimile » est mundum in pace cum Christianis futu- » rum. » Cui adde Æneæ Gazæi locum elegantissimum ex Dialogo, qui *Theophrastus* inscribitur, exstatque in *Bibliotheca Patrum*, tom. VIII, ubi de Martyrum reliquiis quæ vidit testatur his verbis : « Animadverti complura Sancto- » rum virorum corpora tantis terroribus exagi- » tasse dæmonum phalangas, quantum a se ca- » ptum et obsessum hominem vexabant : tum » infinitos morbos, in quibus sanandis medico- » rum ars non suffecerat, ab illis nullo negotio » relaxatos ac repurgatos omninoque sublatos. »

V. Insigne quoque ea in re est quod de sepulcro S. Felicis, quod Nolæ in nostro regno Neapolitano est, scribit in ipsius *Natali*, VI, S. Paulinus, ubi inter alia infinita et stupenda miracula fugatos dæmones testatur :

Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa tegentem,
Et tacitum obtento servari marmore corpus.
Membra latent positi; placida caro morte quiescit,
In spem non vacuam redivivæ condita vitæ.
Unde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? Quænam manus urget
Dæmonas, invitosque rapit, frustraque rebelli
Voce reclamantes compellit ad usque sepulcrum
Martyris, et sancto quasi fixos limine sistit?

Mitto alia loca, quibus idipsum testatur Paulinus, fide utique dignus, tum propter vitæ sanctitatem, tum propter eximiam doctrinam ac singularem auctoritatem, tum tandem quod illius urbis Episcopatum gerebat, coramque ista cernebat prodigia.

Digitized by Google

VI. Valent præterea sanctæ reliquiæ contra fulmina, tempestates, grandines, ac maris procellas, quas non semel ipsarum reliquiarum virtute sedatas legimus. Testatur in libro *De gloria Martyrum*, cap. LXXVI, S. Gregorius Turonensis de quodam Presbytero qui, cum jussu regis Guntheramni conquisitas reliquias secum in navi deferret ut principi exhiberet, « cum videret se fluctibus obrui, et spumis undarum graviter operiri, extractam a collo capsulam, quæ Sanctorum pignora continebat, undis tumentibus objicit, et Sanctorum præsidium clara voce invocat, dicens : « Ne peream in his » fluctibus virtutem vestram deprecor, Mar» tyres gloriosi, sed protinus qui jugiter per» euntibus præbetis auxilium, mihi, quæso, dex» teram salutis porrigere dignemini, fluctus » opprimite, nosque ad littus optatum, vestri » adjutorii ope, deducite. » Et hæc dicens, cessante vento, decedentibus undis, ad littus evecti sunt. Hæc ab ipso cognovi Presbytero. » Ista Gregorius ipse Turonensis, quæ, Guntheramni regis maxime pii occasione, ad finem anni 598 narrat Baronius. »

VII. Sedari tempestates fulminaque evanescere beneficio sacrarum reliquiarum, confirmari quidem ex eo poterit quod de capillis S. Mathildis Abbatissæ, quæ vixit sæculo Christi XII, ad diem 31 maii, apud Bollandianos legitur : « Certissimo autem sunt remedio contra » tempestates et fulgura ; et, surgentibus ven» tis atque minitantibus, capillos Sanctæ sus» pendunt in aera, sicque tempestates conquie» scunt, conticescunt tonitrua, ac si Dominus » Jesus imperet eis, sicut in mari quondam, ita » nunc in terra. Hoc tam solitum in monaste» rio, tam notum in provincia, ut capillorum » S. Mathildis ostensio sit tempestatum depul» sio. » Fuit Mathildis ex Dyezzens. Præposita, Abbatissa Œthilstetinensis. Pluviam, ad ingressum reliquiarum S. Norberti in urbem Pragam et in ecclesiam *Thein* dictam, statim cessasse, constat ex *Historia translationis ipsius Sancti* apud eosdem Bollandianos, cap. VI, ad diem 6 junii : « Et ecce hoc ipso momento de repente » cœlum hactenus aliquot diebus assidue plu» vium sese quasi explicare et serenam induere » faciem cœpit, quam etiam in octavum usque » diem constanter retinuit ; ut novo triumpho » et ipsum applauderet, serenitateque sua so» lemnitatem augeret. » Simile fere descripto huic prodigium observatum fuit in solemni translatione reliquiarum ducentorum supra Martyrum in aram principem ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis celebrata, elapso anno 1738, dominica III mensis septembris ; cujus translationis seriem infra describemus.

VIII. Quantum sacræ ipsæ reliquiæ contra pestes, contra corruptum aerem, et mortes hominum atque animalium valent, Ecclesiastici scriptores, atque auctores Vitarum Sanctorum fidem luculentissimam faciunt. Sacrarum reliquiarum S. Sebastiani beneficio evanuisse pestem per varias Italiæ regiones crudeliter grassantem, affirmant quidem et perspicue ostendunt iidem Bollandiani ad diem 20 januarii. De S. Francisco Xaverio Indiarum Apostolo testatur Romanum Breviarium in ejus lectionibus die 3 decembris, quod ejusdem Sancti cadaver, « ubi Malacam delatum est, pestem sævissimam » confestim exstinxit. » Idipsum quoque de aliorum Sanctorum lipsanis auctores narrant. De tunica SS. Deodati et Hidulphi hæc habet eorum Vitæ auctor apud Bollandianos die 19 junii, cap. IV : « Si peccatis facientibus cœlestis » ira in populum grassaretur, et siccitate, seu » nimia imbrium refusione, aut pestilentia, vel » qualicumque plaga feriretur, mox hinc inde » conglobatus (conventus) tunicas patronorum » suorum cum luctuosis precibus offerebat et » ingerebat divinis obtutibus : moxque remo» vebat pietas quod promeruerat impietas. » Rursus cum aliquando permissu divino contingeret ut grandis calamitas civitati incumberet, habitantiumque parvulis liberis, quorum qui quartum attigerant annum superabantque, omnes mortali quodam symptomate passim exstinguebantur, legimus quidem apud ipsos Bollandianos die eadem 19 junii, ubi referunt inventionem corporis S. Nazarii episcopi Justinopolitani, quod « tunc cuidam civium appa» rens Sanctus, jussit corpus suum circumferri » per urbem, promittens cessaturum parvulo» rum mortalitatem. Præmissis ergo jejuniis » instituta a Clero et populo supplicatio fuit » cum sacris Nazarii ossibus, et malum ces» savit. »

IX. Contra fures et latrones gestatas Sanctorum reliquias docet nos Bernardus monachus in *Consuetudinibus* suis *Cluniacensibus*,

Digitized by Google

cap. LXXIV, cujus verba refert Carolus Ducange in suo *Glossario:* « Imago S. Petri, vel aliæ capsæ » cum reliquiis Sanctorum ad aliquam villam » nostram mittuntur, pro timore prædonum et » rapinarum, ut sæpe contingit. » Vide infra num. XVII.

X. Consuevisse reges Francorum in expeditione secum ferre Sanctorum reliquias, Sacerdotesque eidem muneri mancipatos dictos esse Capellanos, testatur Epistola Carlomanni ducis Francorum data anno Domini 742, quæ descripta habetur in *Capitularibus regum Francorum*, lib. I, cap. II, pag. 214, in qua hæc leguntur : « Servis Dei per omnia omnibus armaturam » portare, aut in exercitum aut in hostem per» gere, omnino prohibemus, nisi illis tantum» modo qui propter divinum mysterium, » Missarum scilicet solemnia adimplenda, et » Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi ; » id est unum vel duos Presbyteros cum Ca» pellanis Presbyteris princeps secum ha» beat. » Equitare consuevisse reges Francorum sacris reliquiis præcedentibus, docet nos Gregorius Turonensis, lib. VI *Historiæ Francorum*, cap. XXVII, ubi ita ait de Chilperico rege : « Reliquiis multorum Sanctorum præcedentibus » urbem ingressus est. »

XI. Prælatas contra Infideles in acie a Christianis sacras reliquias, earumque auxilio ingentem et insperatam obtentam victoriam, testatur quidem Robertus de Monte in *Appendice ad Sigibertum*, et ex illo Baronius ad annum 1124 : « Dies pugnæ indicitur, procedunt » Christiani cum militibus et peditibus vix ad » tria millia æstimati. Principes gradiuntur in » fronte, scilicet Patriarcha vexillo erigens » crucem Christi, abbas Cluniacensis Pontius » præferens lanceam transfixam in latere Chri» sti, Episcopus Bethlehemites ferens in pyxide » lac sanctæ Mariæ Virginis. Sarraceni vero, » quaquaversum effusi, ex omni latere in or» bem circumcingunt Christianos, ne quis pos» set evadere. Dum ita in procinctu hærent » Christiani, vident, Deo sibi auspice, splendo» rem scisso aere super paganos subito cecidisse, » sed non prosperum, verum satis nocivum, » quamvis hunc ipsi Sarraceni non viderent. » Illico enim omni virium robore enervati, » passim fugientes cæduntur non solum a viris, » sed etiam a pueris et feminis. » Addit periisse in acie septem millia Sarracenorum, Christianos vero incolumnes non sine miraculo ad sua reversos.

XII. Principibus civitates obsidentibus, ad eorum flectendos animos occursum eis cum sacris Sanctorum reliquiis, docet nos inter alios Ecclesiæ scriptores Guntherus poeta, lib. III *De gestis Friderici I Ænobarbi Augusti*, ubi ita cecinit :

Ecce profugata miserabile vulgus ab arce,
Clerus, et informis Monachorum turba, solutis
Mœnibus, ad placidi properant tentoria regis,
Exhausti macie, jejunia longa ferendo,
Esuriem faciente siti; squallentia sacris
Vestibus ora tegunt, nudo vestigia gressu
Figentes, tunc signa Crucis, capsasque piorum
Custodes cinerum prælato thure vaporant.
Quos ubi pacifice venientes agmine denso
Vidit, in occursum Princeps reverendus eorum
Prudentes jubet ire viros, et quærere caussas
Quid veniant? quidve illa velit novitatis imago?

XIII. Proditum etiam memoriæ est in *Francorum Annalibus* apud Gregorium Turonensem, libro III, capite XXIX, et apud Aimonum, libro III, capite XIX, cum Childebertus et Chlotharius Francorum reges, in Hispaniam expeditione facta, Cæsaraugustanam urbem obsidione vallassent, oppidanos desperata salute ad exorandum Deum conversos, tunicam B. Vincentii Martyris pie et solemni cum pompa circumtulisse, cilicio indutos ac psalmos concinentes. Qua re conspecta Childebertum pactionem cum illis fecisse ut, accepta tunica illa S. Vincentii, obsidionem solveret, eamque in Gallias perlatam in basilica collocasse ejusdem S. Martyris quæ postea Sancti-Germani nomen obtinuit. Hujusmodi exemplis ac religiosi cultus sacrarum reliquiarum per Gallias indiciis referti sunt quidem Gregorii Turonensis libri, tum quos de Francorum Historia scripsit, tum quos de Martyrum gloria et Confessorum ac miraculis edidit.

XIV. Valent quoque contra malorum hominum adinventiones pessimas sacræ reliquiæ, estque ea in re insigne illud quod de S. Felice Nolano, quem superius non semel laudavimus, testatur S. Augustinus in Epistola CXXXVII, ubi refert peculiare quoddam miraculum ad ejus reliquias fieri consuevisse, ut nimirum qui in litigando scientes falsum defenderent, eo adducti convincerentur et ad veritatis confessionem adigerentur. Cum ergo a quodam ex Augustini

Digitized by Google

sodalitio accusatus esset Bonifacius ejusdem Presbyter, neque res ullis argumentis extricari posset, ad S. Felicis sepulcrum Nolam proficisci eos voluit : « Multis enim notissima est, » iniquit, sanctitas loci ubi beati Felicis Nolensis » corpus conditum est, quo volui ut pergerent : » quia inde nobis facilius fideliusque scribi po- » test quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit » propalatum. Nam et nos novimus Mediolani » apud Memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter » et terribiliter dæmones confitentur, furem » quemdam, qui ad eum locum venerat ut fal- » sum jurando deciperet, compulsum fuisse » confiteri furtum, et quod abstulerat reddere. » Numquid non et Africa sanctorum Martyrum » corporibus plena est ? Et tamen nusquam hic » scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus » dicit, non omnes Sancti habent dona curatio- » num, nec omnes habent dijudicationem spiri- » tuum, ita nec in omnibus Memoriis Sancto- » rum ista fieri voluit ille qui dividit propria » unicuique prout vult. » Ubi nota 1° non modo Nolæ ad sepulcrum S. Felicis, sed et Mediolani *apud Memoriam Sanctorum*, malorum hominum adinventiones pessimas detectas fuisse; 2° non mirum videri debere nec reprehensione dignum esse, ut quidam critici autumant, si quis majorem cultum uni alicujus Sancti imagini reliquiæque exhibeat quam alteri; quia scilicet in una potius quam in altera, prout vult Deus, virtutem suam ostendit.

XV. Hinc antiquissima Christianorum est consuetudo, ut Sanctorum imagines reliquiasque, ob ingentia facta ad ipsas miracula ac varias ægritudines illorum præsidio ac patrocinio depulsas, appensis donariis ornare consueverint, præsertim vero ejusmodi quæ impetrati, meritis illorum et intercessionibus, beneficii, hujusmodi monimenta continerent : oculorum enim figuras aut pedum manuumve, qui membrorum istorum usum et incolumitatem ab illis exoraverant, ex auro, argento, vel ære fabricatas offerebant, teste Theodoreto in Oratione VIII contra Gentiles, ubi ita scribit : « Quod autem » compotes illorum fiant, qui cum fide postu- » lant, palam testantur illorum donaria cura- » tionem indicantia. Nam alii oculorum, alii » pedum, alii manuum effigies offerunt; et has » nonnulli ex auro, alii ex ære fabricatas. Hæc » autem proposita morborum depulsionem in- » dicant, cui testificandæ, ab iis qui sanitatem » recuperarunt, monimenti loco sunt appensa. » Ea porro sepultorum virtutem prædicant; et » eorum virtus ipsorum Deum verum Deum » esse demonstrat. » Huc spectat quod in Homilia I, *De Natali S. Gregorii*, ait S. Eusebius Emissenus.

XVI. Quantum vero ipsæ reliquiæ Sanctorum adversus impetum ignis valeant, experta est non semel urbs Neapolis, ope scilicet sanguinis sancti Januarii Martyris totius regni Neapolitani patroni, uti innuit Breviarium Romanum ad diem 19 septembris : « Illud in primis memo- » randum, quod erumpentes olim e monte Ve- » suvio flammarum globos, nec vicinis modo, » sed longinquis etiam regionibus vastitatis » metum afferentes, exstinxit. » Porro solet sanguis hujus præclarissimi Christi athletæ, qui in ampulla vitrea concretus asservatur, quique, cum in conspectu capitis ejusdam Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri et ebullire, perinde atque recens effusus, ad hæc usque tempora cernitur, ut non semel nos ipsi observavimus dum studiorum causa quadriennio, et eo amplius, studiorum causa Neapoli degeremus : solet, inquam, religiose deferri ab ecclesia cathedrali contra montem Vesuvii, cum scilicet flammarum globos emittit. Sunt qui manifestum omnibus liquescentis Sanguinis hujus prodigium impugnant, nempe hæretici, et quidam quoque pseudocatholici, quos tamen, in celeberrimo opere inscripto *La vera Chiesa di Christo*, doctissimus S. R. E. cardinalis Ludovicus Gotti egregie confutat. Vide virum clarissimum, Societatis Jesu scriptorem, Joannem Dominicum Putignanum in opere *De redivivo sanguine D. Januarii*, parte I, ubi agit de sanguine ebulliente; et parte II, ubi de sanguine præsagiente disserit.

XVII. Narrat quoque S. Gregorius Turonensis, lib. I *De miraculis*, cap. LXXXIV, virtute sanctarum reliquiarum non modo matrem suam ab incendio frumentum quod erat in area servasse, verum patrem longum iter aggredientem earumdem reliquiarum munitum præsidio a multis periculis fuisse erutum : « Quid vero de » his reliquiis, quas quondam genitor meus » secum habuit, fuerit gestum, dicam. Tempore » quo Theodobertus Arvernorum filios in obsi- » datum tolli præcepit, pater meus nuper jun-

Digitized by Google

» ctus conjugio voluit se Sanctorum reliquiis » communiri, petivitque a quodam Sacerdote ut » ei aliquid de eisdem indulgeret, quo scilicet » in viam longinquam abiens tali præsidio tu» taretur. Tunc inclusos in lupino aureo sacros » cineres circa eum posuit, sed ignarus vir no» minum Beatorum. Referre enim erat solitus » se a multis tunc erutum periculis; nam et vio» lentias latronum, et pericula fluminum, im» probitates seditiosorum, et adsultus sensuum, » sæpius se evasisse horum virtutibus testaba» tur. » Addit, post genitoris obitum parentem suam hæc sacra pignora super se habuisse, post multos vero annos se ipsas reliquias a genitrice suscepisse.

XVIII. Jam nullum finem huic Commentario facerem, si varias hic causas luberet describere ob quas olim sacræ reliquiæ religiose huc illuc que deferebantur, quantaque virtus sit sacrarum ipsarum reliquiarum. Videri possunt Bollandiani in Vitis Sanctorum, et scriptores Ecclesiastici, qui passim ea de re uberius loquuntur. Hoc unum equidem non omiserim, quod docet Jacobus Eveillon in libro *De processionibus Ecclesiasticis*, cap. III, ritum ut plurimum in iis servatum fuisse ut sacræ reliquiæ deferrentur, probatque exemplo processionis a S. Porphyrio celebratæ, qui IV sæculo Christi floruit; aliarumque complurium, quarum meminit S. Gregorius Turonensis; S. Gregorius Magnus; vetus Ordo Romanus; et alii auctores passim.

§ III.

Tum adhuc sine mitra stans dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui, ut murmur insani populi compesceres, et Sacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, virgam ejus aridam germinare et flores fructiferos producere fecisti, eamdemque in arca Testamenti pro signo virtutis tuæ poni jussisti; sed et nobis eodem præsagio Christum in ara Crucis arefactum, tertia die resurrectione reflorescere, et in Ecclesia novissimo tempore resuscitanda, per mortem suam die ac nocte fructificare demonstrasti; te quæsumus, indulgentissime humani generis provisor, ut hæc vascula, Sanctorum tuorum receptaculo præparata, ita gratuita gratia sanctifices, ut, ubicumque in tuo nomine perlata fuerint, intercedentibus habitatorum ipsorum meritis, cuncta adversa repellas et nullifices, et omnia utilia multiplices atque custodias; quatenus fideles tui, magnitudine sive universitate beneficiorum tuorum, in parte modica reliquiarum, integra Sanctorum corpora se percepisse gratulentur; et per temporalia loca ipsorum precibus impensa, ad æterna ipsorum gaudia possidenda fiducialius animentur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Tunc aspergat eas aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Habetur hæc Oratio tum in Ordine antiquo Romano, tum in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi. Probantur ex ipsa Oratione piæ sacrarum reliquiarum translationes, quas etsi aliquando tangere aut loco movere Occidentalibus illicitum esset, uti superius ostensum est ex testimonio S. Gregorii Magni, lib. III, Epistola XXX, ad Constantiam Augustam, fatendum nihilominus est varias ante ipsius Gregorii tempora celebratas fuisse, tum in Oriente tum

Digitized by Google

in Occidente, sacrarum reliquiarum translationes. Constantinus imperator, teste S. Hieronymo in libro adversus Vigilantium, « sanctas » reliquias Andreæ, Lucæ et Timothei transtulit » Constantinopolim ; Arcadius ossa B. Samuelis » de Judæa transtulit in Thraciam. » Pulcheria Augusta SS. Quadraginta Martyrum reliquias e ruderibus eduxisse legitur apud Sozomenum, lib IX *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. II.

II. Sanctorum corpora Stephani protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, et Abibonis, quæ diu in obscuro ac sordido loco jacuerant, quum anno 415, uti Baronius testatur, Honorio imperatore, Luciano Presbytero divinitus admonito, inventa essent prope Hierosolymam, S. Stephani corpus magna quidem cum pompa primum in sanctam ecclesiam illatum est; sub Theodosio autem juniore Constantinopolim, inde Romam Pelagio I Summo Pontifice translatum, et in agro Verano in sepulcro S. Laurentii Martyris collocatum. Agit de ejusmodi inventione memorati Luciani libellus, sive Epistola ad omnes Fideles scripta ; cui adstipulantur Marcellinus in *Chronico*, Nicephorus lib. IV, cap. IX, et alii recentiores auctores Græci, Latinorumque plurimi ; sed, qui instar omnium est, Gennadius in lib. *De viris illustribus*, cap. XLVI, cum hanc sua ætate factam inventionem potuerit certius cognovisse.

III. Celebratas et in Occidente fuisse jam olim ante S. Gregorii tempora ipsas reliquiarum translationes, pro comperto etiam habetur. Etenim S. Ambrosius divinitus per visum admonitus de loco ubi laterent corpora Sanctorum Gervasii et Protasii, ipse illa e terra refossa cum honore in basilicam Ambrosianam transtulit anno, ut supputat Baronius, 387. Teste Gregorio Turonensi in libris *De Gloria Martyrum*, et *De Gloria Confessorum*, Perpetuus Turonicus S. Martini, Gregorius Lingonicus S. Benigni Martyris, Palladius Santonicus S. Eutropii episcopi, Ebregisilius Agrippinensis S. Mallosi Martyris, Monulfus Trajectensis S. Arratii ejusdem sedis antistitis, Germanus Parisiorum Episcopus S. Ursini Biturigum episcopi, corpora e suis tumulis sustulerunt, et convenientiori loco recondiderunt.

IV. Hæc et alia id genus exempla, quæ apud Surium, et apud Bollandianos videri passim possunt in Vitis Sanctorum, latere quidem haud poterant S. Gregorium Magnum; cujus tempore, quod in detrimentum Religionis fierent, parcius ejusmodi translationes peragebantur, et mos antea inductus jam fere penitus in desuetudinem abierat; qui tamen Gregorio mortuo revocari ac frequentari cœpit, uti ex innumeris pene translationibus liquet, quæ a laudato Surio et Bollandianis recensentur. Quid autem Ecclesiæ Pastores impulerit ut transferendarum reliquiarum morem abrogarint, vir clarissimus Joannes Mabillonius in Præfatione ad *Sæculum* II *Ordinis Sancti-Benedicti*, num. XLIII, recte conjicit ex S. Augustino, in libro *De opere Monachorum*, cap. VIII, ubi redarguit personatos quosdam ac fictos Monachos qui, « circumeun- » tes provincias, membra Martyrum (si tamen » Martyrum membra) venditabant. » Quæ Theodosio imperatori sanciendæ hujusce legis, in Codice suo, *De sepulchro violato*, occasio fuit : « Humatum corpus nemo ad alterum locum » transferat, nemo Martyrem distrahat, nemo » mercetur : » uti Acherius in Guiberti Abbatis lib. I, cap. IV, *De Pignoribus Sanctorum* adnotavit, ubi ita scribit : « Certe si Sanctorum corpora » sua juxta naturæ debitum loca, id est sepul- » cra, servassent, hujusmodi quos recensui » errores (nimirum sanctarum reliquiarum nun- » dinationes ac falsificationes) cessassent. Per » hoc enim quod e tumulis eruuntur, membra- » tim huc illucque feruntur, et cum pietatis ob- » tentus occasio circumlationis exstiterit, ad hoc » subeunte nequitia detorqueri cœpta est inten- » tionis rectitudo, ut pene quæ simpliciter fieri » consueverant, corrumperet universa cupido. »

V. Refert mox Guibertus Gregorii Magni auctoritatem ex lib. III, epistola XXX, ubi docet Pontifex, in Romanis totiusve Occidentis partibus intolerabile esse atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quispiam fortasse voluerit ; et ita subinfert : « Dicat quisque quod » sentit : securus plane ego inferam, non Deo, » non Sanctis ipsis unquam fuisse placitum ut eo- » rum cujuspiam debuerit reserari sepulcrum, » aut dirimi per frusta corpusculum. » Fuit hæc et aliorum sententia qui post Magnum Gregorium scripserunt. Sed labi videntur cum aiunt Sanctis displicere si minutiæ quæque corporum suorum alio transferantur, cum constet hanc fuisse veterem Ecclesiæ disciplinam a Sanctis Patribus summe probatam, uti liquet ex

Digitized by Google

S. Paulino, qui in *Natali* IX *S. Felicis*, ita cecinit :

Quamvis sancti omnes toto simul orbe per unum
Sint ubicumque Deum, quo præsentantur ubique
Corporis, ut sua membra Deo, sed debita Sanctis
Sunt loca corporibus. Neque tantum qua jacet ora
Totum corpus, ibi positorum gratia vivit :
Sed quæcumque pii est pars corporis, et manus exstat,
Contestante Deo meriti documenta beati;
Magna et in exiguo Sanctorum pulvere virtus
Clamat Apostolici vim corporis indice verbo.

Insigne est, quod in *Natali* XI *S. Felicis* memoratus scriptor magnorum virorum præconio celebratus ea in re scribit, ubi scilicet translationis reliquiarum SS. Andreæ et Lucæ, quæ Constantinopolim facta est anno 20 Constantini; ac tum quacumque transitum fecerunt, ingentia ibi esse facta prodigia refert.

Nam divina manus modica virtute per omnes
Est illic operata vias, qua corpora sancta
Impressere sacro vestigia viva meatu.

Et paulo post,

Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ,
Diversis sunt sparsa locis : quaque osse minuto,
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

VI. Idem Paulinus, in Epistola XI, dono mittens particulam sanctæ Crucis, sic affatur Severum : « Accipite magnum in modico munus, » et in segmento pene atomo hastulæ brevis » sumite munimentum præsentis, et pignus » æternæ salutis. Non angustetur fides vestra, » carnalibus oculis parva cernentibus, sed in- » terna acie totum in hoc minimo vim Cru- » cis videat. » Non minui divisione opes sacras reliquiarum, ait quidem in Homilia LXV S. Joannes Chrysostomus. Esse hanc Martyrum gloriam ut, seminata per universum mundum in cineribus portione maneat integra in virtutibus plenitudo, in Sermone XCIII affirmat S. Ambrosius. S. Gregorius Nyssenus, ad calcem Orationis I in sanctos Quadraginta Martyres diserte docet eum, qui particulam reliquiarum e Quadraginta Martyribus accepisset, integros Quadraginta Martyres accepisse. Verba ipsius hæc sunt : « Communem ubique coloniam in- » habitationemque fecerunt, et ubi ratam et le- » gitimam partem accipiunt, et in omnibus » locis hospitio inter se conjunguntur. Quocirca » nemo, qui particularem reliquiarum gratiam » suscepit, non ex toto Martyrum apparitionem » recepit. Unus enim in Christo cum fuerint » universi, per unum cum toto sic grege reci- » piuntur. » His adde, quod in iambico XVIII scribit S. Gregorius Nazianzenus.

Venerationi tamque magnæ est veritas,
Exiguus etiam pulvis ut, vel ossium
Particula veterum quæpiam, aut paululum comæ
Vestisve, sparsi aut sanguinis quædam notæ
Cultum parem habeant atque corpus integrum.

VII. Nolim autem ex recitatis Patrum locis viam aliquibus Ecclesiarum Prælatis sterni, prætextu videndi aut transferendi sacra Sanctorum lipsana ad quædam sui Ordinis monasteria pertinentia, insignes ipsarum reliquiarum portiones dilacerandi, ut iisdem ditent quos volunt. Non enim dubitamus id esse manifestum furtum, et gravissimam illorum monasteriorum aut templorum injuriam ad quæ sacra illa pignora spectant. Docent id quidem Theologi Salmanticenses, Carmelitæ Discalceati, tomo X, tractatu XXI, disputatione XXXIX, dubio I, num. VII. In Concilio provinciali VI Mediolanensi a S. Carolo habito anno 1582, cap. III, *De Cultu Sanctorum*, vetitum est, sine Episcopi concessu facultateve litteris consignata, extra diœcesim sacras reliquias asportari; nec vero quæ etiam aliunde allatæ sunt, intra diœcesis quoque fines ab una ecclesia ejusve Rectore, etiam de consensu Capituli, alteri ecclesiæ donari; minus vero cuiquam Ecclesiastico aut laico homini earum particulam aliquam privatim concedi, tradi, donarive, proposita excommunicationis pœna, quam subit tum is qui dederit concesseritve, tum ille qui acceperit vel asportarit, etiam Ecclesiæ suæ nomine.

VIII. Consuevisse olim in variis occasionibus Sanctorum exuvias religiose deferri, ex antiquis scriptoribus Ecclesiasticis liquet. Quod ubi sacræ Synodi celebrabantur, eo sacræ Sanctorum reliquiæ deferrentur, abunde ostendimus nostro I tomo Conciliorum, in Prolegomenis, cap. XX. Quod idem ritus a regibus servaretur, ubi ad bella præsertim procedebant, compluribus exemplis probari posset. Libro primo *Miraculorum S. Dionysii*, cap. XXI, de Carolo Magno proficiscente contra Saxones, ita legimus: « Hic pignora beatorum Martyrum secum ferri » fecerat, et custodes Clericos qui secum profi- » ciscebantur delegaverat, uti eis vicissim sibi

Digitized by Google

» succedentibus debita exhiberetur religio. » Vocabantur isti custodes et alio nomine *Capellani*, de quibus ita scribit Walafridus Strabo *De rebus Ecclesiasticis*, cap. XXXI : « Dicti sunt autem » primitus Capellani a cappa B. Martini, quam » reges Francorum ob adjutorium victoriæ in » prælliis solebant secum habere : quam ferentes » et custodientes, cum cæteris sanctorum reli- » quiis Clerici, Capellani cœperunt vocari. » Testatur idipsum Sangallensis monachus, Galliæ nimirum reges in more habuisse ut, in bellicis expeditionibus suis, cappa, id est capsa reliquiarum B. Martini, præferretur. Sic enim inquit, lib. I, cap. IV : « Quemdam in capellam » suam assumpsit, quo nomine reges Franco- » rum, propter cappam S. Martini, quam secum » ad sui tuitionem et hostium oppressionem » jugiter ad bella portabant, sancta sua appel- » lare solebant. » Plura scitu digna de hac re affert Carolus Ducange in suo *mediæ et infimæ latinitatis Glossario*, verbo *Capella et Capellani*.

IX. Quoniam autem regum Francorum mentio incidit, mittebant et ipsi olim per provincias reliquias sacras, super quas sacramentum fidei ipsis ac filiis suis præstaretur. Tradit id quidem Marculphus in alia reliquiarum formula, quæ ita legitur, lib. I, cap. XL : « Per loca Sanctorum » vel pignora quæ illuc pro eodem direximus, » debeant promittere et conjurare. » Est ritus Ecclesiæ antiquus cujus meminit S. Gregorius, lib. V, epistola XXXIII, ad Castorium notarium in causa Episcopi Ravennatis, aientis antiquam fuisse suæ Ecclesiæ consuetudinem, ut in Litaniis solemnibus prisci Episcopi pallio uterentur. Præscribit ergo Gregorius Castorio ut seniores personas et ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum, aliosque antiquiores qui in sacris Ordinibus ante Joannis Episcopi tempora fuerant, requirat, faciatque eosdem ante corpus S. Apollinaris venire, ut tacto ejus sepulcro jurent, quæ consuetudo ante Joannis Episcopi tempora fuerat. Juramenti formula ex præfata Epistola hæc erat : « Juro ego per Patrem et Filium et Spiritum » sanctum, inseparabilem divinæ potentiæ Tri- » nitatem, et hoc corpus beati Apollinaris Mar- » tyris, me pro nullius favore personæ neque » commodo aliquo interveniente testari, sed » hoc scio, et per memetipsum cognovi : quia » ante tempora Joannis quondam Episcopi, Ra- » vennas Episcopus, præsente Apocrysario Sedis » Apostolicæ, illo atque illo, illis et illis diebus » consuetudinem utendi pallio habuit, et non » cognovi quia hoc latenter vel absente Apocry- » sario usurpasset. » Carolus Magnus hunc ritum præscripsit, ut qui super Sanctorum reliquiis juraret, hoc « jejunus faceret cum omni » honore, et timore Dei. » Præscripsit etiam et formulam qua illi esset jurandum ; quam legere est apud eruditissimum Marcum Antonium Buldethum in opere insigni, *De Cœmeteriis*, lib. III, cap. XVII, pag. 737. Vide Ferrandum, lib. II *Disquisitionis reliquiariæ*, cap. III, art. III, per totum.

X. Fuit præterea antiquus ritus ut, in sacris præsertim Rogationum processionibus, Sanctorum reliquiæ deferrentur ; sic enim de S. Huberto Leodiensi episcopo in ejus Vita legimus relata a Surio ad diem 3 mensis novembris : « Juxta consuetudinem cum Clericis populique » agmine, et victoriosissimis Salvatoris insi- » gnibus, Crucis videlicet vexillis, nec non Sanc- » torum piis reliquiis, ab oppido egreditur per- » agraturus cum precibus per agros. » Cui adde et alium ritum deferendi scilicet Sanctorum imagines reliquiasque in villas *pro timore prædonum et rapinarum*, uti constat ex Bernardo Monacho in manuscriptis *Consuetudinibus Cluniacensibus*, cap. LXXVII, apud eruditum Dufresne verbo *Reliquiæ* : eoque spectat quod tradit Molanus in *Natalibus SS. Belgii*, die I mensis julii, ubi scribit « Corpus sacrum S. Reginæ in » Saxoniam delatum esse, cum ibi, negata ju- » stitia, prædia S. Reginæ invaderentur. » Porro quod octavis Rogationum Ambianenses et Corbeienses convenirent in unum, collatisque Sanctorum corporibus eorum lites solverentur, ad pacem revocarentur discordes, mutarentur a populo orandi vices, ac decreta utriusque loci renovarentur, docet Vita Adhelardi abbatis Corbeiensis, cap. VIII, ubi de illius miraculis agitur.

XI. Longum esset ac tædiosum et alias omnes translationum sanctarum reliquiarum causas numerare ; quarum aliquas supra in Commentario, § II, attigimus : constat siquidem, ipsas reliquias varias ob causas fuisse in processione delatas. Quod aliquando pignori fuerint traditæ pro aliqua pecuniæ quantitate, atque interdum etiam cum defunctis, qui easdem dum viverent secum gerebant, consepultæ, luculenter ostendit

Digitized by Google

Buldethus in laudato *De Cœmeteriis sanctorum Martyrum* opere, lib. III, cap. XVI, ubi etiam notat, quod ante illum tradidit Thomassinus, tomo III *Disciplinæ*, lib. I, cap. LXXIV, de more circumgestandarum per provincias reliquiarum ejus Sancti cujus incensa vel diruta forte fuisset ecclesia, quasi stipem ipsemet instaurandæ ecclesiæ suæ mendicaret. Sed quicquid de ea consuetudine sit, quam putat natam sæculo Christi XII, in Concilio Parisiensi anni 1212, parte I, cap. VIII, prohibitum est Quæstores admitti sive Collectores, vel Quæstores simul et Concionatores, sive Sanctorum aliqua perferrent secum pignora sive nulla, nisi justa niterentur causa, litterasque haberent Episcopi diœcesani.

APPENDIX

In qua Ordo refertur ad benedicendum Capsulas pro reliquiis includendis ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi.

DE CAPSULARUM BENEDICTIONE PRO RELIQUIIS SANCTORUM ET ALIIS SANCTUARIIS CONSERVANDIS RUBRICA.

Benedictio capsarum pro reliquiis, et aliis sanctuariis condendis fit hoc modo : « ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui » fecit, etc. ℣ Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. Oremus. » Oratio. « Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem Omnipotentem » ut, qui omnia per unigenitum Filium suum » Dominum nostrum Jesum Christum in virtute » sancti Spiritus valde bona creavit, ipse nobis » indignis, ad consecrationem harum capsarum pro reliquiis Sanctorum suorum condendis et conservandis paratarum, rorem » gratiæ suæ clementer infundere dignetur. » Per eumdem Dominum nostrum Jesum » Christum Filium suum, qui cum eo vivit » et regnat in unitate Spiritus sancti, etc. » ℟. Amen. » Hic junctis manibus ante pectus mediocri voce dicit : « Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. » Et cum Spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. » Vere dignum et justum est, æquum et salutare » nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus » et inextimabilis, Deus ineffabilis, Deus misericordiarum, Deus totius consolationis. Qui » Moysi famulo tuo præcepisti ut, juxta exemplar quod ei, etc. »

« Oremus. » Oratio. « Domine Deus omnipotens qui, ut murmur insani populi compesceres, et Sacerdotium Aaron tibi placitum » comprobares, etc. » Ultimo aspergat aqua » benedicta. »

APPENDIX ALTERA

In qua solemnis reliquiarum ducentorum supra corporum SS. Martyrum translatio ad ecclesiam Sancti-Hieronymi Charitatis, earumque depositio in ara maxima ejusdem ecclesiæ describitur.

Cum ab hinc biennio, XVIII kal. aprilis anni 1737, duabus horis post mediam noctem, repentino acerboque incendio arderent ac ruerent ædes in quibus Summi Pontificis, ejusque Cardinalis Vicarii auctoritate ducentorum longe supra sanctorum Martyrum ossa, consueta

Digitized by Google

vitrea vascula, eorum sanguine aspersa, atque aliæ id genus ipsorum exuviæ, e variis sacris Urbis cœmeteriis erutæ, Christianis, pro Sedis Apostolicæ in sanctos Martyres obsequio, distribuendæ servabantur, non sine Dei consilio contigit ut, earum custodibus in summa temporis illius angustia domo sua abeuntibus, sacer ipse ac pretiosus sanctorum Martyrum thesaurus conflagratis jam ædibus ac pene deletis, sub murorum ruina jaceret. Cum autem non pauci cujusvis generis homines, ut fieri solet, restinguendo igni servandisque ab incendio aliorum domibus præsto fuerint, eædemque pretiosissimæ Sanctorum reliquiæ expositæ hinc ac veluti projectæ viderentur; e re sua putarunt custodes diligentissimi ut, cæteris rebus suis neglectis, nulla interposita mora, quibus potuerunt rationibus ac sollicitudinibus, ossa ipsa, vitreas ampullas ac cineres colligerent, et ab igne qui adhuc serpebat servarent.

Jam vero cum ex custodibus alter, nimirum Joannes Marangonus, plures annos fuerit ex Presbyteris nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, is Congregationis suæ minime immemor, alterum, qui est Marcus Antonius Buldethus, insignis Basilicæ Sanctæ-Mariæ Trans-Tiberim Canonicus (estque servandis SS. Martyrum exuviis in primis præfectus) monuit Cardinalis Vicarii auctoritate, ad ædes Sancti-Hieronymi Charitatis quæ colligi potuerunt SS. Martyrum ossa, ampullæ vitreæ, cineres, aliaque id genus deferri posse, ibique in capsis obsignandis decenter deponi. Ergo ossibus semiustis arcæ duæ bene magnæ impletæ, et ad ædes Sancti-Hieronymi Charitatis delatæ, signisque cardinalis vicarii consignatæ, ibidem juxta primum S. Philippi Nerii Oratorium depositæ sunt. Plaustra vero undecim sacrorum cinerum, qui pulveri, arenæ, aliisque ruinarum atque incendiorum reliquiis immixti erant, ad eamdem Sancti-Hieronymi ecclesiam perlata sunt; atque seorsum in sepulcro, quod est prope templi portam maximam, et juxta Sacellum S. Petro dicatum, quicquid id fuit situm est.

Nondum sesquiannus exierat, cum Joannes Antonius Guadagnius, S. R. E. cardinalis, et Clementis XII, Pontificis Maximi, cujus sororis filius est, in Urbe Vicarius, pretiosissimam hanc supellectilem donare constituit piæ atque illustri Archiconfraternitati Sancti-Hieronymi Charitatis, ad quam idem templum ac domus pertinet, quæque Congregationi Presbyterorum illius Oratorii præficitur. Nam cum fama sit, easdem ædes IV Christi sæculo S. Paulam matronam Romanam obtinuisse, et hinc S. Hieronymum, blasphemi in SS. Martyrum exuvias Vigilantii hæretici oppugnatorem, sanctorumque cœmeteriorum cultorem, quibuslibet Dominicis, et festis diebus, ad ea ventitasse arbitremur, ac in eisdem etiam ædibus aliquando habitasse non pauci scriptores testentur, voluit Eminentissimus Cardinalis Vicarius, ut sanctorum Martyrum hujusmodi spolia ponerentur ubi eorum eximius cultor ac propugnator inhabitavit.

At testatus est suis litteris sigillo munitis præstantissimus Cardinalis eidem Archiconfraternitati Charitatis, sanctum hunc thesaurum eo etiam consilio donasse, quod jam inde a ducentis eoque amplius annis Congregationem Presbyterorum Oratorii hic instituit, qui, inter alia Christianæ pietatis officia, sanctorum Martyrum ossa et cineres eorumque cœmeteria colere consueverunt; in iisque supra triginta tres annos fuisse S. Philippum Nerium, qui non secus ac tres alii ex eisdem Presbyteris, quorum unus qui fuit P. Persianus Rosa, anno 1548, Sodalitium sanctissimæ Trinitatis peregrinorum, alter Henricus Petra Placentinus Congregationem Doctrinæ Christianæ; tertius denique, ven. servus Dei Joannes Leonardi Lucensis Ordinem Presbyterorum Matris Dei, aliam et ipse Congregationem Presbyterorum quos Oratorii appellant, anno 1575 instituit, quamque Sanctæ-Mariæ in Vallicella Romani Pontifices in Litteris Apostolicis nominarunt.

Quocirca illustrissima Archiconfraternitas Charitatis de collato sibi tam pretiosarum mercium thesauro gaudens, auctoritate Georgii Spinulæ S. R. E. cardinalis amplissimi, qui ejusdem Archiconfraternitatis patronus erat, locum iisdem pro dignitate ac rerum sanctitate decrevit; pompaque solemni hæc veteris Christiani atque invicti animi spolia publice efferenda ac ducenda existimavit. Itaque primum ad ea collocanda excavatus fossionibus est locus sub ara maxima quæ ad Rentios olim, nunc ad Strozios principes viros eorumque hæredes pertinet. Locus autem factus est longus, latus, at-

Digitized by Google

que profundus, quantum alta, longa et lata est mensa omnis ejusdem aræ: qua occasione et ipsa mensa ligustico, aliisque selectissimis marmoribus, æreisque itidemque auratis cælaturis optimo artificio ornata est. Tum ad res magnifice ac splendide per triumphum in solemni pompa efferendas exstructa est lignea moles aureis sericisque ornamentis egregie ex omni vel minima parte ornata; in cujus vertice labarum, corona, palmæ, aliæque veteris Christiani roboris significationes erant appositæ; ejusque rationis et figuræ moles ipsa lignea erat, ut quatuor eamdem commode ac decentissime efferre ac portare super humeris possent.

His apprime eleganterque constitutis, pompæ pro dignitate ducendæ statuta est dies post idus septembres. Idibus autem locus perpetuo servandis Sanctorum nostrorum ossibus, et urna quæ cum non minima ipsorum sacrorum ossium parte in solemni pompa efferenda erat, lustrali aqua, statisque in Pontificali Romano precibus per Bernardum Pizzellam episcopum Constantiensem, ac sacrosanctæ basilicæ Vaticanæ Canonicum, ante meridiem initiata est. Post Vesperas venit ad ædes Sancti-Hieronymi Antonius Maria Pallavicinus, archiepiscopus Naupactensis, Ordinis Sancti-Spiritus generalis præceptor et magister, ejusdemque domus Charitatis præfectus, cui Cardinalis Vicarius sacrorum ossium sub ara maxima ponendorum obsignandorumque auctoritatem contulerat. Affuere et Joannes Maria Bensonius Fossæclodiæ episcopus, et Patricius Venetus, iidemque diligentissimi custodes Marcus Antonius Buldethus et Joannes Marangonus.

Hi, quod non facile nec commode omnia, tum ob quantitatem tum ob ponderis gravitatem efferri publice possent, actis quibusdam precibus, Psalmosque interea Patribus Congregationis Oratorii Charitatis recitantibus, venerandorum ossium partem maximam e cubiculo superiori in quo servabantur, in templum rem comportantibus Patribus, transtulerunt, et sub ara maxima obductis signis collocarunt: quæque superfuerunt reliquiæ solemni pompa postero die publice ducendæ, in capsula positæ sunt, holoserico atque aureo ornamento plane eleganterque contecta; quamque consuetis impressam signis, ex proximo sacello quod per triginta tres annos S. Philippi cubiculum fuit, paulo post Josephus Benectinus senior ex Patribus, quippe qui in hac domo admissus fuit ab anno 1692, superpelliceo ac stola indutus, psalmos et preces dum iidem Patres ardentes cereos ferentes canerent in Oratorium sericeis aureisque consuetis ornamentis auctum, detulit et super altare locavit.

Hæc acta sunt ante occasum solis; inclinata vero jam die inceptæ sunt ibidem sacræ vigiliæ ac preces. Ab officio quod vocant *Sanctorum plurimorum Martyrum* orditum est; recitatæque sunt a Patribus Matutinæ horæ: quoniam quod spectat ad Hymnum *Te Deum laudamus*, et Laudes, cantu quem Gregorianum vocant persolutæ fuerunt. Inde autem ex Patribus duo, quibus singulis duabus horis alii duo sufficiebantur, adfuerunt superpelliceo induti, qui, tum psalmorum recitatione tum tacita Oratione, perpetuo vigilias celebrarunt, Orationibus ante ipsas sacras reliquias instantes usque ad vigesimam secundam sequentis diei horam: quo tempore sic ducta est ab eodem Oratorio solemnis pompa atque processio.

Procedebant primum Apparitores nobilissimæ Archiconfraternitatis Charitatis cum consuetis baculis; hinc bini et bini circiter quinquaginta Oratorii Fratres cum candelis ardentibus, quorumque postremus cum consueto pallio et bireto erat Bernardus Gentilius Septempedanus, sive Sancti-Severini in Piceno Patricius, is qui ex Patribus eidem Oratorio duodecim ab hinc annis præfectus est. Tum crux argentea ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis cum hinc inde ceroferariis, juxta pervetustum et consuetum Ecclesiæ morem. Narrat siquidem Socrates, lib. III *Historiæ*, cap. XVI, cum pulcherrimam et religiosissimam pompam describit qua, incredibili populi frequentia, S. Babylæ Martyris sacra lipsana e Daphneo suburbio Antiochiam delata fuerunt, inclytum lingua et facinoribus magnum Chrysostomum curasse in processionibus, ut splendida crux ex argento inter faces præferretur.

Crucem cum hinc inde ceroferariis in nostra hac solemni processione familia omnis Archiconfraternitatis sequebatur; pecuniarum nimirum exactores, rationum et actorum magistri, architectus, sollicitatores, causidici, medici, carcerum Capellani, aliique cum candelis ardentibus, quos ardentibus itidem intorticiis ex-

Digitized by Google

cipiebant triginta circiter illustrissimi deputati Charitatis, qui tacita oratione ac precibus, gravi et venerando incessu, mirum quantum significabant, quam in puellas, viduas, pupillos, peccatrices ad Deum conversas, carceribus retentos, aliosque hujusmodi generis pauperes, exercent pietatem, non a sola humanæ fraternitatis consideratione proficisci, sed vere Christianam esse, atque ab eo uno proficisci qui spiritalis pietatis officia in primis coli, in iisque sanctorum Martyrum cultum optimum esse decrevit.

Sodales Charitatis, ut moris est, consequebatur Clerus cum consuetis superpelliceis, atque intorticiis ardentibus. Omnium primi erant Clerici collegii Anglorum. Cum etenim eidem collegio cum Patribus nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis vicinitas sit, consuetudo et magnus usus, voluerunt Patres Societatis Jesu, qui illud diligenter administrant, alumnos omnes in solemnem pompam ire, sanctisque Martyribus honorem per eos impertiri. Anglos Clericos prosequebantur Presbyteri multi cum Patribus ejusdem Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi. Qui Gregoriano cantu hymnum *Sanctorum meritis* canentes vicissim cum musicis a quibus sequebantur, omnia laudibus summi Dei Sanctorum que Martyrum referta esse contendebant. Tum sex illustrissimi Præsules Charitatis, et tandem Carolus Albertus Guidobonus Cavalchinus Philippensium archiepiscopus, qui in medio Diaconi, et Subdiaconi, Pontificiis Insignibus, mitra et pluviali aureo ornatus, postquam thure triplici ductu sanctorum Martyrum spolia honoravit, pompam veluti Sacerdotii jure atque auctoritate ducturus videbatur.

Rem humeris sustinebant comportabantque aperto capite quatuor nostri Oratorii PP. e senioribus, qui confessiones in eadem ecclesia excipiunt, iisdem quibus Missam celebrant pretiosis aureisque sacerdotalibus vestibus induti. Id enim præscribit in suo Concilio provinciali Mediolanensi IV S. Carolus, ubi agit de solemni processione, qua sacræ reliquiæ transferuntur, ut nempe « Arca portetur a Sacerdotibus qui » digniores sint et in toto Clero et in ea eccle- » sia ad quam translatio fit; illique vicissim, » prout Episcopus jusserit, id onus subeant, » sacris vestibus induti, tum capite aperto. » Quatuor item Episcopi Pontificiis itidemque aureis mitra ac pluviali vestiti ad molis angulos procedebant, qui, dum extremam ac pendentem serici ornamenti partem ferebant, manibus rem totam veluti sustentare videbantur. Hi erant Nicolaus Xaverius Sancta-Maria episcopus Cyrenensis, Bernardus Pizzella episcopus Constantiensis, Ludovicus Antonius Cremonus Valdina episcopus Hermopolitanus, et Josephus Maria Bensonius episcopus Fossæ-Clodiæ. Erant etiam duodecim ex eodem Anglorum collegio alumni superpelliceis suis ornati cum ardentibus intorticiis, qui, dum gravitate non juvenili, animique devotione sanctorum Martyrum pietatis ac sanctitatis cultores esse contendebant, eorum venerandarum exuviarum stipatores esse quoque significabant.

Cum purpurea veste procedebat Eminentissimus S. R. E. cardinalis Georgius Spinula roccheto et cappa indutus, stipatusque Helvetiorum cohorte ex prætorianis Pontificis militibus, quorum usus non solum fuit in submovendo hinc inde frequentissimo populo, sed ornamenti etiam et dignitatis. Cardinalis autem Spinula, quem sequebantur triginta circiter illustrissimi Præsules qui Romanam Curiam atque Aulam administrant, quique omnes ardentibus intorticiis solemnem pompam exornabant, consueta animi sui pietate, ordinis dignitate, atque patroni auctoritate solemni pompæ præfuisse est visus.

Ornatæ erant viæ, splendebantque fenestræ aulæis sericisque ornamentis, multusque ac frequens cum esset populus, ducta est solemnis pompa ab Oratorio Sancti-Hieronymi Charitatis, quod quidem est ad anticam portam domus. Post Sanctæ-Catharinæ templum aliquantulum deflectendo, per viam Juliam itum est ad fontem quem *Mascharonem* dicimus; tum perreximus Forum Farnesianum, unde per quatuor ejus angulos recta venimus ad templum Sancti-Hieronymi, quod sericis damascenis, aureisque ad consuetum Romanum ingenium ornamentis eleganter nitebat, musicorumque et organorum concentu personabat. Capsula super ara maxima deposita, appositum est thus, sanctisque exuviis per archiepiscopum Philippensem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchinum oblatum est. Ipso autem præcinente, suavissimis symphoniacis concentibus cantatus est Hymnus *Te Deum laudamus*, et hinc ab eodem Archiepiscopo Ora-

Digitized by Google

tio communis plurimorum sanctorum Martyrum recitata est; et tandem ipse cum cæteris Episcopis et administris secessit.

Verum Religiosissimus cardinalis Spinula Archiconfraternitatis patronus cum archiepiscopo Naupactensi Antonio Maria Pallavicino aliisque Præsulibus ad altare accessit, captamque e mensa capsulam deposuit in pulvinari quod prope excavatum adornatum locum erat. Signa quæ die superiori obducta fuerant resignari jussit, locumque aperiri, et ibidem, Joannis Marangoni atque Hippolyti Ferretti sacrarum cæremoniarum Magistri adjutricibus manibus, quæ solemni pompa ductæ fuerant, sanctorum Martyrum exuvias, cum reliquis ossibus ac cineribus superiori die positis, collocavit. Tum marmorea tabula cooperto loco, in quatuor angulorum ferreis lamellis liquatum est plumbum, obductumque est signum quod pertinebat ad Pallavicinum archiepiscopum Naupactensem, ad quem totius rei pro dignitate ac magnifice gerendæ auctoritatem suam contulerat S. R. E. Cardinalis Vicarius.

Quamquam autem quotidiana sit in ecclesia Sancti-Hieronymi Charitatis plenaria peccatorum Indulgentia, nihilominus ad augendum in sanctorum Martyrum ossa ac cineres cultum, Sanctissimus Dominus noster Clemens XII, Pontifex Maximus, iis qui rem efferrent, atque in solemnem pompam irent, plenariam itidem quarumcumque statutarum pœnarum remissionem indulsit. Cæterum ad totius hujus solemnis cæremoniæ memoriam, conspectissimo templi Sancti-Hieronymi Charitatis loco epigraphe parata est, quæ cum adhuc lapidi incisa non sit, nolui eam describere; quam tamen opportuniori loco, Deo dante, describemus, vel in Historia scilicet domus et ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis, vel alias, ubi nempe se opportunitas dederit.

Præter istas sanctorum Martyrum reliquias, jam aliis quoque sanctorum Apostolorum, aliorumque cœlitum lipsanis nostra ecclesia insignita est, præsertim vero de brachio S. Ecclesiæ doctoris Hieronymi, cujus partem insignem Apostolicis suis litteris obtinuit nobis Urbanus VIII, Pontifex Maximus, ab episcopo Tiburtinæ Ecclesiæ Mario Ursino, in qua unum integrum os, ac una pars alterius ossis brachii ipsius S. Hieronymi asservabantur. Apostolicæ ex originali suo, quod in brachio argenteo, ubi posita est memorata pars ossis, exstat, hæ quidem sunt ad ipsum Episcopum Tiburtinum anno 1632 directæ litteræ.

URBANUS PAPA VIII.

« Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam » benedictionem. Cum sicut dilecti filii Presbyteri Congregationis Oratorii in ecclesia » Sancti-Hieronymi Charitatis nuncupatæ de » Urbe nobis exponi fecerunt, quod unum integrum os ac una pars alterius ossis brachii » Sancti-Hieronymi, ut pie creditur, in ecclesia » Tiburtina asserventur, et dicti exponentes aliquam eorundem ossium particulam, ad effectum eam in eorum ecclesia prædicta, debitis cum honore et reverentia, asservandi » habere summopere cupiant; nos eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas » a quibusve excommunicationis, suspensionis » et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, » censuris et pœnis, a jure vel ab homine, » quavis occasione vel causa latis, si quibus » quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum » præsentium dumtaxat consequendum, harum » serie solventes, et absolutas fore censentes, » supplicationibus illorum nomine nobis super » hoc humiliter porrectis inclinati : Fraternitati » tuæ aliquam sacrarum reliquiarum prædictarum particulam de consensu dilectorum » filiorum Capituli, et Canonicorum dictæ ecclesiæ Tiburtinæ, et dummodo eædem reliquiæ muro clausæ non sint, ex ecclesia » Tiburtina prædicta extrahendi, eamque in » ecclesia prædicta Sancti-Hieronymi Charitatis » de dicta Urbe, debitis cum honore et reverentia asservandam, exponentibus prædictis » donandi licentiam et facultatem, Apostolica » auctoritate, tenore præsentium concedimus » et impartimur. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac dictæ » Ecclesiæ Tiburtinæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia » roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis, quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die » 2 januarii 1632, Pontificatus nostri anno IX. »

M. A. Maraldus.

Digitized by Google

Ex Apostolicis hisce litteris, aliisque in archivo illustris Archiconfraternitatis Charitatis exstantibus addiscere licet, quam antiqua sit nostra denominatio, ut nimirum Presbyteri Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis vocemur. Constat enim jam longe ante Urbanum VIII nostros Patres fuisse eo nomine appellitatos. Petrus Ribadineyra Societatis Jesu præclarissimus scriptor, qui a puero diu Romæ vixit, fuitque unus e primis S. Ignatii ejusdem inclytæ Societatis institutoris discipulis, in Vita Francisci Borgiæ, quam hispanice scripsit, ediditque in lucem Madriti anno 1592, lib. III, cap. V, ubi describit quandam urbis Romæ calamitatem quæ ex infecto aere accidit anno 1566, Christianam Borgiæ suorumque Jesuitarum erga ægrotos charitatem commendat, hæc statim de nostris subjicit (*a*) : « Et Presbyteri » Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi » multam suam operam ac opem contulerunt, » summo zelo et ædificatione. »

Acquisitam a nobis hanc denominationem cum primum in hanc domum admissi Presbyteri Verbi Dei pabulo, Sacramentorum frequentia, aliisque piis exercitationibus Christianum populum enutrire cœperunt, oratoriumque in his ædibus constituere, facile quisque sibi poterit persuadere, si ad ea attenderit quæ ad annum Christi 57 scribit Cæsar Cardinalis Baronius, ubi de nostro Oratorio Sancti-Hieronymi Charitatis ita inquit : « Ex eo namque et nostro » Collegio nomen est inditum, ut Congregatio » Oratorii diceretur. » Ex nostro itaque Oratorio Sancti-Hieronymi atque ex uno e nostris, nimirum S. Philippo Nerio, cui noster Persianus Rosa vir eximiæ probitatis, qui ejusdem spiritum dirigebat, præceptum imposuit ut Sacerdotio initiaretur, et audiendarum confessionum in hac nostra ecclesia onus subiret, Presbyteri Sanctæ-Mariæ in Vallicella nomen et institutum acceperunt. Hinc cum novam Congregationem de Oratorio in ipsa ecclesia Sanctæ-Mariæ in Vallicella Gregorius XIII, ad preces Philippi et aliorum qui ei nomen jam dederant, constitutione sua quæ incipit : *Copiosus, etc.*, anno 1575 edita, erexit, hunc in modum locutus est : « Hujusmodi supplicationibus inclinati, in dicta » ecclesia unam Congregationem Presbytero- » rum et Clericorum secularium de Oratorio » nuncupandam sine alicujus præjudicio, aucto- » ritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo » erigimus et instituimus. » Ubi nota 1° verba illa *sine alicujus præjudicio* non alio referri quidem debere, quam ad Congregationem Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis jam antea institutam; 2° si Gregorianæ Constitutioni standum est, debere Patres Philippinos *Congregationis Presbyterorum de Oratorio* appellari, non vero *Oratorii*. Expressa enim sunt ipsa Pontificis verbis, nullaque Curialium interpretatione indigent.

Rursus ex hac nostra Sancti-Hieronymi Charitatis domo, in qua triginta tres annos S. Philippus Nerius commoratus est, et præcepto nonnisi adactus Pontificio ad Vallicellanas ædes confectus jam senio se contulit, ejusdem sectatores appellati aliquando fuere *Hieronymini*, a nostro scilicet Sancti-Hieronymi domicilio; uti Baccius aliique scriptores passim fatentur, eamque denominationem hodieque retinent Patres Congregationis Oratorii Neapolitani; quos quidem *Hieronyminos* perpetuo appellant.

Longum esset Apostolicas Maximorum Pontificum litteras, Cardinalium Vicariorum Urbis rescripta, ac innumerorum fere scriptorum testimonia hoc loco velle describere, quibus nos in hac domo degentes, atque exercitia varia christianæ pietatis exercentes, Presbyteros Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis vocant. Sunt hi ut plurimum Episcopi atque auctores magni nominis qui Nostris, in operibus hodieque Romæ editis, eam denominationem tribuunt. Cæterum, etsi e nostris aliqui suis libris se solum Presbyteros Sancti-Hieronymi inscribant, vel Presbyteros cum sola voce *Oratorii*, nulla facta *Congregationis* mentione, imitati in eo videntur esse auctores Gallos, imo etiam et ipsos PP. Philippinos, nempe instituti sancti Philippi Nerii sectatores, qui sola voce *Oratorii* contenti, *Congregationem*

(*a*) In Vita hispanice scripta ita legitur pag. 139 : « Y los Clerigos de la Congregacion de Oratorio de San Gero- » nymo ayudaron tambien mucho con grande zelo, y edificacion. » Quæ verba Julius Zanchini Eques Sancti-Joannis Hierosolymitani in eadem Vita, quam italice edidit Romæ anno 1616, pag. 176, hunc in modum reddidit : *E i Preti della Congregazione del l'Oratorio di S. Girolamo ajutarono ancora assai, e con gran zelo, e edificazione.*

Digitized by Google

in libris suis non semel omittunt. Tales sunt Joannes Baptista Polaccus in libello italice scripto, edito anno 1681, Venetiis, cujus titulus, latinitate donatus, est : *Amor ad Sanctissimum Sacramentum;* aliique complures quos longum esset hic recensere. Dicere autem et de nostris antiquis Patribus, qui eam denominationem omiserunt, possumus quod olim de Patrum nonnullis, qui ante Nicænam Synodum floruerunt, aliquasque voces Divinitati Verbi parum congruentes usurparunt, in Apologia II contra Ruffinum scripsit S. Hieronymus, ita inquiens : « Fieri potest ut aut simpliciter erraverint, vel » alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis » eorum paulatim scripta corrupta sint, vel cer- » te, antequam in Alexandria quasi Dæmonium » meridianum Arius nasceretur, innocenter » quædam et minus caute locuti sunt, et quæ » non possunt perversorum hominum calum- » niam declinare. » Post suscitatum Arii monstrum, et Nicænam Synodum quæ impium hæreticum condemnavit, Patres omnes de Divinitate Verbi congrue ac luculenter scripserunt.

Neque vero obstat quod in Epistola quadam, quam aiunt a S. Philippo missam fuisse ad S. Carolum et super qua unus e nostris peculiarem librum concinnavit, itemque nonnullis in locis Patres Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis *Capellani* aliquando appellentur. Non enim eo vocantur nomine quasi Patres non essent, cum liquido constet duobus ab hinc sæculis Patrum nomen nostris tribui consuevisse, ut legere est in Epistolis Cacciaguerræ et in aliorum auctorum antiquorum libris atque in variis marmoreis lapidibus. Vocati autem aliquando sunt Capellani, quod Ecclesiæ Sancti-Hieronymi inservirent, peragendisque divinis Officiis operam darent, tametsi ad proximorum salutem procurandam variis exercitationibus sedulo incumberent, uti ex memorati Cacciaguerræ libris, atque ex manuscriptis codicibus decretorum illustris Archiconfraternitatis Charitatis liquido constat.

Quod Capellani primitus dicti sint, qui cappam seu capsam reliquiarum S. Martini in regum palatiis asservabant, ad eamque et alias sacrarum reliquiarum capsas in regio ipsorum oratorio divinum Officium quotidie decantabant, vel ipsam capsam in bellicis regum præsertim Francorum expeditionibus deferebant, fuse admodum atque egregie post alios auctores clarissimos ostendit eruditissimus Ludovicus Thomassinus in sua *veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, parte I, lib. II, cap. CIX, num. I, II et III, ubi ita inquit : « Certum est hæc sacra » pignora in oratorio seu capella palatii regii » servari solita fuisse, ubi ad sacros cineres » Clerici divinam Psalmodiam et quotidiana » officia decantarent. » Tum num. XI ait, jam sub prima Galliæ regum dynastia, in ipso regio eorum palatio oratorium capellamve fuisse, « cui proprius et peculiaris suus esset Clerus, » ex quo deligeretur flos delibatus Episcoporum » sapientiæ et sanctitatis laude clarissimorum, » quando regum favor et gratia meritis veris- » simis, virtuti, pietati, eruditioni suffragaba- » tur. »

Quin, et post annum Christi millesimum ipsos Episcopos egisse munus Capellanorum regum ac principum, manifestum fit ex diplomate Henrici II, quod refert tomo I *Antiquitatum Italicarum medii ævi* vir clarissimus Ludovicus Muratorius, col. CMI, ubi ita memoratus Henricus inquit : « Sub nostri Mundi- » burdi defensionem recepimus dominum » Landulfum venerabilem Præsulem ejusdem » sanctæ Cremonensis Ecclesiæ, nostrumque » dilectissimum Capellanum cum omnibus Cle- » ricis suis ac familiis, etc. » Quale esset Capellani regii munus, edicit Petrus Blesensis, qui in Epistola sua X ad Capellanum regis Siciliæ scribens, eundem monet, illud ipsi munus incumbere ut regem creberrime commonefaceret et vehementissime dehortaretur ne Episcopales sedes donaret iis qui dedecori futuri essent sanctissimæ dignitati, et ne in thesauros Ecclesiæ involaret; cum enim pastor esset regis, pari cum ove sua periculo periclitaturus, pari exitio periturus erat et ipse : « Ovis tua » est, et in periculum tuum ipsius custodiam » suscepisti. » Et mox : « Periculosum est tibi » si in tonsoris officium convertas ministerium » Pastorale. »

Fuit sane usus laudabilis ut Presbyteri, qui in laicorum principum domibus Capellanos agebant, non modo in eorum Oratoriis sacra facerent, verum etiam animarum saluti promovendæ incumberent. Puto autem ex eo deinde Capellanorum nomen parvipendi cœpisse, quod nobiles viri matronæque Presbyteros passim

Digitized by Google

viles et despicabiles parvique pretii homines conducerent, eosque sordidis ministeriis manciparent. Id jure merito deplorat Coloniensis Synodus, anno 1536 habita, parte II, cap. XXVII, ita inquiens : « Magna eorum levitas est, in » magnam Cleri ignominiam redundans, qui se » laicis, atque adeo delicatis feminis, ventris » causa in Capellanos, ut appellant, atque ante» ambulones venditant. Qui enim debebant esse » gregis duces, rediguntur in caudam, et sor» didissimis quibusque negotiis alligantur. Proh » dolor ! » Eamdem querelam legere est in aliis Synodis, quarum loca supervacaneum est hoc loco describere.

At vero, ut ad aliorum Capellanorum genera explicanda deveniamus, eodem teste Thomassino, parte I, lib. III, cap. LXX, num. X, Capellanorum nomine post annum millesimum donabantur etiam in ecclesiis inferiores chori ministri propter capellas in eadem ecclesia eis destinatas et quas veluti Præbendas obtinebant. In Concilio Placentino anni 1095, postquam vetiti sunt Canonici ne quis eorum duos Canonicatus vel duas simul Præbendas retineat; additur, si de Capellarum reditibus non possint substentari Capellani, eam sibi curam ut induat Præpositus, quo ex earum proventibus possint idonea stipendia Capellanis omnibus erogari. Sic enim inquit can. XV. « Si quæ tamen Ca» pellæ sunt quæ suis reditibus Clericos sub» stentare non possint, earum cura aut dispositio » Præposito majoris ecclesiæ, cui Capellæ sub» ditæ esse videntur, immineat, et tam de pos» sessionibus quam et de Ecclesiasticis Capella» rum Officiis ipse provideat. »

In Concilio Coloniensi anni 1260, tria genera Capellanorum distinguunt, nempe regum, Episcoporum, Præpositorum. Ii omnes ibidem cap. X ad residendum constringuntur, nisi ad necessaria dominorum obsequia abesse cogantur : « Cum in aliquibus Ecclesiis Capellani regales, » Episcopales, ac etiam Cappellani Præposi» torum existant... Capellani hujusmodi resi» dentiam in suis Ecclesiis, tanquam alii fratres » faciant, nisi illo tantum tempore quando » agant suorum negotia dominorum, atque » etiam si negotia Ecclesiæ hoc exposcant. » In Concilio Senonensi anni 1320, cap. IV, inter beneficiarios ecclesiæ cathedralis, vel collegialis, numerantur et Cappellani : « Clerici beneficiati » tam cathedralium quam collegiatarum eccle» siarum, sive sint Cappellani, Canonici, Vicarii, » seu simplices Choriales, etc. » Eosdem fuisse Capellanos Vicariosque non absimile veri est.

Etiam longe post annum Christi millesimum fuisse alicubi, hodieque etiam esse in multis nostri regni Neapolitani urbibus, Parochos qui curam animarum gerunt, qui Sacramenta administrant, qui conciones ad populum habent, qui a scriptoribus Ecclesiasticis tum septuaginta senioribus Moysis, tum filiis Aaron, tum septuaginta discipulis Christi comparantur, Capellanorum nomine appellitatos, ex plurimis Conciliis constat. Quid quod hodieque illustrissimi Præsules Rotæ Romanæ Auditores Cappellani Papæ vocantur, eoque nomine in publicis marmoreis lapidibus inscripti reperiuntur, ut videre est apud virum clarissimum Hieronymum Crispi pridem auditorem Rotæ Romanæ, tum Ravennæ archiepiscopum, nunc archipatriarchalis sacrosanctæ Lateranensis basilicæ vicarium in celebri dissertatione, *De Mysteriis Evangelicæ legis, ac Sacramenti Eucharistiæ, et Missæ*, pag. mihi 225, ubi exprese ait causarum sacri palatii Auditores Cappellanos Papæ vocari : itemque apud Floravantem Martinellum, qui in sua Roma ex ethnica sacra, pag. 297, hanc refert Auditoris Rotæ Romanæ inscriptionem Romæ in templo Sanctæ-Sabinæ positam : « Antonius de Sanzee Capellanus Papæ hic se » condi jussit, et pro ejus suorumque animabus, » certa pecunia huic templo attributa, tres sin» gulis hebdomadis Missas, diebus Lunæ, Mer» curii, et Sabbathi, in mense anniversarium, » ab hujus templi Sacerdotibus perpetuo cele» brari reliquit. Vixit annos 96 ; obiit pridie non. » jul. 1577. »

Si ergo hodieque Parochi, et illustrissimæ Rotæ Romanæ Auditores, Capellani vocantur, nullam profecto fieri injuriam video Patribus Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, qui, ut legitur in Constitutionibus Archiconfraternitatis Charitatis editis anno 1603, cap. XIII, « primævam devotionem et pietatem, » longo annorum cursu in Ecclesia nostra pie » et laudabiliter convivendo, multis eorum » orationibus et vigiliis acquisitam copiose in » alias Ecclesias ad omnium fidelium utilitatem » et spiritualem lætitiam, diffundere potue» runt : » quique ipsam domum atque ecclesiam

Digitized by Google

Charitatis christianis virtutibus adeo illustrarunt ut, quemadmodum in marmoreo lapide legitur, vel ex uno ipsius ecclesiæ angulo manarit in orbem fons pietatis : nullam inquam fieri injuriam nostris Patribus video, si aliquando Capellani vocati sint, præsertim cum unus ex iis triginta trium annorum spatio fuerit S. Philippus Nerius, cujus primi sectatores, Baronius, Burdinus, Fedelius et alii qui in domo Sancti-Joannis nationis Florentinorum degebant, ad quam Antonius Gallonius ad annum 1564 initia suæ Congregationis refert, Capellani erant, singulosque in menses per annos complures salarium accipiebant quo se sustentarent, uti constat ex libris qui in archivo Archiconfraternitatis Sancti-Joannis Florentinorum exstant. Philippus enim nostras ædes retinuit, et, ut sæpius dictum est, ad Vallicellanas ædes nonnisi præcepto adactus Pontificis anno Christi 1583 se contulit. Id quod omnes scriptores fatentur.

Exoptasse insuper S. Philippum christianæ humilitati addictissimum ut sui instituti sectatores, ad propagandam Oratorii Congregationem, ecclesias in capellaniam sumerent, in iisque Capellanos agerent, atque Capellanorum salarium acciperent, docent nos litteræ quas ejusdem Philippi, et Congregationis Oratorii Sanctæ-Mariæ in Vallicella nomine Antonius Talpa patricius Sancti-Severini in Piceno, die 21 januarii, anno 1581, ad Arsenium fratrem scripsit; exstantque authenticæ in archivo Patrum Congregationis Oratorii Sancti-Severini, uti mihi testatus est Bernardus Gentilius ejusdem urbis patricius, nostræque Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis Presbyter, qui ipsas litteras, in suis Memoriis historicis, triginta et supra ab hinc annis descripsit, a nobis in calce paginæ hujus (*a*) recensendas, in quibus ingenuus lector multa observabit quæ nos brevitatis studio præterimus, tum præsertim quod a nostro peculiari instituto quod est de Pontificalibus ritibus agere, aliena prorsus sunt, de eisque nobis agendum alias uberius est. Omitti porro hic illud non debet, quod, ubi patres Oratorii Septempedani in aliena ecclesia Capellanos agebant, salariumque ordinarium accipiebant, jam nobilissimæ quidem Congregationi Oratorii Romani incorporati fuerant, uti ex aliis litteris constat nomine S. Philippi et Patrum Oratorii Vallicellani ad S. Severinum missis anno 1578, exstantque in ipso Patrum Congregationis Oratorii Septempedani archivo.

Cumque post centum quinquaginta eoque amplius annos coorta fuerit controversia de eodem titulo Presbyterorum Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis : atque hinc inde per annum nec pauci partium studio de re contenderint et concertaverint, et quæstio nominis inducta esset, quæ ad Illustrissimam Archiconfraternitatem Deputatorum Sancti-Hieronymi Charitatis in primis pertinere videretur, VI kal. martis labentis anni 1739 in

(*a*) Tenor litterarum quas ad fratrem suum misit Antonius Talpa, is est : « Ho tardato di dar risposta alla » vostra lettera, e a quella di D. Bartolomeo non tanto per esser stato molto impedito in questi giorni, quanto » perche mi pareva, che il negozio dovesse esser ben considerato per pigliar poi qualche risoluzione per ultimo » stabilimento e quiete delle cose vostre, però non vi maravigliate se così tardi rispondo. Ho conferito col P. Messer » Filippo dì mano in mano tutto quel che mi havete scritto l'uno e l'altro del negozio di S. Benedetto, e l'altro » giorno per pigliar l'ultima risoluzione ne parlai appartatamente con sua Riverenza, e poi con Messer Francesco » Maria, e con altri Padri, e tutto sempre è stato con participazione di D. Pier Martino, e di comune consenso si è » risoluto (atteso che il Pievano non inclini dismembrare la Chiesa, non parendo bene di fare altro per questa via » senza il suo consenso) che in ogni modo si pigli la Chiesa di S. Benedetto in CAPPELLANIA in persona dell'uno, » o dell'altro di voi due, o di un solo con le stanze, e EMOLUMENTO ORDINARIO, quando non si possi ottenere » altro, e si desidera che si pigli a lungo tempo, e potendosi, in vita del Pievano. E l'intenzione del P. Messer » Filippo, e dell'altri è, che voi subito cominciate a cohabitare insieme in detto luogo, e a convivere per dar con » questo poco principio ad una Congregazione come membro di questa di Roma; e se bene non par molto sicuro » fondare in casa d'altri, nondimeno sperano, che facendo progresso in servizio di nostro Signore, che egli stesso la » saprà mantenere o lì, o altrove, come con l'esperienza si è veduto nella nostra, et si tocca con mano, che Dio » non guarda le sue cose con la prudenza umana, la quale quanto più si persuade, tanto meno arriva à disegni di » Dio. La risoluzione dunque è la volontà del Padre, e degl'altri, in nome del quale vi scrivo, e, che voi aderendo » con esse loro alla speranza, che hanno nel Signore, e sotto la loro obedienza vi risolviate a cominciare il convitto » per dar principio ad una Congregazione formata, nella quale possiate vivere secondo l'istituto, ed attendere meglio » a questi esercizii, che sono proprj della nostra Congregazione, e per salute del Prossimo, e per vostro profitto, e » quiete. Questo è quanto vi ho da scrivere per ordine del Patre, etc. » Hactenus Antonii Talpæ litteræ ad Arsenium Talpam fratrem, S. Severinum in Piceno missæ, S. Philippi Nerii et Congregationis Oratorii Romani nomine.

Digitized by Google

ædibus Apostolicis Quirinalis coram Eminentissimo S. R. E. cardinali Corsino ejusdem Archiconfraternitatis protectore (is enim paulo ante suffectus fuerat Georgio Cardinali Spinulæ, qui ad hanc nostram antiquam appellationem defendendam toto pectore omnique conatu incubuerat, obiitque die 17 januarii); coactum est consilium duodecim virorum ex eisdem deputatis, ad videndum nimirum, num ex tali controversia Archiconfraternitas quid detrimenti capere posset. Cœtus erat ex præstantissimis Archiepiscopis, Pallavacino Naupactensi, et Cavalchino Philippensi, et dignissimis Præsulibus Mesmero R. C. Clerico, Furietto R. C. Locumtenenti Civili, Amadoro, atque Petrutio utriusque Signaturæ Referendariis. Intererant Antamorus atque Serianus advocati Consistoriales, Santinus et Justinianus in Romana Curia itidem primarii advocati, et Onoratus denique Deputatorum Decanus, et Sonsognus alter ex Archiconfraternitatis Sindicis. Diu multumque disceptatum est, sermoque in duas horas fuit productus. Recitata sunt quippe Patrum Charitatis jura, objectisque responsum est, quæ pars adversa in suo ac prolixo libello urgebat. Itumque est tandem omnium consensu in hanc sententiam : Justum et æquum videri, ut Patribus nostris, per quos institutum est ab Archiconfraternitate Oratorium, in hujus appellationis vel minima parte adesse debeatur : si lis ab adversariis instituatur, Archiconfraternitatis impensis juxta decretum die 7 julii anni 1738 de ea re in plena Congregatione editum suscipiantur omnia; quoniam id negotium censuerunt ejusmodi esse ut ad Archiconfraternitatis rem et honorem in primis pertineat. Cui quidem sententiæ Eminentissimus protector calculo etiam suo est adstipulatus, aitque non semel, in hac re verum patronum se esse futurum.

Lubet denique ad calcem hujusce Appendicis, in qua historiam solemnis translationis ducentorum supra Martyrum, et depositionis in ara principe nostræ ecclesiæ retulimus, ea ad nostram utilitatem describere, quæ in Homilia I de Natali Tauricorum Martyrum S. Maximus Taurinensis Episcopus dixit : « Cuncti Martyres » devotissime percolendi sunt, sed specialiter » ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias » possidemus. Illi enim nos orationibus adju- » vant. Isti etiam adjuvant passione. Cum his » autem nobis familiaritas est. Semper enim » nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, » et in corpore nos viventes custodiunt, et de » corpore recedentes excipiunt hic, ne pecca- » torum nos labes assumat; ibi, ne inferni horror » invadat. Nam ideo hoc a majoribus provisum » est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora so- » ciemus, ut, dum illos tartarus metuit, nos » pœna non tangat : dum illis Christus illumi- » nat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum » sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus » inferi tenebras, eorum propriis meritis, atta- » men consocii sanctitate. » Pergit deinde, et ita Homiliam concludit : « Hæc et alia potiora » mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum est. » Et ideo, fratres, veneremur eos in sæculo, quos » defensores habere possumus in futuro. Et » sicut eis ossibus parentum nostrorum jungi- » mur, ita et eis fidei imitatione jungamur. In » nullo enim ab ipsis separari poterimus, si » consociemur illis tam religione quam cor- » pore. »

Spectat quoque ad hunc titulum nostrum, in quo de reliquiis Sanctorum actum est, elegantissimus Sermo, quem de Sanctorum reliquiis concinnavit Theophridus Abbas, quique exstat tomo XII Bibliothecæ Patrum, ultimæ editionis. Quo tempore hic auctor vixerit, non satis constat : ponitur quidem a recentioribus quibusdam anno 1120, sed nullo certo argumento; puto equidem longe ante hoc seculum floruisse. Est autem Sermo hujusmodi.

Laudemus Dominum mirabilem in Sanctis suis, sed mirabiliorem in eorundem reliquiis, quia licet sit magnus in magnis, gloriosus tamen mirabilia operatur in minimis. Non satis est illi, quod Sanctorum animas in æternæ felicitatis glorificat regione, nisi et eorum reliquias glorificet in hac peregrinatione. Neque sufficit quod immortalitatis illis donat delicias, nisi et totius mundi conferat divitias. Oppida enim et castella, vicos et urbes, quæ omnia jam magni tenuere principes, exiguus Sanctorum pulvis possidet, locuples rerum copia illorum reliquiis subjacet. Animæ in cœlesti jubilant palatio, reliquiæ eorum exaltantur in subdito sibi sæculo. Non poterunt unquam tam profunde in terræ recondi visceribus, quin super terram per miraculorum effectus effulgeant ipsæ sole lucidius. Has singulis provinciarum et civitatum

Digitized by Google

populis dedit in solatium, ut, dum importunis urgentur incursibus hostium visibilium et invisibilum, per harum defensentur meritum. Rex enim quilibet, urbis alicujus defensurus mœnia, quanto audaciora et plura hostium comperit esse agmina, tanto fortiora et numerosiora in munitionibus militum opponit pectora. Sic et Deus nostri videns hostium multitudinem per totum volitare aerem, et pugnam adversus adoptionis suæ filios struere multiplicem, humanæ miseriæ misericorditer consulit, et, multiplicatis super arenam patrociniis, civitatem suam, id est Ecclesiam, custodit et protegit. Unicuique locorum, sicut et huic nostro, abunde magnas Sanctorum reliquias accommodat; quatenus, dum ab indigenis digne ac familiarius honorantur, iidem indigenæ earum perpetua defensione firmentur. Ubicumque vero terrarum aliquid est earum, morem habent lucernarum : lucernæ, ubicumque locorum sint, abscondi non possunt, sed luminis sui splendorem longe lateque spargunt. Nemo namque accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut cum ingrediuntur, lumen videant. Accensæ lucernæ Sanctorum sunt reliquiæ, licet et lucernam ipsum Sanctum Sanctorum non a credentibus absconsum, nec sub modio, id est sub legis mensura, inclusum, intra unius Judææ gentis terminos cohibitum, sancti Doctores doceant intelligere. Hæ, inquam, lucernæ, ab illa salutis æternæ lucerna accensæ, non in abscondito neque sub modio, id est non in aliquo indecenti vel ignoto loco sine honore locantur. Occultari nusquam permittuntur, sed supra candelabrum, quod est Christus et Ecclesia, in propatulo ponuntur, ut fidei et divinæ agnitionis lumen videant qui ingrediuntur ; ut lumen, inquam, videant, dum Sanctorum reliquias miraculis coruscare considerant, ut quam mirabilis, et quam sit pietatis Deus, intelligant. Si vero Sanctorum reliquiæ occultarentur, et virtutum signis non illustrarentur, quid durum et lapideum cor hominis ad desideranda cœlestia excitaret ? quid a vitiis ad virtutes revocaret ? quæ homo speraret præmia, si eos quos in vita sua justissimos esse novit, non videret esse in memoria ; qui vix ad cultum et amorem Dei nunc proficit, vix torporem a se infidelitatis nunc excutit, dum electorum Dei reliquias miraculorum gratia illustrari aspicit ? Sacræ profecto Fidei constructio per miracula crevit, et eisdem deficientibus in quibusdam gentibus decrevit. Nisi enim sancti Prædicatores miraculis coruscarent, frustra verbum vitæ prædicarent. Et licet (*a*) signa non sint fidelibus, sed infidelibus, fides tamen fidelium per signa solidatur, quæ aut a sanctis audierunt facta Patribus, aut per eorum reliquias in suis vident fieri obtutibus. Vere mundi lucernæ, Sanctorum reliquiæ clariritatis suæ splendorem longius spargunt, easque, ut præfati sumus, illorum merita, quorum sunt nusquam negligenter latere sinunt. O mira divinæ pietatis miseratio ! o ineffabilis circa Sanctorum reliquias dignatio ! Deus Sanctus Sanctorum est, et Sanctorum congregatio Dei habitatio est. Non parvi, sed maximi apud eum pretii sunt reliquiæ illorum quas exaltat super omnem mundi ornatum. Namque earum excellentiæ omnis lapis preciosus non comparatur, sed quidquid in rebus volventibus pretiosum est, in earum comparatione vilissimum judicatur. Terrarum sunt munimenta, et æternæ retributionis divinæque magnitudinis documenta. Nam evidentibus patet indiciis quanta sit Dei magnificentia, cum Sanctorum reliquiæ tanta polleant gloria. Si enim humana divinis, si parva licet comparare magnis, quicumque alicujus temporalis domini servos cernit, in eis quantæ dignitatis sit idem dominus perpendit. Si potentes et divites sunt servi, ditior et multo amplioris potentiæ esse creditur, cujus subjacent ditioni. Sic perpenditur quanta sit divina magnitudo et majestas, cum et ejus gratuito dono Sanctorum reliquiis tanta concessa cernitur esse claritas et potestas. Ad arida enim eorum ossa, ut Patris luculentissimi dictis utamur Gregorii, ægri veniunt, et sanantur ; perjuri veniunt, et a Dæmonio vexantur ; dæmoniaci veniunt, et liberantur ; leprosi veniunt, et mundantur ; deferuntur mortui, et suscitantur. Nam ut ex uno quid omnibus sit advertendum perpendamus, per Elisæi (*b*) prophetæ ossa revixit mortuus. Benedictus Deus in omnibus. Ossa Elisæi vitam dederunt mortuo, mortuum de mortis solvebant periculo. Post mortem ergo

(*a*) Locus ex Epistola I ad Corinthios, cap. XIV. — (*b*) IV Regum, cap. XIII.

Digitized by Google

carnis Sancti Dei melius vivunt, quorum his ossa in tot miraculis vivunt. De his mirifice Sanctorum ossibus dicit Propheta (*a*) veridicus : *Et ossa vestra ut herba germinabunt.* Ossa Sanctorum, licet mortali conditione arescant, virtutum tamen viriditate, ut herba, germinant; quamquam idem in generali resurrectione perfectius implendum esse divinæ Scripturæ adstruunt. In dispositissima sane Dei tanta quasi Patrisfamilias domo vasa in honore esse ac fuisse electi creduntur ; ideo et eorum reliquiæ in vasis aureis atque argenteis, et gemmatis, ac in omnibus quæ pretiosa sunt, reconduntur. Et sicut sanctum altare non sanctificatur ab auro, sed sanctificat, sic et quodlibet vas quod sanctarum reliquiarum in se continet thesaurum, non dat sed accipit gratiam sanctitatum ; et tactum, quasi etiam illud quod interius latet tangatur, fugat multa genera infirmitatum. Inimica invisibilium phalanx ante eas stare non poterit, confusam et devictam se ingemit, et qui sedem suam in monte (*b*) Testamenti, in lateribus aquilonis se positurum, seque Altissimo similem futurum gloriabatur, a dissoluto Sanctorum pulvere superatur, igneisque catenis religatur. Pulvis iste, licet dissolutus sit et exiguus, hujus tamen aeris dominatur Potestatibus, honoratur digne a cunctis mortalibus, pusillis et majoribus ; quia, ut calor inseparabiliter insitus est in natura ignis, sic sanctitas est sita in illis. Si enim sanctitatis amitterent donum, amitterent pariter etiam Sanctorum. Ex accidenti dono habent sanctitatem, sed non amittunt eamdem, quia ex immortalitate non fit transitus ad mortalitatem. O quam magnificata (*c*) sunt opera Domini ! nimis profundæ factæ sunt cogitationes Dei nostri. Reliquiæ Sanctorum sunt ut pretiosa (*d*) aromata et poma odorifera, quæ si quis manu tractaverit, manus ejus ab eisdem odorem suscipit; ut lilia, inquam, et pretiosa aromata redolent, nares mortalium miri odoris suavitate complent. Distantia quippe grandi divisit (*e*) Deus lucem a tenebris, id est pios ab impiis, et minus perfectorum ossa a Sanctorum reliquiis.

TITULUS XX.

DE BENEDICTIONE SIGNI, VEL CAMPANÆ.

I. Omnium una est veterum scriptorum Ecclesiasticorum sententia, suam campanas ducere originem a Campania nostri regni Neapolitani provincia : « Vasorum quæ simpliciter signa » dicuntur, usum primo apud Italos affirmant » inventum. Unde et a Campania, quæ est Italiæ » provincia, eadem vasa, majora quidem, » campanæ dicuntur : minora vero, quæ et a » sono tintinnabula vocantur, nolas appellant, » a Nola ejusdem civitate Campaniæ, ubi eadem » vasa primo sunt commentata. » Verba sunt Walafridi Strabonis in libro *De rebus Ecclesiasticis*, cap. v. Similia docent Honorius Augustodunensis in sua *Gemma animæ*, lib. II, c. CXLII ; Gulielmus Durandus, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. IV, et alii complures relati a Joanne Baptista Thiers in opusculo gallice scripto *Des Cloches*, id est *De Campanis*, quod magna ex parte desumptum est ex iis quæ scribit de eadem re eruditissimus Joannes Bona cardinalis, lib. I *Rerum Liturgicarum*, c. XXII, num. III.

II. Porro a quo primum campanæ inventæ, cujusque opera vel auctoritate in Ecclesiam in-

(*a*) Isaias, cap. LXVI. — (*b*) Isaias, cap. XIV. — (*c*) Alludit ad Psalmum XCI.

(*d*) Sanctorum reliquias suavissimum spirare odorem innumeris pene exemplis probari posset, quæ apud Surium, et apud Bollandianos passim in Vitis Sanctorum leguntur. S. Hieronymus, in Vita S. Hilarionis, ita de ipso scribit : *Toto corpore, quasi adhuc viveret, integro, tantisque fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putaretur.* Vide plura apud virum clarissimum Marcum Antonium Buldethum in suo *de Cœmeteriis* opere.

(*e*) Alludit ad cap. *Genes.* primum, versiculo 4.

Digitized by Google

troductæ sint, incompertum est. Polydorus quidem Virgilius, in libro VI *De Inventoribus rerum*, cap. XII; Onuphrius Panvinius, in *Epitome Romanorum Pontificum;* Ciaconius et alii nonnulli auctores campanarum inventionem Sabiniano Pontifici adscribunt, qui S. Gregorio Magno in Romano Pontificatu successit : « Hic » Papa, inquit Panvinius, campanarum usum » invenit, jussitque ut ad Horas Canonicas » et Missarum sacrificia pulsarentur in eccle- » sia. » Sed cum Anastasius bibliothecarius, aliique prisci scriptores in Sabiniani Vita nihil de campanis ab eo inventis dicant : dicere profecto debuerant Polydorus, Onuphrius et Ciacconius a quo suam ipsi sententiam acceperint. Non enim iis facile credendum est qui res antiquas nullo teste antiquo monumentoque fulti audacter narrant.

III. Angelus Rocca, vir cæteroqui doctus, in Commentario *De Campanis*, cap. I, earumdem inventionem usumque in Ecclesia altius repetens, a S. Hieronymo, qui ducentis circiter annis ante Sabinianum vixit, mentionem ipsarum campanarum factam credidit, cap. XXXIII et XXXIX, *Regulæ Monachorum*, ejusdem regulæ perperam Hieronymo tributæ, inscriptione deceptus. Tum lapsui lapsum adjungens, ait S. Paulinum episcopum in suam Nolanam Ecclesiam primum omnium hunc usum invexisse. Idipsum et alii passim recentiores docent, qui tamen omnes hallucinati sunt; cum, ut scite observat laudatus Bona cardinalis, nemo veterum Patrum, qui res Paulini accuratissime prosecuti sunt, hanc memorabilem ejus inventionem laudet vel attingat; præsertim vero cum ipsemet Paulinus, qui, Epistola XII ad Severum, conditam a se basilicam et singulas ejus partes describens, nullam campanarum sive turris campanariæ mentionem faciat, cum alia nihilominus minora ædificia exacte commemoret. Fortassis error inde ortus videtur quod, cum quidam apud Strabonem legissent campanas dici nolas a Nola civitate Campaniæ ubi primo inventæ sunt, de suo addiderunt Paulinum, qui Nolæ in Campania episcopus fuit, campanas et nolas in Ecclesiam induxisse, eoque commento plurimis sequioris ævi scriptoribus fucum fecerunt.

IV. Quamvis autem, ut inferius ostendetur, campanæ et nolæ vocabula Paulini sæculo et aliquot sequentibus inaudita fuerint, addubitari nequit quin apud Hebræos ac ethnicos populos tintinnabula adhiberentur. In veteri Testamento, Exodi cap. XXVIII, tunica Sacerdotis Aaronis, qui 1500 annis vixit ante Christi Domini adventum, ita describitur : *Ad pedes tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho et purpura et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, et malum punicum; et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus, quando ingreditur Sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur.* Meminit et de hujusmodi tintinnabulis liber Ecclesiastici, cap. XLV, ubi de ipso Aaron Sacerdote sic inquit : *Cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in Templo in memoriam filiis gentis suæ.* Meminit de eadem re Joseph in suis *Judaicis antiquitatibus*, lib. III. cap. VIII, dicens : « Ima vestis orna- » batur limbo, a quo tintinnabula aurea depen- » debant. »

V. Quod spectat istorum tintinnabulorum numerum, varia est SS. Patrum sententia. S. Prosper, lib. I *De Prædictionibus et Promissionibus Dei*, cap. III, quinquaginta fuisse asserit; sanctus Hieronymus in Epistola ad Fabiolam *De veste Saserdotali*, sexaginta duo; S. Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromatum*, ante medium, tot fuisse tradit tintinnabula tunicæ Aaronis quot sunt anni dies. Ejus verba hæc sunt : « Trecenta autem sexaginta sex tintinnabula, » quæ pendent a veste talari, est tempus an- » nuum. Annus, inquam, Domini acceptus, » prædicans et resonans maximum adventum » Servatoris. » S. Hieronymus, in laudata Epistola, postquam dixit idcirco tintinnabula vesti Aaronis apposita esse ut, cum ingreditur Pontifex in Sancta Sanctorum, totus vocalis incedat, deinde ita concludit : « Tanta debet esse scien- » tia et eruditio Pontificis Dei, ut et gressus ejus » et motus et universa vocalia sint, veritatem » mente concipiat, et toto eam habitu resonet » et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loqui- » tur, sit doctrina populorum : absque tintin- » nabulis enim, et diversis coloribus, et gemmis, » floribusque virtutum, nec sancta ingredi po- » test nec nomen Antistitis possidere. » Tandem S. Gregorius Magnus, parte II *Pastoralis*, c. IV, tintinnabulis in veste Aaron positis significari ait Sacerdoti, « ut voces prædicationis habeat,

Digitized by Google

» ne superni spectatoris judicium ex silentio » offendat. »

VI. Quidquid sit de mysticis hisce explicationibus, erant certe in usu apud Hebræos tintinnabula, fueruntque haud dubie apud Gentiles, qui etiam, uti fuse et erudite Bona cardinalis ostendit, pelvis, lebetis, æris, æramenti, codonis vocibus usi sunt. Tintinnabulum describit Plautus in *Trinummo*, actu IV, scena II, his versibus :

Nunquam ædepol temere tinniit tintinnabulum;
Nisi quis illud tractat, aut movet, mutum est, tacet.

Plutarchus, lib. IV *Symposiacon*, quæstione V, helluones et obsonatores eos dici notat qui in foro piscatorio versantur, et tintinnabulum, quod græce *codon* dicitur, celeriter exaudiunt. Eo enim sonitu signum dabatur vendendi pisces : ejusque rei jucundissimam narrat historiam Strabo geographus, lib. XIV, ante medium, cujusdam scilicet citharœdi, qui, cum artem suam in Iasso insula ostentaret, quum primum tintinnabulum increpuit, illico omnes eo relicto ad pisces dilapsi sunt, præter unum surdastrum, cui citharædus gratias egit quod, cæteris audito tintinnabuli signo abeuntibus, solus remansisset. At ille : « Numquid, ait, jam sonuit tin- » tinnabulum ? » Et, eo affirmante, ipse etiam surgens protinus digressus est.

VII. Scribit præterea Porphyrius, lib. IV *De Abstinentia ab animalium esu*, Samnæos, genus quoddam philosophorum in India, ad codonis seu tintinnabuli sonum solitos congregari ad preces et ad cibum fuisse : « Cum ingressi do- » mum fuerint, ad tintinnabuli pulsum preces » effundunt ; quod ubi fecerunt, signo itidem » dato ministri, singulis lance oblata (duo enim » ex eodem vase non comedunt), oriza ipsos » pascunt. » Usos quoque tintinnabulis sacerdotes Proserpinæ, refert Apollodorus in libro *De Diis gentium :* idemque testatur de sacerdotibus Syriæ Lucianus in Dialogo *De Sacerdotibus deæ Syriæ*. Qui etiam agens de viris mercede conductis ait, in ditiorum ædibus familiam et mercenarios ad opera olim excitatos tintinnabulis quorum ingens sonus esset, ut ab omnibus posset audiri. Testatur Suetonius in Augusto, cap. LXXXXI, in fastigio ædis Jovis Capitolini tintinnabula posuisse ; refertque Plinius tumulo Porsenæ regis eadem appensa, vento agitata longe sonitum referre consuevisse : « In summo orbis æneus et petasus unus, ex » quo pendent excepta catenis tintinnabula, » quæ vento agitata longe sonitus referunt, ut » Dodonæ olim factum. » His adde quod scribit Martialis, lib. XIV, epigrammate CLXIII, ubi ait suo tempore consuevisse Romæ æris sonitu edicta publicari. Sic enim ipse poeta inquit :

Redde pilam, sonat æs thermarum : ludere pergit!
Virgine vis sola lotus abire domum.

VIII. Descripsit hæc quidem eruditissimus Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXII, ex quo ipsa eadem hausit Thiers, qui tamen sobriam celeberrimi auctoris mentionem fecit, qui in unum veterum testimonia ad rem nostram spectantia collegit ; quos inter et Juvenalem recenset, satyrico sale garrulam quamdam feminam perfricantem his plane versibus, qui in satyra ejus sexta habentur.

. . . . . verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Jam nemo tubas, jamque æra fatiget.
Una laboranti poterit succurrere lunæ.

Sane docet Juvenalis, adeo garrulam fuisse eam mulierem, ut nihil opus esset tintinnabulorum sonitu et tubarum clangore seu pelvium crepitu, quo lunæ laboranti, sive eclipsim patienti, auxiliari se credebat antiqua vulgi superstitio, ut impediret scilicet quominus ipsa veneficarum voces audiret. Multa veterum loca ad eam rem latius ostendendam affert quidem eruditissimus Camillus Silvestri in adnotationibus ad ipsam satyram VI Juvenalis, pag. 360.

IX. Ergo et apud Hebræos et apud Gentiles tintinnabula aliaque id genus instrumenta jam olim in usu fuerunt, et quidem ante et post Christi Domini adventum. Apud Christianos, sæviente in eosdem persecutione, putat Baronius, ad annum Christi 58, ad convocandum fideles ad sacram synaxim viros quosdam delectos fuisse qui cursores dicebantur, quorum munus esset fideles perquirere et privatim monere quando scilicet et quo loco convenire deberent. Secuti hanc sententiam sunt plerique scriptores, quorum loca affert memoratus Thiers in laudato opusculo *De campanis*, cap. II, ubi, post memoratum Bona cardinalem, animadvertit nullum aliud ad constabiliendam suam opinionem proferri a Baronio testimonium, præter S. Ignatii Epistolam ad Polycarpum ita scribentis : « Decet, beatissime Poly-

Digitized by Google

» carpe, Concilium cogere sacrosanctum, et » eligere si quem vehementer dilectum habetis » et impigrum, ut possit divinus appellari cur» sor, et hujusmodi creare ut, in Syriam pro» fectus, laudibus celebret impigram charitatem » vestram ad gloriam Dei. »

X. Sunt qui hanc Ignatii Epistolam in dubium vertunt, an scilicet genuinus sit Ignatii fœtus. Sed, admisso quod genuinus sit fœtus, si attente legatur, non de cursore loquitur qui synaxim indiceret, sed de legato qui mittendus erat in Syriam ad Antiochenos; unde circa finem Epistolæ inquit: « Saluto eum qui deli» gendus est ut mittatur in Syriam: erit cum » eo gratia semper, et cum eo qui mittit eum » Polycarpo. » Itaque non erat munus cursoris ire de domo in domum et vocare ad synaxim fideles, sed ad Ecclesias et ad Episcopos deferre litteras de negotiis Ecclesiasticis. Id quod Baronius ipse testatus est, cum ita scribit: « Cursor erat is qui Episcoporum ad Ecclesias deferret litteras. » Tum addit: « Cæterum ejusmodi munus postmodum non fuisse per se distinctum, sed injunctum lectoribus, acolythis ac subdiaconis, Cyprianus demonstrat, dum ad suos scribens hæc ait: « Quoniam oportuit me per » Clericos scribere (scio autem nostros plurimos » absentes esse, paucos vero qui illic sunt, vix » ad ministerium quotidiani operis sufficere) » necesse fuit novos aliquos constituere qui » mitterentur. »

XI. Difficile est definire quo signo fideles tempore persecutionis ad sacram synaxim convocarentur; fieri potuit ut nominatim omnes inquirerentur, sed fateri cogimur nullum produci testem posse qui id factum asseveret. Aliquam sane tesseram sive signum fuisse quo Christiani et se mutuo agnoscerent, et loca scirent ac tempora synaxeos peragendæ, certe fidei rem esse, sed quale hoc signum fuerit ignorari, docet quidem doctissimus Bona; affertque locum *Actorum S. Cæciliæ*, in quibus dicitur Valerianus sanctum Urbanum pontificem reperisse, qui ad vitandas paganorum insidias latebat, *signo quod acceperat*, quodque omnino necessarium erat ut mutua inter fideles societas atque germanitas conservaretur.

XII. Data Ecclesiæ pace constanter tradit Baronius, ad ipsum annum 58, quod « ex edito » loco publico grandioribus tintinnabulis, quæ » postea, a loco ubi primo grandiora fieri cœpe» rant, campanæ sunt appellatæ, populus ad » ecclesiam vocari solitus fuit. » Quam sententiam amplexus etiam est Bernardinus Ferrarius, lib. I *De ritu sacrarum Concionum*, cap. VII, sic dicens: « Ubi primum consedit Cæsarum » furor, pacemque ac tranquillitatem consecuta » est Ecclesia, cum cœperunt publice fideles » ex edito loco ad Ecclesiasticos evocari con» ventus distincto eorum tintinnabulorum » sono, quibus deinde campanarum nomen de» dit vel præcellens eorum artifex, vel ea Italiæ » regio quæ Campania dicitur, propter æs ni» mirum campanum, quod optimum creditur » ad conflandas campanas, seu potius quod in » urbe Campaniæ Nola primum reperta sint » tintinnabula, aut saltem cœperint fieri gran» diora. » Addit deinde eorum probabiliorem se putare sententiam qui beatum Paulinum episcopum Nolanum, S. Hieronymi æqualem, primo in Ecclesiam campanæ usum induxisse produnt. Sed hanc sententiam jam nos superius refutavimus, licet Gavantus *In Rubricas Missalis*, part. I, tit. XX, et alii nonnulli ejus sint opinionis, ætate S. Hieronymi exstitisse campanas, quod nimirum in *Regulis sanctimonialium* ita easdem moneat, cap. XXXIII: « Ad matutinas » excubias media nox vos præparet; nullam ex » vobis dormientem reperiat campanilis soni» tus. » Sed hæc mera insomnia sunt, cum omnes, vel parum eruditi ac in notitia rerum Ecclesiasticarum versati, jam norint indignas prorsus eas *Regulas* esse sancto Hieronymo auctore.

XIII. Porro nequaquam inficias iverim quin, reddita Ecclesiæ pace per Constantinum imperatorem, publicis signis, quæ ab omnibus perciperentur, populus ad ecclesiam convocari cœperit. Ea diversa fuisse, addiscere licet ex diversis veterum scriptorum monumentis, quæ a Benedicto Haefteno, *Disquisitionum Monasticarum* lib. VII, tractatu III, disquisitione II, et a Joanne cardinale Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXII, num. II, recensentur. Tradit Haeftenus, tuba quidem primum Monachos ad preces convocatos fuisse; nam Pachomius abbas tubæ sonitu congregari Monachos præcipit, sicut olim Moysi imperavit Deus, cap. X Numerorum, ut duas tubas argenteas faceret, quarum sonitu ad movenda castra, ad festa, ad

Digitized by Google

sacrificia multitudo convocaretur : « Cum audierit, inquit Pachomius, *Regulæ* suæ cap. III, » vocem tubæ ad Collectam vocantis, statim » egrediatur. » Similiter Climacus, *Gradu* XVIII, ait, sacra tuba canente, coactos fratrum cœtus : « Cum insonuerit signum spiritualis tubæ, etc. » Vocat spiritualem tubam, quod ea ad Orationem, quæ spiritualis actio est, cogerentur. Opinatur autem Gazæus ad *Regulam* S. Pachomii, fuisse hanc tubam corneam, quod eremicolæ illi Monachi æris et cujusvis metalli inopes essent.

XIV. Convocabantur olim præterea Monachi tabula lignea, seu malleo, aut lignorum collisione. *Historia Lausica*, cap. CIV, in Vita Patris Adolii, « Excitatorio malleo, » inquit, « pulsa- » bat cellas omnium, eos congregans ad orato- » ria. » Cassianus, lib. IV *Institutionum*, cap. XII, antiquorum Monachorum disciplinam describens, ita ait : « Cum sonitum pulsantis ostium » ac diversorum cellulas percutientis audierint, » ad orationem eos scilicet seu ad opus aliquod » invitantis, certatim e cubilibus suis unusquis- » que prorumpit. » Similia passim legere est apud alios antiquos scriptores qui res monasticas prosecuti sunt. Certe dignum illud notatu est, quod in actione IV Concilii II Nicæni legimus, ex libro *Miraculorum S. Anastasii Martyris*, cujus reliquiæ cum Cæsareæ appropinquarent, cives omnes lætitia magna perfusi, eidem obvii facti sunt : « Cum sanctæ civitati » reliquiæ sanctæ appropinquassent, surgentes » subito, lignaque sacra pulsantes, invicem ob- » viam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ » æde, quæ appellatur Nova. Illinc cum cruce » et supplicatione egressi, læti et gaudentes cum » gratiarum actione sacris reliquiis occurre- » runt. »

XV. Etsi autem hodie utatur Ecclesia ob memoriam et dolorem Dominicæ Passionis ligneis tabulis triduo ante Pascha, ubi de hac re loquitur Amalarius, lib. IV *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXI, diserte ait hanc fuisse Ecclesiæ Romanæ antiquissimam consuetudinem ut, ad peragenda divina, persecutionis potissimum tempore, fideles qui in cryptis degebant ligneo sonitu convocarentur : « Potest et in hoc humi- » lior usus Ecclesiæ Romanæ assignari antiquis » temporibus quam nunc sit, et præcipue tunc » quando latitabat per cryptas propter persecu- » tores. Nam et adhuc junior Roma (Constan- » tinopolis), quæ antiquis temporibus sub uno » domino cum antiqua Roma regebatur, usum » lignorum tenet, non propter æris penuriam, » sed propter vetustatem. » Vivebat Amalarius initio sæculi noni. Cæterum campanas usui Græcis esse cœpisse anno Christi 865, refert quidem cardinalis Baronius ex historiæ Venetæ scriptoribus, qui aiunt Ursum Patriciacum, Venetiarum ducem, primum omnium dono misisse duodecim mirificæ artis et valde sonoras Michaeli imperatori campanas, qui eas in turri ad Sanctam Sophiam exstructa collocavit. Qui locus, teste Jacobo Goar in *Euchologium*, p. 450, nunc Turcis est sacerrimus, postquam, dejecto turris illius fastigio, profanus sacrorum suorum mystes, celebrata ibidem suo more Dei potentia in Urbis regiæ expugnatione et direptione, Mahumeticis ritibus locum illum et sanctam majorem ecclesiam fecit consecratam.

XVI. Hieronymus Magius, qui captivus apud Turcas mansit, testatum reliquit in suo *De Tintinnabulis* libello, quem, ut ipse ait, in Turcico ergastulo conscripsit, Constantinopoli a Turcis capta, campanas omnes bombardarum usui fuisse destinatas. Addit Angelus Rocca, campanarum usum vetitum esse a Turcis, eo quod ipsarum sonus nimiam securitatem et auctoritatem præ se ferat, et valde ad conjuratorum aut seditiosorum animos, quamvis longe lateque dispersos, contra Turcam de improviso congregandos existat idoneus. Legimus et nos in historiis nostris, Catholicos principes ob eamdem causam campanas non semel ab ecclesiis sustulisse.

XVII. Nunc quoque Græci ac alii populi sub tyrannico Turcarum imperio degentes juxta veterem morem lignis utuntur, quæ a Græcis *Semanteria* sive *Chirosemantra*, quod manibus teneantur atque pulsentur, nuncupantur. Ea sic describit Leo Allatius in dissertatione de recentiorum Græcorum templis : « Sacerdotes Græci » ligneo instrumento ad Græcos in ecclesiam con- » vocandos utuntur. Id est lignum binarum de- » cempedarum longitudine, duorum digitorum » crassitudine, latitudine quatuor, quam optime » dedolatum, non fissum aut rimosum, quod » manu sinistra medium tenens Sacerdos, vel » alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim » hinc inde transcurrens, modo in unam par-

Digitized by Google

» tem, modo in alteram, prope vel eminus, ab » ipsa sinistra ita lignum diverberat, ut ictum » nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum, » nunc crebrum, nunc extensum edens, perfe- » cta musices scientia auribus suavissime mo- » duletur. » Ita Allatius, qui aliud semanterion esse ait insignis magnitudinis, adeo ut quandoque sex palmos latitudo, unum crassitudo, triginta longitudo exæquet, quod in turribus catenis ferreis appenditur, et malleo pulsatur. Testatur Jacobus Goar in *Euchologium*, ubi explicat officium exsequiarum Monachorum, pag. 450, quod « pluribus in locis solis ligneis » crepitaculis, ex alto vel ad ecclesiæ portam » pulsis, populum hodie ad sacra Græci convo- » cant. »

XVIII. In Occidente, jam longe antequam in Oriente adhiberentur, in usu erant campanæ, licet a quo primum inventæ, cujusque opera vel auctoritate in Ecclesiam introductæ fuerint, incompertum sit. Teste S. Gregorio, lib. II *Dialogorum*, cap. I, cum S. Benedictus circa annum 495 in specu Sublacensi monastici instituti fundamenta jaceret, Romanus Monachus, a quo sanctæ conversationis habitum susceperat, panem ipsi portare certis diebus solebat, quem per funem in speluncam submittebat : « Resti autem, » inquit Gregorius, « parvum tintinnabulum inseruit, ut ad » ejus sonum vir Dei cognosceret quando sibi » Romanus panem præberet. » Ex quo cum Joanne Bona cardinale eruditi scriptores colligunt, tintinnabuli usum apud Monachos jam eo tempore percrebuisse; nec dubitant quin de tintinnabulo idem Benedictus intelligi debeat, cum, de significanda hora operis Dei agens in *Regula* sua, cap. XLIII, ait : « Ad horam divini » Officii, mox ut auditum fuerit signum, re- » lictis omnibus, summa cum festinatione cur- » ratur. » Nam veteres signi nomine campanam metonymice intelligebant, quia per eam datur signum divini Officii. Unde S. Gregorius Turonensis tum alibi passim, tum lib. III *Historiæ Francorum*, cap. XV, signi nomine campanam intelligit : « Dum per plateam præter- » irent, signum ad Matutinas motum est. »

XIX. Quidam ex Actis S. Lupi Senonensis episcopi nomen campanæ usurpatum credunt initio septimi sæculi, vel in fine sexti. In his enim quæ ex manuscripto pervetusto codice descripsit Surius ad diem primam septembris, hoc miraculum narratur : « Clotharius rex, ubi » comperit campanam Sancti Stephani sonum » edere gratissimum, jussit eam Parisios trans- » ferri, ut ejus tinnitu sæpius delectaretur. » Displicuit ea res beato Stephano. Itaque mox » ut ablata est a Senonibus, omnem soni gra- » tiam amisit. Id rex intelligens ocius jubet » suo illam loco restitui. Ubi autem ad pon- » tem Senonitum ventum est, rediit illi pri- » stinus sonus, et ob sancti viri merita septimo » milliario auditus est. » Verum in hoc testimonio, et in aliis a Surio allatis, animadvertendum est, quod post Joannem Bona cardinalem observat Joannes Thiers, nimirum minime reperiri nomen *campanæ*, sed ab ipso Surio, qui priscas loquendi formulas recentioribus commutavit, contra fidem veterum codicum, in locum *signi* substitutum fuisse, non sine gravi sacræ et profanæ antiquitatis dispendio. Venerabilis quidem Beda, qui floruit labente sæculo VII, lib. IV *Historiæ*, cap. XXII, campanæ meminit, non velut rei tempore suo adinventæ : nam describens obitum Hildæ abbatissæ, auditum ait a quadam moniali « no- » tum campanæ sonum quo ad orationes exci- » tari vel convocari solebant. » Ex quo quidam conjiciunt, circa finem septimi sæculi nomen campanæ grandioribus tintinnabulis fuisse impositum, octavo autem ac nono apud omnes diffusum.

XX. Dicet quispiam S. Isidorum Hispalensem episcopum, qui in Episcopali throno sedere cœpit anno 596, campanæ meminisse, quod lib. XVI *Originum*, cap. XXIV, ita scribit : « Cam- » pana a regione Italiæ nomen accepit ubi » primum ejus usus repertus est. » Verum non loquitur sanctus Doctor de campana de qua nos agimus, sed de trutina quæ constat scapo notis distincto ad librarum discrimina indicanda; nam ita statim subdit : « Hæc duas » lances non habet, sed virga est signata libris » et unciis, et vago pondere mensurata. » Ergo septimo sæculo grandiora tintinnabula campanæ dici cœperunt, cum quibus etiam *nolas*, quæ minora erant tintinnabula, Flodoardus confundit, lib. II *Historiæ Remensis*, cap. XII. Floruit Flodoardus circa medium sæculum decimum, Bellarmino teste, in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Licet autem Quintilia-

Digitized by Google

nus, qui sub Domitiano vivebat, primo scilicet Christi sæculo, Nolæ meminerit, lib. VIII *Institutionum*, cap. ultimo, ubi inter ænigmata recenset quod Cæcilius dixit de quadam muliere, eam fuisse in triclinio Coam, in cubiculo Nolam; hic tamen Nola longe diversa significatione accipitur, conficta voce a nolendo sensu obsceno, quem Alciatus et alii docti viri scite explicant apud Vossium, lib. IV *Institutionum Oratoris*, cap. XI, § V : « Qui recte » viderunt, inquit, attendi ad *nolendi* et » *coeundi* voces, ut Nola sit, quæ coire nolit; » Coa, quæ non abnuat coire. » Idem Vossius in Etymologiis linguæ latinæ, verbo *Campana*, de eadem re ita inquit : « Nam Coæ et » Nolæ voces hic a coeundi et nolendi verbis » nove sunt confictæ, planeque eo ænigmate » signatur femina quæ, ubi extra cubiculum » foret, paratam se simularet ad coitum seu » venerem, sed, ut in cubiculo staret, dictis » adduci nequaquam posset. » Atque hæc est germana præfatorum verborum interpretatio, rejecta Cœlii Rhodigini, lib. XIX *Antiquarum Lectionum*, cap. XI, et aliorum opinione, qui ex usu sui temporis Cæcilii oratoris verba de nola campana explicaverunt.

XXI. His hactenus ita discussis, sciendum nunc est, variis nominibus apud scriptores mediæ et infimæ latinitatis campanas appellari : alii enim eas *cloccas*, alii *nolas*, alii *squillas*, alii passim *signa* nominant. Hinc in nostro aliisque priscis Pontificalibus præsens inscribitur titulus, *De benedictione signi, vel campanæ*. In manuscripto Missali Gellonensi, annorum circiter mille, ubi agit de dedicatione Ecclesiæ; in Ordine antiquo Romano; in Pontificali manuscripto Ecclesiæ Barensis, et in aliis plurimis titulus ita præfixus legitur : *Ordo ad benedicendum Ecclesiæ signum*. Quia scilicet, uti superius notatum est, veteres *signi* nomine campanam metonymice intelligebant, quod per eam datur signum divini Officii : « Ad horam divini Officii, » inquit in *Regula* sua S. Benedictus, cap. XLIII, « mox ut auditum » fuerit signum, relictis omnibus, summa cum » festinatione curratur. » Cui consonat S. Gregorius Turonensis in Vita S. Gregorii Lingonensis, ubi inter alia inquit, quod « commoto » signo Sanctus Dei ad officium Dominicum » consurgebat. » Afferri possent innumera de ea re veterum testimonia, quæ brevitatis studio præterimus.

XXII. Quoad ritum benedicendi campanas, scribit Baronius a Joanne XIII traxisse originem, qui anno 968 campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam super campanile elevaretur, sacris ritibus Deo consecravit, nomenque S. Joannis Baptistæ imposuit. Verba ejus hæc sunt, tomo X *Annalium*, ad annum 968 : « Joannes Pontifex Romam (e » Capua scilicet) rediens, cum imperator ibi » (hoc est Capuæ) adhuc moraretur, contigit » primariam Lateranensis ecclesiæ campanam » miræ magnitudinis, recens ære fusam, super » campanile elevari, quam prius idem Ponti» fex sacris ritibus Deo consecravit, atque » Joannis nomine (puto Baptistæ), cujus ec» clesiæ esset usui, nuncupavit. Qui sacer ritus » in Ecclesia perseveravit, ut, eo modo quo ipse » usus est, campanæ in ecclesiis collocandæ » Deo, primum imposito eis nomine, dicaren» tur. Quod testantur veteres codices ritua» les. » Ita Baronius, cujus postrema verba perperam Pagius suggillavit in Vita Joannis XIII, et quidem auctoritate Edmundi Martene, aientis veteres rituales libros nullam impositi campanæ nominis facere mentionem. Sed num scriptor alias eruditus cunctos Urbis et Orbis ejusmodi codices legit?

XXIII. In hoc videtur quidem magnus Parens *Annalium* labi, cum autumat campanarum benedictionem seu consecrationem a Joanne XIII, anno 968, originem trahere; cum eum ritum multo antiquiorem esse ex ritualibus libris ante memoratum Pontificem conscriptis constet; in quibus formula benedicendi et ungendi campanas reperitur, hoc præfixo titulo, « Ad signum ecclesiæ benedi» cendum, » ut eruditus Angelus Rocca testatur in Commentario *De Campanis*, cap. V; quem deinde secuti sunt Joannes Bona cardinalis, Martene, Pagius, et alii recentiores docti scriptores. Certe in Capitularibus Caroli Magni anno 789 editis, ducentis fere annis ante laudatum Joannem Pontificem, num. XVIII, expresse jubetur, « ut cloccæ (id est campanæ) » non baptizentur. » Sed et ante Carolum Magnum viguisse in Ecclesia hunc ritum ut signa ecclesiæ, nimirum campanæ, benedicerentur, addiscere licet ex Missali Gellonensi,

Digitized by Google

annorum circiter mille, ubi describit ritum benedicendæ seu dedicandæ ecclesiæ. Eumdem exhibet ritum manuscriptum Pontificale Egberti archiepiscopi Eboracensis, qui longe ante Carolum Magnum floruit.

XXIV. Etsi autem Carolus Magnus in laudato suo Capitulari jubeat, » ut cloccæ non » baptizentur, » antiquus tamen usus Ecclesiæ obtinuit ut signorum seu campanarum benedictio Baptismi nomine indigitetur : non quod re vera baptizentur campanæ eo baptismo quo remissio peccatorum confertur, sed quia præcipuæ quæ in puerorum Baptismo observantur cæremoniæ, in iis benedicendis peragantur; unde non tam baptismus quam baptismi signum seu symbolum iis confertur, quemadmodum etiam ecclesiis, quæ baptizari dicuntur ab Ivone Carnotensi episcopo, in sermone *De Sacramentis dedicationis*, cum primum dedicantur. Observant hæc quidem Carolus Ducange in suo *Mediæ et infimæ Latinitatis Glossario*, verbo *Campana*, et Edmundus Martene, libro II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, capite XXI; afferuntque in ejus cæremoniæ comprobationem præclarissimum Roberti Francorum regis exemplum, qui, referente Helgaldo Floriacensi monacho in ejus Vita, in Aurelianensi Sancti Aniani basilica fecisse dicitur « signa quinque, unum ex his satis mirabile, » in quo duo milliaria metalli et sexaginta » libræ fuerunt, cui imprimi jussit signum » Baptismi de oleo et chrismate facti, sicut » Ordo deposcit Ecclesiasticus, et, ut vocare» tur Robertus, attribuit Spiritus sanctus. » Floruit Robertus sæculo XI.

XXV. Narrat præterea in Chronico monasterii sui Rodulphus abbas Sancti Trudonis, qui ineunte sæculo XII floruit, conflata a se et benedicta XVI signa, quorum nomina sigillatim recenset. Editum est hoc Chronicon tomo VII *Spicilegii* Dacheriani, lib. IX. Similia exempla legere est apud Ingulfum in *Chronico Croylandensi*, et apud Odonem Fossatensem, quorum alter in Vita Burchardi comitis inter alia narrat, quod in Fossatensi Sancti Mauri monasterio Teuto abbas « duo signa pretiosa, nomen » suum uni imponens, ad honorem Domini » facere præcepit. » Sed quid alia exempla congero, cum antiquus nomine Alcuini auctor ita nobis scriptum reliquerit : « Novum videri » non debet campanas benedici, ungi, eisque » nomen imponi ? » Ex quibus verbis satis deducitur, ritus quos hodie in benedictione campanarum adhibemus, jam longe ante annum Christi millesimum apud Latinos in usu fuisse.

XXVI. Perperam ergo exclamant Centuriatores hæretici Magdeburgenses, *Centuria* X, cap. VI, col. 294 adversus Joannem XIII, vel, ut aliis placet, XIV, quem horrendi erroris et sacrilegii accusant, quod contra Christi institutionem cœperit baptizare campanas. Quod quidem falsissimum est; cum, uti superius ostendimus, Joanne antiquior is ritus sit. Sed hoc omisso, peto ab istiusmodi hominibus, an re ipsa, vel solum nomine baptismi campanarum offenduntur? Si re : A quo tandem habent, sacramentum esse campanarum baptismum? quis id perscripsit aliquando? quis id ex omni Catholicorum cœtu credidit? quis illam benedicens ea verborum formula usus est, « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et » Spiritus sancti? » Si vero baptismi appellatio delicatas aures offendit : Quis nescit purificationes Judæorum et lustrationes appellatas eodem nomine fuisse? quis ignorat, Christum ipsum mundi Servatorem cruoris sui effusionem appellavisse baptismum? quis denique a Græcis Doctoribus non didicit, baptizare, et tingere, sive irrigare, idem esse? Si igitur aqua lustrali asperguntur et lustrantur campanæ; si, quo dignosci facilius queant, certa appellatione donantur; si Ecclesia edocta divinitus contra aereas Potestates Dei præsidium opemque implorat; si omnes illæ cæremoniæ, quibus campanæ pio ministerio destinantur, plenæ sunt eximiæ sanctitatis et mysteriorum; quid causæ est cur Centuriatores aliique recentiores hæretici magno impetu in Joannem XIII et in totam Ecclesiam Catholicam incurrant? Vide doctissimum Bellarminum, lib. IV *De Summo Pontifice*, cap. XII, num. XVIII et XIX; eruditum Petrum Cotonum in sua *Institutione Catholica*, lib. II, cap. XIII, num. XXIX; et virum clarissimum Jacobum Gretserum, lib. II *De Benedictionibus*, cap. XLV.

XXVII. Obganniunt adhuc cum suo Hospiniano nequissimi Calvinistæ, nobisque opponunt, « in campanis omnia fere fieri quæ ad » baptismum pertinent. » Aiunt baptizari quidem ipsas, quia *abluuntur*, *unguntur*, *exor-*

Digitized by Google

cizantur. Sed num ii ideo baptizantur qui in balneo abluuntur, et athletæ qui, antequam ad certamen descendant, inungi soliti sunt? Etiam energumeni exorcizantur : quis tamen eos baptizari dicat; quanquam in Pontificali Romano nihil de exorcismo campanæ appareat; cum aqua et sal duntaxat quæ ad campanæ ablutionem consecrantur, exorcizari solcant. Addunt, *patrinos campanis adhiberi;* sed nihil de eo ritu habet Romanum Pontificale Clementis VIII auctoritate recognitum. Si enim alicubi moris est aut fuit ut campanis patrini adhiberentur qui earum curam in se susciperent, patrini nomine imposito, id omni prorsus impietate vacat; jure enim curatur ut sint qui curent reparari campanas, si reparatione egeant. Hinc quis ridiculum non arbitrabitur poetastrum Neogeorgum, cum ita inepte cecinit :

Adsunt compatres culti, tersique supreme :
Complures ad tantum olim ut legerentur honorem
Prævenere rogando ipsi; nec parvulus horum
Est numerus. Centum ferme : persæpe ducenti,
Tercentum quoque, si campana est magna, locusque
Insignis.

XXVIII. Describit versiculos hosce Gretserus laudato lib. II *De Benedictionibus*, cap. XLV; miraturque cur inquinatissimus iste non cycnus sed cuculus non adjecerit etiam ducentas vel tercentas commatres; nam in baptismo non modo compatres sed et commatres constitui solent. Miratur etiam Bellarminus, cur hæretici etiam non dicant campanas a nobis antea catechizari et instrui ut homines baptizandi solent, sive, ut eos deridens loquitur Bellarminus, *ut possint fidei symbolum resonare?* Sed esto, adhibeantur campanis patrini seu patroni, ut mos est in Hispania, ubi, ex peculiari quodam rituali codice, in campanarum consecratione, vir et mulier ex hominibus loci primariis tanquam compatres admittuntur, teste Angelo Rocca in Commentario *De Campanis*, cap. VI; num ideo baptizantur? Etiam iis qui confirmationis Sacramentum suscipiunt, patrini dantur, uti fuse explicuimus tom. I Commentariorum ad Pontificale Romanum, tit. I; et tamen non ideo baptizari dicuntur. Duellatores quoque ingressuri duellum, patrinis suis sive patronis stipati ad certamen descendunt, uti ex Concilio Tridentino apparet, sessione XXV, cap. XIX. Quis tamen in hoc detestando scelere ullam baptismi speciem agnoscit? Nomina inquiunt imponi campanis. Fateor palam hoc fieri, ex antiquis historicis quos supra memoravimus, nihil tamen expresse de hoc ritu in nostro Romano, vel in aliis Romanis antiquioribus constitutum legi, sed hanc solummodo formulam : « Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur, Domine, signum istud. » In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. In honorem Sancti N. Pax » tibi. » Cujus Sancti nomine si postea ipsa campana a vulgo indigitetur, quid piaculi, vel susperstitionis est? Multas campanas tam in Italia quam extra Italiam, non modo B. Mariæ semper Virginis, verum etiam Sancti vel Sanctæ alicujus nomine, pluribus jam ab hinc sæculis vocitari consuevisse testatur laudatus Rocca, ibidem, cap. VI, et infra, cap. XII, ubi varias affert campanis incisas inscriptiones. Opponunt hæretici, veste nova campanas indui. Sed neque is ritus in Pontificali legitur. Etiam Calvinistæ novis vestibus induuntur, et tamen minime idcirco baptizari dicuntur. Nihil denique obstat quod Carolus Magnus in laudato superius Capitulari dicat, « *Ut cloccæ non baptizentur.* » Uti enim recte appositeque scholiastes Vitus Amerbachius decretum illud explicat : « Probibetur » hic superstitio, non aliqua legitima et Ecclesiastica benedictio vel consecratio non superstitiosa. » Quomodo enim religiosissimus princeps ritum prohibere potuisset, quem præstantissimi Episcopi jam longe ante ipsum in variis Pontificalibus superius memoratis præscripserant?

XXIX. Confutatis breviter hæreticorum objectamentis, illud quoque de campanis observandum est, non licere campanas in privatis oratoriis habere, ex rescripto Cœlestini III ad episcopum Abulensem relato in cap. *Patentibus*, X : *De privilegiis, etc.* An vero Religiosis, præsertim vero inclyti Ordinis Prædicatorum, liceat habere plures campanas, tractant plene Oldradus Consilio 228 et Albericus in suo *Dictionario*, verbo *Campana*. Certe in constitutionibus Fratrum dicti Ordinis expressum quidem videtur, non licere ipsis habere præter unam campanam ad omnes Horas. Verum huic Constitutioni derogatum fuisse generali consuetudine, monet Vincentius de Castronovo in declaratione ad cap. I dictarum constitutionum.

Digitized by Google

Vide *Bullarium* memorati Ordinis ab eximio viro sacræ Theologiæ magistro Antonino Bremond editum ac notis illustratum, tomo IV, pag. 251, ubi recensetur quædam Julii II constitutio, edita anno 1508, qua Dominicanis Fratribus concessum est non unam modo, sed et duas, tresve aut quatuor in campanilibus suarum ecclesiarum habere campanas, easdemque libere ac licite, quoties opportunum fuerit, pulsare.

XXX. Fateri cogimur sacros alicubi homines, occasione festorum seu funerum illustris personæ, nimios esse in pulsandis duabus tribusve campanis, adeo ut Andreas Alciatus, lege II ff. *solut. matrimonio*, ejus sit opinionis, « ob pu» blicam utilitatem expelli posse immodicos » campanarum et pelvium pulsatores, si vicinis » importuno et non necessario Dodonæi æris » strepitu noceant. » Sed non omittendum quid ea de re idem auctor fusius scribit, lib. VIII *Parergon Juris*, cap. XI: « Dubitabilior est, inquit, illa quæstio, an immodici importunique campanarum et pelvium pulsatores officio judicis compelli possint ut cessent. Et sciendum : olim solis Parochis et Sacerdotibus permissum fuit eas habere, ut populum congregare possent; deinde familiis Fratrum Mendicantium concessum ut unam haberent : at hodie tot habent quot volunt; summamque religionem in eo constituunt si vicinos, tanquam Nili cataractis proximos populos, cogant obsurdescere; quod quodam loco Jovianus Pontanus conqueritur : « Cum in Bitu» rigibus ægrotarem, parum abfuit quin me » ad orcum impedito somno, qui tum maxime » necessarius mihi erat, demitterent : » « Ut » merito Pennensis et Cepolla officio judicis » coercendos tali casu hosce pulsatores tradide» rint. » Sed hæc obiter.

XXXI. Præter campanas benedici olim alicubi consueverunt et turres quas vocant campanarias. Quod mirum videri nulli non debet, cum in *Chronico Cassinensi*, lib. III, XXX, manifestum sit, quod, ubi dedicata est ab Alexandro II Summo Pontifice ecclesia Cassinensis a Desiderio abbate constructa, dedicatum pariter fuit ipsius ecclesiæ campanarium seu campanile, variis ibidem reconditis Sanctorum reliquiis : « In » quatuor angulis campanarii hæ reliquiæ sunt : » Lignum Domini; de lapide sancti sepulcri; » de vestimentis S.Mariæ; de lapide de sepulcro » ejus; sanctorum Apostolorum Jacobi, Phi» lippi, Bartholomæi, Martini episcopi. In » cruce campanarii lignum Domini; de capite » S. Joannis Baptistæ, Jacobi Apostoli, Cyriaci » diaconi : » Adde, non solum sacras reliquias in turribus ipsis reconditas fuisse, sed altaria insuper ibidem erecta, atque in honorem sancti Michaelis dicata, ut innuit Martenius, lib. II *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. XXII. Anastasius, in Leone IV, ait ipsum Pontificem fecisse campanile, et posuisse « *campanam cum malleo æreo et cruce exaurata.* » In summitate crucis quæ campanario consuevit imponi, galli gallinacei effingi solita erat figura, quæ ecclesiarum Rectores vigilantiæ admoneret. Vide Honorium Augustodunensem, lib. I, cap CXLIV; Gulielmum Durandum, lib. I, cap. I, num. XXII, et alios apud Carolum Dufresne, verbo *Campanarium*.

XXXII. Denique cum mentionem fecerimus religiosi ritus benedicendi turrim campanariam, abs re non erit ritus et preces hoc loco subjicere quas unus Pontificalis liber S. Remigii Remensis, annorum circiter 600, describit apud laudatum Martene ibidem : « Ad dedicandam, » inquit, turrim, benedicat aquam et salem, et » cantet septem Psalmos cum Letania. » Tum preces sequuntur hunc plane in modum : « Be» nedic Domine hanc turrim in honore sanctis» simi nominis tui fabricatam, ut sit in hoc loco » sanitas, sanctitas, castitas, virtus, victoria et » sanctimonia, humilitas, lenitas, mansuetudo, » plenitudo legis, et obedientia Deo Patri, Filio » et Spiritui sancto; et sit super hanc turrim, » ad laudem et gloriam nominis tui compositam, » tua longa benedictio, ut laudetur et magni» ficetur nomen tuum, glorificetur in omni» bus operibus tuis et manuum tuarum. Qui » vivis. »

XXXIII. Altera Oratio ita inquit : « Deus uni» versitatis conditor et servator, cujus sunt » universa quæ condita sunt, ea tuo tuere gu» bernamine; et quæ lapsa sunt, tuo cœlesti et » insuperabili restaurare dignare moderamine; » tuæ immensam pietatis celsitudinem subnixis » et humillimis obsecramus deprecationibus, ut » hanc turrim, ad campanas sustinendas ad » divinum cultum pertinentes, cœlesti benedic» tione benedicas et sanctificatione sanctifices; » et præsta ut quicumque ad honorem nominis » tui confluxerint, effugata versuti insidiatoris

Digitized by Google

» potestate, et tota ejus elongata communione, » Corporis tui cœlestis clypei protectione defen- » semur, et animæ in futuro cœlestium gau- » diorum potiri mereamur sublevamine. Nec » qualitas te precantium in hujus consecrationis » a te consideretur precaminibus : sed qui a » sæculo solitus es et a peccatoribus obsecrari, » et precantibus misereri, ad nostræ vocis, per te » datam et per nos positam, benedictionem, » cœlestis dexteram auxilii benedicendo porri- » gas : et nobis, licet indignis, perpetuæ benedi- » ctionis auxilium impendas; ut non nostris exi- » gentibus meritis, hoc quod benedicimus et » consecramus, oculis tuæ majestatis videatur » gratum, sed famulis et famulabus tuis laudem » et gloriam nomini tuo referentibus, te bene- » dicente et consecrante, ad tutelam corporis » et animæ salutem proficiat sempiternam. » Per. »

XXXIV. Tertia Oratio cum qua totus ritus benedicendi hujusmodi turrrim absolvitur, sic ait : « Domine Sancte Pater, trina Majestas et » una Deitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, » justitiæ dator, veniæ largitor, bonorum auctor, » sanctitatis origo, charismatum distributor, » omniumque ad te venientium pius receptor : » præsta propitius, ut hanc turrim in honorem » nominis tui fabricatam benedicere et conse- » crare digneris; famulis et famulabus tuis » nomen sanctum tuum humiliter imploran- » tibus opem misericordiæ tuæ, et quietis sedem, » et ab omni incursione malorum spirituum » tutelam benignus largitor tribuas; ut post » animarum corporumque resurrectionem coa- » dunatam, te donante atque concedente, » beatitudinem sempiternam percipere me- » reantur. Per. »

XXXV. Admonendum superest, ex Rituali Fratrum Carmelitarum, non modo jam conflatas atque perfectas consuevisse benedici campanas antequam iis ipsi Fratres uterentur, verum etiam dum æs conflatur, si forte hujusmodi conflatio in Conventu fiat; nam, congregatis ibidem Fratribus, et, prout locus permiserit, processionaliter dispositis, dici alternatim debet Psalmus, *Laudate Dominum in Sanctis ejus;* eoque finito, clara voce Sacerdos subjungere, *Pater noster. Et ne nos inducas.* ℣. *Adjutorium, etc. Sit nomem Domini, etc. Dominus vobiscum.* « Oremus. Bene ✠ dic, Domine, hoc » metallum ignitum, quod benedicere statuimus, » et illud, quæsumus, tua gratia perfundere di- » gneris, et tua virtute obumbres; ut, tua cle- » mentia favente, quod desideramus attingamus; » ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad » honorem Sancti N. vel Sanctæ N. Per Chri- » stum Dominum nostrum. Amen. » Et statim aspergetur aqua benedicta. Verba sunt hæc memorati Ritualis; in quo etiam post illa Orationis verba *vel Sanctæ N.* parenthesis ista legitur : « Hic exprimetur nomen Sancti cui » campana dicanda et cujus nomine nuncu- » panda erit. » Tum sequitur : « Per Christum Dominum nostrum. » De quo ritu etsi nihil in nostro Romano Pontificali, nihilque etiam in aliis manuscriptis Pontificalibus habeatur, constat tamen ex Rituali Parisiensi codice, edito anno 1646, solere etiam metallum ad conflandam campanam certis precibus benedici.

§ I.

Signum, vel campana, debet benedici antequam ponatur in campanili, hoc ordine. In primis debet campana ipsa ita suspendi et situari ut commode possit intus et extra tangi, tractari et circuiri. Deinde prope ipsam campanam benedicendam paratur Pontifici faldistorium; vas aquæ benedicendæ; aspersorium; vas cum sale; lintea munda ad abstergendum campanam, quando opus erit; vas olei sancti infirmorum; sanctum chrisma; thymiama; thus; myrrha; et thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, et dalmaticam albi coloris. Quibus ordinatis, Pontifex, in sacristia aut alio convenienti loco, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, baculum Pastoralem manu gestans, venit prope campanam, ubi sedens

Digitized by Google

super faldistorium ibidem sibi paratum, dicit cum Ministris Psalmos sequentes, videlicet Psalmum L : *Miserere mei Deus, etc.* Totus dicatur cum *Gloria Patri, etc.* Psalmus LIII : *Deus, in nomine tuo salvum me fac, etc.;* Psalmus LVI : *Miserere mei, Deus, miserere mei, etc.;* Psalmus LXVI : *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, etc.;* Psalmus LXIX : *Deus, in adjutorium meum intende, etc.;* Psalmus LXXXV. *Inclina, Domine, aurem tuam, etc.* Postremo dicitur Psalmus CXXIX : *De profundis clamavi ad te, Domine, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Explicanda sunt primum nobis illa prima rubricæ verba : *Signum, vel campana, debet benedici antequam ponatur in campanili.* Id quidem variæ Synodi provinciales præscribunt, inter quas Mediolanensis IV, cui sanctus Carolus præfuit, in eo titulo qui *De campanis* inscribitur, ita inquit : « Neque rursus eæ in turrim cam» panilem sustollantur, antequam ab Episcopo » rite precibus ac benedictione consecratæ sint. » Idem sanctissimus præsul, lib. I *Instructionum fabricæ Ecclesiasticæ*, cap. XXVI, in fine, non modo idipsum repetit, sed et alia complexus est observanda circa ipsam campanarum benedictionem, ita inquiens : « Campanæ vero neque » in turri neque alio loco collocandæ sunt, nisi » primum solemni benedictione precumque ritu » ex Ecclesiæ instituto consecratæ : cujus con» secrationis monimentum aliquo loco turris » vel ecclesiæ consignetur : illæ præterea ne » rem ullam profanam insculptam inscriptam» que ullo modo habeant; sed Sancti patroni » ecclesiæ aliamve sacram imaginem piamque » inscriptionem. » Rursus in Concilio diœcesano XI illud mandavit ut, quæ consecrandæ essent, campanarum index a Vicariis foraneis sibi Cancellariove suo in diœcesana Synodo exhiberetur, ut opportune in visitatione aliasve consecrarentur. Quibus adde quod Gavantus in suo *Manuali* refert verbo *Campanæ*, sacram nempe Rituum Congregationem die 5 julii 1614 constituisse ut campanæ in campanili non collocentur, nisi ab Episcopo benedictæ sint. Vide Joannem Clericatum *De Sacrificio Missæ*, decisione XLV, num. XLV.

II. Constat ex laudatis S. Caroli decretis, ad Episcopum spectare campanarum benedictionem. Id quod et passim Doctores docent, et antiqua exempla confirmant quæ a rerum Ecclesiasticarum scriptoribus referuntur. In *Chronico montis Sereni*, anno 1706 « campanam de » L centenariis fusam Hellembertus Havelbur» gensis episcopus consecravit Petronillam nomi» nans. » Teste Paulo Langio in *Chronico Citizensi*, anno Domini 1748, « Theodoricus episcopus » noster campanam maximam Erphordiæ tunc » fusam consecravit, et benedixit ibidem. » Signa seu campanas monasterii Sancti Albani in Anglia benedixit Godefridus episcopus Sancti Asaph : « Benedixit quoque signa ecclesiæ San» cti Albani, tam minora quam majora. » Occurrunt frequenter hujusmodi exempla apud Matthæum Parisium in *Historia Anglicana*, et apud Surium in *Vitis Sanctorum*. Sed et ex libris Pontificalibus idipsum aperte deducitur, cum in iisdem non alius quam Episcopus nominatur campanam consecraturus; excepto superius laudato Carmelitarum Rituali, in quo minus solemniter simplex Sacerdos, unica tantum Oratione, et sine ulla sacri olei unctione, sed aquæ duntaxat benedictæ aspersione campanam benedicit. Cæterum quod campanas benedicere non possint Abbates, nisi pro usu suarum ecclesiarum, docent quidem Barbosa et Pignatellus, quos citat et sequitur memoratus Clericatus in laudata decisione XLV, num. XLVII; licet Paulus Maria Quarti in suo *De Benedictionibus* opusculo, sectione XII, probabiliorem esse aliorum sententiam doceat, qui aiunt Abbates habentes usum mitræ et baculi Pastoralis, absolute posse benedicere campanas etiam ad usum aliarum ecclesiarum, ex privilegiis Innocentii VIII et aliorum Pontificum concessis Abbatibus, et relatis a Tamburino, tomo I *De jure Abbatum*, disputatione XXIII, quæsito XII.

III. Etsi autem ritu Romano, a quo aliæ cæteroqui Ecclesiæ pendere debent, benedictio campanæ Episcopo tribuatur, atque adeo in multis Ritualibus, quæ continent ea munera

Digitized by Google

quæ a Sacerdote ministrante Sacramenta, vel quædam sacramentalia peragente, præstari solent, benedictio campanarum non habeatur, sed exstet in hoc præsenti nostri Romani Pontificalis titulo; docet nihilominus Andreas Saussay, parte II *Panopliæ Sacerdotalis*, lib. II, articulo XXII, multa esse in libro Pontificali, quæ, etsi Episcopo tribuantur, ut qui eminentiori jure hæc sibi officia vindicare potest, attamen a Presbytero æque peragi possint quoad ipsum benedictionis effectum ; Episcopo scilicet permittente vel saltem non prohibente : nec enim istas benedictiones, inquit, verbi causa crucis, imaginis, campanæ, primi lapidis novæ ecclesiæ, cœmeterii, tabernaculi, vasculi pro Eucharistia, iisque similes ita esse Episcopo proprias ut nonnisi ab ipso duntaxat fieri possint aut debeant. Quædam, ait, sunt ita quidem Episcopo propria, veluti ordinatio sacerdotum et chrismatis consecratio, ut neutiquam a simplici Sacerdote peragi queant; adeo ut si ab eo attententur, non solum is graviter offendat, sed etiam nihil aggrediendo prorsus efficiat : at secus est, inquit, de illis actibus qui in Rituali signantur ab Episcopo, vel ab eo qui facultatem habet exercendi. Hos docet, qui Episcopalem characterem non requirunt, ut rite obeat Sacerdos, debere ipsum superioris licentiam expetere : si non petat et tamen hoc aggrediatur extra casum necessitatis, peccare quidem vel ex crassa oscitantia, vel ex superioris neglectu sive contemptu; non esse tamen irritum aut inane quod fecit, sed re vera benedictum esse quod benedixit; quia scilicet hanc potestatem accepit in Ordinatione sua, dicente sibi Episcopo, cum manus ejus mystica unctione et Oratione consecraret, istam verborum formulam : « Consecrare » et sanctificare digneris, Domine, manus istas » per istam unctionem et nostram bene✠dictio» nem : ut, quæcumque benedixerint, benedi» cantur; et quæcumque consecraverint, con» secrentur et sanctificentur in nomine Domini » nostri Jesu Christi. »

IV. Hæc in gratiam sui Parisiensis libri ritualis, in quo Presbyteris campanas benedicere permittitur, affert laudatus Saussay; additque istarum rerum benedictiones seu mysticas functiones nullatenus divino jure prohiberi, nec earum plerasque ullo jure positivo, vel sanctione canonica, sed sola tantum consuetudine non ubique solida; nam benedictio, inquit, campanæ, quæ, in Pontificali Romano, Episcopo adscribitur, in Ritualibus localium diœceseon, et signatim in Parisiensi, ordinario more exsequenda, si non cuilibet Sacerdoti, saltem Parocho seu illius Vicario assignatur, non absque legitima causa; cum, si a solis Episcopis campanæ benedicerentur, complures ecclesiæ ex rei difficultate plurimum gravarentur; quia haud pervium est, præsertim in vicis et pagis, Episcopum ad hoc munus invitatum accedere; tum etiam, quia hujusmodi accessus defectu contingeret, campanis, quibus in sacris non licet sine prævia benedictione uti, ecclesias illas diu carere; tum denique quia, si ad omnium campanarum benedictionem obeundam necessarium esset Episcopum huc illucque proficisci, Episcopi nomen vilesceret ex frequentiori hoc usu, plurimumque hoc Pontificiæ dignitati derogaret.

V. Puto equidem levia esse hæc argumenta, cum omnium mater Ecclesiarum Romana sit, ab eaque cæteræ pendere debeant in observatione præsertim Pontificalium rituum, uti constat ex duabus Constitutionibus Clementis VIII et Urbani VIII, Romano hodierno Pontificali præfixis, quas legere est nostro I tomo hujus operis, cap. III, in Prolegomenis. Quod autem difficile sit Episcopum huc illucque discurrere benedicendi gratia campanas suæ diœceseos, difficultati huic jam olim S. Carolus occurrit, ubi in Concilio suo diœcesano XI statuit ut campanarum index quæ consecratione indigerent a Vicariis foraneis Episcopo exhiberetur, ut opportune in visitatione aliasve consecrari possent. Porro ineptum omnino illud est quod subjunxit memoratus Saussay, quod nempe, « si ad omnium campanarum benedictionem obeundam » necessarium esset Episcopum huc illucque » proficisci, Episcopi nomen vilesceret ex fre» quentiori hoc usu, plurimumque hoc dignitati » Pontificiæ derogaret. » Quis enim adeo ignarus historiæ Ecclesiasticæ est, ut nesciat sanctissimorum Episcoporum solertiam in minutissimis ritibus peragendis. Satis est hic recensere eximiam Benedicti XIII pietatem, qui, non modo ubi fuit Episcopus, sed etiam factus Pontifex Maximus, solemni ritu campanas consecrabat. His accedit, non parum esse discrimen inter Episcopi et simplicis Sacerdotis benedictionem;

Digitized by Google

requiritur enim in benedictione unctio chrismatis, quæ a simplici, ut aiunt, Sacerdote fieri nullatenus debet; eaque etiam *solemnitas quæ in Pontificali inscribitur;* quemadmodum statuit Concilium Ravennatense, rubrica VIII.

VI. Est certe in hoc summopere commendandus memoratus auctor Saussay, cum ait nefas esse campanis in sacris sine prævia benedictione uti : quod superius abunde probavimus, in ejusque disciplinæ comprobationem operæ pretium ducimus afferre constitutum Concilii Ravennatensis tempore Clementis V Pontificis Maximi habitum, anno Christi 1311; sic enim inquit rubrica VIII : « Cum inter cætera utensilia pro divino ministerio sit campana utilis et necessaria, ad cujus sonum maxime fideles excitantur ad divinum cultum, et dæmones propelluntur : statuimus quod de cætero campanæ, quæ fiunt de novo, benedicantur ea solemnitate quæ in Pontificali inscribitur, in ecclesiis Cathedralibus, civitatibus singulis, et collegiatis et plebibus, et conventualibus singulis diœceseon. » Quod autem campanæ ab Episcopo non benedictæ sacris turribus non apponantur sub pœna Ecclesiæ interdicti, et quod Regulares ad deponendas de campanili campanas ab Episcopo non benedictas cogi possunt, expressum habemus in *Synodico Beneventano* Vincentii Mariæ cardinalis Ursini qui postea fuit Benedictus XIII Pontifex Maximus, parte I, tit. XXXV, cap. X, ubi fit mentio cujusdam de ea re decisionis a sacra Rituum Congregatione editæ anno 1614. Ubi obiter nota, quod superius fuse ostendimus, campanas esse ab Episcopo benedicendas.

[Frustra contenderent se legitime agere ii qui apud Gallos seu benedictionem campanarum simplici Presbytero committunt, seu etiam dictam benedictionem exsequuntur, licet nec Episcopali caractere insigniti sint, nec Apostolico privilegio decorati. Ex quo enim fonte novimus ea quæ Episcopis et ea quæ Sacerdotibus competunt, nisi ex libris liturgicis quos Sedes Apostolica pro usu omnium ecclesiarum evulgavit? Porro ritualem librum edidit in quo referuntur cuncta quæ a Presbyteris peragi possunt, et Pontificalem codicem ritibus ab Episcopis celebrandis refertum; unde patet evidentissime quod si Episcopus Rituali quomodolibet uti possit, non ideo simplicem Presbyterum licite attentare ritus quæ in Pontificali referuntur. Libentissime fatemur esse quasdam benedictiones absque sacrorum oleorum usu, quæ ab Episcopis, gravibus de causis, quibusdam in diœcesi Presbyteris delegari possunt; at præfatæ benedictiones in Rituali collocatæ sunt, cujus partem efficiunt. Nunquam autem visum est Rituale Romanum, quod universale publicatur, habere inter benedictiones etiam reservatas illam qua campanæ initiantur. Non ignoramus plurima in Galliis edita fuisse diœcesana Ritualia in quibus legitur forma benedicendæ campanæ a simplici Presbytero, per delegationem Episcopi, sed factum a quocumque attentatum disciplinæ generali præjudicare nequit, et nulli dubium est talem licentiam a Sede Apostolica reprobari, quæ vetat Pontificales ritus in Rituale Sacerdotum intrudi, et docet benedictiones ab iis quibus non competit illas operari, non tantum illicitas esse, sed prorsus invalidas. Quæ cum ita sint, nihil aliud superest, nisi ut penitus a talibus campanarum benedictionibus abstineatur, vel a Sede Apostolica Episcopi quorum interest veniam petant ut possint aliqui Sacerdotes, ex Pontificia delegatione, ob locorum nimis dissitorum necessitates, campanas aliquando initiare, secundum ritus in Pontificali statutos, in quibus nihil innovari potest.]

VII. Nunc breviter cætera persequamur quæ in nostro § continentur. Mandat in primis, campanam benedicendam debere *ita suspendi et situari ut commode possit intus et extra tangi, tractari et circuiri.* Quod etsi in nullo Pontificali præscriptum legerim, præter illud Gulielmi Durandi, supponitur tamen id in omnibus Pontificalibus tacite esse præscriptum., cum in eisdem mandetur ut campana intus et foris lavetur, certique ritus serventur, qui vix peragi possent nisi prius campana suspenderetur. Præscribit præterea rubrica nostri Pontificalis, quæ ad campanæ benedictionem præparanda sunt, faldistorium scilicet pro Episcopo, vas aquæ benedicendæ, aspersorium, et alia, de quibus suo loco mentionem habebimus. Quod tandem, omnibus jam ordinatis, recitari primum descripti septem Psalmi debeant, antiquus est Ecclesiæ ritus, licet vetus Ordo Romanus, et Pontificale Ecclesiæ Barensis, aliaque nonnulla, jubeant ut ad benedicendum ecclesiæ signum

Digitized by Google

nempe campanam, « in primis dicatur litania, » postea isti sex Psalmi : » *Miserere mei Deus. Deus in nomine tuo. Miserere mei, Deus, miserere mei. Deus misereatur nostri. Deus in adjutorium meum intende. Inclina, Domine.* Psalmi *De profundis*, qui juxta ritum nostri hodierni Romani Pontificalis est septimo loco dicendus, nulla prorsus in Pontificalibus hisce mentio habetur, ut infra in nostra ad hunc titulum Appendice videre est.

VIII. Ex manuscripto Missali Gellonensi, annorum circiter mille, ex codice Remensi apud Menardum, benedictio campanæ ab aquæ benedictione incipit, cum illa Oratione, « Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, etc. » de qua nos infra juxta ritum nostri Pontificalis. Curiosum est quidem quod in Rituali Leodiensi legitur; mandat etenim ut « ante benedictionem aquæ qua campana consecratur, nominetur ipsa campana quinquies » simul a consecrante, et ab aliis ad ipsam consecrationem convocatis. » Sunt porro varii libri Pontificales in quibus nulla prædictorum Psalmorum fit mentio, quos alias vetus Ordo Romanus, et Pontificale Ecclesiæ Barensis, excepto Psalmo *De profundis*, recenset.

§ II.

Expletis Psalmis surgit Pontifex, et stans cum mitra benedicit sal et aquam, dicens : ℣. *Adjutorium nostrum, etc.*, prout habetur supra in benedictione et impositione primarii lapidis, pagina 22, et continuans usque ad Orationem *Deus qui ad salutem humani generis, etc.*, inclusive. Qua dicta, Pontifex adhuc sine mitra stans, dicit absolute sequentem Orationem : *Bene✠dic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, et assistat super eam virtus Spiritus sancti; ut cum hoc vasculum, ad invitandos filios sanctæ Ecclesiæ præparatum, in ea fuerit tinctum, ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum; et cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gremium, cantent tibi in Ecclesia Sanctorum canticum novum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, suavitatem organi, exsultationem tympani, jucunditatem cymbali; quatenus in templo sancto gloriæ tuæ suis obsequiis et precibus invitare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Videtur is ritus sicut et cæteri per omnia fere desumptus ex manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali. Ex Ordine autem antiquo Romano, cui consonat Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis, post recitatos sex memoratos Psalmos, immediate sequitur exorcismus salis sub ista verborum formula : « Exorcizo te, creatu» ra salis, per Deum vivum, per Deum sanctum, » per Deum totius creaturæ, qui divina voce oris » sui locutus est ad discipulos suos dicens : *Vos » estis sal terræ*, et qui per Apostolum suum » Paulum dignatus est dicere : *Sit sermo vester » sapientiæ sale conditus;* ut efficiaris sal exor» cizatum ad evacuandum et expellendum ab hoc » ecclesiæ signo inimicum, omnemque virtu» tem putredinis ejus; et omnes qui ex te sum» pserint, sint sanctificati animis atque corpori» bus, ut ubicumque fueris adspersum, præstes » omnibus remissionem peccatorum, sanitatem » mentis, protectionem salutis, in nomine Do» mini nostri Jesu Christi, qui venturus est. »

II. Tum sequitur benedictio salis, quæ in

Digitized by Google

laudato Barensis Ecclesiæ manuscripto Pontificali Oratio appellatur, estque diversa prorsus ab illa quam nostrum Pontificale innuit. Sic enim habet : « Virtutis tuæ invictam fortitudi- » nem deprecantes, Domine sancte, Pater om- » nipotens, æterne Deus, qui, inter omnia ne- » cessaria quæ per Jesum Christum Dominum » nostrum procreari jussisti, non minimam » gratiam conferre dignatus es sali, ut ex illo » possint universa condiri quæ hominibus ad » escam per eumdem Filium tuum Dominum » nostrum procreasti : te supplices exoramus ut » hoc sal digneris adspicere, quatenus ex ma- » jestatis tuæ virtute contra omnes spiritus im- » mundos valorem possit accipere. Expellat ab » hoc ecclesiæ signo, et ab omni loco ubi fuerit » tua invocatione adspersum, quidquid potest » esse pestiferum, exhibeat plenum salutis ef- » fectum, deterreat omnia præstigia inimici, et » omnia monstrorum genera longius faciat ef- » fugari. Gravedines omnes, phantasiasque » compescat; et per signum crucis Domini no- » stri Jesu Christi tutelam fidelissimam deside- » rantibus præstet. Per eumdem. »

III. Sequitur exorcismus aquæ : « Discede, » immunde spiritus, ab omnibus quibus fides » nostra usura est religiosi officii Sacramentis; » nec prætendas culpam criminis, qui agnoscis » potentiam Salvatoris. Non est meriti confiden- » tia, sed præcepti; licet ipsa potestas ministerii » dignitas sit ministri. Te igitur per communem » Dominum, aquæ creatura, convenio, ut, con- » servare motum sensibilitatis intelligens, sub- » jici servitio quo placare Deum nitimur non » recuses, omnem a te dæmonum communio- » nem, omne collegium iniquitatis expurges, » totam phantasmatis labem capax Dominicæ » protectionis extermines; ut gratia sanctifica- » tionis adepta, tuo nostroque pariter Creatori » deserviens, omnem pravorum spirituum ne- » quitiam ab hoc ecclesiæ signo, et in quo loco » fueris adspersa, dejicias, et sanctæ copiam be- » nedictionis inducas; præstante Domino nostro » Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu » sancto venturus est judicare vivos et mor- » tuos. »

IV. Huc usque vetus Ordo Romanus, in quo dictis Orationibus subjicitur descripta in § nostro Oratio, *Benedic, Domine, hanc aquam, etc.*, quam legere est in manuscripto Missali Gellonensi, annorum circiter mille, et in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, ejusdem fere ætatis, et in aliis plurimis, ubi tractant ritum dedicandi ecclesiæ. Unde non mirum si in iisdem Pontificalibus ritus benedicendi signum ecclesiæ, id est campanam, absolute incipit ab ipsa Oratione, *Benedic, Domine, hanc aquam, etc.* ; quia scilicet præfatæ Orationes et exorcismi salis et aquæ recitati jam fuerant initio sacri ritus dedicationis ecclesiæ. Sane, juxta laudatum Pontificale Anglicanum, præscriptum fuit ut *primitus lavetur signum de aqua benedicta, ita dicendo :* « Benedic, Do- » mine, hoc signum benedictione cœlesti, etc. » Ubi nota hanc Orationem applicari ipsi campanæ, dum lavabatur de aqua prius benedicta : quamvis, juxta nostrum Pontificale Romanum, manuscriptum Missale Gellonense, et alios multos rituales libros, ipsam Orationem ad benedicendam aquam Episcopus pronuntiet : dicitur- que idcirco in Ordine antiquo Romano et in aliis libris Pontificalibus *Benedictio aquæ.*

V. Multa autem in ipsa benedictione aquæ sunt, quæ explicanda hic singulatim censui. Varii siquidem in ipsa effectus benedictarum campanarum continentur. Rogat enim Deum Ecclesia, 1° ut ubicumque sonuerit campana consecrata, procul recedat virtus insidiantium; 2° umbra phantasmatum; 3° incursio turbinum; 4° percussio fulminum; 5° læsio tonitruorum; 6° calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum; 7° ut cum filii Christianorum clangorem campanæ audierint, crescat in eis devotionis augmentum. Similes ferme effectus in alia precatione § v descripta a Deo postulantur; rogat enim in ipsa Oratione Ecclesia, 1° ut cum melodia insonuerit auribus populorum, crescat in eis devotio fidei; 2° procul pellantur omnes insidiæ inimici; 3° fragor grandinum; 4° procella turbinum; 5° impetus tempestatum; 6° ut temperentur infesta tonitrua; 7° ut ventorum flabra fiant salubriter, ac moderate suspensa; 8° ut aereæ potestates audientes campanam contremiscant, et fugiant ante sanctæ crucis in ea depictum vexillum. Eosdem ferme effectus enumerat Concilium Coloniense habitum anno Christi 1536, parte IX, cap. XVI.

VI. Hæc quæ rogat Ecclesia exaudita non semel a summo fuisse Numine, profecto con-

Digitized by Google

stat ex innumeris exemplis quæ affert Surius in Vitis Sanctorum, de sedatis scilicet tempestatibus et fugatis dæmoniis virtute sonitus campanarum consecratarum. Quamobrem audiri non debet nequissimus Hospinianus, cum ait multo plus nos campanis inanimatis eorumque tinnitui tribuere, quam piorum hominum precibus. Non enim plus ipsi campanæ vel ejus sono nos præcise tribuimus, sed precibus Ecclesiæ quibus campana consecrata est. Nam si omnibus in communi dictum est a Christo Domino, in Evangelio Matthæi, cap. VII, *Petite, et dabitur vobis;* et Joannis, cap. XVI, *Petite, et accipietis:* minus sane foret, si sponsa Christi Ecclesia, hæc vel illa a Deo petens, nihil acciperet. Itaque effectus supra memorati, ut scite docet Gretserus, lib. II *De Benedictionibus*, cap. XLVI, minime exspectantur a sono campanæ quatenus naturalis quidam clangor est, sed ut ab instrumento variis precibus consecrato procedit : quarum precum et obsecrationum memor Deus prædictos effectus per sonum campanæ tanquam per organum quoddam producit: quemadmodum ruina murorum urbis Jericho ad clangorem buccinarum, uti habetur in Josue, capite VI, secuta est, non quatenus naturalis sonus erat, sed quia Deus sonitu illo tanquam instrumento suo ad subversionem mœnium utebatur : quanquam effectus isti non semper certo proveniunt, sed pro arbitrio Dei, cui optime cognitum scimus quid nobis maxime conducat.

VII. Insurgunt hic hæretici, aientes Deum voluisse et jussisse buccinas istas ad murorum urbis Jericho destructionem adhiberi, nunquam vero præcepisse ut ad pellendas tempestates dæmonesque fugandos campanæ consecrarentur et pulsarentur. Respondeo Deum etiam velle et jubere ut campanarum consecratarum pulsu utamur tum ad alios effectus, tum ad tempestates sedandas et depellendas. Quæres ubi hoc Deus jubeat? Respondent Theologi, eo quidem loci jubere, ubi mandat ut Ecclesiam columnam et firmamentum veritatis audiamus; et ubi, si non audiamus Ecclesiam, nos in classem ethnicorum et publicanorum redigit. Cæterum huc referri potest quod sapientissime S. Augustinus docet in Epistola CXXXVIII, cap. V : « Si quid per » totum orbem servat Ecclesia, quin ita facien- » dum sit disputare, insolentissimæ insaniæ » est. » Et quod alibi ait, « non esse credendum » inaniter fieri, ubi universæ Ecclesiæ claret » auctoritas. » Cum itaque, mille abhinc et amplius annis, campanæ ubique fere locorum in usu sint et statis precibus benedicantur, merito insolentissimæ insaniæ arguendi hæretici sunt, qui illas earumque benedictionem exsecrantur.

VIII. Ulterius, præter traditionem, etiam et divinæ Scripturæ benedictioni campanarum patrocinari videntur. Ait enim Paulus in Epistola I ad Timotheum, cap. IV, creaturam omnem verbo Dei, et oratione sanctificari. Unde legimus in Evangelio Matthæi, cap. XVI, Christum Dominum ad multiplicandos panes benedictione usum esse in cœlum aspiciendo; additque Marcus, cap. VI, etiam pisces benedixisse; Lucas vero ait, cap. XXIV, non modo panem benedixisse, sed per ejus etiam fractionem voluisse a Discipulis suis cognosci : « Quid » ergo est » (verba sunt doctissimi Francisci Suarez, lib. II, cap. XVI, adversus Jacobum Angliæ regem, qui, inter alios errores, campanarum quoque benedictionem irridebat) « cur » Ecclesia non possit vel res aliquas sanctifi- » care, benedicendo illas, vel in hoc Christum » imitari? Aut ubi hoc Christus prohibuit? Vel » quæ moralis aut naturalis ratio cogitari po- » test, cui hoc repugnet? Ecclesia enim in hujus- » modi benedictionibus potissime utitur signo » crucis et oratione; ex quibus oratio a Christo » Domino maxime commendata est, signum » vero crucis magnam sanctificandi vim ab ipsius » morte accepit; quamdam enim virtualem in- » vocationem, et, propter Christi mortem, de- » precationem continet. Ergo utroque titulo » benedictiones Ecclesiæ religiosæ sunt, et Deo » gratæ. »

IX. Certe si peculiarem ritum benedicendi campanas spectemus, nihil habet præter orationes ac ritus, quibus peculiaria Dei beneficia per campanæ sonum pro fidelibus postulantur, in quibus nihil est quod valde pium et religiosum non sit. Prius enim præmissis quibusdam Psalmis et communi ritu benedicendi aquam, orationes quædam interponuntur quæ omnes piissimæ sunt et magnam fidem ostendunt; ex eisque licet colligere quod, licet prima ratio seu occasio inveniendi hæc signa fuerit moralis necessitas convocandi Christianum populum,

Digitized by Google

Ecclesia tamen deinde, fideli cogitatione, et sapienti institutione, eadem ordinavit ad spirituales effectus, assumpsitque illa, ut ita dicam, tanquam instrumenta per quæ fidelium fidem excitaret, qua interveniente ejusmodi beneficia per Christum a Deo impetrarent. Quocirca licet ipsa signorum instrumenta propter corporalem, ut ita loquar, effectum fiant, scilicet propter fidelium convocationem, benedicuntur autem propter spirituales effectus, ad arcendum nempe dæmones, omniaque incommoda, tam spiritualia quam corporalia, quæ per eorum insidias nobis proveniunt, et ad excitandum fideles ad fidei et devotionis augmentum.

X. Sed urgent Protestantes, nobisque exprobrant quod tempestatibus exortis campanas pulsemus, addentes id fieri a Catholicis « ex penuria » fiduciæ erga Deum, et in ignominiam Christi » Redemptoris, a quo uno rebus in adversis » auxilium sperandum sit. » Hinc unus ejusdem furfuris Neogeorgus inepte insulseque adversus nos cecinit :

Nam baptizatis credunt hujusmodi vires
Esse in campanis, ut cuncta tonitrua frangant.

Quid ferula dignius, vel ob puerile illud vitium in vocula *hujusmodi?* An non poetastrum illum merito non appellaveris? Sed, ut theologice respondeamus, nisi nos consideraremus Deum pulsu campanarum tanquam instrumento quodam suo tempestates sedaturum, aut saltem ita moderaturum ut sine damno prætereant ac desæviant, omnes utique nostræ campanæ ortis tonitruis ac fulguribus conticescerent, quemadmodum apud sectarios silent, idque vel ex defectu fiduciæ erga Deum, vel ex sua inani præsumptione. Neque vero aliunde nos quam a Christo auxilium exspectamus aut expetimus, etiam nunc cum campanas adversus tonitrua et fulmina pulsamus : quandoquidem quidquid campanæ hac in re virium habent, id non habent nisi ex meritis Christi Redemptoris, ad quæ confugimus quoties ad media illa confugimus quæ vel Christus vel sponsa ejus Ecclesia instituit fidelibusque utenda tradidit.

XI. Docent hæc passim nostri Theologi, præsertim vero duo præstantissimi Societatis Jesu scriptores, Franciscus Suarez et Jacobus Gretserus; licet poetaster Neogeorgus gannire non desinat, ita inepte ac impie inquiens :

An non catholici sunt, et gens bellica, Papistæ,
Præsidio quibus est campanæ pulsus ahenæ?

At vero an non Hebræi quoque gens bella, et dilecti a Deo, quibus in capienda et evertenda civitate Jericho præsidio fuere septem buccinæ, quarum clangore, ut dictum est superius ex lib. Josue, cap. VI, muri corruere? Missa facio hoc loco innumera pene exempla quæ Ecclesiastici passim scriptores afferunt, ad demonstrandum quantum pulsus et sonus campanarum consecratarum adversus stygios hostes eorumque præstigias atque insidias valeat. Hoc unum referam quod Paulus Grillandus in tractatu de sortilegiis prodidit, dæmones nempe mulieres quasdam ducentes, audito campanæ sono ante diluculum, eas deseruisse, fugamque arripuisse.

XII. Ad illud insuper quod Hospinianus objicit, etiam ab ethnicis vim tribui æris tinnitibus adversus magica maleficia, breviter dicam, etiam aquæ et certis quibusdam lotionibus adscripsisse ethnicos vim expiandi peccata; quod autem ipsi de ea re aut de sono æris credebant, id quidem aut vanam persuasionem fuisse, aut Dæmonis fallaciam ex compacto ad sonitum talem effugientis, ut miseros magis superstitionis vinculis implicaret : quod autem in Ecclesia Dei fit, non provenire præcise ex æris tinnitu, sed ab Ecclesiæ precibus, quibus campana sanctificata est, Deusque rogatus ut tales ac tales effectus sonoro huic æri clementer concedat. Cæterum si quærit Hospinianus cur non perpetuo pulsentur campanæ, si sonus iste hujusmodi virtutibus præditus sit, quæram et ipse vicissim cur prædicantes Lutherani et Calvinistæ indesinenter non prædicent, si auditus verbi Dei tantos et tam mirificos fructus profert, quantos Stentores ipsi celebrant et decantant. Pulsamus nos campanas statis horis, et cum opus fuerit ipsas pulsare.

XIII. Jam exempla in Vitis Sanctorum, et in Historia Ecclesiastica non desunt, quibus constat campanarum benedictarum sonitu non modo tempestates sedatas, sed et mortuos etiam vitæ restitutos. De S. Bennone episcopo Misnensi, qui obiit anno 1106, legimus in veteri epitome Actorum ejus, num. VI, ex editione Romana anni 1621, quod « campanellam in loco prope » Misnam benedixit : cujus sonitus, ut illius » incolæ affirmant, totum etiam territorium ac » districtum a fulgure et tempestate, etsi vici-

Digitized by Google

» niora contigua loca sæpius ab illis lædantur, » immunes ac liberos usque in præsentia con- » secravit. » Celebre est quidem quod refert Jacobus Desmajus Peronensis Canonicus in Vita S. Fursei, Gallice edita anno 1607. Ait enim cap. XII, ædificato monasterio, cum campana deesset cujus sonitu ad publicas precationes Monachi convocarentur, ipsum se precibus dedisse Furseum, et (mirum dictu!) cum adolescens quidam, Annæ viduæ filius, defunctus efferretur, adstitisse coram omnibus funus prosequentibus Angelum, et campanam Furseo obtulisse, cujus sonitu illico revixit mortuus, ibique Monachus factus pie vitam exegit. Floruit Furseus sæculo VII, fuitque in Hibernia monachus sanctitate conspicuus. Multa similia campanarum portenta in Vitis Sanctorum Britanniæ et Hiberniæ occurrunt, ut videre est in Vita S. Columbæ per sanctum Adamnanum scripta.

XIV. Quod spectat tempestates sacrarum campanarum sonitu pulsas, scribit memoratus Desmajus Sancti Fursei campanæ vim eam inditam divinitus fuisse, ut, si tonante cœlo aut alia ingruente tempestate pulsata foret, quam late exaudiri ejus poterit clangor, omne cladis periculum divinitus arceretur: idque sua ætate, circiter annum 1432, viguisse certa experientia testari Joannem Mielotum. Porro notatu hic dignum videtur, quod de beato Raimundo abbate Fiterii Ordinis Cisterciensis, ac fundatore Ordinis Calatravæ, in Annotationibus ad diem I februarii refert Chrysostomus Henriquez : « Usque in hodiernum diem, inquit, qua- » cumque imminente tempestate, pulsatis cam- » panis quarum funes sepulchrum, ubi olim » sancti viri corpus honorifice tumulatum ja- » cuit, pertingunt, subito, magno quidem mi- » raculo serenitas aeris redit. »

[Mirum est ac sane dolendum præjudicia jam a pseudoreformatis seminata adversus campanarum usum quando tempestates ingruunt, nostris temporibus a tot Catholicis viris fuisse admissa, quin et ab Antistitibus ipsis, in publicis mandatis, expresse professa. Unde factum est ut pluries acciderit eumdem Præsulem quem Clerus et populus audierant campanam voce Ecclesiæ commendantem, eique virtutem nubes maleficas propulsandi divina auctoritate conferentem, postea, non minus solemni voce dictam campanam a pulsatione per manus fidelium agente tempestate, interdixisse. Lugenda sane contradictio, quæ fidelibus stupefactioni hæreticisque scandalo esse quam facillime potest. Numquid Ecclesia sapientiores sumus? A mille annis fideles ad sonum campanarum in his adjunctis invitat? Numquid nostra interest hanc totius veritatis Matrem imprudentiæ et stoliditatis arguere, ipsamque, dum nos docet quæ agenda sunt ut catholice agamus, impiorum derisioni tradere? Physicarum scientiarum progressus, respondebunt forte novitatis fautores, detexit gravia pericula quæ ab iis qui campanas pulsant, dum agitur tempestas, incurruntur. Addunt Ecclesiam in rebus naturæ non esse infallibilis auctoritatis, ac tandem Deum non esse tentandum petitione miraculi.

Respondebimus in simplicitate fidei, Ecclesiæ intentionem non esse invitando fideles ad campanarum pulsationem, medium aliquod physicum objicere physicis aeris perturbationibus, bene vero vim supernaturalem quæ, Deo dante, in ipsa residet, legitime opponere, mediante fide Christianorum, elementorum inclementiæ. Dicentne talem fiduciam, quæ Christi promissione Apostolis innixa est, credentes scilicet mira in physicis rebus operaturos, nunc esse Dei tentationem? Tunc ad eos redit cura disculpandi Ecclesiam a tanto scelere, quod ab illa per mille annos patratum est. Rationem reddat igitur Mater illa communis de tot filiorum suorum mortibus qui, verbis illius confidentes, funem campanarum, procellis grassantibus, pie arripuerunt pro salute fratrum suorum! Quomodo deinceps a tentatione Dei se avertent Christiani, si a tali peccato non cessat Ecclesia?

Equidem negare nullatenus intendimus scientias physicas modernis temporibus profecisse, quin et gratulamur humano generi; sed quis serio reputans non agnoscet a multis sæculis homines a campanarum pulsatione in tempestatibus jam abstinuisse, si vere talis pulsatio fulmen attraxisset, necemque pro stipendio illis qui eas pulsabant quasi necessario attulisset? Campanilia pluries a fulmine tacta sunt, sed quare? Quia altiora sunt cæteris ædificiis. Aliquando pulsator perculsus est, sed quare? Quia fulmen super campanile cadens, non potuit absque speciali miraculo ei parcere qui funem tenebat. Sed quot millia campanilium in quibus æs sacrum agitabatur, et nihil passa

Digitized by Google

sunt! quot muta remanserant, et, propter altitudinem qua pollebant, a fulmine sunt visitata! Cur non proponeretur campanilia deinceps ædificari quæ humiliora sint cæteris ædificiis, vel etiam ea quæ gloriæ sunt civitatibus solo æquari, ut non amplius cœlesti igne depopulentur?

Sed cur tantopere indulgerent Catholici vanis illorum hominum præjudiciis, qui sæculo XVIII sibi persuaserant victoriam adversus Ecclesiam ipsis facillimam esse protendendo scientiarum suarum famam, quarum nomine tot et tantas reformationes in usibus patrum nostrorum audacter intruserunt? Iidem causa fuerunt cur ab urbibus propellerentur cœmeteria, asserentes nihil esse vivorum saluti deterius. Numquid exinde mors minus frequentior accidit, aut longævitas majori hominum numero a cœlo tributa est? Similiter eveniet, quando penitus cessabitur a campanarum pulsatione in tempestatibus: altiora campanilia fulmine identidem attingentur, eo quod altiora sunt, sive æra sacra agitentur, sive relinquantur immota.

Quoad prætextum ex physica ratione depromptum, et in pluribus Episcopalibus edictis allegatum, tanquam motivum contradicendi præscripto Ritualis Romani ac Pontificalis nostri doctrinæ, nihil puerilius, nihil veræ scientiæ minus consentaneum. Et ne videamur mystico, ut aiunt, studio prærepti, adducemus virum quemdam de scientia notissimum et de catholica fide minime suspectum. D. Arago, *in Notitia scientifica de fulmine* quæ legitur in *Annuaire du Bureau des longitudes*, anni 1838, postquam retulit et victrice manu subvertit præjudicia vulgi et doctorum qui censent campanarum sonitum fulmen attrahere, sic concludit: « En » résumé, dans l'état actuel de la science, il » n'est pas prouvé que le son des cloches rend » les coups de tonnerre plus imminents, plus » dangereux, il n'est pas prouvé qu'un grand » bruit ait jamais fait tomber la foudre sur des » bâtiments que, sans cela, elle n'aurait point » frappés. »

Caveamus igitur ne, hostium ingenio nimis indulgentes, insimulationibus eorum adversus Ecclesiam associemur. Si scandalo esse potest campanarum pulsatio propter pravorum vel deceptorum malevolentiam, ab illa abstineamus, ut prudentia suggerit in omnibus quæ minoris necessitatis esse possunt; sed chorum non ducamus cum infidelibus, ab iis nimia docilitate suscipientes effata quæ nec cum reverentia in omnibus Ecclesiæ debita, nec cum vera et sana physicorum doctrina conciliari possent.]

XV. Etsi autem Ecclesiæ preces in benedictione campanæ eo tendant ut illius virtute tempestates sedentur, addiscimus tamen ex Vitis Sanctorum mirabiles sonoro huic æri effectus Deum concedere, ob merita etiam illorum Sanctorum in quorum ecclesiis campanæ erectæ, imminentibus tempestatibus, pie atque cum fide pulsantur. De S. Genovefa virgine, tomo I mensis januarii, in addendis ad diem 3 ipsius mensis, pag 1089, hæc habent Bollandiani: « Præter illud cantatissimum sacri ignis ope » S. Genovefæ restincti miraculum, aliud mi» nus quidem celebre, admirabile tamen et cer» tum, in inferiore nostra Germania sæpenu» mero patratur. Monasterium est Sancti Nicolai » in lacu vulgo *Zumlaack*, Ordinis Benedictini, » diœcesis Trevirensis, ab Andernato oppido » horarum aliquot itinere distans: huic pro» pinquus est vicus, præsente semper S. Geno» vefæ contra cœli tonantis tempestates patro» cinio clarus. Simul enim cum fragor exaudiri » tonitruum cœperit, illico nimbi, grandinis, » fulminis, et cujusvis demum periculi ab agris » avertendi causa, incolæ ad templum Sanctæ » Genovefæ, campanas pulsaturi, concurrunt: » sin differant, accolæ advolant ac pulsum urgent. » Neque is intermittitur, dum qui foris consi» stunt, ardentes aliquot candelas supra templi » tectum conspiciant, quos S. Genovefæ cereos » appellant. Id argumentum est propulsatæ, » quæ metuebatur, calamitatis. » Addunt perenne hoc S. Genovefæ Parisiorum tutelaris beneficium esse pagi illius; portentumque istud stupendum gravissimorum virorum, atque Antistitum, certissimo testimonio comprobari.

XVI. Tandem, quamvis, uti superius dictum est, statis horis ex prisco Ecclesiæ ritu campanæ pulsentur, et cum opus fuerit ipsas pulsari, pervetusta est Ecclesiæ consuetudo, ut in triduo Hebdomadæ Sanctæ, in qua Passionis et mortis Christi Domini nostri memoria recolitur, campanæ minime pulsentur, earumque loco sonus cum ligno adhibeatur. Meminit ejus ritus antiquus auctor nomine Alcuini in lib. *De Divinis*

Digitized by Google

Officiis, cap. inscripto *De Cœna Domini*, ubi etiam hanc rationem assignat : Quia Ordo » Prædicatorum tempore Passionis siluit, reti- » cetur sonus signorum atque campanarum. » Pro hoc enim humilior sonus lignorum ad » congregandum populum assumitur. » Fusius eumdem hunc ritum explicat Amalarius, lib. IV *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXI, ubi ita inquit : « Omnis salutatio deest in istis tri- » bus diebus sive noctibus ad vitandam saluta- » tionem pestiferam, qualem diabolus Judas » exercuit. Nec non etiam altitudo signorum » quæ fiebat per vasa ærea deponitur, et ligno- » rum sonus usquequaque humilior æris sono » necessario pulsatur, ut conveniat populus ad » ecclesiam. » Tum statim et ista subjicit : « Potest et in hoc humilior usus Ecclesiæ Ro- » manæ designari antiquis temporibus quam » nunc sit, et præcipue tunc quando latitabat » per cryptas propter persecutores. Nam adhuc » Junior Roma, quæ antiquis temporibus sub » uno domino cum antiqua Roma regebatur, » usum lignorum tenet, non propter æris » penuriam, sed propter vetustatem. Et quia » Salvatoris nostri humiliatio per sepulturam, » triduo celebratur, convenit ut per tres dies, » id est quintam feriam et sextam et septimam, » humiliatio nostri Officii subsequatur. » Ubi nota, per Juniorem Romam intelligi urbem Constantinopolim, in qua Amalarii ætate, nono scilicet Christi sæculo, quo ipse floruit, observatum fuisse quod Romæ fieri desierat.

XVII. Rupertus abbas Tuitiensis, lib. V *De divinis Officiis*, cap. XXIX, illud sibi proponens dubium : *Cur campanæ non sonent*, in ipso scilicet triduo Dominicæ Passionis : hunc in modum respondet : « Signa Ecclesiæ, quæ » campanas dicimus, sanctos Christi præcones » significare, suo loco jam dictum est ; qui cha- » ritatis igne excocti, et divina instructione for- » mati, in protectione Dei cœli, tanquam in » turri fortitudinis commanentes, imo suspensa » mente pendentes, quadam fraternæ dilectionis » corda commoventur, ut non taceant prædicare » nomen Domini dicentes : *Qui reminiscimini* » *Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei.* » Notum est autem, primos ejusmodi præcones, » scilicet sanctos Apostolos, non solum conti- » cuisse, sed et, relicto eo, omnes fugisse. Petrus » quoque, cæterorum princeps, cujus ab ore » primum veritatis præconium in omnem ter- » rarum exivit, dicentis : *Tu es Filius Dei vivi*, » vocem illam clarissimam repressit, conticuit, » Christum reliquit, fugit, et negavit. » Tum tandem ita concludit : « Igitur ea hora qua Do- » minus traditus est, recte signis Ecclesiæ si- » lentium indicimus, Christumque solum tor- » cular calcantem, solum in ligno crucis, extenso » corpore, tympanizantem, testimonium veritati » humili ac solitaria voce perhibentem, ligneo » malleolo in tabula suspenso et personante, » populumque ad ecclesiam invitante, signi- » ficamus. »

XVIII. Eadem et alii docent, præsertim vero Gulielmus Durandus, qui, lib. VI sui *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. LXXII, varias ea de re mysticas affert rationes ; quibus omissis abs re non erit morem ex eodem auctore describere, qui sua ætate, sæculo scilicet XIII quo ipse floruit, in variis Ecclesiis vigebat : « A comple- » torio, » (inquit, agens de feria V in Cœna Domini) « sive a vespera qua Dominus traditus » fuit, campanarum silentium inchoatur. A ve- » spera autem qua Dominus traditus est, quando » videlicet discipuli fugerunt, campanis silen- » tium indicitur : alii videlicet ad primam hu- » jus quintæ feriæ, et non alterius pulsant » campanas. Tum ait fieri quidem signum cum tabula, ob varias mysticas rationes quas ipse enarrat. Porro ad Missam Sabbati Sancti, resurrectione Christi Domini prænuntiata, campanæ, quæ tribus memoratis diebus siluerunt, pulsantur. Sed servari debet decretum in Concilio Lateranensi generali Leonis Papæ X editum anno 1521, sessione XI, ut nimirum nulli Ecclesiæ in Sabbato Sancto campanas pulsare liceat, antequam campana ecclesiæ cathedralis vel matricis pulsetur. Concilii verba hæc sunt : « Ut debitus honor matrici ecclesiæ reddatur, » tam ipsi Fratres quam alii Clerici sæculares, » etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio » muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, » antequam campana cathedralis vel matricis » ecclesiæ pulsaverit, campanas in ecclesiis » suis pulsare minime possint. Contra facientes » pœnam centum ducatorum incurrant. »

XIX. Tempore item interdicti campanas pulsare non licet, docentque id passim Canonici Juris consulti, et quidem ex prisco Ecclesiæ ritu. Legimus etenim Innocentium III Pontifi-

Digitized by Google

cem Maximum concessisse Abbati et Monachis Sancti Germani Antissiodorensis, ut in morte atque exsequiis Monachorum ipsius monasterii, tempore interdicti, campanam unicam pulsare possent, ea tamen lege ut non multum foret intervallum nec prolixa pulsatio. Id quod et cathedrali etiam ecclesiæ, et monasterio Sancti Juliani Antissiodorensis alias datum fuisse, in ea narratur concessione cujus in suo *De campanis* Commentario, cap. xxv, meminit eruditus Angelus Rocca; qui etiam ibidem docet, ipso interdicti tempore campanarum pulsationem non prohiberi mane, meridie, et sero, ut nimirum fideles beatam Mariam semper Virginem Angelicæ salutationis recitatione, juxta morem pluribus abhinc sæculis in Ecclesia receptum, venerentur.

§ III.

Post hæc Pontifex mittit sal in aquam in modum crucis, dicendo semel : *Commixtio salis et aquæ pariter fiat. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ sancti.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas : te, Domine, trementes et supplices deprecamur ac petimus ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter adspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices; ut, ubicumque fuerit adspersa, per invocationem nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis ut, finita Oratione *Benedic, Domine, hanc aquam, etc.*, in § superiori descripta, *mittat* (Episcopus) *sal in aquam;* sub recitata nimirum formula, cujus meminit vetus Ordo Romanus, dicens : « Hic mittatur sal in » aquam. » Et statim : « Fiat comixtio salis, et » aquæ, in nomine Patris et Filii, et Spiritus » sancti. » Quæ quidem formula in laudato Barensi Pontificali desideratur. Quantum ad illam Orationem, *Deus invictæ virtutis auctor, etc.*, exstat in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, et in omnibus ante Clementem VIII editis Pontificalibus : in eo tamen quod fuit usui memoratæ Barensi Ecclesiæ, et in antiquo Romano Ordine, hæc alia, loco ipsius, Oratio legitur : « Omnipotens æterne Deus, » qui nobis a te conditam creaturam aquæ bi- » fide distinxisti, ut liquorem simplicem ad » lavacrum, salsam soliditatem præberes ad » condimentum : quatenus et sordida possent » ablui, et fatua imbui; quo et noxia tolle- » rentur, et originalis corrigeretur error ad » viam salutis : te officii nostri functione im- » meriti deprecamur, ut hæc salis et aquæ in » tuo nomine facta permixtio, clementiæ tuæ » dono sanctificetur ad purificandum hoc Ec- » clesiæ signum; quodque mysterialiter bap- » tismo commodum, culpæ traduci inimicum, » sapientiæ aptum, errori præstas adversum; » sancti Spiritus tui sanctitate reddas sanctifi- » catum, nec ullo contagio reddatur immundum, » quod tua fieri credimus majestate beatum; » sed ita per te plenum præbeat sanctificationis » effectum, ut ubicumque, invocato tuo nomine, » manu fuerit emissum, vel modo quolibet

Digitized by Google

» assumptum, expulsis, et explosis omnibus » insidiis contrariæ potestatis, non solum diabo- » lica machinamenta ex eodem loco fugata de- » ficiat, sed etiam sanctorum Angelorum cu- » stodia semper inibi mansura consistat; te » præstante omnipotente Deo, qui cum Filio » tuo, et eodem Spiritu sancto regnas in sæ- » cula sæculorum. Amen. »

II. Notanda sunt illa hujus Orationis verba, quibus dicitur aquam, inter alias ejus prærogativas, a Deo fuisse elevatam ut originalem errorem corrigeret; baptismate siquidem, quod aqua constat, ut Theologi docent, præcipua Dei attributa commendantur: 1° Nimirum Dei sapientia, qui medio aptissimo cœlestem baptismatis effectum posuit ob hominis oculos, ut qui nonnisi per sensus spiritualia percipit, aquis, quibus carnis sordes abluuntur, baptismo maculam originalem abstergi facile intelligat. 2° Commendatur præterea Dei omnipotentia, qui elemento humili utitur, ut magnificum operetur effectum : « Nihil adeo est, inquit Tertullianus in suo *De Baptismo* libro, quod » obduret mentes hominum, quam simplicitas » divinorum operum, quæ in actu videtur, et » magnificentia, quæ in effectu repromittitur; » ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate » sine pompa, sine apparatu novo aliquo, deni- » que sine sumptu homo, in aqua demissus, et » inter pauca verba tinctus non multo, sed » nihilo mundior resurgit, eo incredibilis exi » stimetur consecutio æternitatis. » 3° Singularis erga nos Dei charitas in baptismate, quod aqua constat, commendatur. Cum enim hoc Sacramentum omnibus omnino hominibus ad consequendam salutem necessarium sit; par fuit, ut suprema Dei bonitas ei materiam omnibus perviam et ubique communem assignaret : « Nulla distinctio est, ait Tertullianus, mari » quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an » alveo diluatur : nec quidquam refert inter eos » quos Joannes inter Jordanem, et quos Petrus » in Tiberi tinxit. »

III. Jam non defuere Manichæi, qui aquam, tanquam vile elementum, spernerent : sed fuse ostendit laudatus Tertullianus, illam non modo in veteri Testamento, quod ipsi cæteroqui rejiciebant, et tanquam a malo principio ortum perfide aiebant, verum etiam in novo, multis perspicuis titulis decorari : « Nunquam, inquit, » sine aqua Christus, siquidem et ipse aqua » fingitur. Prima rudimenta potestatis suæ vo- » catus ad nuptias aqua auspicatur. Cum ser- » monem facit, sitientes ad aquam suam vocat » sempiternam. Cum de agape docet, aquæ » calicem Patri oblatum inter opera dilectionis » probat. Apud puteum vires resumit... Perse- » verat testimonium baptismi usque ad Passio- » nem; cum ponitur in crucem aqua inter- » venit : sciunt Pilati manus. Cum vulneratur, » aqua de latere prorumpit : scit lancea militis. » Porro benedicitur aqua in baptismo ex antiquo ritu, non ut immunditia, quam fingunt Manichæi, depellatur, sed ut baptismi Sacramento gratia concilietur. Hæc occasione Orationis ex Ordine antiquo Romano descriptæ diximus. Quod Orationem in nostro hoc § recitatam spectat, jam alibi de aquæ benedictæ virtute, allatis variis testimoniis, dictum a nobis fusius fuit.

§ IV.

His peractis, Pontifex, accepta mitra, incipit lavare campanam cum dicta aqua, et Ministri prosequuntur lotionem, lavantes eam totaliter intus et extra; deinde cum linteo mundo extergunt. Pontifice interim cum mitra sedente, et cum aliis Ministris dicente Psalmum cum aliis sequentibus. Psalmus CXLV : *Lauda, anima mea, Dominum, etc.* Psalmus CXLVI : *Laudate Dominum, quoniam bonus est, psalmus, etc.* Deinde Psalmus CXLVII : *Lauda, Jerusalem, Dominum, etc.* Psalmus CXLVIII : *Laudate Dominum de cœlis, etc.* Deinde Psalmus CXLIX : *Cantate Domino canticum novum, etc.* Postremo Psalmus CL : *Laudate Dominum in Sanctis ejus, etc.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Cum, uti superius adnotatum est, ritus Orationes et exorcismi in benedictione salis et aquæ, juxta quosdam Pontificales codices initio dedicationis ecclesiæ peragerentur, in ipsaque dedicatione solitæ essent benedici campanæ una cum aliis ecclesiæ utensilibus, nil mirum videri debet si in iisdem, omissis præfatis Orationibus et exorcismis, fit primum mentio recitationis Psalmorum qui in hoc § descripti sunt. Missale manuscriptum Gellonense, ubi agit de ritu benedicendi ecclesiæ signi, mandat quidem primum, ut dicatur recitata superius Oratio, *Benedic, Domine, hanc aquam, etc.* Tum, ut cantentur sex Psalmi prædicti, *Lauda, anima mea Dominum, etc.*, usque in finem Psalterii. Ex manuscripto Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis, quemadmodum superius diximus, cautum est ut primum lavetur signum seu campana de aqua benedicta, dicente Episcopo, *Benedic, Domine, hoc signum benedictione cœlesti, etc.*, postea vero, ut memorati sex Psalmi canantur.

II. Est itaque antiquissima non modo lotio campanæ intus et foris cum aqua benedicta, verum etiam recitatio istorum Psalmorum. Ejus ritus meminit vetus Ordo Romanus, et alii passim prisci recentioresque Pontificales codices, in Ordine ad benedicendum ecclesiæ signum. Curiosum est quod de eo ritu præscribit liber ritualis Leodiensis, sic dicens : « Aqua bene- » dicta dividatur in duobus vasis, et ipse con- » secrans lavet campanam linteo ex altero vaso- » rum, et perlavet foris et intus, supposito alio » vase ampliori quam est campana, ne aqua » lotionis stillet super terram. Interim alii » Sacerdotes et Clerici dicant vel cantent hos » Psalmos : *Lauda, anima mea, Dominum.* » *Laudate Dominum, quoniam bonus est psal-* » *mus. Lauda, Jerusalem, Dominum. Laudate* » *Dominum de cœlis. Cantate Domino canticum* » *novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Lau-* » *date Dominum in Sanctis ejus.* »

III. Reor equidem ideo præscriptum ut hi Psalmi in benedictione campanæ recitentur, quod præcipue ad Deum laudandum, et ad honoranda festa servorum ejus, benedictio campanæ ab ecclesiæ Pastoribus instituta sit, juxta illos antiquos versiculos, qui ita de campana loquuntur.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum;
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Porro non videtur hoc meum qualecumque judicium omnino contemnendum, cum, uti constat ex antiqua Oratione supra in § II descripta, in illa oret Episcopus, ut cum clangorem campanæ audierint filii Christianorum, festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gremium, cantent Deo in Ecclesia Sanctorum canticum novum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, suavitatem organi, exsultationem tympani, jucunditatem cymbali; quatenus in templo sancto gloriæ ejus, suis obsequiis et precibus invitare valeant multitudinem exercitus Angelorum.

IV. Pulsari jam olim consuevisse campanas in exsequiis defunctorum, ut excitentur nimirum et præmoneantur nedum necessarii, sed et cæteri cives, ad præstanda officia defunctis eorum opem implorantibus, ac si dicerent, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, docent auctores passim; ritusque est Ecclesiæ pervetustus; nam præter manuscriptos rituales libros ab Edmundo Martene allatos, lib. III *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. XV, venerabilis quidem Beda, qui vivebat labente sæculo VII, lib. IV *Historiæ*, capite XXIII, ubi describit obitum Hildæ abbatissæ, tintinnabulis vel campanis populum convocari solitum ad funerum deductionem prodidit. Monachos, quod forte propter egestatem et metalli penuriam campanas non haberent, consuevisse tabularum sonitum lignorumque collisionem in exsequiis defunctorum adhibere, innuit quidem Cæsarius, lib. I *Historiæ*, cap. XL, ubi describens S. Hildegundis exsequias, quæ divino ducta spiritu sub viri habitu in Monachorum cœnobio vitam sanctissimam egit, sic plane inquit : « Percussa tabula cum tam Abbas quam » cæteri fratres ad ejus exsequias convolassent, » et corpus exportatum ad lavandum detectum » fuisset, sexus femineus apparuit. »

V. Usos fuisse olim Monachos, vice campanarum, tabulis ligneis, jam alibi dictum est; constatque ex *Regula S. Benedicti*, cap. XLIII,

Digitized by Google

ubi etiam Petrus Boerius illud observat, signum campanæ in antiquis cœnobiis Monachorum vel fractum fuisse vel perforatum, ut sonum emitteret terribilem, idque, ut Monachi recordarentur terribilis illius vocis, « Venite ad » judicium; » vel ut ait Boerius, « in signum » quod sumus ex Ordine S. Benedicti, cujus » tintinnabulum diabolus jactu lapidis fregit. » Narrat S. Gregorius, lib. II *Dialogorum*, cap. I, ubi agit de vita et miraculis S. Benedicti, a Romano Monacho consuevisse demitti ex alta rupe panem Benedicto in specu delitescenti per restem, cui tintinnabulum parvum inseruerat, ut ad ejus sonitum Benedictus ad sumendum panem accederet; ipsumque tintinnabulum a diabolo projecto lapide fractum aliquando fuisse.

VI. Fuse de hac re agit quidem in Commentario ad ipsam S. Benedicti Vitam Benedictus Haeftenus; nos ut quod nostri est instituti agamus, post annum Christi millesimum adeo erat in usu campanarum pulsatio in exsequiis defunctorum, ut Innocentius III, qui creatus fuit Pontifex Maximus labente sæculo Christi XII, licet Interdicti Generalis tempore sepeliri Clericos, qui illud observarant, in Ecclesiæ cœmeterio permiserit, campanas tamen in eorumdem exsequiis pulsari omnino prohibuerit. Verba Innocentii in cap. *Quod in te*, XI, *De pœnitentiis et remissionibus*, hæc quidem sunt : « Licet autem per generale Interdictum » denegetur omnibus tam unctio quam Eccle- » siastica sepultura, concedimus tamen ex gra- » tia ut Clerici decedentes, qui tamen serva- » verint interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ » sine campanarum pulsatione, cessantibus so- » lemnitatibus omnibus, tumulentur. »

VII. Mos itaque erat jam ante Innocentium ut campanæ in exsequiis defunctorum pulsarentur; fuitque ipsa pulsatio avarissimis quibusdam Parochis nova occasio hæredes defuncti pulsandi exactione majoris pecuniæ summæ ob campanas in funere ipsius pulsatas. Huic abusui occurrere cupiens S. Carolus, tum in Concilio Provinciali IV Mediolanensi, tum in aureis suis Instructionibus, inter alia quibus turpem quorumdam sacrorum hominum avaritiam damnat, ita et de exactione ob campanæ pulsationem statuit : « Pro crucibus, et » quæ circa cadaver aut cenotaphium depo- » nuntur, pro campanis, item lampadibus » aliove prætextu aut nomine nihil præterea » capiat, exigatque, neque capitulum, nec » quisquam de capitulo, nec Rector, nec Sa- » crista, custos, aliusve clericus quicumque, nisi » quid est, quod fabricæ, aut Sacristiæ, cam- » panarum nomine dare, piæ consuetudinis » Episcopus esse censuerit, idque vere in eum » usum cedat : at pro crucibus nihil omnino, » quovis etiam fabricæ aut sacristiæ nomine » accipi liceat. »

VIII. Docent nos Sacri Canones passim, quos longo agmine affert Lupus eruditissimus, tom. IV operum, in secunda proœmiali dissertatione *De Simoniæ crimine, et variis ad ipsum spectantibus*, cap. XII, quod, etsi pro exsequis aliquid pacisci vel exigere minime liceat, laudabiles tamen consuetudines servandæ sunt, curareque debent Pastores ut omnino serventur. Expressum id quidem habemus in Concilio generali IV Lateranensi Innocentii III, cujus verba hæc sunt, in can. XVI : « Ad Apostolicam audientiam frequenti re- » latione pervenit, quod quidam Clerici pro » exsequiis mortuorum, et benedictionibus nu- » bentium, et similibus pecuniam exigunt et » extorquent: et si forte cupiditati non fuerit » satisfactum, impedimenta fictitia fraudulen- » ter opponunt; e contra vero quidam laici » laudabilem consuetudinem erga sanctam Ec- » clesiam pia devotione fidelium introductam » ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur in- » fringere sub prætextu canonicæ pietatis. Qua- » propter super his pravas exactiones fieri pro- » hibemus, et pias consuetudines præcipimus » observari : statuentes, ut libere conferantur » Ecclesiastica sacramenta; sed per Episcopum » loci veritate cognita compescantur, qui ma- » litiose nituntur laudabilem consuetudinem » immutare. » Laudabilibus istiusmodi consuetudinibus, ad laicorum æque, ac Clericorum avaritiam frænandam plures jam Episcopi fixerunt mensuram ac modum, de quibus meum non est judicare.

IX. Sane constat ex importunis quorumdam Parochorum exactionibus occasionem sumpsisse hæreticos, ut laicos in præpositos sibi Presbyteros concitarent. Ejus indolis Albigenses hæretici fuerunt, nostrorum Lutheranorum et Calvinistarum præcursores, qui, uti ex reci-

Digitized by Google

lato canone Lateranensi colligimus, honestam sustentationem Clericis invidentes, damnarunt etiam gratuitam fidelis populi oblationem, ut nimirum hoc modo adversum suæ perfidiæ Clerum evellerent, quem ferro exstinguere minime poterant. Quantum hæretici ipsi recentiores campanas exsecrentur, dictum iterum atque iterum fuit; ut suas nimirum ad partes Catholicos simplices, et mulierculas adducant, solent turpem quæstum exaggerare, quem avarissimi Ecclesiastici alicubi ob ipsarum campanarum pulsationem in exsequiis defunctorum exigunt. Revera conventus nostros Ecclesiasticos, suffragia pro defunctis, Sacrificia, canonicaque præconia oderunt, ideoque et campanas damnant, quæ ex prisco Ecclesiæ instituto in memoratis occasionibus adhiberi solent, præsertim vero in defunctorum exsequiis peragendis. Non enim desunt insignes Parochi, qui ab omni vel minima avaritiæ labe immunes sunt.

X. In Vitis Sanctorum nihil frequentius legimus, quam ad eorum obitum campanas nullo tangente personuisse. De S. Willelmo duce, postea Monacho Gellonensi in Gallia, qui vixit sæculo VIII, ita inquit ejus vitæ scriptor, cap. III, in fine, apud Bollandianos ad diem 28 mensis maii : « Ipsa hora sanctissimi ejus transitus » factus est repente per omnes circumquaque » provincias, per omnes majores ac minores » ecclesias magnus valde et insolitus clangor » signorum, et campanarum sonitus, longa » pulsatio, mirabilis tinnitus, nullis hominibus » funes trahentibus vel signa commoventi- » bus, nisi sola virtute divina, quæ supervenit » cœlitus. » Apud eosdem Bollandianos, ad diem primam junii, de S. Theobaldo Confessore auctor ejus Vitæ, cap. II, ubi illius obitum narrat, hæc statim adjungit : « Accidit » hoc porro anno 1150, eoque ipso temporis » momento, campanarum omnium, quæ erant » in civitate, sonitus divina prorsus virtute » exaudiri est cœptus. »

XI. Celebre est quod ea in re de S. Aldebrando Episcopo Foro-Semproniensi in Umbria, qui floruit sæculo Christi XII, narrant Acta ipsius ex antiquis manuscriptis codicibus a viro clarissimo Ferdinando Ughellio edita; sic enim, num. V, aiunt : « Reddendo animam » Creatori de nocte præcedente ante Kalendas » maii in hora matutinali, tres campanæ » quæ erant in campanili ecclesiæ Foro-Sem- » proniensis Episcopatus, miraculose, nemine » ipsas tangente, a se ipsis pulsabant in cantu » secundum consuetudinem pro mortuis. » Ubi nota consuetudinem pulsandi campanas dum exsequiæ mortuorum agebantur. Addunt Acta ipsa, num. VII, duas campanas e templo Foro-Semproniensi ablatas, alioque asportatas, sonum minime reddidisse : « Populus Fanen- » sis vicit civitatem Foro-Semproniensem, et » pro despectu asportaverunt duas campanas » de ecclesia Sancti Aldebrandi, et positæ in » campanili Fanensi non pulsabant. Videntes » miraculum, deportaverunt dictas campanas » ad pristinum locum, et cum fuerunt in me- » dio pontis S. Cypriani, ipsæ campanæ, quæ » erant super currum pulsare cœperunt. »

XII. Quod campanæ ultro sonuerint ab Angelis nimirum pulsatæ in morte B. Vivaldi tertii Ordinis Sancti Francisci, testatur in ejus Vita Dionysius Polinari, ita inquiens : « Ipsa hora » qua Sanctus creditur animam reddidisse Crea- » tori, fecit (Deus) per manus Angelorum pul- » sari campanas Castelli Montejone dicti. » De S. Gerio apud Montem Sanctum in Piceno, qui vixit sæculo XIII, auctor est in ejus Vita Matthæus Masius, post ejus obitum campanas Sancti Stephani et abbatiæ Sancti Petri a semetipsis personuisse *indesinenter*. Huc spectat quod narrat Jacobus Meyerus in Balduino Pio, libro III *Annalium Flandriæ*, ad annum 1062, de campanis Aldemburgensibus, quæ sponte sua personuerunt ad peragendas exsequias cujusdam ignoti hominis defuncti, quem Parochus sine ipsarum campanarum sonitu, eo quod homo esset ignotus, sepeliri jusserat : « Aldemburgii, » inquit, « cum fames in- » tolerabilis Flandros premeret, grandisque » multitudo hominum panis quærendi gratia » conflueret Aldemburgium, repertus quidam » fuit prima luce, qui sub dio de nocte fame, » ut creditum est, perierat; qui dum sepeli- » retur, prohibuit Sacerdos Godebertus ne » pulsarentur campanæ, eo quod homo esset » ignotus. Sed ecce ibi, stupentibus cunctis qui » aderant, prodigio per se æra illa, mirum » dictu, personuerunt. » Ubi nota 1° usum pulsandi campanas XI Christi sæculo in exsequiis mortuorum; 2° sonitum ipsarum pro-

Digitized by Google

» hibitum, ubi vita defuncti ignorabatur; 3° quam facile erremus in judicandis aliorum moribus.

XIII. Tandem, ut his similia innumera fere exempla omittam, de B. Petro Solitario apud collem Vallis Elsæ in Hetruria, inter primos tertiarios S. Francisci anno 1221 aggregato, scribit Vaddingus, quod « cum ad optatum perve» nisset finem, et anima illius ad cœli gaudia » perenniter victura transvolasset, omnes cam» panæ præfati castri, nullo mortalium pul» sante, per se ipsas solemniter sonuerunt. » Ex quibus omnibus satis apparet, quanta sit hæreticorum impietas, qui campanarum, quas *cacabos Papisticos* impie appellitant, pulsationem jam diu in exsequiis defunctorum ab Ecclesia usitatam, et miraculis divinitus comprobatam irridere ac sugillare non erubescunt, multisque dicteriis, ad captandum popelli plausum atque aliorum qui eruditi et critici videri hodie volunt, subsannant.

XIV. Inter Waldensium errores et illum numerat, lib. I, cap. ultimo, Lucas Tudensis, quod dicerent pulsationem campanarum mortuorum spiritibus non prodesse. Waldenses, sive Pauperes de Lugduno dicuntur hæretici XII Ecclesiæ sæculo grassantes, a Petro Waldo Lugdunensi mercatore suborti, et cum illo paupertatem Lugduni sponte professi anno 1160. Unde Waldenses ab auctore, et Pauperes de Lugduno, ab incœpta Lugduni professione, et hæresi vocati sunt. Passim deinde et alii hæretici campanas aversati sunt ad omnem sacri ministerii usum, nominatim vero ad funera, et exsequias; cum præstare dicant absque strepitu, et modeste ac silenter tumulare defunctos, quam adhibito incondito boatu multiplicis æris campani, quem mortui audire non possunt; ut refert Joannes Viguerius in suis *Institutionibus ad Christianam Theologiam*, cap. XVI, § IV, versic. XXXIII; et fortasse suggillare pium usum Catholicorum etiam voluit Hadrianus Junius, cum dixit vigentem hodieque morem pulsandi in exsequiis campanas manasse ab ethnicis apud quos is erat usus.

XV. Fuit id quidem jam olim persuasum ethnicis, tintinnabulorum sono juvari mortuos; ideoque quoties eorum quispiam e vita excederet, soliti erant æra pulsare, ut auctor est vetus Theorici Scholiastes, notans veteres censuisse sonum illum prodesse defunctis, eo quod et purus est, et avertens spectra, ac dæmonum ludibria. Id quod etiam narrat Magius, lib. XIV *Miscellaneorum*, cap. XIV. Forte apud nostros non desunt qui etiam arbitrentur campanarum sonitum juvare mortuos. Quod tamen negandum omnino est, nisi indirecte intelligatur, quatenus scilicet inde fideles commonefiunt obitus defuncti, et excitantur ad bene precandum illi; unde Tavernerius in libro *De Purgatorio*, sub finem, sonum campanarum *exclamatorias voces defunctorum* vocat : non enim ipse campanarum per se pulsus prodesse videtur animabus Purgatorii, ut Doctores passim docent, referentes tinnitum campanarum ad subsidium defunctis non inde per se obveniens, sed vel ad excitationem vivorum campanam audientium, ut pro defunctis orent, vel ut ipsi se se aliquando morituros serio cogitent.

XVI. Utrumque hunc finem assignat inter alios scriptores Honorius Augustodunensis in sua *Gemma animæ*, lib. IV, cap. CXVI, his verbis : « Pro mortuis autem ob duas causas cam» panas sonamus : ut videlicet viventes pro eis » orent, et ut se etiam morituros cogitent, se» que ad regna cœlorum ituros præparent. » Addi potest cum Tavernerio, loco citato, sonum campanarum pro defunctis esse religiosam protestationem resurrectionis secuturæ, et eatenus posse prodesse defunctis. Sed quis est qui eam cogitationem suscipiat, cum curat, vel audit pulsari campanas? ut scite observat eruditus Theophilus Raynaudus in *Heteroclitis* suis *spiritualibus*, parte I, pag. 415. Cæterum, cum ad commonendos fideles de obitu alicujus defuncti una campana parva moderate pulsata sufficiat, dicet quispiam frustra pulsari multas et ingentes campanas. Respondeo licite id fieri ad pompam ac dignitatem funeris, et ad aliquod vivorum solatium ex justis rite et magnifice persolutis; juxta illam de ea pompa S. Augustini doctrinam in lib. I *De Civitate Dei*, cap. XII, expressam, ubi ita inquit : « Om» nia ista, id est, curatio funeris, conditio se» pulturæ, pompæ exsequiarum magis sunt vi» vorum solatia, quam subsidia mortuorum. »

XVII. Sed neque novum est, longum, ac validum pulsum multiplicis, et ingentis æris campani in obitu Christianorum et exsequiis

Digitized by Google

adhiberi, cum de eo ritu fidem faciant luculentissimam antiqui auctores, Joannes Belethus in *Explicatione Divinorum Officiorum*, cap. CLXI, et Gulielmus Durandus in suo *Rationali*, lib. I, cap. IV, ostendentes non eodem modo pro viro defuncto, quo pro muliere, nec eodem modo pro Clerico, quo pro laico, suo tempore campanas pulsatas fuisse. Præter campanas quæ in turri campanili exstant, consueverunt jam ab annis circiter quingentis, ubi defuncti ad ecclesiam deferebantur, pulsari campanæ quas manuales vocabant, ut non obscure innuit Concilium Mertonense anni 1300, cap. IV, in quo inter aliam Ecclesiæ supellectilem recenset *campanas manuales pro mortuis, feretrum, etc.*

XVIII. Notari quoque et illud hoc loco juvat, signa olim seu campanas ecclesiæ pulsari solitas pro iis fuisse, qui in agone mortis constituti erant. Est quidem hanc in rem locus insignis, ac fere singularis in Vita S. Sturmii abbatis Fuldensis, qui morti proximus « currere ci» tius ad ecclesiam jussit, omnes gloggas pa» riter moveri imperavit, et fratribus congre» gatis obitum suum cito adfuturum nuntiare » præcepit, et pro se enixius orare postulavit. » Gloggæ hic idem sunt ac cloccæ, quæ, ut alibi dictum est, idem sunt ac campanæ. In Britannia, uti superius diximus, post extremos halitus emissamque animam signa pulsabantur, teste venerabili Beda, in memorato lib. IV suæ *Historiæ*, cap. XXIII, ubi agit de obitu Hildæ abbatissæ, qua mortua « Bega, sanctimonia» lis femina, audivit notum campanæ sonum » quo ad orationes excitari vel convocari » solebant, cum quis de hoc sæculo fuisset » evocatus. » Sed cum de hoc ritu fusius jam actum sit, illud profecto compertum est, variis in locis campanas aliave signa consuevisse pulsari in agone morientium, ut extrema vitæ periodus Domino precibus commendaretur. Estque is ritus hodie in usu apud varios Monachorum Ordines; et quidem ex prisco Christianorum more cujus meminit S. Augustinus in Homilia XXXVII, sic dicens : « Videtis certe » modo; si cujus vita præsentis sæculi peri» clitetur, quomodo amici ejus currunt pro » ea, quomodo curritur ad ecclesiam; rogatur » Episcopus, ut intermittat, si quas habet, » actiones, currat, festinet? Quare pro anima » omnes contremiscunt, omnibus cæteris re» bus intermissis festinandum esse decernunt : » omnis festinatio laudatur; omnis tardatio ac» cusatur. »

XIX. Varia adnotari possent in recitato Augustini loco; verum ut ea quæ ad Monachos spectant, prosequamur : iis jam olim morti proximis, totus conventus signo dato cum tabula vocabatur, et in cellam infirmi accurrebat prælata cruce, simulque pro felici transitu agonizantis orabat : teste Cæsario, lib. XI *De miraculis*, cap. VI, ubi de hac nostra re agens ita scribit : « Nocte beati Stephani, quæ » proxima est Natali Domini, pulsata est ta» bula defunctorum pro eo, et surgentes fe» stinanter advenerunt Fratres orationibus mu» nientes Fratris exitum. » Idem, capite VIII ejusdem libri, « Dum in extremis, » inquit, » ageret Frater Hildebrandus, tabula pulsata » conventus accurrit. » Et cap. XVI, ibidem : « Interim pulsata est tabula, et accurrit conven» tus; cumque crux introferretur, columba ni» vea illam præcedens, ostium infirmatorii » prior intravit. » Testatur Joannes Mabillonius *Præfatione in sæculum* V *Ordinis S. Benedicti*, cap. CIX, apud Rhemos lugubrem illum tinnitum quo mortuorum obitus modo significari solet, corrupto vulgi more appellari *l'Abbé mort*, quasi diceres agonem mortis, seu morientis, *l'Abboy de la mort :* inde tracta forsan appellatione, quod olim signum illud in agone pulsari soleret; erat tamen etiam antiquus mos ut in exsequis defunctorum campanæ etiam pulsarentur; uti superius ostensum est.

XX. Denique ut alia quæ in hoc § nostro habentur, pro nostri instituti ratione examinemus, cum Protestantes hæretici præcipue calumnientur lotionem campanarum (undique enim ipsæ ex antiquo Ecclesiæ ritu, ut supra observatum est, intus et extra cum aqua benedicta lavari jubentur), confutandi etiam a nobis et hoc loco sunt, quamvis in Commentario, § II, fuse adversus ineptissima eorumdem argumenta disputaverimus. Itaque, etsi fateamur lotionem ipsam campanarum non fieri propter aliquem effectum quem proprie efficere aut impetrare possint, negamus nihilominus ejusmodi actionem vane ac superstitiose fieri; fit enim propter aliquam convenientem significationem, ad memoriam nempe vel affectum fidelium excitandum. Quæ ratio valde consentanea est humanæ

Digitized by Google

conditioni, ad quam cum Deus ipse tam in sacramentis antiquis quam in novis respexerit, non mirum videri debet si Deum ipsum, suo modo et pro suo captu, in instituendis suis rebus et cæremoniis Ecclesia imitetur. Ergo, ut scite docet Suarez, lib. II *Contra regem Angliæ*, cap. XVI, per illam lotionem campanæ significatur nobis primum quædam illius dedicatio ad usum sacrum, et ab aliis signis profanis separatio; tum vero, quanta puritate et decentia interna et externa, quantaque fidei integritate accedere ad ecclesiam debeant illi qui ad sonitum talium signorum ad Ecclesiam convocantur.

XXI. Porro ignorantia hujusmodi rituum illud tandem effecit ut Christianus populus eosdem parvi pendere videatur. Quamobrem optandum esset, ut Episcopi æque ac Parochi in administrandis Sacramentis, cæremoniisque Ecclesiasticis peragendis, illorum vim et usum, pro eorum qui sumpserint et adfuerint intelligentia, diligenter explicarent. Id quidem statuit in Concilio provinciali Mediolanensi I, parte II *Constitutionum*, cap. I, S. Carolus, qui etiam in secundo suo provinciali Concilio, tit. I, dec. VII, ita mandavit : « Quo magis fideles ad rerum divinarum cultum excitentur, Episcopus non in » sacramentorum solum administratione, verum etiam cum consecrationis quæ cuiquam » ecclesiæ altarive adhibetur, vel benedicendæ » campanæ, vel velandæ monialis, vel alterius » cujusvis rei consecrandæ munus in conspectu » populi aggreditur, illius mysterii, quod tractat, vim et rationem pie explicet. » Ita S. Carolus. At quomodo plerique Episcopi ac Parochi id efficient, qui rituales codices ignorant, quique totum suum impendunt studium non pascendis, sed emungendis ovibus, ut alios sileam, qui non sacræ, sed profanæ rei tractatoribus delectantur ?

§ V.

Quibus finitis, surgit Pontifex cum mitra, et cum pollice dexteræ manus facit ab extra supra campanam, de oleo infirmorum, signum Crucis; quo facto, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Deus, qui per beatum Moysem legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri præcepisti, quibus dum Sacerdotes tempore Sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret præparatus, et ad celebrandum sacrificia conveniret; quarum clangore hortatus ad bellum, molimina prosterneret adversantium : præsta, quæsumus, ut hoc vasculum sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum sanctificetur a Spiritu sancto, ut per illius tactum fideles invitentur ad præmium; et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei; procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum; temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter, ac moderate suspensa; prosternat aereas potestates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant, et fugiant ante sanctæ crucis Filii tui in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitetur quod ipse Dominus noster Jesus Christus, absorpta morte per patibulum crucis, regnat in gloria Dei Patris, cum eodem Patre, et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Omnium una pene Pontificalium codicum sententia est ut, dum memorati sex Psalmi canuntur, lavetur « de aqua benedicta cum oleo et » sale » campana; sequaturque deinde Oratio,

Digitized by Google

» Deus, qui per beatum Moysen, etc. » Id quidem præscribunt pervetustum manuscriptum Missale Gellonense, antiquus Ordo Romanus, Pontificale insignis Ecclesiæ Barensis, et alia complura. Pontificale Anglicanum Monasterii Gemmeticensis post ipsam lotionem « de aqua » benedicta cum oleo et sale, » dicendam hanc Antiphonam jubet : In civitate Domini clare » sonant jugiter organa Sanctorum, ibi cinna- » momum et balsamum, odor suavissimus qui » ad Deum pertinet, ibi Angeli et Archangeli » Hymnum novum decantant ante sedem Dei, » Alleluia. » Sequitur Psalmus *Lauda, anima mea, Dominum*, et Collecta, sive Oratio, *Deus, qui per Moysen legiferum, etc.* Leodiense Rituale id pariter mandat ut, dum prædicti sex Psalmi leguntur vel decantantur, « interim po- » nat Consecrans sacrum oleum pollice seu » virgula in aquam benedictam in alio vase re- » servatam ad modum crucis cum sale. Et tum » pollicem suum, si eo usus fuerit, bene fri- » cando detergat cum sale super aquam in qua » est oleum sacrum. Et tunc lavet foris et intus » campanam alio linteo mundo cum dicta aqua » oleo sacro et sale mixta; quod linteum com- » buretur tempore apto. Et detur opera ut vas » campanæ supponendum sit satis amplum ne » aqua ablutionis defluat in terram. » Adjungit ut his peractis, « nominetur campana semel N, » dicaturque Oratio, « Deus, qui per Moysen le- » gislatorem tuum, etc. »

II. In ista Oratione observandum primo est, quod docent prisci auctores, auctor nempe nomine Alcuini, et Amalarius Fortunatus, lib. III. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap, I, diserte aientes signorum usum seu campanarum a veteri Testamento sumptum fuisse; quod nimirum libro Numerorum, cap. X, scriptum legitur : *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium Tabernaculi fœderis, etc.* Ad hunc sacrum veteris Testamenti locum, et ad antiquissimam nostri Pontificalis Orationem profecto alludunt Patres Concilii Coloniensis anno Christi 1536 habiti, sic aientes, parte IX, cap. XVI : « Benedicuntur quoque campanæ, ut » sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur » populus ad conveniendum in templum, et » audiendum verbum Dei, Clerus vero ad an- » nuntiandum mane misericordiam Dei et ve- » ritatem ejus per noctem; ut per eorum soni- » tum fideles invitentur ad preces, et ut crescat » in his devotio fidei, etc. »

III. Ritum esse Ecclesiæ antiquum ut Christiani homines, Sacrificii causa et verbi Dei audiendi campanarum signis vocati, ad ecclesiam convenirent, ostensum jam alibi fuit : in præsenti, antequam ad alia quæ in hoc § continentur explicanda, festinemus, profecto investigandum est, quo primum tempore ad elevationem sacræ Eucharistiæ pulsari campanæ consueverint. Scio hæreticos quosdam contendere pertinaciter, elevationem ipsam introductam primum fuisse anno 1215, in Concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III Pontifice Maximo. Quod tamen mendacium impudentissimum est ; si enim de Ecclesia Græca loquamur, Stephanus Durantus, lib. II *De ritibus*, cap. XL, num. II, ab ipsis nostræ Religionis incunabulis consuetum putat Eucharistiam in altum tollere, Græcorum Patrum testimonio suffultus. Quod Ecclesiam Latinam spectat, addubitari nequit quin saltem sæculo fere integro ante Innocentium III mos ille in usu fuerit. Hildebertus siquidem episcopus Cenomanensis, postea archiepiscopus Turonensis, qui floruit initio sæculi XII, diserte ostendit, in versibus quos de Sacrificio Missæ edidit, suo tempore hunc viguisse in Galliis morem elevandi sacra mysteria post Consecrationem : ergo postquam is auctor dixit Sacerdotem panem et vinum consecrasse, ita statim subdit :

Si qua fides Patribus, quos vita beata perennat,
Esca fit hæc animæ, quæ modo carnis erat.
His verbis utrumque novas aquirere vires
Majoresque suis, scripta probata docent.
Sub cruce, sub verbo natura novatur, et arum
Panis honorificat carne, cruore calix.
Presbyter ideirco, cum verba venitur ad illa
In quibus altari gratia tanta datur,
Tollit utrumque, notans, quod sit communibus escis
Altior, et quiddam majus utrumque gerat.

IV. Ivo Carnotensis episcopus, qui sæculo XI floruit, vixitque usque ad annum 1114, ut testatur Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, in Epistola sua CXLII, non modo ritus elevandæ hostiæ meminit, sed etiam pulsationis campanæ ad ipsius hostiæ elevationem. In ea quippe epistola gratias agit Mathildi An-

Digitized by Google

glorum reginæ ob campanas quas dederat ecclesiæ beatæ Virginis, quarum sonitu renovari ait in cordibus fidelium ipsius reginæ memoriam, tunc præsertim « quando illa salutaris hostia » pro nobis redimendis in ara crucis oblata per » novi sacerdotii Ministros in Domini mensa » quotidie consecratur. » Ex quibus manifestissime apparet, apud Latinos labente sæculo XI, quo floruit Ivo, hanc piam consuetudinem pulsandi campanam ad divinorum Mysteriorum elevationem in Galliis viguisse. Quod in Germaniam ritus ipse introductus primum fuerit anno 1203, tradit ad ipsum annum Odoricus Rainaldus, ubi refert perspicuum Cæsarii Heisterbacensis locum, qui libro IX *Dialogorum*, cap. LI, de Guidone cardinali episcopo Prænestino Apostolicæ Sedis in Coloniam Legato, ut confirmaret Othonis imperatoris electionem, inter alia scriptum reliquit : « Bonam illic con» suetudinem instituit, ut ad elevationem hostiæ » omnis populus in ecclesia ad sonitum nolæ » veniam peteret, sicque usque ad calicis bene» dictionem prostratus jaceret. »

V. Hoc constitutum legere est quidem in variis sæculi XIII et subsequentium Synodis, in quibus etiam passim edicitur ut cum campanulæ pulsatione, et præcedente lumine Eucharistia ad infirmos deferatur. Tradit Ciaconius Gregorium IX etiam instituisse, « ut in eleva» tione sanctissimæ Eucharistiæ in Missa, et » sive ad infirmos deferretur, sive in supplica» tionibus gestaretur, pulsarentur campanæ. » Verum usus pulsandi campanam cum deferretur Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos jam ante Gregorium saltem in Germania invaluerat; cum enim memoratus Guido Apostolicæ Sedis Legatione in Germania fungeretur, id quidem præcepit, « ut quoties deferendum esset ad in» firmum, scholaris sive campanarius Sacer» dotem præcedens per nolam illud proderet, » sicque omnis populus tam in stratis quam in » domibus Christum adoraret; » ut inquit laudatus Cæsarius apud Rainaldum ad annum 1203, num XLII. Porro, quod ad elevationem Eucharistiæ in Missa attinet, præscribunt passim sacræ Synodi ut tunc « ter tangatur campana » major, et per campanellæ pulsationem » ad ipsam Eucharistiam omni devotione et reverentia adorandam excitentur ii qui Sacro intersunt. Vide Exoniensem Synodum anni 1827, cap. IV *De Eucharistia*, et alias passim apud Labbæum post sæculum Christi XII celebratas.

VI. Multa præterea afferri possent exempla, quæ nos doceant, virtute sonitus benedictarum campanarum sedatas non semel tempestates ac fugatos dæmones; sed cum ista dicta jam sint in Commentario, § II, et videri fusius queant apud Surium in Vitis Sanctorum, et apud alios passim scriptores Ecclesiasticos, hoc unum moneo quod, licet hæc Oratio aliæque in hoc titulo descriptæ, non semper infallibiliter obtineant effectus quos postulant, sæpe nihilominus impetrant, quando aliæ scilicet opportunæ conditiones concurrunt; quia generaliter hoc promissum est justæ orationi, qualis maxime censenda est illa quæ nomine totius Ecclesiæ funditur.

VII. Ritum denique addiscimus ex recitata Oratione jam olim in Ecclesia fuisse ut campanis crucis vexillum insculperetur; in ea etenim inter alia Deum rogamus ut aereæ potestates audientes tintinnabulum contremiscant, et fugiant ante sanctæ crucis Filii ejus in ipso tintinnabulo depictum vexillum, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum, etc.; quamvis istiusmodi crucis vexillum referri possit ad signum crucis, quod campanæ consecrator juxta nostram Rubricam cum pollice dexteræ manus facit ab extra supra campanam. Certe S. Carolus in Concilio provinciali IV, ubi agit de campanis, diserte jubet, ut « ipsis » res nulla profana deinceps insculpatur, sed » crux et sacra aliqua imago, utpote Sancti pa» troni ecclesiæ, piave inscriptio. » Varias pias inscriptiones olim campanis incisas affert Angelus Rocca in Commentario *De Campanis*, cap. XII.

VIII. Explicandum superest quænam sunt aereæ potestates quarum in nostra Oratione mentio fit, quasque prosternendas a dextera divinæ virtutis orat Episcopus, ut benedictum tintinnabulum audientes contremiscant, fugiantque ante sanctæ crucis Filii Dei in eo depictum vexillum. Quod post admissum peccatum suum dæmones non statim in tartarum relegati essent, certa fere est veterum auctorum complurium fides, qui in aere ac supra terras tantisper degere illos putant : quidam etiam supplicii interim et ignis expertes, dum extremus mundi occasus ac judicii dies adveniat

Digitized by Google

Sanctus Hieronymus in Commentario ad Epistolam Pauli ad Ephesios enarrans illa verba capitis VI, *Adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, vocabulum *cœlestium* de aere interpretatur, sic dicens : « Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis Fortitudinibus. »

IX. Longum esset singula aliorum Patrum loca describere de habitatione dæmonum in aere, cujus quidem meminit Athenagoras in Legatione pro Christianis; Tertullianus in *Apologetico*, cap. XXII; Eusebius in lib. III et X *De Demonstratione Evangelica;* S. Chrysostomus, Homilia II in Epistolam I ad Thessalonicenses; Theodoretus, Oratione III contra Græcos; et alii, inter quos S. Augustinus, lib. VIII *De Civitate Dei*, cap. XXII, dæmones esse scribit « Spiritus nocendi cupidissimos, qui in hoc quidem aere habitant; quia de cœli superioris sublimitate dejecti merito irregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt. » Sed et in Enarratione Psalmi CXLIX diserte id explanat his verbis : « Propterea ad istam caliginosam, id est ad hunc aerem, tanquam ad carcerem, damnatus est Diabolus de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum Angelis suis. Nam Apostolus hoc de illo dicit: *Secundum principem potestatis aeris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ*. Et alius Apostolus dicit: *Si enim Deus peccantibus Angelis suis non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos servari :* « infernum hoc appellans, quod inferior pars mundi sit. » Primus Apostolus, quem citat hic Augustinus, est quidem Paulus in Epistola II ad Ephesios, cap. VI; alius vero est sanctus Petrus in Epistola sua II, cap. II.

X. Rursus de habitatione ipsa dæmonum in aere idem sentit Fulgentius in lib. *De Trinitate*, cap. VIII; Bernardus, in lib. *De Gradibus humilitatis;* et in Psalmum *Qui habitat*. Rupertus vero in primo *Commentariorum ad Genesim* libro, cap. XVII, nullo excepto, dæmones omnes in aerem tantummodo dejectos usque ad supremi judicii diem ibi manere statuit : « Ille, inquit, terribiliter indignatione Dei, trementibus cunctis Angelorum Ordinibus, cœlo excussus in hunc aerem miser cecidit, ab omni luce exstinctus, etiam in æternum lucem Dei non visurus. Et nunc quidem in hunc aerem illum esse dejectum, et omnes satellites ejus quos aereas catervas dicimus, passim in Scripturis habemus, verbi gratia in Apostolo dicente: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi hujus rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Futurum est autem ut in infernum inferiorem, videntibus cunctis, præcipitetur in ignem æternum, qui paratus est ei et Angelis ejus. » Vide eumdem lib. I *De Victoria Verbi Dei*, cap. XXV.

XI. Incredibilem aereorum incolarum spirituum copiam describit Æneas Gazæus, cujus in Theophrasto verba sunt ejusmodi : « Atqui intelligentibus virtutibus plenum est cœlum universum : Plenus est æther Angelis, et dæmonibus plenus aer est : plena sunt terra, mare, et quæ sub terra sunt omnia : et, quod quidam e nostris sapientibus dixit, nihil est vacuum, ut tantillum quidem, ut vel arista et pilus immitti possit; adeo ut etsi velit Deus ad decem annorum millia hominum propagare vitam, non tamen æquales numero futuras putem hominum animas, Angelorum dæmonumque multitudini. » Ubi nota plenum esse aerem, plenam terram, et mare, et quæ sub terra sunt, dæmonibus. Quod et responso quodam suo testatus est Apollo, ut refert pervetustus auctor Lactantius, lib. I, cap. VI.

Dæmones qui commeant circa terram, et circa pontum, Indefessi domantur sub flagello Dei.

Plura de hac re videri possunt apud eruditissimum Jacobum Petavium, *Theologorum Dogmatum de Angelis* lib. III, cap. IV, ubi varias veterum Patrum opiniones recenset : nos opinionem sancti Thomæ, theologorum omnium principis, sequimur, qui in I parte, quæstione LXIV, articulo IV, ad III, docet quod dæmones, « licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso, tamen, ex hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœnam non diminui. »

XII. Quanquam vero, ut fatetur Maldonatus *In Evangelium S. Matthæi*, cap. VIII, complures Patres, ac fere vetustiores, eam opinionem tenuerint nondum illo igne sempiterno, ac no-

Digitized by Google

vissimo gravissimoque supplicio affici dæmones, idque in extremi judicii tempus reservari; diserte nihilominus alii docent, inter quos Beda in Epistolam sancti Jacobi, cap. III, dæmones etiam ante extremum judicii diem gehennæ incendio cremari : « Imo vero ubicumque, ait » Beda, vel in aere volitant, vel in terris, vel » sub terris vagantur sive detinentur, suarum » secum ferunt semper tormenta flammarum, » instar febricitantis; qui, etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem » tamen vel frigus insiti sibi languoris evitare » non potest. Sic ergo dæmones, etsi in templis » colantur auratis, etsi per aera sua discurrant, » igne semper ardent gehennali, et ex ipsa sua » pœna commoniti deceptis quoque hominibus » fomitem vitiorum, unde et ipsi pareant, invi» dendo suggerunt. »

XIII. A dæmonibus in aere inhabitantibus, ubi Deus id illis permittit, excitari procellas, turbines, fulmina, tonitrua, aliaque meteora misceri, et effici ut nimirum frugibus, bestiis et hominibus noceant, in terraque hac æstus, sterilitates, morbos, pestes, inundationes, bella, aliasque clades ab iisdem concitari dæmonibus, constans est theologorum sententia. Quod autem ipsi dæmones virtute benedictionis ad sacrarum campanarum sonitum contremiscant, fugiantque ante sanctæ crucis Filii Dei in ipsis campanis, aliisque rebus ac locis depictum vexillum, dictum a nobis jam alias fuit; estque res satis perspicua, et nota omnibus, crucis effigie ac signo dæmones valde terreri, ac profligari.

XIV. Quoniam insuper sacrarum campanarum sonitus ad fugandas atque expellendas aereas potestates seu dæmones religiose ab Ecclesia adhiberi solet, eam forte ob rationem ritus in ipsa Ecclesia jam olim invaluit ut excommunicati, dæmonibus assimilati, campanarum ipsarum sonitu a fidelium commercio expulsi declarentur. Meminit quidem hujus ritus in suo Commentario *De Campanis* Angelus Rocca, cap. XIV, in Paralipomenis. Fuse de eodem agemus nos ritu una cum aliis scitu dignis, nostro tomo III hujus operis, in eo titulo qui inscribitur *Ordo excommunicandi et absolvendi.*

XV. Quando insuper et quomodo pulsandæ campanæ sunt, fuse explicat in *Actis* suæ *Ecclesiæ Mediolanensis* S. Carolus Borromæus, in longumque nostra oratio abiret, si varia ejusdem sanctissimi Antistitis de ea re loca describere aggrederemur. Certe in Concilio Ravennate, anno 1314 habito, rubrica VI, statutum est ut, quoties Episcopi per urbis vicos progrediuntur vel per suæ diœceseos loca incedunt, campanæ pulsentur, quo omnes moneantur ad ipsos Episcopos properare, genua flectere, et Episcopali benedictione donari : « Campanas » pulsari faciant ita quod populus audire posset, » et exire, et genuflectere ad benedictionem » suscipiendam. » Multa et de hoc ritu opportuniori loco dicemus nos citato tomo III hujus operis, in Commentariis scilicet ad titulum XXI qui inscribitur *Ordo ad visitandas Parochias.*

§ VI.

Pontifex accepta mitra abstergit cum linteo mundo crucem a se factam; deinde inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Vox Domini super aquas multas, Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas multas.* Psalmus XXVIII : *Afferte Domino, filii Dei, etc.* Deinde repetitur Antiphona. Interim Pontifex cum mitra stans facit cum pollice dexteræ manus, de oleo sancto infirmorum, septem cruces exterius super campanam, et deintus cum chrismate quatuor pari distantia, dicens, dum quamlibet crucem facit : *Sancti✠ficetur et conse✠cretur, Domine, signum istud. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. In honorem sancti N. pax tibi.*

COMMENTARIUS.

I. Peracta lotione campanæ cum aqua benedicta, oleo ac sale, et dicta Oratione *Deus, qui per Moysen legiferum, etc.*, cautum quidem fuit ex pervetusto Missali Gellonensi, et manu-

Digitized by Google

scripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, ut Episcopus campanam ipsam linteo extergeret, diceretque Antiphonam *Vox Domini super aquas. Deus majestatis intonuit super aquas multas;* postea vero ut « tangeret eam de chrismate a foris » septies, ab intus quater. » Pontificale Anglicanum in hoc a Missali Gellonensi differt, quod, juxta illius præscriptum, primum fit unctio « de chrismate deforis septies, et intus quater; » et deinde dicitur *Vox Domini super aquas, etc.*, usque in finem Psalmi.

II. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis in hoc quidem ritu cum Gellonensi Missali consentit. At vero vetus Ordo Romanus diserte mandat, ut dicta Oratione *Deus, qui per B. Moysen legiferum, etc.* in § superiori descripta, « tunc extergat illud (signum) cum » linteo mundo, et canatur Antiphona *Vox » Domini super aquas, Deus majestatis into- » nuit, Dominus super aquas multas*, usque in » finem cum *Gloria.* » Addit, ut « quot vicibus » in Psalmo dicit *Vox Domini*, totidem signa » faciat cum chrismate deforis in campana. » Facienda mandat « a foris septem, intus qua- » tuor. » Rituale tandem Leodiense hunc ritum præscribit, ut post dictam Orationem *Deus qui per Moysen legislatorem tuum, etc.*, ut supra, « nominetur campana N., et extergatur linteo » alio, quod etiam comburatur tempore apto, » et deinde dicat (consecrator) hos versus, *Vox » Domini super aquas*, usque in finem Psalmi. » Adjungit, ut « tunc Consecrans ungat campa- » nam chrismate in modum crucis, dicens: » *Consecretur et sancti ✠ ficetur tintinnabulum » istud in honorem N.* (nominetur patronus » ecclesiæ in qua appenditur campana) *in no- » mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen.* Et hoc fiat foris in quatuor partibus » circa partem ampliorem inferius in modum » crucis distantibus circulariter; et superius in » tribus æque distantibus in modum trianguli. » Item interius in quatuor partibus in modum » crucis, circa loca magis tacta malleo in pul- » sando. Tunc nominetur campana N. » Atque hic nota quod, etsi in aliquibus libri Pontificales variant, in re tamen unctionis chrismatis, ac recitationis memorati Psalmi XXVIII *Afferte Domino, filii Dei, etc.*, inter se omnes conveniunt.

III. Mirum denique hæreticis minime videri debet campanas a nobis non solum benedici, sed etiam sacro oleo et chrismate inungi, ac præterea nomen eisdem imponi; est enim hæc antiquissima Ecclesiæ disciplina, cui mirifice suffragatur argumentum ex capite XXVIII *Geneseos* ductum, ubi Jacob memor visus scalæ ad cœlum usque pertingentis, tulit lapidem quem capiti suo supposuit, et erexit in titulum, fundendo oleum desuper, appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza dicebatur. Quod vero in *Capitulari Caroli Magni* cloccas seu campanas baptizari prohibetur, jam diximus ex interpretatione doctorum interpretum, prohiberi quidem in eo Capitulari superstitionem, non vero legitimam et Ecclesiasticam benedictionem seu consecrationem. Nec enim baptizantur baptismo quo remissio peccatorum confertur, sed quia cultui divino dedicantur. Vide eruditissimum Stephanum Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXII.

§ VII.

Deinde finitis Antiphona et Psalmo, et factis crucibus prædictis, Pontifex stans, deposita mitra, dicit :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus adversantium cingebatur exercitus, cadere fecisti : tu hoc tintinnabulum cœlesti bene✠dictione perfunde; ut ante sonitum ejus longius effugentur ignita jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum; ut ad interrogationem Propheticam, Quid est tibi mare, quod fugisti? *suis motibus cum Jordanico retroactis fluento respondeant :* A facie Domini mota

Digitized by Google

est terra, a facie Dei Jacob, qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. *Non ergo nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua; ut, cum præsens vasculum sicut reliqua altaris vasa sacro chrismate tangitur, oleo sacro ungitur, quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper Fidei Catholicæ documenta sectentur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Antiquissima hæc Oratio est in benedictione campanæ usitata, quam post unctionem chrismatis eidem campanæ pluries faciendam non modo vetus Ordo Romanus, et sequioris ævi libri omnes Pontificales, sed et manuscriptum Missale Gellonense, et manuscriptus codex Pontificalis Anglicanus monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, mandant. Alludit Oratio hæc primum quidem ad caput VI Josue, ubi destructio urbis Jericho narratur, clangentibus ante Arcam fœderis tubis; deinde alludit ad Psalmum CXIII, in quo Dei miracula Israelem de Ægypto educentis recoluntur.

II. Per illa insuper in contextu Orationis verba, quibus dicitur, *Non ergo nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua, ut cum præsens vasculum, sicut reliqua altaris vasa, sacro chrismate tangitur, oleo sancto ungitur, quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper Fidei Catholicæ documenta sectentur. Per Dominum, etc.*, satis ostenditur, quam hæretici mendaces sint, cum nobis objiciunt quod, ex penuria fiduciæ erga Deum, et in ignominiam Christi Redemptoris a quo uno rebus in adversis auxilium sperandum sit, exortis tempestatibus campanas pulsamus. Confitemur siquidem in memoratis Orationis verbis, quidquid campanæ adversus tempestates et stygii hostis insidias virium habent, id non habere nisi ex meritis Christi Redemptoris, ad quæ confugimus quoties, uti alibi dictum fuit, ad media illa confugimus quæ vel Christus vel Sponsa ejus Ecclesia instituit fidelibusque utenda tradidit.

§ VIII.

Tum sedet Pontifex, et accepta mitra imponit in thuribulo thymiama, thus et myrrham, si haberi possit, alioquin quæ ex ipsis habentur : quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur campanæ seu signo, ut totum fumum recipiat, Schola interim cantante Antiphonam ton. VIII : *Deus, in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster?* Psalmus LXXVI : *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, etc.* Quibus dictis, deposita mitra, surgit Pontifex, et dicit :

OREMUS.

Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato et imperante dissiluit : tu necessitatibus populi tui benignus succurre; tu hoc tintinnabulum sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus; invitetur ad fidem populus Christianus; hostilis terreatur exercitus; confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus; ac, sicut Davidica cithara delectatus, desuper descendat Spiritus sanctus; atque ut, Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum Regis æterni imperii, fragor aurarum turbam repulit

Digitized by Google

adversantium; ita, dum hujus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conventum manus conservet Angelica; fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te Christe Jesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Certat et is de antiquitate cum descriptis hactenus ritibus ad campanæ benedictionem usitatis, uti videre est in manuscripto Missali Gellonensi, et in Pontificali manuscripto Anglicano, annorum circiter mille; in quo, post Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis, etc.*, in superiori § recitatam, ita legimus : « Tunc impones in incensario » ignem, et superjacias thymiama et myrrham, » et erigas cloccam super incensum, ut totum » fumum colligat, et dicas versus : *Deus in san- » cto via tua: quis Deus magnus sicut Deus » noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia solus.* » Psalmus, *Viderunt,* usque in finem Psalmi. » Sequitur Oratio : *Omnipotens sempiterne » Deus, Dominator Christe, etc.* » Idipsum legere est in antiquo Romano Ordine, in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, et in aliis omnibus, ubi de ritu benedicendi campanas agitur.

II. Rituale Leodiense in hoc a memoratis differt, cum præscribat quod, ubi consecrans ponit « thymiama et myrrham in igne in in- » censario sub campana, » tunc nominari ab ipso debeat campana N., rursusque id fieri post recitatum Psalmum *Voce mea ad Dominum clamavi.* Porro incensarium thuribulum est, eaque vox non semel occurrit apud Scriptores Ecclesiasticos; appellatur autem eo nomine, *quia in eo crematur thus.* Vide eruditum Carolum Ducange, in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*, verbo *Incensarium.* Nihil itaque est in benedictione campanæ quod antiquitatem non redoleat, cum omnes pene ritus qui hodieque in nostro hodierno Romano Pontificali circa ejus benedictionem præscribuntur, in antiquissimis Pontificalibus inveniantur.

III. Non omittendum denique quod in memorato Leodiensi Rituali præscriptum est. Mandat siquidem ut post recitatam Orationem *Omnipotens, Dominator Christe, etc.*, tunc abstergat Consecrans stuppa sanctum chrisma ubicumque prius appositum fuit campanis, et statim comburatur stuppa; postea removeatur ignis cum fumo prædicto; deinde Consecrans faciat tres ictus in campanis cum earum bacellis, nominando eas N.; idemque faciat unusquisque sigillatim, unus post alium, qui ad dictam consecrationem fuerant vocati : deinde campanæ albo linteo involvantur. Postmodum, si velit, Consecrans potest exprimere populo causam consecrationis campanarum, videlicet contra tonitrua, fulmina, ventos, et alias tempestates aereas, ac diabolicas infestationes. Post hæc campanæ in altum trahuntur, ne a populo minus reverenter tangantur.

IV. Hæc ad verbum ex Leodiensi quidem Rituali descripsimus, ubi notanda postrema verba sunt; jam enim olim campanam pulsare ad Sacerdotes pertinuit. S. Benedictus in *Regula*, cap. XLVII, hoc munus Abbati imponit ut ipse horam operis Dei diu noctuque nuntiet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Amalarius Fortunatus, lib. III *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. I, postquam sacras campanas originem a tubis veteris Testamenti traxisse dixisset, illasque ora prædicatorum novi Testamenti significare docuisset, ita statim subdit : « Ne despiciat » Presbyter hoc opus agere, ut in ipso sit imita- » tor filiorum Aaron. » Præcepit siquidem Deus ut filii Aaron Sacerdotes tubis clangerent ad convocandam multitudinem; eumque ritum ad novi Testamenti Sacerdotes transiisse, atque in Ecclesia diu perdurasse, constat ex *Capitularibus Caroli Magni*, lib. VI, cap. LXVIII, ubi statuitur ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis. Hodie officium Ostiarii est campanas pulsare, quem decet superpelliceo indutum esse, quia munus sui ordinis exercet. Vide quæ de hac re scripsimus in nostro opere *De codice sancti Evangelii*, lib. III, cap. VIII.

Digitized by Google

§ IX.

Demum Diaconus sacris vestibus albi coloris paratus dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Sequentia* ✠ *sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore intravit Jesus in quoddam castellum : et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam; et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium : quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et, respondens, dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

§ X.

Finito Evangelio, Pontifex osculatur librum Evangeliorum per unum ex Ministris, Subdiaconum scilicet, sibi porrectum. Tum producit super campanam benedictam signum crucis, et reassumpta mitra discedens revertitur ad locum ubi paramenta accepit, in quo dimissis sacris vestibus, vadit in pace.

COMMENTARIUS.

I. Ingenue fateor me nec in antiquo Romano Ordine, neque in priscis toties memoratis Pontificalibus, Gellonensi, Anglicano, imo nec in Barensi, quod ex antiquo aliquo Pontificali codice circa medium sæculum XIII exaratum est, ritum reperiisse, ut in fine benedictionis campanæ Diaconus, sacris indutus vestibus albi coloris, solemniter descriptum in § nono Evangelium pronuntiet. Exstat is nihilominus ritus non modo in editis ante Clementem VIII Pontificalibus, sed et in manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi, annorum circiter 500; eaque ætate hunc ritum introductum autumo, cum, uti dixi, ante ipsum Durandum, neque libri Pontificales, neque auctores quos de ea re scribentes vidi, ullam de Evangelio ipso canendo in benedictione campanæ mentionem faciant.

II. Cur autem hoc Evangelium legatur, quoniam id a nemine dictum invenio, hanc meam qualemcumque conjecturam in medium proferre operæ pretium duxi. Cum ergo, ut ait Concilium provinciale Coloniense anni 1536, parte IX, cap. XVI, « campanæ sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocatur populus ad convenien» dum in templum, et audiendum verbum Dei; » Clerus vero ad annuntiandum mane miseri» cordiam Dei, et veritatem ejus per noctem, » ut per illarum sonitus fideles invitentur ad » preces, etc., » non incongruum videtur descriptum in benedictione æris campani legi Evangelium; ibi enim præcipue de verbo Dei audiendo, atque aliis ad animæ salutem spectantibus, ad quæ nos campana sonitu suo invitat, expressa fit mentio.

III. Eo sensu S. Philippum Nerium, quod, cum adhuc laicus esset, adhortationibus suis curavit ut multi religiosis Ordinibus nomen darent, ipse autem a S. Ignatio, Societatis Jesu fundatore, invitatus adduci nunquam potuerit ut in ipsam Societatem se reciperet, campanam propterea ab eodem Ignatio appellari consuevisse, testatur Hieronymus Bernabæus in Vita S. Philippi, cap. III, his verbis : « Quamobrem » S. Ignatius, Societatis Jesu fundator, qui per » id tempus in Urbe præclara sanctitatis laude » florebat, campanæ nomine illum appellare » consueverat : quemadmodum enim campana » populum convocat ad ecclesiam, cum ipsa » maneat in turri, ita plane Philippus alios ad » religionem adducebat, nec tamen ipse a sæ» culo recedebat. » Recessit autem a sæculo, vivente adhuc Ignatio, ubi scilicet, anno 1551,

Digitized by Google

jussu nostri P. Persiani Rosa, qui Philippi confessiones excipiebat, Sacerdotio initiatus in nostram hanc domum Sancti Hieronymi Charitatis se recepit, in qua, præcepto etiam sui directoris adactus, audiendarum confessionum onus suscepit, in eademque Charitatis domo triginta tres annos commoratus innumeros pene convertit, et miraculorum copia claruit.

IV. Sed his omissis, de quibus fusiori calamo agetur in opere *De Viris illustribus Congregationis Oratorii Sancti Hieronymi Charitatis*, ut ad nostrum institutum redeamus, forte criticus quispiam et delicatissimi gustus vir nostram explicationem de Evangelio ipso irridebit, quod in benedictione campanæ a Diacono sacris induto vestibus albi coloris recitari solet. Fateor me aliam non reperisse apud auctores interpretationem, cur nempe Evangelium ipsum de Martha et Magdalena legatur. Velint nolint critici, in explicandis sacris ritibus Officiisque Ecclesiasticis, ut plurimum ad sensum mysticum sive accommodatitium, ut aiunt, recurrendum est. Hanc viam tenuerunt jam olim sancti Patres, Ecclesiæ Doctores, auctores antiqui Liturgici, theologi, Summi Pontifices, atque Ecclesia ipsa a Spiritu sancto edocta, ut videre est in plurimis formulis atque Orationibus, quas in peragendis Sacramentis, benedictionibus aliisque rebus sacris celebrandis jam longe ante mille annos adhibere solet.

V. Hujus doctrinæ ignorantia profecto effecit ut passim hæretici, et non pauci etiam catholici qui eruditi videri volunt, sacros ritus irrideant, et ponant in cœlum os suum. Ergo ut ab ipso Evangelio quod in benedictione campanæ dici solet, minime discedamus, cavillantur hæretici Ecclesiam Romanam, quasi inepte agat dum in festo Assumptionis beatæ Virginis Evangelium de Martha et Magdalena legit, idque Deiparæ applicat, de qua ne mentio quidem in isto fit Evangelio. Sed respondere illis possumus quod aliquando similibus novatoribus respondit S. Hilarius : « Sero venistis, nimis tarde surrexistis. » Jam olim didicimus quid de Christo et Ecclesia » et Sacramentis credere debeamus. Non bona » suspicio est, quod nunc primum apparetis : si» quidem bonum frumentum non post, sed ante » zizania, et seminatum est et natum est. » Jam dudum nos didicimus ab Ecclesia, et viderunt summi et antiqui ac docti Pontifices, recte festo Deiparæ Assumptionis quadrare hoc Evangelium. In quo tametsi nulla beatæ Virginis fiat mentio, quidquid tamen de Martha, quidquid de Maria Magdalena ibidem dicitur, totum id Deiparæ convenit, et quidem per excellentiam : ut fuse ostendit in Sermone VI in Assumptione beatæ Mariæ Guerricus abbas Igniacensis, qui floruit sæculo Christi XII; exstatque inter opera S. Bernardi abbatis, tomo III ultimæ editionis Venetæ, pag. 1147.

VI. Porro cum constat ex iis quæ hactenus in superioribus Commentariis enarrata sunt, quod ait eruditissimus Claudius Fleury, parte II *Institutionum Canonicarum*, cap. VIII, omnium rerum quæ in Ecclesia fiunt, nullam solemnius benedici quam campanas, hinc est quod apud auctores Ecclesiasticos, theologos æque ac canonici juris consultos campanæ inter eas res merito recensentur quæ ad divinum cultum duntaxat sunt destinatæ. Id quod etiam aperte deducitur ex Jure Cæsareo. Legimus siquidem lib. II *Institutionum Justiniani* imperatoris, tit. I, § VIII, quod « sacræ res sunt quæ rite per Pon» tifices Deo consecratæ sunt, veluti ædes sacræ, » et donaria quæ rite ad ministerium Dei dicata » sunt. » Idipsum passim legere est in variis Juris civilis locis, præsertim vero in lege *Sancimus*, XIX, cod. *De Episcopis et Clericis*, ubi Justinianus expresse inquit « sacratissima, at» que arcana vasa, vel vestes, cæteraque donaria » quæ ad divinam Religionem necessaria sunt » (quia juris divini sunt) humanis nexibus non » illigari. »

VII. Quæ cum ita sint, quis non videt quam prava sit consuetudo inter rei tormentariæ præfectos generales, qua ab occupata urbe hostili postulare solent ut campanæ templis inhærentes, quod suas per occupationem factas credant, certa pecuniæ summa redimantur. Improbat hunc jure merito abusum Gaspar Ziegerus, lib. I *De Juribus Majestatis*, cap. XLI, § XLV, ubi ita inquit : « Conservari et ipsa templa et quæ eis » accedunt, suadet rerum divinarum reveren» tia quibus illa destinata sunt, usibus divinis » quia inserviunt et in eam rem consecrata » sunt. Exemptæ sunt commercio hominum, et » sic etiam hostium, quos proinde, si christiani » sunt, pudeat istiusmodi redemptionem flagi» tare, cum et alias ob templa ipsis etiam homi» nibus sæpenumero ab hostibus parcitum fue-

Digitized by Google

» rit. » Ita ille. Sed audiendus est Grotius, qui lib. III *De Jure belli*, cap. XII, describens Polybii locum, rabiosi esse animi ait ea perdere quæ nec hosti perdita vires adimant, nec perdenti emolumentum adferant, qualia sunt templa, porticus, statuæ, et similia.

VIII. Forte hæc prava militum consuetudo ab ethnicis suam originem ducit, qui res sacras religiosasque, tum mobiles tum immobiles, tales esse desinere arbitrabantur, ubi eas jure belli occupabant : « Cum loca capta sunt ab » hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra » esse. » Verba sunt Pomponii in lege LXVI, ff. *De religiosis et sumptibus funerum*. Fuit is sane mos veterum Romanorum, a quibus victi Campani, ubi se illis dederunt, hac quippe usi sunt formula : « Populum Campanum, urbemque » Capuam, agros, delubra Deum, divina huma- » naque omnia in vestram, P. C., ditionem de- » dimus. » Afferri et alia exempla possent hujusce Romanorum consuetudinis, quam alias damnat Tertullianus in *Apologetico*, cap. XXV, sic dicens : « Tot igitur sacrilegia Romanorum, » quot trophæa; tot de diis, quot de gentibus » triumphi; tot manubiæ, quot manent adhuc » simulacra captivorum deorum. »

IX. Illud quoque adnotandum nunc censeo, exstare alicubi campanas quæ, multis ab hinc sæculis, nullo pulsante sonare solitæ sunt, ad cladis alicujus præsagium. De campana in Celtiberiæ oppido *Vililla* per se sonante, cum Christiana respublica grave aliquod incommodum est exceptura, hæc habet Leonardus Vairus lib. II *De Fascino*, cap. XIV : « In regnis Hi- » spaniæ, in oppido *Vililla* nuncupato, Cæsar- » augustanæ diœcesis, campana quædam est » quam *Miraculorum* appellant; hæc per aliquot » menses antequam aliquid adversi in Chri- » stiana republica contingat, ex se ipsa nemine » impellente pulsatur. Cujus rei testimonium » per publicos tabelliones, testibus plurimis » adhibitis, hisce oculis egomet legi, præter » fidem quam de eadem re illius regni proreges » suis litteris faciebant. »

X. De spontaneo ejusdem campanæ sonitu admirando, atque aliquid adversi præsagiente, mentionem faciunt et alii scriptores, nempe Petrus Gregorius Tholosanus, tomo I *De Republica*, lib. XII, cap. XIII, num. XXV; Hieronymus Surita in *Historia*, lib. X, cap. XCIII, et lib. XIV, cap. XXVII, ad calcem; Fabius Paulinus, lib. IV *Hebdomadum*, cap. VII; et alii complures, inter quos vir profecto omnigena eruditione clarissimus Antonius Augustinus in libro *De Numismatibus*, dialogo VI, in quo varios etiam recenset eventus a spontaneo illius campanæ sonitu jam olim præmonstratos, direptionem nimirum seu depopulationem urbis Romæ tempore Clementis Papæ VII, anno 1527, et pestem sævissimam anni 1564 in eodem regno Cæsaraugustano subortam. Varii sunt eventus infelicissimi, quos ex spontaneo memoratæ campanæ sonitu tum laudatus Antonius Augustinus tum alii auctores numerant. Exstat Historia Romæ impressa anno 1601, in qua dicitur, ipso anno, a die 13 junii usque ad trigesimum diem, interpolatis temporibus frequenter campanam ipsam a nullo motam personuisse, variosque casus in diversis mundi partibus post talem campanæ sonitum anno 1601 accidisse. Vide Angelum Roccam in suo *De Campanis* Commentario, cap. VII.

XI. Celebre est quod de campana ex se ipsa, nullo humano ministerio adhibito, personante, et calamitatem aliquam præsagiente, in Vita S. Pancratii, § III, ad diem 12 mensis maii apud Bollandianos legimus : « Campanum, inquiunt, minus æs, quo ad Missas cele- » brandas evocari Sacerdos, easdemque au- » diendas populus consueverat, hoc quoque » peculiare habuit ut, quoties nulla humana » manu sed angelica haud dubie insonaret, » toties Pragæ imminentem calamitatem de- » nuntiaret. Quare, cum pulsu illo ac sono » extraordinario nunquam fefellerit, semper » fidem prædictionis apud credulos Pragenses » invenit. Ante proximam Suecorum inva- » sionem, atque adeo minoris Pragæ oppres- » sionem, tacuisse omnimode deprehensa est » fatalis illa campana; quo silentio haud dubie » innuere voluit Deus, quod Vetere et Novo- » Pragenses calamitate ea ultima, et bellorum » triginta anni durantium terminativa, non » essent (furerent quantum vellent tormentis, » ac extrema omnia per tot insultus atten- » tarent hostes) tamen involvendi, multo mi- » nus evertendi. Hoc tamen ut ita dicam be- » neficium non exemit ecclesiam Pancratianam » ab ultimo exterminio etiam post depulsum » Suecum, confectamque generalem pacem;

Digitized by Google

» quia, prætextu nimiæ viciniæ, occasionisque » recipiendorum hostium, si quando ea parte » ingruerent, a generali Bohemiæ Rudolpho » Coloredo jussa est destrui ac cum terra com» planari. » Addunt mox Bollandiani campanam ipsam ad collegium Societatis Jesu translatam fuisse, Pragæque in ecclesia Sancti Clementis exstare.

XII. Narrant præterea auctores Ecclesiastici fuisse alicubi jam olim campanas quæ spontaneo sonitu obitum alicujus præsagirent. De quadam ænea prægrandi ac bene sonora in Bodkensi monasterio campana tradit Gobelinus Persona in Vita S. Meinulphi, qui monasterium illud construxerat, nullo humano adhibito ministerio validum per se edere sonum consuevisse, quoties aliqua ex illius monasterii sororibus e vita excederet : « Tintinnabulum, inquit, » quoddam magnum, æneum, bene sonorum in » Bodkensi monasterio reverenter asservatur. » Nam quoties aliqua ex ejus monasterii soro» ribus brevi erat abitura e vita, absque ullo » humano ministerio per se fortem reddebat » sonum. » Meminit hujus campanæ Martinus del Rio, lib. IV *Disquisitionum magicarum*, cap. III; Theophilus Raynaudus in suis *Heteroclitis spiritualibus*, parte I, pag. 413; Angelus Rocca in suo *De Campanis* Commentario, cap. VII; et alii.

XIII. Simile prodigium narrant passim auctores complures de quadam ærea campanula quam appellant *Sancti Thomæ*, quæque exstat in monasterio Salernitano FF. Prædicatorum, supra portam illius loci qui vulgo *capitulum* appellatur, in quo scilicet Fratres pro aliqua re decernenda congregari solent. Aiunt siquidem certissimum esse ipsam campanulam indicem extremæ horæ uni alicui in eo cœnobio degentium imminentis, cum nempe sonus illius prodigiosus auditur. Varia in confirmationem ejus portenti a scriptoribus afferuntur. Est quidem in summo campanili tam alte collocata, ut non nisi adminiculo longissimæ scalæ possit ad illam perveniri; neque ullus ex ea funis pendet, quo vel ipsa vel malleus possit motus censeri quando prædictus sonus percipitur. Ergo quoties id fit, (fit autem quoties intra monasterii ambitum aliquis est e vita discessurus) ad mortem sese præparant omnes, in primis ii qui languore detenti aliquo ei se viciniores existimant; successu sæpe inopinato. Contingit enim non raro ut, iis quorum desperata maxime vita erat convalescentibus, moriantur alii quos minime Fratres fuerant suspicati. Porro inter medicos falli in prædictionibus metuentes consuetudo invaluerat identidem exquirendi, num auditus campanulæ sonus sit.

XIV. Multa ejus rei testimonia, juramento etiam confirmata, legere est apud Bollandianos ad diem 7 mensis martii in *Analectis* post Vitam S. Thomæ Aquinatis, § II, ubi notatu dignum illud auctor refert, quod anno 1578 lapsa confractaque sit supradicta campanula, quam P. Magister F. Hyacinthus de Tripalda, conventus prior, de capituli sui consensu in fornace liquefactam curavit refundi, et beatæ Virginis filiolum brachio stringentis imagine insigniri. Non tamen cum forma pristina etiam virtutem amisit, ut quotidiana experientia testis est. In Commentario quod *De Campanis* scribebat anno 1609 Angelus Rocca, cap. VII, hoc de ea re exemplum affert, quod ante triginta annos, ut ait, evenisse narrabatur : « Illa enim » campanula, nemine ægrotante, dicto in con» ventu personuit; sed ecce Sacerdos novellus » die sequenti primam cantaturus Missam, » campanarium cum aliis Fratribus cam» panas pulsandi gratia ascendit, ad hanc cele» britatem, ut fieri solet, indicandam, e sum» mitate illa cecidit, et obiit. »

XV. Ex adverso alia exempla non desunt, ex quibus docemur pulsatas iterum atque iterum campanas sonum minime reddidisse, præsertim vero tempore interdicti, teste S. Audoeno, Rothomagensi episcopo, in *Vita S. Eligii episcopi Noviomensis*, lib. II, cap. XXI, apud Surium die 1 decembris : « Cum aliquando, inquit, » visitaret (Eligius) diœcesim suam, ut solent » Episcopi, quadam ex causa interdixit ne cur» sus, id est preces canonicæ et sacrificium ce» lebrarentur in basilica quadam, donec ipse » juberet. Erat illic Presbyter quidam sibi male » conscius, ob cujus culpam id fecerat beatus » Episcopus. Is parvipendens ejus sententiam, » cum procul illum recessisse arbitraretur, » campanam hora statuta, ut moris erat, pulsare » cœpit. Sed, ut ejus temeritas reprimeretur, » campana rationis expers beato viro obtem» perans nullum sonum reddidit. Perstitit ille » trahendo restim campanæ, sed sonum expri-

Digitized by Google

» mere non potuit. Itaque egressus e basilica, » omnibus rem exponit. Tum quidam ex eis, » memores quid jussisset beatus Eligius, propere illum sequuntur; orant ut, bona ipsius » venia, liceat divina celebrare officia. Sed ille, » tametsi erat clemens et benignus, noluit tam facile relaxare sententiam suam, nisi præce- » deret satisfactio. Interim triduum labitur, et » Presbyter sæpe frustra tentat elicere e cam- » pana sonum. Tandem optimatum et senio- » rum flexus precibus, cum pœnitentiæ satis- » factio accederet, solo verbo beatus vir » conciliavit locum, et mox campana sonum » edidit, uti prius consueverat. » Obiit sanctus Eligius anno Christi 665, teste Sigeberto in *Chronico*. Quod idcirco dixi, ut vel inde intelligas quantæ antiquitatis sint varii ritus qui in hac narratione continentur: 1° quidem consuevisse jam olim campanas vel signa in ecclesiis exstare, quibus, statis horis, ad divinum officium oblationemve populus convocaretur; 2° morem esse antiquum ut Episcopi, ob alicujus culpam, personam vel locum interdicto, quod est Ecclesiastica censura, subjicerent; 3° ad relaxandam interdicti sententiam, locumque interdicto suppositum reconciliandum, satisfactione opus fuisse.

XVI. Sunt qui Surium in eo reprehendunt, quod in describenda tum hac S. Eligii vita tum etiam aliorum Sanctorum, priscas loquendi formulas recentioribus, contra fidem veterum codicum, non sine gravi dispendio sacræ et profanæ eruditionis, commutarit. Sed hoc parum refert; constat enim S. Audoenum *signi* et *tintinnabuli* vocabulo usum esse, quod profecto *campanam* significat. Porro qui puram S. Eligii Vitam, qualem scripsit Audoenus desiderat, adire potest tomum v *Spicilegii* viri clarissimi Lucæ Dacherii, « cujus veterum » scriptis ab interitu vindicandis summam dili- » gentiam et acutissimum judicium omnis po- » steritas collaudabit. » Verba sunt eximii scriptoris *Rerum Liturgicarum* Joannis cardinalis Bona lib. I, cap. XXII, ubi cæteroqui illud observabat, venerabilem Bedam, qui sexaginta circiter annis post Audoenum floruit, lib. IV *Historiæ*, cap. XXIII, describentem obitum Hildæ abbatissæ, auditum testari a quadam moniali « notum campanæ sonum, quo ad orationem » excitari, vel convocari solebant. » Sed de his supra fusius.

XVII. Spectat et illud ad sanctitatem benedictionis campanæ, juramentum nempe in Hibernia, Scotia, et alibi super campanas præstari solitum ob magnæ erga ipsas reverentiæ indicium. Si qui enim super campanas pejerare audeant, plerumque tacite, ut ita dicam, vel cœlitus puniuntur: si qui vero tales convicti ab homine pejerasse inveniantur, graviter in eos animadverti solet; teste Sylvestro Giraldo in *Topographia Hiberniæ*, distinctione III, cap. XXXIII, ubi ita scribit: « Hoc etiam non » prætereundum puto, quod campanas bajulas, » baculosque Sanctorum in superiori parte re- » curvos, auro et argento vel ære contextos sive » contectos, in magna reverentia tam Hiberniæ » et Scotiæ, quam Guvaliæ vel Valliæ populus » et Clerus habere solent; ita ut Sacramenta, » hoc est juramenta, super hæc, longe magis » quam super Evangelia, et præstare vereantur » et pejerare. Ex vi enim quadam occulta et iis » quasi divinitus insita, nec non et vindicta cujus » præcipue Sancti illi appetibiles esse videntur, » plerumque puniuntur contemptores, et gravi- » ter animadvertitur in transgressores. »

XVIII. Hæc de juramento super campanis præstari memoratis in locis solito narrat Giraldus; qui etiam in eadem *Topographia*, distinctione II, cap. XXXIII, de quadam campana fugitiva ita inquit: « Est in Lagenia, in terra » scilicet Mactaleuvi, campana quædam quæ, » nisi a custode suo, exorcismo quodam ad hoc » composito, singulis noctibus adjuretur, et vin- » culo quolibet vel fragili ligetur, mane in Me- » dia apud Clunarech, in ecclesia Sancti Fin- » nani, unde venerat, reperitur. Quod et » aliquoties certum est contigisse. » Hæc ad verbum Giraldus, ex quo etiam hasce notitias descripsit in suo *De Campanis* Commentario Angelus Rocca, et in suo opere inscripto *Schediasmata sacroprophana*, lib. I, Aloysius Novarinus, et alii.

XIX. Elegantissimam *De Campanis* dissertationem in jure omnigena eruditione refertam nuper italice scripsit vir clarissimus Joseph Mauri jurisconsultus Neapolitanus, occasione litis subortæ ob novæ campanæ erectionem: edita est ipsa dissertatio Neapoli, die 4 martii currentis anni 1739. Cumque, dum Commen-

Digitized by Google

tarii in hunc titulum XX, qui est *De benedictione signi, vel campanæ*, prelo committerentur, ad manus nostras pervenerit, operæ pretium duxi clarissimi auctoris mentionem habere. Quoniam vero de campana elegans ænigma circumfertur, illud quoque in calce tituli hujus apponendum censui, quod quidem Franciscus Suvertus carminibus hisce ligavit :

Est intra cœlos, est intra mansio terras;
Non cœlum tango, non quoque tango solum.
Constringor vinclis, concludor robore duro,
Ut nulla mutem conditione locum.
Os mihi semper hiat, petulanter et exsero linguam,
Nec, nisi cum cogunt verbera multa, loquor.
Cum loquor, assiduis repleo clamoribus aures;
Verbera cum cessant, tunc quoque cesso loqui.
Non ulli noceo clamoribus; hortor iniquos,
Contrito ut quærant corde salutis iter.

XX. Scita quoque est illa æris campani circumscriptio, cujus meminit in suo eruditissimo opere, quod inscripsit *Schediasmata sacro-profana*, lib. I, num. CXXXIV, doctissimus Novarinus :

Os mihi semper hians, et pendens ferrea lingua est :
Vox est nulla, nisi prodita verberibus.

Quibus proficua verbera sint, et quibus necessaria, egregie poeta quidam significavit his versibus, campanam inter ea referens :

Nux, asinus, campana, piger, sine verbere cessant:
Hæc dura, is tardus, hæc tacet, ille jacet.
Sed simul ut ferri plagam sensere, vel ulmi;
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

Etiam a nobis plerumque verberа obtinent, quod blanditiæ non potuere, uti quotidiana testatur experientia.

APPENDIX

In qua manuscripti Ordines ad benedicendam campanam referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Vaticana bibliotheca asservatur. Num. 4744.

DE BENEDICTIONE SIGNI, SEU CAMPANÆ, RUBRICA.

Signi, seu campanæ benedictio, quæ fit antequam elevetur in altum, fit hoc modo. Episcopus enim, vel Sacerdos, paratus amictu, stola, pluviali, mitra simplici et baculo pastorali, in primis aquam benedicit hoc modo. Nam primo dicuntur sex Psalmi : *Miserere mei, Deus; Deus in nomine tuo; Miserere mei, Deus, miserere mei; Deus misereatur nostri; Deus, in adjutorium meum intende; Inclina, Domine.* Deinde aqua simpliciter benedicatur, prout fit in diebus dominicis. Require supra in tractatu *De ecclesiæ Benedictione* sub prima aquæ benedictione. Et illi benedictioni aquæ additur hæc benedictio. « Bene ✠ dic, Domine, hanc aquam » benedictione cœlesti, etc. » (ut in Pontificali Romano; sed post illa verba in fine, *multitudinem exercitus Angelorum*, adde : « et interc» cedentibus omnium Sanctorum tuorum me» ritis, impetrare quæ poposcerint mereantur. » Salvator mundi Deus. ℟. Amen. »)

Post hæc Pontifex vel Sacerdos mittit salem in aquam, et deinde dicit Orationem *Deus invictæ virtutis auctor, etc.* Qua dicta, lavatur campana cum aqua taliter benedicta, et interim dicuntur septem Psalmi : *Lauda, anima mea, Dominum*, et alii omnes subsequentes usque in finem Psalterii.

Ea igitur lota et tersa, fit in ea exterius crux cum oleo sancto, et dicitur *Oremus.* Oratio : *Deus qui per sanctum Moysen legiferum, etc.* Tunc extergit illud linteamine mundo, dicens, Schola prosequente, Antiphonam *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Et dicatur quicquid subsequitur in Psalmo usque in finem.

Post hæc faciat deforis cum oleo sancto septem cruces, et deintus cum chrismate quatuor, dicendo in qualibet cruce : « Conse ✠ » cretur et sancti ✠ ficetur signum istud in » honore sancti *N.* In nomine Patris, et Filii,

Digitized by Google

» et Spiritus sancti. Amen. Pax tibi. Amen. » Deinde dicat hanc Orationem : « Oremus. » Omnipotens sempiterne Deus, qui ante Arcam fœderis per clangorem tubarum, etc. Non » nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da » gloriam secundum misericordiam tuam. Et, » cum præsens hoc vasculum, sicut reliqua » altaris vasa, sacro crismate tangitur, et oleo » sacrosancto ungitur, tua benedictione sancti» ficetur, et, quod arte, aut metalli specie non » potest fieri, digneris fiat tua benedictione » perfusum; ut quicumque ad sonitum ejus ad » te adorandum convenerint, ab omnibus ini» mici temptationibus liberentur in corpore, et » a pravis cogitationibus liberentur in mente, » semperque fidei orthodoxæ documenta se» ctentur, atque tuæ consolationis gratiam per» cipere mereantur, Salvator mundi. Qui cum » Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, » per infinita secula seculorum. ℟. Amen. »

Consequenter ponuntur in turibulo ignis, et thimiama, thus et myrra, si haberi potest; et thuribulum sic supponitur signo, ut totum fumum recipiat, et cantatur hæc Antiphona : « Deus in sancto via tua: quis Dominus magnus » sicut Deus noster? Viderunt te aquæ, Deus, » viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbati » sunt abyssi. » Et dicatur quidquid subsequitur usque in finem Psalmi. *Gloria Patri. Oremus.* Oratio. *Omnipotens, Dominator Christe, etc.*

Postea dicatur Evangelium secundum Lucam : *Intravit Jesus in quoddam castellum, etc.* Ultimo producat signum crucis super illud dicens : « Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis, et Fi» ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti descendat super hoc » tyntinnabulum, et maneat semper. ℟. Amen. »

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Barensis, quod in Bibliotheca Angelica Fratrum eremitarum S. Augustini Romæ asservatur.

ORDO AD BENEDICENDUM ECCLESIÆ SIGNUM.

In primis dicatur Letania, postea dicuntur isti Psalmi : *Miserere mei, Deus;* Psalmus, *Deus, in nomine tuo;* Psalmus, *Deus, misereatur;* Psalmus, *Deus, in adjutorium;* Psalmus, *Inclina, Domine.* Exorcismus salis : « Exorcizo te, crea» tura salis, per Deum ✠ vivum, per Deum » ✠ sanctum, per Deum ✠ totius creaturæ, qui » divina voce oris sui locutus est ad discipulos » suos, dicens : *Vos estis sal terræ;* et qui per » Apostolum suum Paulum dignatus est dicere: » *Sit sermo vester sale conditus,* ut efficiaris sal » exorcizatum, ad evacuandum et expellendum » ab hoc ecclesiæ signo inimicum, omnemque » virtutem putredinis ejus; et omnes qui ex te » sumpserint, sint sanctificati animis atque » corporibus, et, ubicumque fueris aspersum, » præstes omnibus remissionem peccatorum, » sanitatem mentis et corporis, et protectionem » salutis, in nomine Domini Jesu Christi, qui » venturus est judicare. »

Alia Oratio : « Virtutis tuæ invictam fortitu» dinem deprecantes, Domine sancte, Pater » omnipotens, sempiterne Deus, qui, inter » omnia necessaria quæ per Christum Domi» num nostrum procreari jussisti, non mini» mam gratiam conferre dignatus es sali, ut ex » illo possint universa condiri quæ ad escam » hominibus per eumdem filium tuum Domi» num nostrum procreasti : te supplices exora» mus ut hunc salem digneris aspicere; quati» nus ex majestatis tuæ virtute contra omnes » spiritus immundos valorem possit accipere. » Expellat ab hoc ecclesiæ signo, et ab omni » loco ubi fuerit tua invocatione aspersum, » quidquid potest esse pestiferum, exhibeat » plenum salutis effectum, deterreat omnia » præstigia inimici, et omnia monstrorum ge» nera longius faciat effugari, gravitudines om» nes fantasiasque compescat, et per signum » crucis Filii tui Domini nostri Jesu Christi tu» telam fidelissimam desiderantibus præstet. » Per eundem Dominum nostrum. »

Exorcismus aquæ : « Discede, immunde spi» ritus, ab omnibus, quibus fides nostra usura » est, religiosi officii sacramentis; nec preten» das culpam criminis, qui agnoscis potentiam » Salvatoris, non meriti confidentia, sed præ» cepti, licet ipsa potestas ministerii dignitas sit » ministri. Te igitur per communem Dominum, » aquæ creatura, convenio, ut conservare mo» tum sensibilitatis intelligens, subici servicio » quo placere Deo nitimur non recuses; omnem » a te demonum communionem, omne colle» gium iniquitatis expurges, totam fantasmatis » labem capax Dominicæ protectionis extermi» nes, ut, gratia sanctificationis adepta, tuo no» stroque pariter Creatori deserviens, omnem

Digitized by Google

» spirituum pravorum nequitiam ab ecclesiæ » signo, et in quocumque loco fueris aspersa, » dejicias, et sanctæ copiam benedictionis indu- » cas. Præstante ipso Redemptore nostro Jesu » Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto. »

Benedictio : « Benedic, Domine, hanc aquam » benedictione cœlesti, et assistat super eam » virtus Spiritus sancti, ut cum hoc vasculum, » ad visitandos filios ecclesiæ præparatum, in » ea fuerit tinctum, ubicumque sonuerit hoc » tintinnabulum, longe recedat virtus inimico- » rum, umbra fantasmatum, incursio turbinum, » percussio fulminum, læsio tonitruum, cala- » mitas tempestatum, omnis spiritus procella- » rum, et cum clangorem illius audierint filii » Christianorum, crescat in eis devotionis aug- » mentum , ut festinantes ad piæ matris Ec- » clesiæ gremium, cantent ibi in Ecclesia » Sanctorum cancticum novum, deferentes in » sono præconium tubæ, modulationem psal- » terii, suavitatem organi, exultationem tym- » pani, jocunditatem cymbali; quatinus in tem- » plo gloriæ tuæ suis obsequiis et precibus » invitare valeant multitudinem exercitus An- » gelorum. Per Dominum. In unitate ejusdem. »

Præfatio. (Hic mittat sal in aquam).

« Æterne Deus omnipotens, qui nobis a te » conditam creaturam aquæ bifide distinxisti, ut » liquorem simplicem ad lavacrum, salsam soli- » ditatem præberes ad condimentum, quatinus » et sordida possent ablui, et infatua imbui, quo » et noxa tolleretur originalis, et corrigeretur » error ad viam salutis, te officii nostri functione » immeriti deprecamur, ut hæc salis et aquæ » in tuo nomine facta commixtio, clementiæ » tuæ dono sanctificetur, ad purificandum hoc » ecclesiæ signum; quodque misterialiter ba- » ptismo commodum, culpæ traduci inimicum, » sapientiæ aptum, errori præstes adversum, » sancti Spiritus tui sanctitate reddas sanctifica- » tum, nec ullo contagio reddatur immundum, » quod tua fieri credimus majestate beatum, sed » ita per te plenum præbeat sanctificationis effe- » ctum, ut, ubicumque invocato nomine manu » fuerit emissum, vel modo quolibet assum- » ptum, expulsis et explosis omnibus insidiis » contrariæ potestatis, non solum diabolica ma- » chinamenta ex eodem loco fugata deficiant, » sed et sanctorum Angelorum custodia semper » inibi mansura consistat. Te præstante omnipo- » tenti Deo, qui cum Filio tuo, et eodem Spiritu » sancto regnas in secula seculorum. ℟. Amen. »

Post hæc dicantur Psalmi : *Lauda, anima mea;* Psalmus, *Laudate Dominum, quoniam;* Psalmus, *Lauda, Jerusalem, Dominum;* Psalmus, *Laudate Dominum de cœlis;* Psalmus, *Cantate Domino;* Psalmus, *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Qui dum canuntur, lavet signum de aqua benedicta et sale benedicto, cum oleo sancto crucem faciendo, et dicat : « Deus, qui per » B. Moysen legiferum tubas argenteas fieri » præcepisti, quas dum Levitæ tempore sacrificii » clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus » ad te adorandum fieret præparatus, quarumque » clangore etiam hortatus ad bellum tela pro- » sterneret adversantium : præsta ut hoc vascu- » lum tuæ Ecclesiæ præparatum sanctificetur a » sanctificatore omnium Spiritu sancto, ut per » illius tactum et sonitum fideles invitentur ad » præmium, et cum melodia illius auribus » insonuerit populorum, crescat in eis de- » votio fidei, procul pellantur omnes insidiæ » inimici, fragor grandinum, procella turbi- » num, impetus tempestatum, temperentur in- » festa tonitrua, ventorum flabra fiant salubri- » ter, ac moderate suspensa, prosternat aereas » potestates dextera tuæ virtutis, ut audientes » hoc tintinnabulum contremiscant, et fugiant » ante sanctæ crucis in eo depictum vexillum. » Per Dominum nostrum. In unitate ejus- » dem. »

Tunc extergat illud cum linteo mundo et dicat : *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini*, usque in finem.

Post hæc tangat illud de crismate a foris septies, intus quater, et dicat : Oratio. « Omni- » potens sempiterne Deus, qui ante archam » fœderis, etc., fidei Catholicæ documenta se- » ctentur. Per Dominum. »

Tunc ponatur in incensorio ignis, et thimiama, thus, et mirra, et erigatur signum super incensorium, ut totum illum fumum colligat, et dicatur hæc Antiphona : *Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster.* Psalmus, *Viderunt te aquæ,* usque in finem, cum *Gloria Patri.* Oratio. « Omnipotens, Dominator Christe, » quo secundum assumptionem carnis dormiente » in navi, dum orta tempestas maria contur- » basset, et protinus excitato et imperante, dis-

Digitized by Google

» siluit, tu necessitatibus populi, tu benignus » succurre, tu hoc tintinnabulum, etc., » ut in nostro Pontificali. Deinde sequitur benedictio thuribuli.

ORDO III.

Ex antiquo Romano Ordine apud Melchiorem Hittorpium, pag. 92 et 93.

ORDO AD BENEDICENDUM ECCLESIÆ SIGNUM.

In primis dicatur Litania : postea sex Psalmi veniales: *Miserere mei, Deus, secundum magnam. I. Deus, in nomine tuo. Miserere mei, Deus, miserere mei. III. Deus misereatur nostri. Deus, in adjutorium meum intende. Inclina, Domine.*

Sequitur exorcismus salis.

« Exorcizo te, creatura salis, per Deum vi» vum, per Deum sanctum, per Deum totius » creaturæ, qui divina voce oris sui locutus est » ad discipulos suos dicens : Vos estis sal terræ ; » et qui per Apostolum suum Paulum dignatus » est dicere : *Sit sermo vester sapientiæ sale » conditus*, ut efficiaris sal exorcizatum ad eva» cuandum et expellendum ab hoc Ecclesiæ » signo inimicum, omnemque virtutem putre» dinis ejus; et omnes qui ex te sumpserint, » sint sanctificati animis atque corporibus ; et, » ubicumque fueris adspersum, præstes omni» bus remissionem peccatorum, sanitatem men» tis, protectionem salutis, in nomine Domini » nostri Jesu Christi, qui venturus. »

Benedictio salis.

« Virtutis tuæ invictam fortitudinem depre» cantes, Domine sancte, Pater omnipotens, » æterne Deus, qui, inter omnia necessaria quæ » per Jesum Christum Dominum nostrum pro» creari jussisti, non minimam gratiam con» ferre dignatus es sali, ut ex illo possint uni» versa condiri quæ hominibus ad escam per » eumdem Filium tuum Dominum nostrum » procreasti : te supplices exoramus ut hoc sal » digneris aspicere, quatenus ex majestatis tuæ » virtute contra omnes spiritus immundos va» lorem possit accipere. Expellat ab hoc eccle» siæ signo, et ab omni loco ubi fuerit tua in» vocatione adspersum, quidquid potest esse » pestiferum, exhibeat plenum salutis effectum, » deterreat omnia præstigia inimici, et omnia » monstrorum genera longius faciat effugari. » Gravedines omnes fantasiasque compescat, » et per signum crucis Filii tui Domini nostri » Jesu Christi tutelam fidelissimam desideran» tibus præstet. Per eundem. »

Exorcismus aquæ.

« Discede, immunde spiritus, ab omnibus, » quibus fides nostra usura est, religiosi officii » sacramentis, nec pretendas culpam criminis, » qui agnoscis potentiam Salvatoris, non me» riti confidentia, sed præcepti, licet ipsa po» testas ministerii dignitas sit ministri. Te igi» tur per communem Dominum, aquæ creatura, » convenio, ut, conservare motum sensibilitatis » intelligens, subici servicio quo placere Deo » nitimur non recuses ; omnem a te dæmonum » communionem, omne collegium iniquitatis » expurges, totam fantasmatis labem, capax » Dominicæ protectionis extermines, ut, gratia » sanctificationis adepta, tuo nostroque pariter » Creatori deserviens, omnem pravorum spiri» tuum nequitiam ab hoc ecclesiæ signo, et in » quocumque loco fueris adspersa, dejicias, et » sanctæ copiam benedictionis inducas. Præ» stante Domino nostro Jesu Christo, qui cum » Deo Patre et Spiritu sancto venturus est ju» dicare vivos et mortuos. »

Benedictio aquæ.

« Benedic, Domine, hanc aquam benedictione » cœlesti, et assistat super eam virtus Spiritus » sancti, ut cum hoc vasculum, ad invitandos » filios Ecclesiæ præparatum, in ea fuerit tin» ctum, ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, » longe recedat virtus inimicorum, umbra » fantasmatum, incursio turbinum, percussio » fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tem» pestatum, omnes spiritus procellarum, et » cum clangorem illius audierint filii Christia» norum, crescat in eis devotionis augmentum, » ut festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gre» mium, cantent ibi in Ecclesia Sanctorum » canticum novum, deferentes in sono præco» nium tubæ, modulationem psalterii, suavi» tatem organi, exultationem tympani, jocun» ditatem cymbali, quatenus in templo sancto » gloriæ tuæ suis obsequelis et precibus invitare » valeant multitudinem exercitus Angelorum. » Per Dominum. In unitate ejusdem Spiritus » sancti Deus. »

(Hic mittatur sal in aquam.)

« Fiat commixtio salis et aquæ, in nomine » Patris, et Filii, et Spiritus sancti. »

Digitized by Google

Oratio post commixtionem.

« Omnipotens æterne Deus, qui nobis a te » conditam creaturam aquæ bifide distinxisti, » ut liquorem simplicem ad lavacrum, salsam » soliditatem præberes ad condimentum, quatenus et sordida possent ablui, et fatua imbui, » quo et noxia tollerentur, et originalis corrigeretur error ad viam salutis : te officii nostri » functione immeriti deprecamur, ut hæc salis » et aquæ in tuo nomine facta permixtio, clementiæ tuæ dono sanctificetur ad purificandum hoc ecclesiæ signum ; quodque mysterialiter baptismo commodum, culpæ traduci » inimicum, sapientiæ aptum, errori præstas » adversum, sancti Spiritus tui sanctitate reddas » sanctificatum, nec ullo contagio reddatur immundum, quod tua fieri credimus majestate » beatum : sed ita per te plenum præbeat sanctificationis effectum, ut, ubicumque invocato » tuo nomine manu fuerit emissum, vel modo » quolibet assumptum, expulsis et explosis omnibus insidiis contrariæ potestatis, non solum » diabolica machinamenta ex eodem loco fugata » deficiant, sed etiam sanctorum Angelorum » custodia semper inibi mansura consistat : Te » præstante omnipotenti Deo, qui cum Filio tuo » et eodem Spiritu sancto regnas in secula seculorum. Amen. »

Post hæc canantur isti Psalmi: Lauda, anima mea, Dominum. Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus Deo nostro. Lauda, Hierusalem, Dominum. Laudate Dominum de cœlis, Cantate Domino. Laudate Dominum in Sanctis ejus. Qui dum canuntur, lavet signum de aqua benedicta et sale benedicto, cum oleo sancto cruces in eo faciendo, et dicat hanc Orationem.

Oremus.

« Deus qui per beatum Moysem legiferum » tubas argenteas fieri præcepisti, quas dum » Levitæ tempore sacrificii clangerent, sonitu » dulcedinis populus monitus ad te adorandum » fieret præparatus ; quarumque clangore etiam » hortatus ad bellum tela prosterneret adversantium : præsta ut hoc vasculum, tuæ sanctæ » Ecclesiæ præparatum, sanctificetur a sanctificatore omnium Spiritu sancto, ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad » præmium, et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio » fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimici, » fragor grandinum, procella turbinum, impetus » tempestatum : temperentur infesta tonitrua, » ventorum flabra fiant salubriter, ac moderate » suspensa, prosternat aereas potestates dextera » tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum » contremiscant, et fugiant ante sanctæ crucis » in eo depictum vexillum. Per. »

Tunc extergat illud cum linteo mundo, et canatur Antiphona : *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas ;* usque in finem, cum *Gloria.* Et quot vicibus in Psalmis dicit, *Vox Domini,* totidem signa faciat cum chrismate deforis in campana, et fiunt a foris septem, intus quatuor. Deinde dicat hanc Collectam.

« Omnipotens sempiterne Deus, qui ante Arcam fœderis, per clangorem tubarum muros » lapideos, quibus adversantium cingebatur » exercitus, cadere fecisti : tu hoc tintinnabulum cœlesti benedictione perfunde, ut ante » sonitum ejus longius effugentur ignita jacula » inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum, ut ad interrogationem Propheticam : *Quid est tibi mare, quod » fugisti?* suis motibus cum Jordanico retroactis fluento respondeant : *A facie Domini commota est terra, a facie Dei Jacob. Qui convertit solidam petram in stagnum aquæ, et » rupem in fontes aquarum.* Non ergo nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam » super misericordia tua, ut cum præsens vasculum, sicut reliqua altaris vasa, sacro » chrismate tangitur, oleo sancto ungitur, qui » cumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper » fidei documenta sectentur. Per. »

Tunc ponatur in incensorio ignis, et thymiama, thus, et myrrha, et erigatur signum super incensorium, ut totum illum fumum colligat, et dicatur hæc Antiphona : *Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia. Viderunt te aquæ Deus,* usque in finem cum *Gloria.*

Oremus.

« Omnipotens, Dominator Christe, quo secundum assumptionem carnis dormiente in

Digitized by Google

» navi, dum oborta tempestas maria conturbas-
» set, te protinus excitato et imperante, dissi-
» luit : tu necessitatibus populi tui benignus suc-
» curre ; et hoc tintinnabulum sancti Spiritus
» rore perfunde, ut ante sonitum illius semper
» fugiat inimicus, invitetur ad fidem populus
» Christianus, hostilis terreatur exercitus, con-
» fortetur in Domino per illud populus evoca-
» tus, atque, sicut super Davidicam citharam de-
» lectatus, desuper descendat Spiritus sanctus,
» atque ut, Samuele crinigero agnum mactante
» in holocausto tuo, Rex æterni imperii, fragor
» aurarum turbam repulit adversantium, ita,
» dum hujus vasculi sonitus transit per nubila,
» Ecclesiæ tuæ conventum manus servet Ange-
» lica ; fruges credentium, mentes et corpora
» salvet protectio sempiterna. Per te Jesu
» Christe, qui cum Deo Patre in unitate ejusdem
» Spiritus sancti vivis et regnas. »

TITULUS XXI.

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE CRUCIS PROFICISCENTIBUS IN SUBSIDIUM ET DEFENSIONEM FIDEI CHRISTIANÆ, SEU RECUPERATIONEM TERRÆ SANCTÆ.

I. Priscum morem fuisse ut, post redditam Ecclesiæ pacem, Christiani milites adversus hostes pugnaturi signo crucis se communirent, testantur passim antiqui auctores qui præclarissima Constantini Magni gesta scriptis mandarunt. Is siquidem religiosissimus imperator, quo milites secum ad Deum colendum assuefaceret, arma eorum effigie crucis signari constituit, teste Sozomeno, lib. I *Historiæ Ecclesiasticæ,* cap. VIII. Milites etiam crucis signum portasse in humeris, innuit Epistola ejusdem Constantini ad Saporem regem Persarum, apud Cassiodorum, lib. III *Historiæ tripartitæ,* cap. IV, his plane verbis : « Hunc Deum colo, » cujus signum Deo dicatus meus exercitus por- » tat in humeris. » Signum crucis Constantino apparuisse, signumque quod a Romanis *Labarum* vocabatur, Constantinum ipsum in effigiem crucis auro et lapidibus pretiosis collustratam mutasse, prodit Eusebius, *De Vita Constantini*, ubi alia narrat de constanti erga crucem exercitus sui religione.

II. Sed audiamus ipsum Eusebium, qui de antiquissima Magni Constantini, ejusque Christianæ militiæ pietate hæc scribit, libro IV, capite XXI : « Constantinus etiam in ipsis armis, » salutaris trophæi signum insculpi, armatoque » exercitui præferri fecit ; et ut solum hoc salu- » tare trophæum, non ullam, ut ante consue- » verant, inauratam statuam sequerentur. » Ubi nota duplicem Constantini pietatem ; non modo enim Romani exercitus labarum, sed et singulorum militum omnia arma sacrosancto crucis signo ornari ac muniri voluit. Quam pietatem ab impio Juliano apostata proscriptam ejus successores repararunt ; unde de insigni Stiliconis adversum barbaros Gothos in Pollentinis campis victoria scribit Prudentius, lib. II. *Contra Symmachum*, versu 669 et seqq. :

. . . . Dux agminis, imperiique
Christipotens nobis juvenis fuit, et comes ejus
Atque parens Stilicho. Deus unus, Christus utrique ;
Hujus adoratis altaribus, et cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ, prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis,
In cumulos congesta jacent.

Per Christiferam draconis hastam intelligit Christi Domini cruce et nomine insignitum labarum, ipsique adscripsit admirandam illam victoriam. Inde capienda est Georgii Pisidis Constantinopolitanæ Ecclesiæ diaconi, et Certophylacis Oratio, ubi de imperatore Heraclio adversus Persas pugnaturo ita cecinit : « Cor- » robora ipsos mysticis hastilibus ; compinge et ipsis crucigeras imagines. »

III. Eamdem fuisse et posterioribus sæculis

Digitized by Google

servatam disciplinam, plane constat ex epistola S. Nicolai I. Pontificis Maximi, qui ad Neophytos Bulgaros ita rescripsit : « Quando prælium » inire soliti eratis, indicatis vos hactenus in » signo militari caudam equinam portasse ; et » sciscitamini quid nunc vice illius portare de- » beatis? Quid aliud nisi signum sanctæ crucis? » Ipsum enim est quo Moyses mare divisit, et » Amalech interfecit. Quo Gedeon Madianitas » superavit, et Christus noster diabolum, qui » habebat mortis imperium, non solum supe- » ravit, sed et prostravit. Tum addit : Ipsum » est signum quod portamus in frontibus no- » stris : ipso a cunctis defendimur hostibus, et » ab omnibus inimicis incursionibus. Hoc est » signum Fidei, et ingens horror diaboli, quo » Christiani principes in necessitatibus suis » semper utuntur, et reges veram Religionem » sectantes, sæpe celebres, Christo propitio, » triumphos de hostibus operantur. » Hæc omnia confirmat laudato Constantini Magni instituto. Porro pietas hæc duo profitetur. Primo, quod vera etiam in bellis fortitudo, omnisque per ipsum victoria sint Domini Dei per Jesum Christum beneficia. Secundo, quod Christiani non nisi adversum infideles prælium inire debent. Hinc Urbanus II, et ejus in Pontificatu successores, omnem istiusmodi etiam adversus hæreticos et schismaticos exercitum esse sacra cruce signandum censuerunt.

IV. Quanquam autem de more paulo superius descripto nonnulla dicta a nobis fuerint ad tit. XIII *De Benedictione novæ crucis :* ut, quæ ad præsentem hunc spectant titulum, præsertim agamus, enarranda nobis est insignis historia Concilii Claromontani ab Urbano Papa II, anno 1095, et relata a Willelmo Tyrio in suis *De Bello sacro* libris apud Labbæum, tomo XII *Conciliorum*, editionis Venetæ pag. 834 et sequentibus. Urbanus igitur Papa, quod sciret sæpe a prædecessore suo Gregorio VII expeditionem in Terram sanctam fuisse tentatam, sed a schismaticis variisque bellis impeditam fuisse, urgentibus litteris Alexii imperatoris, in Placentino Concilio lectis, rem naviter agere cœpit, ut ex fidelibus Christianis cogeretur exercitus in auxilium periclitantis orientalis Ecclesiæ, potissimum vero Hierosolymorum, a cujus Patriarcha Simeone, deferente Petro eremita natione Gallo, patria Ambianensi, litteras commiseratione dignas acceperat, quibus Christi incunabula ejusque sepulcrum atque alia loca sancta ejusdem Redemptoris nostri memoria consecrata, ab infidelibus Turcis profanata omnique genere contumeliarum affecta deplorabat.

V. Is ergo Petrus, ut testatur Willelmus Tyrius archiepiscopus, qui *De Bello sacro* historiam texuit, cum petiisset Hierosolymam, et litteras ad Urbanum Papam et Christianos principes accepisset, a Christo quoque per visum, dum oraret ad sacrosanctum templum resurrectionis, ad tantum munus obeundum legationem accepit, non autem per epistolam de cœlo lapsam, ut plures fabulati sunt. Hic igitur ad tantum opus missus a Deo, ad sacrum bellum afflatus divino Spiritu, classicum potenter intonuit, cujus divinæ tubæ clangore ab universo pene orbe occidentali ad arma concurritur. Attamen primarius dux verbi, atque promotor tantæ molis operis Urbanus Pontifex fuit, qui in Claromontano Concilio, quod anno 1095 celebravit, hanc, quam recitat Tyrius, lib. I *De Bello sacro*, c. XV, synodalem habuit concionem.

VI. « Nostis, Fratres dilectissimi, et vestram nosse id expedit caritatem, quomodo humani generis reparator pro nostra omnium salute carnem assumens, et homo inter homines conversatus, terram promissionis, quam pridem patribus promiserat, propria illustravit præsentia, et assumptæ dispensationis operibus et crebra simul miraculorum exhibitione reddidit specialiter insignem : id enim et veteris et novi pene in omnibus syllabis docet series Testamenti. Quadam sane dilectionis prærogativa certum est eam dilexisse, ita ut eam orbis partem, imo particulam, hæreditatem suam dignatus est appellare, cum ejus sit omnis terra et plenitudo ejus. Unde per Isaiam ait : *Hæreditas mea Israel.* Et iterum : *Vinea Domini sabaoth domus Israel est.* Et licet totam in partem præcipuam sibi dedicaverit ab initio, peculiarius tamen Urbem sanctam sibi adoptavit in propriam, testante Propheta, qui ait : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* De qua gloriosa dicuntur, videlicet quod in ea docens, passus et resurgens, Salvator salutem operatus est in medio terræ. Ad hoc a sæculis est præelecta, ut tantorum esset conscia, et cella familiaris mysteriorum. Electa nimirum, quod ipse qui elegit testatur, dicens : *Et de Jerusalem*

Digitized by Google

civitate, quam elegi, veniet vobis Salvator. Quam etsi, peccatis inhabitantium id exigentibus, justo judicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit Dominus, et duræ jugum servitutis ad tempus eam sustinere passus sit, non tamen arbitrandum est quod eam quasi a se repudiatam abjecerit, cum scriptum sit : *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Illi vero thesaurizat iram, cui dicitur : *Recessit zelus meus a te; jam amplius non irascar tibi.* Diligit ergo eam, nec intepuit, erga eam dilectionis fervor, cui dicit : *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui, et non vocaberis amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea, quia complacuit Domino in te.*

VII. » Hæc igitur salutis nostræ cunabula, Domini patriam, Religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ, possidet violenter, et captivatis liberæ filiis extremas imponit conditiones, quibus versa vice merito servire tenebatur. Sed quid scriptum est? *Ejice ancillam et filium ejus.* Sarracenorum enim gens impia, et mundanarum sectatrix traditionum, loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, jam a multis retro temporibus violenta premit tyrannide : subactis fidelibus et in servitutem damnatis, ingressi sunt canes in sancta, profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, servit in luto et in latere regale Sacerdotium, princeps provinciarum facta est sub tributo civitas Dei. Cujus non liquefiat anima? Cujus non tabescant præcordia, iis ad animam recurrentibus? Quis hæc siccis oculis audire potest, Fratres charissimi? Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes ejecit et ementes, ne domus Patris ejus fieret spelunca latronum, factum est sedes dæmoniorum. Idipsum enim et Mathathiam Sacerdotem magnum, sanctorum progenitorem Machabæorum, ad zelum accendit commendabilem, sicut ipse testatur, dicens : *Templum Domini quasi vir ignobilis, vasa gloriæ ejus adducta sunt captiva.* Civitas Regis regum omnium, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur invita deservire. Sanctæ resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, fœdatur spurcitiis eorum qui resurrectionis non habebunt participium, sed stipula ignis æterni, perennibus deputabuntur incendiis. Loca venerabilia divinis deputata mysteriis, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se bona fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum. Laudabilis populus cui benedixit Dominus exercituum, sub angariarum et sordidarum præstationum pondere gemit fatigatus; rapiuntur eorum filii, matris Ecclesiæ cara pignora, ut gentium immunditiis deserviant, et nomen Dei vivi abnegent vel ore blasphement sacrilego, compelluntur : aut impia detestantes imperia, cæduntur gladiis more bidentium, sanctis Martyribus sociandi. Non est sacrilegis locorum differentia, non est personarum respectus. In sanctuariis occiduntur Sacerdotes et Levitæ; coguntur virgines fornicari aut per tormenta perire, nec matronis ætas maturior suffragatur.

VIII. » Væ nobis, qui in hanc tam periculosi temporis descendimus miseriam, quam in spiritu prævidens electus a Domino David Rex deplorat, dicens : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum.* Et item : *Populum tuum humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt. Utquid, Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis ira tua? Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Verumne est quod dicitur : *Non obliviscetur misereri Deus; non continebit in ira sua misericordias suas? Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intuere, et vide opprobrium nostrum. Væ nobis! utquid nati sumus videre corruptionem populi nostri, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum dantur in manibus inimicorum sancta?*

IX. » Vos igitur, dilectissimi, armamini zelo Dei, accingimini unusquisque gladio suo super femur suum potentissime. Accingimini, et estote filii Potentis; melius est enim nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et Sanctorum. Si quis zelum legis Dei habet, adjungat se nobis. Subveniamus fratribus nostris : *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Egredimini, et Dominus erit vobiscum : arma quæ cæde mutua illicite cruentastis, in hostes Fidei et nominis Christiani convertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia et cætera qualia qui agunt, regnum Dei non

Digitized by Google

possidebunt; hoc Deo beneplacito redimite obsequio, ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocastis, celerem indulgentiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, et deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur et exhortamur in Domino, et in remissionem peccatorum injungimus, ut fratribus nostris et cœlestis regni cohæredibus (omnes enim invicem sumus membra, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi) qui Hierosolymis et in finibus ejus habitant, afflictioni et laboribus compatientes, infidelium insolentiam, qui sibi regna, principatus et potestates subjicere contendunt, debita compescatis animadversione; et illis totis viribus occurratis, quibus est propositum nomen delere Christianum. Alioquin futurum est ut in proximo Ecclesia Dei, jugum indebitæ perferens servitutis, Fidei sentiat dispendium, prævalente Gentilium superstitione. In quanta enim positi sint afflictione, noverunt ex vobis nonnulli, qui hæc, quæ loquimur, oculata conspexerunt fide, et præsens illorum per manum Petri viri venerabilis, qui præsens est, ad nos delata docet epistola.

X. » Nos autem de misericordia Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis qui contra eos arma susceperint, et onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera pœnitentia decesserint, et peccatorum indulgentiam et fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim vero eos qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione, et beatorum Petri et Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, et ab universis inquietationibus, tam in rebus quam in personis, statuimus manere securos. Si vero quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit, per Episcopos loci excommunicatione feriatur; et tandiu sententia ab omnibus observetur, donec et ablata reddantur, et de illatis damnis congrue satisfiat. Episcopi vero et Presbyteri qui talibus fortiter non restiterint, officii suspensione mulctentur, donec misericordiam Sedis Apostolicæ obtineant. »

XI. Hactenus Urbanus in memorata Claromontana Synodo peroravit; subjicit vero ista Tyrius: « His dictis, finem dicendi fecit, præ» cipiens iis qui aderant Ecclesiarum Prælatis, » ut ad propria reversi, cum omni instantia et » debita sollicitudine plebes suas ad idem hor» tentur et invitent diligentius. » Exstat autem alius adhuc sermo ab hoc plane diversus ejusdem Urbani Pontificis, quem describit Wilhelmus Malmesburiensis, lib. IV *De rebus Anglicis*, cap. III. Alium de eodem argumento sermonem memorati Pontificis legere est apud Labbæum, tomo XII *Conciliorum*, pag. 838. Fuisse autem multum in exhortando suis concionibus Urbanum Papam, docet etiam Dominizo Presbyter in *Vita Mathildis* versibus istis, quibus et plurimum ipsum Christianum populum profecisse testatur.

Urbani Galli Papæ Petri quasi sancti
Dicta receperunt, et ei bona multa dederunt.
Verba salutis eis dabat hic Pastor vice Petri,
Nam docuit summus Pater illos ire sepulcrum
Ad Domini nostri, locus ut purgetur, et hostis
Inde repellatur populus paganus amarus.
O fidei semen! bona germina quot modo præbes
Cum mutuos flores refluunt Pastoris ab ore,
Et pariunt fructus, etc.

XII. Ut autem indictam in Synodo expeditionem promoveret Pontifex, mansit ipse quidem in Galliis; Episcopi vero ad sua reversi, singuli singula circueuntes loca suarum diœceseon, Hierosolymitanam expeditionem magni animi fervore, litteris Pontificiis, indicebant. Hinc anno 1096, ut testatur amicus noster ac conterraneus, scriptor eruditissimus Thomas Aceti, in *Prolegomenis ad Barrium*, pag. XXXIX, in fine, « Godefridus Bulionius, Boemundus, Tancre» dus aliique principes, die 15 augusti, instru» cta classe ad duodecim millia militum, quo» rum plerique Calabri erant, ac cruce obsignati, » cum Arnulpho archiepiscopo Consentino ad » Hierosolymæ expeditionem profecti sunt. » Tum addit eam ob causam nostram Calabriam pro stemmate crucem usurpare consuevisse. Idem auctor clarissimus in *Annotationibus ad ipsum Barrium*, lib. II, cap. V, pag. 75, num. IX, ubi agit de castro Sancti Luciti, quod olim ad archiepiscopalem mensam Consentinam pertinebat, in eo loco ait ab Innocentio IV, per archiepiscopum Consentinum Sanctæ Sedis Legatum cruciatam fuisse indictam, « cujus summus du» ctor exstitit Petrus Ruffus. »

XIII. Sed ut ad Urbanum nostrum revertamur, qui in laudata Claromontana Synodo ex-

Digitized by Google

peditionem in Terram sanctam indixerat, ubi reversi ad suas Episcopi diœceses eamdem populis promulgarunt; eorum quidem qui ejusmodi cœlesti tuba excitati nomina dabant, infinita erat propemodum multitudo, ut opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas vel sexus vel valetudo ponderi militari subeundo impar esse manifestis indiciis videbatur : « Non erat » in regnis occidentalibus, inquit Tyrius, qui » aut ætatis, aut sexus, aut conditionis, aut » status vellet esse memor, aut aliquibus per» suasionibus deterritus ab incœpto desisteret : » sed omnes indifferenter manus dabant, om» nes unanimiter corde et ore votum profi» tebantur. Catervatim concurrebant populi, » ubicunque unum de principibus iturum » novissime audierunt, ut se illius comitatui » sociarent, ejusque super se in toto itinere in» vocarent nomen, obsequia promitterent et » fidem. » Testatur Urbanus ipse II in Epistola ad Alexium Constantinopolitanum imperatorem, in qua de expeditione in Terram Sanctam et de cruce suscipienda loquitur, quod, *cum statutum fuisset ad Clarum Montem Arverniæ ut communibus votis adversus Sarracenos bellum gereretur, tanta hominum multitudo cruce signata est, ut ad trecenta hominum millia censa fuerint.*

XIV. Pro stipendio erat indulgentia peccatorum proposita. Auctor est cardinalis Baronius ad annum 1177, num. XLIX, quem sequitur etiam Ludovicus Thomassinus in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, parte I, lib. II, cap. XV, num. VIII, ante sacra Palæstinæ bella Romanos Pontifices nunquam veniam fecisse ampliorem quam unius anni indulgentiæ. Cœpere tum vero, inquit Thomassinus, plenarias facere. At, bona tantorum virorum pace, Baronius æque ac Thomassinus labitur. Legimus siquidem apud Ferdinandum Ughellium, tomo V *Italiæ Sacræ*, ultimæ editionis Venetæ, in Aquileiensibus patriarchis, veterem quamdam inscriptionem a Poppone patriarcha Aquileiensi positam anno 1031, in qua, postquam testatus est consecrasse se templum in honorem beatæ Virginis, de indulgentiis in ea occasione concessis ita inquit : « Ob cujus solemnitatem Romanus » Summus Pontifex Joannes Papa XIX gratia » Apostolica concessit indulgentiam centum » annorum et centum dierum singulis annis, » omnibus vere pœnitentibus et confessis, di» ctam Aquileiensem ecclesiam visitantibus » causa devotionis ; et in festo martyrum Her» machi et Fortunati, et per octavas eorum, » singulis diebus decem et octo annorum, et » totidem quadragenarum. Item dicti Cardina» les (ii nempe qui consecranti ecclesiam Pa» triarchæ adfuturi Roma venerant) auctoritate » Apostolica, ob reverentiam sancti Quirini Mar» tyris, qui ejus corpus portaverunt de Urbe, » et ob reverentiam beati Marci Papæ et Con» fessoris, cujus etiam corpus de Urbe portave» runt, concesserunt indulgentiam decem an» norum, et decem quadragenarum. » Huc usque inscriptio.

XV. Rursus ubi, anno Christi 1092, Urbanus II ecclesiam abbatiæ Cavensis in nostro Neapolitano regno solemni ritu consecravit, quantum ad indulgentias attinet, perpetua sanctione decrevit, ut die 4 et 5 septembris, necnon diebus Cœnæ Dominicæ et Passionis Jesu Christi, indulgentiam illam visitantes ecclesiam fideles consequerentur, quam euntes ad Sanctum Jacobum Compostellanum lucrabantur. Cæteris vero anni diebus ad ipsam basilicam religiose accedentibus, quatuor annorum et totidem quadragenarum indulgentiam donavit. Adjecit insuper effecitque ut Bruno Signinus episcopus, sacellum Abbatis eadem die solemni ritu consecrans, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam concederet. Recitat ejus indulgentiæ diploma Baronius ipse ad annum 1092, ejusque mentio exstat in manuscripto Cavensi codice, quem tomo VI *Rerum Italicarum* Ludovicus Muratorius inseruit, et ante eum Bollandiani. Vide quæ fusiori calamo nos de indulgentiis scripsimus, tum alibi, tum præsertim in Commentario ad § IV tituli II hujus tomi; vide Joannem Mabillonium, *Præfatione in Sæculum* V *Ordinis Sancti Benedicti*, num. CIX ; præsertim vero Christianum Lupum, tomo V Operum, ubi variis ostendit Patrum locis plenariarum indulgentiarum antiquitatem.

XVI. Sunt et alia in laudato Thomassini cap. XV quæ animadversionibus suis digna censuit Joannes Dominicus Mansi, Clericus Regularis Congregationis Matris Dei. Nos ut ad nostrum institutum redeamus, fuit quidem iis qui in subsidium et defensionem Fidei Christianæ seu recuperationem Terræ sanctæ proficisce-

Digitized by Google

bantur, fuit, inquam, pro stipendio plenaria peccatorum indulgentia proposita; et quamvis, juxta vetustissimam Ecclesiæ disciplinam, veram pœnitentiam miles non posset peragere, nisi arma deponeret, ulteriusque ipsa non ferret, uti passim loquuntur canones etiam post annum Christi millesimum editi; cum sacra nihilominus bella sub Urbano II cœpissent, adeo non jussi sunt pœnitentes arma deponere, ut militia ipsa in pœnitentiam infligeretur, uti liquido constat ex canone II Concilii Claromontani inferius referendo.

XVII. Neque solum pœnitentes expeditionibus militaribus pie et religiose se se implicabant, verum etiam cœpere tunc temporis non religiosi tantum et Monachi, sed et Religiosæ et Monasticæ Congregationes, sacræ militiæ et armorum gestationi se se dedicare; secutæ exemplum Romanorum Pontificum, qui militaribus expeditionibus Ecclesiæ libertates facultatesque tuendas quandoque esse censuerunt. Præivit quidem eam in rem Leo IX, qui, absoluta post Pascha anni 1053, quarta Romana Synodo, contra Nortmannos in Apulia grassantes exercitum movit; teste Hermanno Contracto, et Mariano Scoto ita ad ipsum annum scribente: « Leo Papa exercitum ducens per » Apuliam contra Nortmannos, infinita utrobi- » que cæde peracta, sine victoria rediit. » Eumdem annum 1053 signant Lambertus Schafnaburgensis, et chronographus Hildensheimensis. Unde errat Leo Ostiensis, lib. II *Chronici Cassinensis*, LXXXVIII, qui prælium anno 1053, die 18 mensis junii, Pontificios inter et Nortmannos habitum, rejicit in annum 1054, quo, die 18 junii, jam mortuus erat S. Leo; quem, lib. VIII, Epistola VI et VII, S. Petrus Damiani admonuerat, longe aliis et præstantioribus armis olim de adversariis Ecclesiæ pulcherrimas retulisse victorias Gregorium Magnum, Ambrosium, aliosque seu Pontifices seu Patres Ecclesiæ.

XVIII. Hortatus est quoque aliquando S Gregorius VII Episcopos ipsos ut militem armarent, incederentque ad ferendas suppetias Constantinopolitano imperatori; voluitque ipsemet manu armata rebellantes Ravennates præsules cogere ad officium obsequiumque. Sed admirationi non potest non esse illud potissimum Pontificis hujus consilium, quo, ut scite observat Thomassinus, parte II *Disciplinæ*, lib. I, cap. LXXV, decreverat exercitum quinquaginta millium hominum jam congregatum ducere ipsemet Constantinopolim, ut imperatori Græco adversus Sarracenos opitularetur, Constantinopolitanam Ecclesiam Romanæ recolligeret, inde Hierosolymam pergeret, Christianis eam vindicaret partibus, ad Armenorum denique, aliarumque Orientis schismaticarum sectarum conversionem, arma zelumque invictissimum converteret. Hæc ille, lib. IX, Epistola IV, ad imperatorem Germaniæ præscripsit, ipsumque invitabat ad Ecclesiæ occidentalis absente se tuitionem. Vide cardinalem Baronium ad annum Christi 1074, num. XLIX.

XIX. Constat ex variis scriptoribus, litterisque Romanorum Pontificum plurimis qui huic Pontifici suffecti sunt, sacrorum omnium in Oriente bellorum eos auctores et buccinatores fuisse. Eugenius III ubi sacras expeditiones publicavit, iisdemque pœnitentiarum remissionibus prosecutus est quibus prædecessores sui Romani Pontifices, harum quidem præco expeditionum et pene vexillifer fuit monachus præstantissimus S. Bernardus, cujus conciones tot cœlitus miraculis et ostentis illustratæ sunt, ut novæ huic Ecclesiarum disciplinæ apertissime Deus vel suffragator accederet, vel dux et incentor præiret. Synodus seu Conventus Carnotensis, anno 1146, ubi crux proposita et expeditio promulgata fuit, ejus belli ducem et summum imperatorem Bernardum ipsum delegit, eodem Bernardo teste, qui in Epistola sua CCLVI ad Eugenium Papam III ita scribit: « De cætero verbum illud quod jam, ni fallor, » audistis: quomodo videlicet in Carnotensi » Conventu, quonam judicio satis miror, me » quasi in ducem et principem militiæ elege- » runt: certum sit vobis nec consilii mei nec » voluntatis meæ fuisse vel esse; sed nec pos- » sibilitatis meæ, quantum metior vires meas, » pervenire usque illuc. Quis sum ego ut di- » sponam castrorum acies, ut egrediar ante » facies armatorum? Aut quid tam remotum a » professione mea, etiamsi vires suppeterent, » etiamsi peritia non deesset? » De hoc Carnotensi Conventu, qui coactus est anno 1146, legendæ sunt insignes Petri Venerabilis et Sugerii abbatis Epistolæ.

XX. Porro tametsi Bernardus de ea sibi collata provincia queratur, quam sibi tamen vi-

Digitized by Google

deretur et utilis ea militia et necessaria, præstantissime explicuit in ea quam ad orientalis Franciæ Clerum et populum scripsit Epistola encyclica, quæ in nonnullis codicibus, *populo Anglorum*, in quibusdam, *Mainfredo Brixiensis Ecclesiæ episcopo* inscripta legitur; ubi omnes ad arma contra Infideles pro defensione Orientalis Ecclesiæ suscipienda adhortatur cum magno animarum suarum fructu : « Quid est » enim nisi exquisita prorsus et inventibilis » soli Deo occasio salvationis, quod homicidas, » raptores, adulteros, perjuros, cæterisque obli» gatos criminibus, quasi gentem quæ justitiam » fecerit, de servitio suo submovere dignatur » Omnipotens ? » Et paulo infra : « Beatam » ergo dixerim generationem quam apprehen» dit tam uber indulgentiæ tempus, quam in» venit superstitem annus iste placabilis Domino, » et vere Jubilæus. Diffunditur enim hæc be» nedictio in universum mundum, et ad signum » vitæ certatim convolant universi. » Itemque inferius : « Habes nunc, fortis miles, habes, vir » bellicose, ubi dimices absque periculo, ubi et » vincere gloria, et mori lucrum. Si prudens » mercator es, si conquisitor hujus sæculi, ma» gnas quasdam tibi nundinas indico; vide ne » pereant. Suscipe crucis signum, et omnium » pariter de quibus corde contrito confessionem » feceris, indulgentiam obtinebis. »

XXI. Lege ad finem tituli hanc Epistolam in qua mirifice elucet zelus Bernardi ac eruditio, qui fuse edocet quam accommodata sint hæc bella ac sacræ expeditiones, ut servire justitiæ, Ecclesiæ, Deo, suasque animas salvare homines edoceantur. Cæterum in ea conscribenda Epistola minime se continuit zelus Bernardi, quippe qui, ut testatur Willelmus Tyrius, « in» junctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, » ejusdem operis secum Deo amabiles trahens » comministros, impiger, indefessus, licet cor» poris esset invalidi, tum propter senium im» minens, tum propter jejunia et subtilem » nimis diætam, regna circuit, regiones obam» bulat, evangelizans ubique regnum Dei, etc. » Etsi autem, jam anno 1118, teste eodem Willelmo Tyrio, lib. XII, cap. VII, nobiles aliquot equites in manus Patriarchæ Hierosolymitani professi sint vitam vivere Canonicorum Regularium, religiosissima observatione obedientiæ, castitatis et paupertatis, ipsisque Patriarcha et Episcopi in remissionem peccatorum injunxerint ut arma induerent et circumferrent ad itinera purganda tuendosque peregrinos Hierosolymitanos; certum nihilominus est, quod docet memoratus Thomassinus, Cisterciensibus scilicet Monachis hoc ipso ævo, dum inter ipsa sui Instituti exordia vehementius ferverent, accepta ferri Ordinum militarium complurium instituta; ingenio, zelo, et fervore Bernardi, qui lumen et insigne decus erat inclyti Ordinis Cisterciensis; cujusque post obitum quinto aut sexto anno, nempe 1158, jacta sunt fundamenta Ordinis equitum Calatravæ, auspiciis et industria Monachorum Cisterciensium, uti ex ipsorum *Annalibus*, tomo II, pag. 303, liquido constat.

XXII. Sed hoc militum genere omisso, quantum ad eos attinet qui sine ullo religionis voto in subsidium seu recuperationem Terræ sanctæ ibant, testatur Petrus Diaconus, lib. IV *Chronici Cassinensis*, cap. XI, pro tessera militari fuisse ipsis signum sanctissimæ crucis, de qua ita inquit : « Ad hujusmodi autem rei evidens » indicium communi consilio signum sanctæ » crucis super scapulam dexteram impressere » vestibus. » De quo ritu nos infra opportuniori loco dicemus. Atque ut nihil ire volentibus objiceretur impedimenti, ante omnia placuit decreto Synodali statuere, omnia eorum bona qui Hierosolymas pergerent, semper et ubique esse salva in pace et tregua quousque redierint. Meminit hujus constituti Dominizo in Vita Mathildis. Quare, prætextu hujus tuitionis Ecclesiasticæ, si qua de rebus ad cruce signatos pertinentibus moveretur quæstio, Episcoporum erat cognitio, qui censuris invasores obstringebant, ut testatur Ivo Carnotensis in Epistola CLXXIII, quamvis observet, « novam esse institutionem » de tuitione Ecclesiastica impendenda rebus » militum Hierosolymam proficiscentium. » Confirmavit hanc tuitionem Concilium Lateranense sub Callixto II, anno 1122, cap. XI, idemque postea constitutum fuit a Gregorio IX Pontifice, apud Willelmum Neubrigensem, lib. III *Historiæ Anglicanæ*, cap. XX, et ab aliis Summis Pontificibus qui Gregorium secuti sunt.

XXIII. Hæ Constitutiones hunc quidem effectum sortitæ sunt ut plurimi se hujus profectionis gravissimo labori accingerent, quo se a creditorum vexatione liberarentur, teste Willelmo Tyrio, lib. I, cap. XVI. Tuitionis autem

Digitized by Google

hujusmodi ac præsidii Ecclesiastici auxilium imploravit quidem Henricus III, Anglorum rex, cum a Gastonis VIII, domini Benearnensis, copiis in Vasconia premeretur : cum enim validissimam classem pararet, ex Anglia Burdigalam appulsurus, cruce assumpta, transmarinum bellum in subsidium Terræ sanctæ simulans, litteras ab Innocentio IV impetravit anno 1253, quo in tuitionem Ecclesiæ Romanæ susciperetur, et ejus hostes excommunicatione et interdicto percellerentur a delegatis judicibus. Vide eruditissimum Petrum de Marca in II. canonem Claromontanæ Synodi apud Labbæum, tomo XII *Conciliorum*, pag. 902.

XXIV. Porro in canone II præfati Concilii ita statutum legimus : « Quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur. » Cujus sententiam canonis his verbis Ordericus Vitalis expressit, post relatam Urbani orationem, qua fideles ad ultramarinam expeditionem excitabat : « Providus vero Papa omnes qui congrue arma ferre poterant ad bellum contra inimicos Dei excivit, et pœnitentes cunctos, ex illa hora qua crucem Domini sumerent, ex auctoritate Dei ab omnibus peccatis suis absolvit, et ab omni gravedine quæ fit in jejuniis aliisque macerationibus carnis, pie relaxavit. Consideravit enim perspicaciter vir prudens, et benignus Archiater, quod hi qui peregre proficiscerentur, in via multis diutinisque discriminibus sæpissime vexarentur, et multimodis casibus lætis seu tristibus quotidie angerentur, pro quibus benevoli vernulæ Christi cunctis culparum sordibus expiarentur. » Easdem Indulgentias sacræ militiæ causa concessit postea Callixtus II in Concilio Lateranensi habito anno 1122, cap. XI; Eugenius III, in epistola quam refert Otto Frisingensis, lib. I *De gestis Friderici*, cap. XXXV; Innocentius III, ut testatur ipse in epist. CLX, CCCXCIII, CCCCIII, lib. I suarum Epistolarum; et apud abbatem Urspergensem, ad annum 1212. Versabatur sane ea indulgentia in pœnitentiæ canonicæ commutatione, quæ in exemplum deinde tracta est ad profectiones Compostellanas, ad bella cum Saracenis in Hispaniis agenda, itemque cum Albigensibus hæreticis, et postea cum Prussis et Lithuanis.

XXV. Eruditissimus Joannes Morinus, lib. X *De Pœnitentia*, cap. XIX, inter alias imminuendæ pœnitentiæ canonicæ causas recensens pœnitentiæ ipsius æquationem et commutationem cum uno aliquo laborioso opere propter evidenter apparentem Ecclesiæ utilitatem suscepto, insigne et celeberrimum hujus relaxationis exemplum esse ait expeditionem Hierosolymitanam a Gallis anno 1096, exhortante Urbano II, susceptam. Magnum illud opus fere semper fuit arma contra ethnicos, hæreticos, schismaticos ferre, vitamque pro Ecclesiæ utilitate exponere; unde non mirum si iis qui difficilem expeditionem aggrediebantur, ex Constituto memorati Pontificis, iter illud pro omni pœnitentia reputaretur. Mirum certe illud videri potest, quod rigor interdum Ecclesiasticæ disciplinæ, in quibusdam tantum causis et justis, auctoritate Pontificum, atque Ecclesiæ utilitate id exigente, remissus, plurimis occasionem dederit Pontificum beneficio ad præposteram relaxationem abutendi : « Ea est enim, » ait Morinus in opere et libro citato, cap. XVI, « naturæ humanæ insita pravitas, ut nihil sit tam prudenter actum, quod non calumnietur, tam sanctum, quod non contaminet; legibus ipsis ad leges abrogandas et criminum defensionem abutitur. » Vide Commentarium et Appendicem in canonem XI Concilii Nicæni, nostro I tomo *Conciliorum*.

XXVI. Denique ut res difficillima optatum consequeretur effectum, placuit omnibus, ad promerendum Dei Genitricis auxilium, quod Urbanum Papam in eodem Concilio Claromontano egisse scribit Baronius ad annum 1095, ut nempe horariæ illæ preces, quæ vulgo Officium B. Virginis appellari consuevere, quæque apud Monachos eremitas institutionis S. Petri Damiani frequentari cœperant, ex illis deducerentur ad Clericos, a quibus digne eidem sanctissimæ Virgini persolvi deberent, ut ipsa apud Filium ageret, quo fidelis populus in tot et tantis discriminibus subeundis ejus præsidio muniretur. Quod quidem tunc a Synodo indictum, et a Clericis pie susceptum, ad laicos fuit etiam tam viros quam feminas propagatum, et quidem cum magno fœnore gratiarum. Ita quidem docet Baronius, qui, licet Urbanum II non faciat hujus Officii institutorem sed promotorem, videtur tamen, quod plures alii faciunt, ejus institutionem ad S. Petrum Damiani referre. Sed

Digitized by Google

cardinalis Bona in *Tractatu de divina Psalmodia*, cap. XII, § II, ostendit Horas B. Mariæ trecentis et amplius annis ante Petrum Damiani se invenire institutas in utraque Ecclesia, Græca et Latina.

XXVII. Pro Ecclesia Græca testem profert Vincentium Bellovacensem, antiquum et illustrem Ordinis Prædicatorum scriptorem, qui in *Speculo historiali*, lib. XVII, cap. CIII, scribit Joannem Damascenum Reginæ Virginum Horas quotidie studiosissime decantasse, factumque monachum in ejus honore Missas devotissime et frequentissime celebrasse. Bellovacensis verba hæc sunt : « Joannes Damascenus in amore » Dei ac gloriosæ Matris ejus se exercens, » monachalem habitum assumpsit, virgoque » permanens, Reginæ Virginum Horas quotidie » studiosissime decantabat etc. » Joannes autem Damascenus vivebat an. Christi 728 ; cujus Officia de B. Virgine ritu Græco per totum annum exstant manuscripta in monasterio Cryptæ ferratæ, in agro Tusculano.

XXVIII. Pro Ecclesia Latina clarissimum exhibet testem eminentissimus Bona Petrum diaconum Cassinensem, qui *In Regulam S. Benedicti* insigne *Commentarium* composuit, quod hic Romæ manuscriptum asservatur in celebri archigymnasio Sapientiæ, eidem una cum aliis codicibus manuscriptis donatum a Constantino Cajetano. In hoc igitur manuscripto codice verba faciens Petrus de Abbatibus congregationis Cassinensis, ita ad rem inquit : « Eo die Abbas » nihil aliud nisi panem et aquam comedat, et » canonica septem horarum Officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat, » salvo scilicet eo quod in honorem S. Dei » Genitricis persolvi consuetudo est, quod etiam » generaliter sub districto præcepto Cassinensi » congregationi Zacharias Papa observari præcepit, constituens ut totius anni tempore, » tam æstatis quam hiemis, ante nocturnale vel » diurnale officium, mox ut Fratres in choro » convenerint, incipiant Officium de S. Benedicto ; et eo expleto inchoent Officium quod » regula præcepit, adjuncto etiam S. Dei Genitricis et Virginis Mariæ Officio. » Huc usque Petrus verba faciens de abbatis Cassinensis consecratione seu benedictione ; qui etiam alibi eamdem institutionem ad Gregorium II refert ; qui, teste Baronio, Pontificatum iniit anno 715, cui postea successit Zacharias. Ex quibus omnibus liquet quod post alios viros eruditissimos docet amicus noster Cajetanus Merati Clericus Regularis *In Gavantum*, tomo II, parte I, pag. 589, prædicti officii usum et institutionem antiquiorem esse quam vulgus hominum putet.

XXIX. Lapsus itaque in hac re sicut et in aliis multis Baronius est, eratque homo sicut et cæteri, correxissetque ipse errores suos si cognovisset, potissimum vero illos qui Ecclesiasticarum originum antiquitati minime patrocinantur. Quamobrem in operis hujus decursu, nostri muneris esse partes putavimus, res gravissimas Ecclesiasticas ad antiquiorem institutionem referre quam ipse in *Annalibus* suis retulit. Laudavimus nos non semel Cardinalem amplissimum, ubi bene locutus est, laudabimusque perpetuo, ubi ejus opinioni præclarissima ac fide omni dignissima monumenta non adversentur (non enim unus scire omnia potuit) ; præsertim, cum ab ejus obitu, eruditissimorum virorum opera ac studio nova lux in dies affulgeat. Hinc satis mirari non possum nonnullos adeo Baronio addictos, ut illum non modo omnium doctissimum arbitrentur, verum etiam veluti Summum Pontificem falli ac fallere nescientem ; conatique ideirco totis viribus sunt ut nova ejus editio impediretur una cum observationibus criticis viri clarissimi Antonii Pagii, cujus cæteroqui non paucos lapsus in nova ipsa editione mirifice refellit scriptor in sacra æque ac profana eruditione summe versatus.

XXX. Sed hisce omissis, non omittendum quod refert Rogerius Anglus ad annum 1188, de precum forma quæ tunc temporis in Ecclesia usitabatur pro felici in Terram sanctam expeditione, et quidem ex constituto Romani Pontificis. Hæc ejus verba : « Eodem anno a » Domino Papa (erat is Gregorius VIII) et » Cardinalibus statutum quod ab universali » Ecclesia fieret sine intermissione oratio ad » Dominum pro pace, et liberatione terræ Hierusalem, et Christianorum captivorum qui » in vinculis Sarracenorum detinebantur. Fiebat autem singulis diebus in ecclesia B. Pauli » in hunc modum. Ad Missam, dicto a Sacerdote : *Pax Domini sit semper vobiscum ;* et » a Choro, *Et cum spiritu tuo*, antequam » *Agnus Dei* inciperetur, Sacerdos vel Præ-

Digitized by Google

» centor incepit Antiphonam hanc : *Tua est* » *potentia, tuum regnum, Domine, tu es su-* » *per omnes gentes. Da pacem, Domine, in die-* » *bus nostris.* In die Dominica, cum isto Psalmo: » *Quare fremuerunt gentes.* Et in die Lunæ, » cum isto Psalmo : *Deus, in nomine tuo sal-* » *vum me fac.* Et in die Martis, cum isto Psal- » mo : *Deus, repulisti nos, et destruxisti nos.* » Et in die Mercurii, cum isto Psalmo : *Utquid,* » *Deus, repulisti in finem?* Et in die Jovis, cum » isto Psalmo : *Deus, venerunt gentes in hæ-* » *reditatem tuam.* Et in die Veneris, cum isto » Psalmo : *Deus, quis similis erit tibi?* Et in » die Sabbati, cum isto Psalmo : *Deus, ultio-* » *num Dominus.* Dictis itaque Psalmo et An- » tiphona prædicta, sequitur : *Kyrie, eleison.* » *Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.* » *Et ne nos. Ostende nobis, Domine, misericor-* » *diam tuam. Fiat misericordia tua, Domine,* » *super nos. Domine, non secundum peccata* » *nostra facias nobis. Ne memineris iniquitatum* » *nostrarum antiquarum. Adjuva nos, Deus* » *salutaris noster. Salvum fac populum tuum,* » *Domine. Esto eis, Domine, turris fortitu-* » *dinis. Nihil proficiat inimicus in eis. Fiat* » *pax in virtute tua. Domine, Deus virtutum,* » *converte nos. Domine, exaudi orationem* » *meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omni-* » *potens, sempiterne Deus, in cujus manu sunt* » *omnium potestates, et omnium jura regno-* » *rum, respice ad Christianum benignus exer-* » *citum, ut gentes quæ in sua feritate confidunt,* » *potentia tuæ dexteræ comprimantur.* »

XXXI. Hæc de ritu precum, quas Gregorius Papa VIII quotidie dicendas constituit pro recuperatione Terræ sanctæ et felici successu Christiani exercitus adversus Fidei nostræ hostes. Porro dum hæc scribimus, anno scilicet 1738, Summus Pontifex Clemens XII non modo præfatam quotidie in Missa Collectam dicendam præcepit Cleri tum Regularis tum Sæcularis Ecclesiis, verum etiam voluit ut quotidie in eisdem Litaniæ beatissimæ Virginis canantur, ad comprimendos nimirum Turcarum conatus in bello quod adversus eosdem Carolus VI imperator suscepit. Utinam propitius sit Deus precibus nostris; si enim respicimus ad turpitudines, ad flagitia, ad scelera quæ ubique nostra hac tempestate inundaverunt, profecto intelligemus auxilium divinum nos mereri non posse, cum in tanta impuritate vivamus quanta vix inter gentes auditur. Id quod fuse ostendit Jeremias sui temporis, Salvianus Massiliensis episcopus in suis *De vero judicio et providentia Dei* libris.

XXXII. Quoniam insuper multa sunt in Epistola XVI Urbani II ad Alexium imperatorem Constantinopolitanum, quæ ad historiam belli sacri pertinent, abs re non erit integram ipsam hoc loco describere, ut vel inde intelligas quantus fuerit hujus Pontificis zelus, et laicorum principum ac Christianorum populorum fere omnium ardor, ut loca Christi Domini ortu ac passione et morte sanctificata a Sarracenorum manibus liberarent : « Cum statu- » tum, inquit, fuisset ad Clarum Montem Ar- » verniæ, ut communibus votis bellum adversus » Sarracenos gereretur, tanta hominum multi- » tudo cruce signata est, ut ad trecenta homi- » num millia censa fuerint. Ducum autem for- » tissimorum tantus ardor, ut de recuperanda » Hierosolyma multum sperare debeamus. Pri- » mus omnium Petrus eremita innumerabili- » bus se ducem præbuit. Cui Godefredus, Eu- » stachius et Balduinus fratres Bolionii, comites » se addiderunt, majores etiam copias para- » verunt. Hinc Podiensis episcopus belli dux, » et Raymundus Sancti Ægidii comes, inde » Hugo magnus Philippi Francorum regis fra- » ter, et Robertus Nortmanniæ, et alter Rober- » tus Flandriæ, et Stephanus Carnuti comites. » Quid dicam de Bramundo ipso, qui ingenti » animi magnanimitate iis se comitem adjunxit » cum septem millibus delectæ juventutis Ita- » licæ, relicta fratri rerum omnium cura, quo- » cum diu bello contenderat? Ad hos belli » maximos apparatus unum illud in primis est » necessarium, ut tuo præsidio commeatuque » tantæ copiæ juventur. Quare ab te peto ma- » jorem in modum ut, quibuscumque rebus » poteris, justissimo bello gloriosoque faveas. » Illud autem tametsi non dubitem abs te cu- » ratum iri, volui tamen te per litteras scire » id mihi et universæ Christianæ Reipublicæ » jucundissimum fore. Vale. Romæ, etc. »

Digitized by Google

§ I.

Profecturus in subsidium et defensionem Fidei Christianæ, seu recuperationem Terræ sanctæ, genuflectit ante Pontificem, coram quo unus Ministrorum tenet crucem benedicendam illi imponendam. Tum Pontifex, stans sine mitra, dicit super crucem :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui crucis signum pretioso Filii tui sanguine dedicasti, quique per eamdem crucem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum redimere voluisti, et per virtutem ejusdem venerabilis crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti : te suppliciter exoramus ut digneris hanc crucem paterna pietate bene✠dicere, et cœlestem ei virtutem et gratiam impartire; ut quicumque eam in passionis et crucis Unigeniti tui signum ad tutelam corporis et animæ super se gestaverit, cœlestis gratiæ plenitudinem in ea, et munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti, ita et hoc signum tua dextera bene✠dic; et contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impendas; ut portantibus illud animæ pariter et corporis prosperitatem conferat salutarem, et spiritualia in eis dona multiplicet. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Crucem assumere et cruce signari dicebantur, qui ad sacra bella profecturi, crucis symbolum palliis suis assuebant et affigebant, ut signum votivæ illius expeditionis. Moris hujus originem Concilio Claromontano sub Urbano II adscribunt scriptores rerum Hierosolymitanarum, et alii passim; qui etiam docent consuevisse accipi cruces ab Episcopis, Abbatibus, et majoris dignitatis Prælatis. Sane quod prædicatione S. Bernardi Claravallensis abbatis rex Franciæ Ludovicus VII Vezelaici conventum celebrarit pro expeditione in Terram sanctam, in eoque cruces cum suis principibus et optimatibus ab ipso Bernardo acceperit, cui negotium istud Eugenius III commiserat, testis est inter alios Otto episcopus Frisingensis, lib. I *De rebus gestis Friderici I imperatoris*, c. XXXVI, adjungitque, cap. XI, exhortatione abbatis Eboracensis nomine Adam, qui vices gerebat ejusdem Bernardi, non modo principes, virosque complures illustres ac nobiles, sed et Episcopos ob eamdem causam, profectionis scilicet in Terram sanctam, cruces identidem accepisse : « Accepere eadem hora crucem tres Episcopi, » videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisin- » gensis, Reginbertus Pataviensis, et dux No- » ricorum Henricus, frater regis, de ordineque » comitum, nobilium, virorum illustrium in- » numerabiles. »

II. Afferri possent innumera pene de ea re exempla : celeberrimum est, quod apud Baronium, anno 1188, narrat Rogerius Hovedenus Anglus de congressu regum Franciæ et Angliæ pro expeditione ad Terram sanctam : « Accepto, » inquit, colloquio inter ipsum (Henricum II) » et regem Franciæ (Philippum II) inter Gi- » sortium et Trie, duodecimo kal. februarii, die » S. Agnetis virginis et martyris, convenerunt » illuc cum Archiepiscopis, Episcopis, et comi- » tibus et baronibus regnorum suorum. Cui » colloquio interfuit archiepiscopus Tyri, qui, » repletus spiritu sapientiæ et intellectus, miro

Digitized by Google

» modo prædicavit verbum Domini coram regi-
» gibus et principibus, et convertit corda eorum
» ad crucem capiendam; et qui prius hostes
» erant, illo prædicante, et Deo cooperante,
» facti sunt amici illa die, et de manu ejus
» crucem receperunt : et eadem hora apparuit
» supra eos signum crucis in cœlo. Quo viso
» miraculo, plures catervatim ruebant ad sus-
» ceptionem crucis. Prædicti vero reges in
» susceptione crucis ad cognoscendam gentem
» suam, signum evidens sibi et suis provide-
» runt. Rex namque Franciæ et gens sua su-
» sceperunt cruces rubeas, et rex Angliæ cum
» gente sua suscepit cruces albas, et Philippus
» comes Flandriæ cum gente sua suscepit cruces
» virides. » Ubi nota, 1° cruces hic sumptas fuisse ab Archiepiscopo; 2° varii coloris pro gentis differentia fuisse acceptas cruces; 3° innumerabilem ad capiendam crucem hominum nobilium multitudinem concurrisse.

III. At vero hoc mirum videri non debet, tum quia « Regis ad exemplum totus componitur orbis, » tum autem potissimum, quia ipsi S. R. E. cardinales ad crucem accipiendam aliis tunc temporis exemplum dabant, ut nimirum Terræ sanctæ succurrerent. Tradit id quidem laudatus Hovedenus apud Baronium ad annum 1187 : « Cardinales vero de assensu Domini Papæ (erat
» is Gregorius VIII) inter se firmiter promise-
» runt quod, abjectis omnibus divitiis et deliciis,
» prædicarent crucem Christi, non solum verbo,
» sed opere et exemplo, et euntes mendicando,
» acciperent crucem primi, et præcederent alios
» in terram Hierusalem.... Firmiter etiam inter
» se promiserunt quod de cætero nulla munera
» recipient ab aliquo qui causam habeat in cu-
» ria, sed ea tantum recipere poterunt quæ
» fuerint pro eorum necessitate et sustentatione
» donata vel missa; et non ascendent in equum,
» quandiu terra in qua pedes Domini steterunt
» fuerit sub pedibus inimici. » Hæc plane admiratione digna habet auctor de prompto animo S. R. E. cardinalium ejus temporis, ut succurrerent Terræ sanctæ. Eadem pietas in Ecclesiasticis omnibus hac tempestate exoptanda esset, quo hæresibus pariter ac pravis hominum moribus occurri posset.

IV. Quamvis autem, ut superius dictum est ex Hovedeno, ad distinguendam gentem suam ab aliis in expeditione Hierosolymitana inita anno 1188, Philippus II Franciæ rex cruces rubeas, Henricus rex Angliæ albas, et Philippus Flandriæ comes virides cruces susceperit, fuerunt tamen ut plurimum coccinei coloris, uti videre est apud Annam Connenum, lib. x, pagina 282; solebantque assui in vestibus, et proprie in scapulis, seu in brachiis dextris, uti docet Carolus Ducange in verbo, *Cruce signati*, ubi etiam tradit, in aliis aliquot expeditionibus ad discrimen Hierosolymitanarum non in scapulis, sed alibi fuisse hujusmodi cruces assutas. Sane in ea quæ contra Albigenses hæreticos suscepta est, qui contra ipsos pugnabant, cruces in pectore deferebant; uti observant Rigordus, anno 1213; *Chronicon Andegavense* anno 1212; et Nicolaus de Braja, in *Ludovico VIII* sic inquiens :

Vexilloque crucis munito pectore regis,
Tota cohors procerum signo se munit eodem.

In prælio contra Mauros Hispanos, anno 1213, Christiani pariter crucem in pectore gestabant, uti est in Epistola Arnoldi archiepiscopi Narbonensis, quam descripsit Ughellus in Episcopis Sabinensibus, *Italiæ sacræ* tom. I, pag. 191. In ea expeditione quam Saxones adversus vicinas quasdam gentes idolorum cultui deditas suscepere, cruces profecto assumpsere, quæ « non
» simpliciter vestibus assutæ erant, sed a tota
» subterposita in altum protendebantur : » uti ait Otto Frisingensis, lib. I *De gestis Friderici imperatoris*, cap. XL.

V. Cruces binas deferre in vestibus debuisse olim hæreticos sponte conversos in detestationis veteris erroris argumentum, liquido constat ex can. x Concilii Tholosani, quod habitum fuit anno 1229 : « Item statuimus ut, si qui hæretici
» vestiti, hæresi sponte dimissa fuerint ad Ca-
» tholicam Fidem reversi, suum recognoscentes
» errorem.... in detestatione veteris erroris duas
» cruces portent de cætero altius præeminentes,
» alterius coloris quam sint vestes eorum, unam
» a dextris et alteram a sinistris. » In Concilio Biterrensi anni 1233, can. IV, districte mandarunt Patres, ut « reconciliati de hæresi, qui
» duas cruces prominentes ad mandatum Epi-
» scopi portare noluerint, pro hæreticis ha-
» beantur, et bona eorum confiscentur. » Idipsum et aliæ Synodi statuerunt, de eaque re nos opportuniori loco, nempe tomo III fusius disseremus.

Digitized by Google

VI. Causas cur profecturi ad recuperationem Terræ sanctæ crucem gestarent, varias varii auctores nos docent : 1° ut aliquo modo ad imitationem Christi accederent : « Cujus, ut » inquit Tyrius, lib. I, cap. XVI, passionis lo» cum instare proposuerant : cui ad nostram » redemptionem properanti factus est principa» tus ejus super humerum ejus. » 2° Ut quodammodo satisfacerent illi Christi mandato, et quidem juxta litteram : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* 3° « Ut Crucis Christi disci» pulos verbo et opere se fore prædicarent, ac » Crucis virtute confisi, contra inimicos Crucis » in Domino dimicarent, » ut ait Otto Frisingensis, libro VII, cap. II. Credebant enim, ut ait Conradus abbas Urspergensis, se « in hoc signo » juxta visionem Magno quondam Constantino » revelatam, ab inimicis Crucis Christi trium» phaturos. » 4° Ut, quod idem auctor inquit, « esset mortificationis comminatorium. » 5° Ut signo hoc externo declararent, quanto recuperandi et ex manibus hostium liberandi loci Crucis ac sepulcri Dominici desiderio tenerentur. Hinc Guillelmus Brito de Philippo rege Galliæ cecinit.

. . . . . cultumque Dei decrescere totis
Visceribus doluit, Domini se velle sepulcrum
Visere proponens, quantoque cor illius igne
Ferveat interius, signo notat exteriori.

VII. Neque vero cruces tantum e Sacerdotum manibus cum certa benedictione accipiebant, sed etiam arma, teste Conrado abbate Urspergensi in *Chronico,* pag. 232, ubi ita inquit : « Omnibus ultra quam credi potest catervatim » concurrentibus ad ecclesias populis, novo ritu » gladios cum fustibus et capsellis Sacerdotalis » benedictio dispertivit. » Fustes et capsellæ hic baculos et sportas peregrinorum significant : nam et has non sine Sacerdotali benedictione iter aggressuri accipiebant, uti ex antiquis Pontificalibus constat apud Martenium, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XXV, in fine. Certe Rigordus de Philippo rege Franciæ Hierosolymam profecturo agens, memoratum ritum exemplo ipsius regis confirmat : « Cum lacry» mis, inquit, ab oratione surgens, sportam et » baculum peregrinationis de manu Guillelmi » Remensis archiepiscopi avunculi sui Aposto» licæ Sedis Legati devotissime accepit. » Item in Gestis Ludovici regis filii Ludovici Crassi habetur quod « venit Rex, ut moris est, ad » ecclesiam Beati Dionysii, a Martyribus licen» tiam accepturus, et ibi post celebrationem » Missarum, baculum peregrinationis, et vexil» lum beati Dionysii, quod *Oriflambe* gallice » dicitur, valde reverenter accepit. » Rogerus quoque in *Annalibus Anglicanis*, ubi de Richardo Angliæ rege agit, ita ad rem inquit : « Perrexit Rex Turonem, et ibi recepit peram » et baculum peregrinationis suæ de manibus » Willelmi Turonensis archiepiscopi : dumque » rex se baculo fulciret, fractus est baculus. » Quod mali ominis loco habitum est.

VIII. Jam non modo vestibus, sed et armis illorum qui ad recuperandam Terram sanctam pergebant, additam crucem fuisse testatur Helmoldus, lib. I, cap. LX, ubi de expeditione Conradi imperatoris et Ludovici regis Franciæ hæc habet : « Fuerunt signati titulo crucis in vesti» bus et armatura. » Neque deerant huic *cruci signationi* (sic enim nominatur in Vita S. Ludovici) miracula. « Nam signum crucis quibus» dam in ipsa carne notatum apparuit ; unde » et a quampluribus Dei ordinatione et inspi» ratione ipsum iter incœptum fuisse credeba» tur. » Quod cum eo consentaneum est, quod hac de re Conradus abbas Urspergensis scribit his verbis : « Nonnulli etiam crucis signaculum » sibimet, in frontibus, vel vestibus, sive in » quolibet loco corporis divinitus impressum » ostendebant ; ipsoque se stigmate ad eamdem » Domini militiam præscriptos credebant. » Tradit Rogerus in *Annalibus Anglicanis*, ea hora qua rex Galliæ Philippus et rex Angliæ Henricus crucem acceperant, « apparuisse supra eos signum crucis in cœlo. »

IX. Præter viros, etiam mulieres signum crucis, ex voto quo sese obstringebant, accipiebant ; ejusque solemnis assumptio votum quodammodo existimabatur : « Non erat in regnis » occidentalibus qui aut ætatis, aut sexus, aut » conditionis, aut status vellet esse memor, aut » aliquibus persuasionibus deterritus ab incœ» pto desisteret. Sed omnes indifferenter manus » dabant, omnes unanimiter corde et ore votum » profitebantur. » Verba sunt Willelmi Tyrii, ubi agit de prima in Palæstinam expeditione. Jacobus autem de Vitriaco ita inquit : « Signo » salutiferæ crucis humeris suis affixo, sese

Digitized by Google

» voto peregrinationis Domino obligaverunt. » Cui concinit quod scribit anonymus auctor de Friderico imperatore, et filio ejus aliisque principibus : « Assumentes crucis signaculum, » ibi publice se voto et promissione itineris » adstrinxerunt. » Porro assumebant et feminæ signum crucis, vel ut maritos cruce signatos sequerentur, vel ut sepulcrum Dominicum religionis ergo adirent, vel ut expensis suis, si opulentæ essent, militiam sacram juvarent. Quamobrem Glaber Rodulphus lib. IV *Historiæ* suæ hæc habet : « Mulieres multæ nobiles cum » pauperioribus illuc perrexere. »

X. Quoniam vero, ut dictum est, Christiani homines, Terræ sanctæ recuperandæ desiderio inflammati, ad peregrinationem Hierosolymitanam suscipiendam, assumentes crucem, voto se se obstringebant, præteriri et illud nequit, quod, ubi crux ista semel assumebatur, deponi non poterat nisi persoluto peregrinationis voto. Hinc in Gestis Ludovici regis Crassi filii legimus, quod « per totum annum integrum por» tavit rex crucem constitutam in humeris a » festo Resurrectionis usque ad aliam; et ul» terius usque ad festum quod dicitur Pente» costes. » Docent autem id passim Doctores, reservatum fuisse hujusmodi votum Romano Pontifici, non modo illud quod gratia subsidii Terræ sanctæ ejusque incolis præstandi, sed etiam illud quod tantummodo fit studio et amore pietatis augendæ et exercendæ. Docet id quidem Sylvester Prieras in sua *Summa*, verbo *Votum*, IV, et alii ; licet non desint qui velint votum prioris generis, non autem posterioris, esse Romano Pontifici reservatum. Verum addubitari nequit quin more et consuetudine receptum sit ut universim voti Hierosolymitani, quomodolibet facti, absolutio ad solum Romanum Pontificem spectet.

XI. Fortasse gratum erit lectori si de hujusmodi voto nonnullas attingamus quæstiones quæ agitatæ olim fuerunt, quasque refert Gretserus tomo III *De sancta Cruce*, lib. II, cap. III, atque in primis, utrum maritus, invita conjuge, potuisset assumpta cruce votum Hierosolymitanæ profectionis Deo nuncupare. Consuluit de hac quæstione archiepiscopus Cantuariensis Innocentium III Pontificem Maximum, qui in cap. *Ex multa* IX, *De voto, et voti redemptione*, ita illi respondit : « In tanta quoque necessitate » populi christiani, ne Terræ sanctæ impedia» tur subsidium, viri, præter uxorum assensum, » hujus peregrinationis propositum vovere li» bere valent, et, quod voverint, libere adim» plere. Ut autem consentiant sunt attentius » commonendæ. » Glossa Canonici Juris specialissimum esse casum istum ait, « quod vir » potest emittere votum præter licentiam uxo» ris. » Fit nimirum hoc votum propter commune reipublicæ bonum, cui merito privatum cedit; votumque hoc licite voveri, jam etiam alii scriptores docent apud memoratum Sylvestrum in laudata *Summa*, verbo *Votum*, V.

XII. Sed huic doctrinæ adversari videtur sanctus Thomas, qui, in *Quodlibeto* IV, articulo XI, hanc sibi quæstionem proponens : « Utrum vir possit accipere crucem ad transfre» tandum ultra mare nolente uxore, si de ejus » incontinentia timeatur. » Respondet tum S. Doctor, ea quæ sunt necessitatis non esse prætermittenda propter ea quæ sunt propriæ voluntatis : ex necessitate autem viro impositum esse ut gerat curam uxoris, eo quod sit caput mulieris; accipere autem crucem et mare trajicere, in cujusvis arbitrio consistere. Affert mox hanc distinctionem : « Hinc, si uxor sit talis » quæ sequi non possit maritum propter legi» timum impedimentum, et de ejus incontinen» tia timeatur, suadendum non est ut dimissa » uxore accipiat crucem : secus autem si uxor » continere voluntarie proponat, vel velit et » possit sequi virum suum. » Hæc S. Thomas.

XIII. Docent tamen alii absque ulla distinctione licitum fuisse viro invita uxore crucem suscipere, quia scilicet communis Ecclesiæ necessitas, et amor quo eidem obligati sumus, præponderat privato nexui quo quis obligatus est uxori, præsertim cum periculum istud incontinentiæ precibus ad Deum fusis, aliisque id genus mediis, cum divina gratia, quæ omnibus præsto est, vitari, omnesque carnis illecebræ superari possint. Et quamvis personæ cujus continentia periclitatur, consultius foret si maritus tale votum non emitteret, consultius est tamen reipublicæ ut illud emittat. Imo non desunt auctores, inter quos Ostiensis citatus a Sylvestro, et Panormitanus a Navarro citatus, et ipse Navarrus in *Manuali*, cap. XII, num. LXII, qui arbitrantur uxorem quoque, quantumvis reclamante marito, peregrinationem Hierosoly-

Digitized by Google

mitanam licite et valide vovere posse, præsertim si ea sit conditione ut impensa sua aliquos qui pro Terra sancta propugnent sustentare possit.

XIV. Fuit et illa altera quæstio : Utrum Episcopus absque consensu Summi Pontificis, et Clericus inconsulto suo Prælato iter Hierosolymitanum vovere potuisset. Respondent Doctores, inter quos laudati Ostiensis et Panormitanus in cap. ultimo, *De voto, et voti redemptione*, potuisse tempore generalis *passagii*, ut aiunt, hoc est quando crux prædicatur, et communis expeditio in Terram sanctam suscipitur. Quod satis clare innuit Innocentius III in memorato cap. *Ex multa*. Licet enim « juxta canonica » instituta (ut inquit ipse Pontifex in cap. Ma- » gnæ, tit. eodem) Clericus absque sui Episcopi » licentia peregrinari non debeat, et Episcopus » non minus, imo potius Sedi Apostolicæ sit » adstrictus, » ac proinde etiam peregrinationis votum suscipere nequeat, sicut nec ullum aliud quo vinculum per quod Ecclesiis suis Ministri addicti sunt et obligati dirimatur : hoc tamen locum non habebat, quando generatim pro defensione aut liberatione Terræ sanctæ expeditio suscipiebatur. Hinc Pontifex, in laudato cap. *Magnæ*, commutavit votum Hierosolymitanum episcopi Trecensis, quod emissum fuerat absque consensu Ecclesiæ Trecensis, et Apostolicæ Sedis licentia. Si enim votum hoc minime valuisset, nulla prorsus commutatione opus fuisset. Clericorum itidem votum simpliciter approbatur in memorato cap. *Ex multa*, in fine, ut observandum et explendum, vel certe commutandum. Neque autem attendendum esse ullo ibidem verbulo monet Pontifex, num votum illud consensu Episcopi, an sine consensu illius nuncupatum fuerit.

XV. Adhuc quoque dubitatio restat : Num votum ultramarinum suscipi possit a Clerico vel Episcopo, absque superiorum licentia, etiam extra tempus generalis expeditionis seu *passagii*. Quidam affirmant ; sed placet sententia Sylvestri contrarium asserentis in sua *Summa*, verbo *Votum*, III, suamque opinionem probat ex cap. *Fraternitati*, V, *De Clericis non residentibus, etc.*, ubi Alexander III diserte inquit, *Clericum alterius diœcesis absque commendatitiis litteris sui Episcopi* recipi non debere. Si itaque recipiendus non est absque Episcopi sui litteris, jam non potest sine illis peregrinari ; adeoque nec voto ad peregrinationem ullam sese obligare, nisi in prædicto casu, generalis scilicet expeditionis seu *passagii*, ut superius dictum est.

XVI. De Monachis aliisque Religiosis res est longe liquidior : nihil enim vovere possunt independenter ab Antistitis sui consensu ; præsertim si sit ejusmodi quiddam quod ad religiosæ disciplinæ perniciem tenderet; ex quo genere in primis sunt excursiones et vagationes sæpe specioso peregrinationis nomine velatæ. Tempore nihilominus generalis expeditionis, Prælatis Regularibus licitum fuit hoc ultramarinum votum emittere, uti constat ex cap. *Postulastis*, XI, *De voto, etc.*, ubi duo Ordinem Regularem professi, Salisburiensis et Bragadensis Præpositi, quorum unus jam cruce signatus erat, alter cruce insigniri optabat,. consuluerunt Honorium III Pontificem, num vicesimam proventuum ecclesiarum suarum deputatam succursui Terræ sanctæ, liceret ipsis secum deferre. Respondit Pontifex posse ; nec improbat alterius votum, et alterius nuncupandi voti desiderium : « Dummodo, inquit, » Ecclesiæ vestræ per absentiam vestram enor- » miter non lædantur, et vos utiles fueritis » Terræ sanctæ, verbo pariter et exemplo, » dimissis procuratoribus idoneis in Ecclesiis » vestris; » quibus positis addit hanc clausulam : « Potestis, et tenemini votum peregrinationis » implere. »

XVII. Voti hujus Hierosolymitani exsecutionem legitima ex causa, præsertim Sedis Apostolicæ auctoritate et jussione, potuisse aliquandiu differri, exploratum apud omnes Doctores est. Ut enim inquit Innocentius III, in cap. V, tit. eodem : « Non est voti dicendus transgressor qui, » quod vovit, auctoritate Sedis Apostolicæ di- » stulit adimplere. » Quocirca mandavit in eo capite Pontifex Strigoniensi archiepiscopo rescribens, ne, tametsi jam voto obstrictus, iter Hierosolymitanum iniret, donec turbatus Hungarici regni status tranquillitati pristinæ fuerit restitutus, quia scilicet absentia ejus non parum detrimenti allatura erat. At vero Andream ducem, regis Hungariæ filium, idem Pontifex in cap. VI ad celerem voti, quod pater ejus emiserat, solutionem, etiam anathematis et regni amittendi metu proposito adegit; quia nimirum sponte sua votum patris Andreas filius in se

Digitized by Google

receperat; alioqui compelli non potuisset. Nam votum personale, cujusmodi est quod de peregrinatione quapiam nuncupatur, non transmittitur ad hæredem, nisi hæres volens libensque illud amplectatur, ut post S. Raymundum et Paludanum docet Sylvester, verbo *Votum*, II, et Navarrus in *Manuali*, cap. XII, num. LVI.

XVIII. Jure porro ad solutionem voti Hierosolymitani adigebantur qui illud emiserant, quia præceptum Domini est, juxta illud Psalmi LXXV : *Vovete, et reddite.* Cito nimirum, si nihil aliud sit impedimento. Nam, ut hilarem, ita et celerem datorem diligit Deus : *Si quid vovisti, ne moreris reddere*, monet Ecclesiasticus cap. v. Periculum enim est in mora, ut vulgo dici solet; hic præsertim, ubi cum gente ad arma tam prompta et ad perniciem Christianis struendam tam attenta et vigilante negotium erat : « Quanta, » quæso, insania est in tam anxiæ necessitatis » articulo dilationes mittere, innectere viam, » protelare salutem, Christi dissimulare injurias, permittere ut lupus in ovile desæviat, et » tunc primo parare subsidium cum oves devoraverit universas ! Certe qui opportunitatem » deserit, opportunitas eum fugit. Filii hominum, usquequo gravi corde ? Quomodo estis » ad salutaria pigri, ad vana et caduca solliciti ? » Numquid vinitores exspectant donec vindemia » transeat; aut institores donec nundinæ finiantur; aut messores donec tempus messionis » excurrat ? » Verba sunt Petri Blesensis in tractatu *De Peregrinatione Hierosolymitana*, ubi etiam et alia habet lectu digna.

XIX. Sed audiamus quid de hujusmodi voti exsecutione mandavit laudatus toties Innocentius III in sua constitutione seu ordinatione pro » recuperanda Terra sancta : « Ne hoc sanctum, » inquit, propositum impediri vel retardari » contingat, universis Ecclesiarum Prælatis » districte præcipimus ut singuli, per loca sua, » illos qui signum crucis deposuerunt resumere, » ac tam ipsos quam alios cruce signatos, et » quos adhuc signare contigerit, ad reddenda » vota sua Domino diligenter moveant et induc- » cant; et, si necesse fuerit, per excommuni- » cationis in personas, et interdicti sententias » in terras eorum, omni tergiversatione cessante, » compellant : illis duntaxat exceptis quibus » tale impedimentum occurrerit propter quod, » secundum Sedis Apostolicæ providentiam, » votum eorum commutari debet merito vel » differri. » Idem Pontifex Cantuariensi archiepiscopo præcepit, uti legitur in cap. VII, titulo citato, « ut eos qui signum crucis assumptum » abjecerant, ad resumptionem ipsius et exse- » cutionem voti compelleret. » Id quod ex aliis ejusdem Pontificis Epistolis liquet.

XX. Haud tamen adeo rigide et severe hoc votum animos fidelium obstringebat, ut nullius prorsus mitioris vel interpretationis vel commutationis vel dispensationis capaces essent. Ea quidem de causa Innocentius Pontifex consultus ab archiepiscopo Cantuariensi quid cum infirmis et egenis, voto tamen Hierosolymitano obligatis, agendum esset, ita ipsi archiepiscopo, in cap. VIII, rescripsit : « Debiles et inopes magis illuc in defectum quam ad profectum accedunt; cum isti pugnare non possint, et illi » mendicare cogantur : nisi forte sint nobiles et » magnates, qui suis secum expensis bellatores » adducant; vel artifices et agricolæ, qui de laboribus suis sibi possint acquirere necessaria, » et terræ subsidia ministrare : quamvis non » multi talium (artificum scilicet et agricolarum) propter brevitatem possessionum, et » paucitatem inhabitantium ibi sint opportuni. » Vide in hunc locum Glossam Canonici Juris.

§ II.

Deinde Pontifex aspergit crucem ipsam aqua benedicta, et super recepturum ipsam dicit :

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus et omnipotens Deus, splendor et imago Patris, et vita æterna, qui tuis Discipulis asseruisti ut quicumque vult post te venire semetipsum abneget, et suam crucem tollens, te sequatur : quæsumus

Digitized by Google

immensam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum, qui juxta verbum tuum seipsum abnegare, suamque crucem tollere et te sequi, ac contra inimicos nostros pro salute populi tui electi properare et pugnare desiderat, semper et ubique protegas, ac a periculis omnibus eruas, et vinculo peccatorum absolvas, acceptumque votum ad effectum deducas optatum. Tu Domine, qui es via, veritas et vita, et in te sperantium fortitudo, ejus iter bene disponas, et semper prospera cuncta concedas; ut inter præsentis sæculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei, Domine, angelum tuum Raphaelem, qui Tobiæ comes fuit in itinere suo, ejusque patrem a corporis cæcitate liberavit; in eundo et redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles et invisibiles hostis insidias, et omnem mentis et corporis ab eo cæcitatem repellat. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ III.

Tum Pontifex sedens accepta mitra imponit illi crucem, dicens : *Accipe signum crucis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, in figuram crucis, passionis et mortis Christi, ad tui corporis et animæ defensionem; ut divinæ bonitatis gratia, post iter expletum salvus et emendatus ad tuos valeas remeare. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Demum Pontifex aspergit cruce signatum aqua benedicta, qui genuflexus osculatur manum Pontificis, et discedit.

COMMENTARIUS.

I. Exstant et hæ rubricæ in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, et in editis omnibus ante Clementem VIII Pontificalibus. In earum explicatione profecto nihil occurrit quod magni momenti sit; præsertim cum ea quæ superius diximus, referri huc possint. De cruce hoc unum hic adnoto, eam non modo exterius, sed et interius ab iis qui adversus infideles pugnaturi sunt, gestari debere, juxta illud Redemptoris nostri mandatum apud Matthæum, capite XVI : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me;* et secundum Isaiæ promissum, qui ita inquit capite XI : *Levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel.* Hæc præfigurata invenio in his quæ acciderunt in eductionem Hebræorum de Ægypto per Moysen et Aaron, ut ad Terram sanctam introducerentur. Prius enim Moyses, accepto a Deo legationis mandato, et populi Israelitici dux constitutus per virgam illam prodigiosam explicata sanctæ crucis figura, ut sancti Patres docent, veluti vexillo perrexit ad Pharaonem, et filios Israel in Ægyptum, quos etiam inde eduxit; quod liberationem a peccato, post afflictiones varias, quæ pœnitentiam, post esum agni, qui SS. Eucharistiæ sumptionem præfigurabant, significat. Josue item quando oppugnavit regem Hai, ut regionem ab illo insessam populo Dei assereret, ex Dei mandato clypeum, Dominicæ crucis figuram, uti Doctores sacri explicant, in sublime erexit, ut posteri intelligerent elevandum esse vexillum sanctæ crucis pro ejusdem terræ e manibus impiorum recuperatione.

II. Docet hæc eruditus Franciscus Quaresmius, tomo I *Elucidationis Terræ sanctæ*, libro II, ubi etiam observat, hæc omnia quidem ipso facto completa fuisse, quando eadem per Christianos milites, sub Godofredo duce ab Infidelium potestate erepta fuit, uti videre est apud Willelmum Tyrium, lib. I *De Bello sacro*, capite XV; et dubio procul etiam modo a nostris recuperaretur, si Christiani et Catholici principes id serio vellent, et fideliter ac pie adversus infideles victoriis suis superbientes pugnarent. Vide plura apud laudatum Franciscum Quaresmium eximium Ordinis Mino-

Digitized by Google

rum scriptorem. Juvabit autem et illud adnotare, quod docet Sylvester Petra-Sancta in sua *Tessera Gentilitia*, capite XLVIII, nimirum cruce signatos, quod ad sacras olim expeditiones migrarint, crucem quam ipsi rite susceperunt, posteris suis pro tessera reliquisse. Hinc est quod in multis potissimum principum tesseris, una cum aliis signis, crucis etiam figuram cernimus.

III. Quamvis insuper de privilegiis cruce signatorum nonnihil superius attigerimus, sciendum et hoc est, tum Summos Pontifices, tum etiam principes, quo fideles ad expeditiones Hierosolymitanas subeundas pro Terræ sanctæ tuitione provocarent, eos identidem variis donasse privilegiis, quæ a Carolo Ducange, et ab aliis eruditis scriptoribus recensentur : 1° A debitis persolvendis induciæ eis concedebantur donec ab expeditione rediissent, uti videre est in Constitutione sancti Ludovici IX, regis Gallorum, anno 1245, tom. VI *Specilegii* Dacheriani, pagina 467, et apud Rigordum, pag. 26. 2° Ab usuris pecuniarum sibi creditarum exempti pariter erant; ex Concilio Lateranensi IV, Lugdunensi I, et aliis. 3° A collectis et taliis, nisi illæ essent reales; ex decreto memorati Concilii, anni 1245, apud Matthæum Parisium. 4° Licitum erat cruce signatis « terras sive possessiones » suas, postquam commoniti domini, ad quo- » rum feudum pertinent, pecuniam commodare » aut noluerint aut non valuerint, Ecclesiis vel » personis Ecclesiasticis vel aliis quoque fideli- » bus libere sine ulla reclamatione impigno- » rare, » ex rescripto Eugenii Papæ III, apud Ottonem Frisingensem, lib. I *De Gestis Friderici*, cap. XXXV; Willelmum Neubrigensem, lib. III, cap. XXIII, et alios. 5° Ex iisdem Conciliis Lateranensi et Lugdunensi, atque Eugenii III rescripto, eorum bona et personæ post crucem assumptam erant in protectione S. Petri et Summorum Pontificum, atque adeo omnium Prælatorum. 6° Eorum lites et causæ agitabantur in foro Ecclesiastico, uti constat ex Innocentio III, lib. XV, epistola CXCII.

IV. In hujusmodi privilegiis duo adhuc adnotanda sunt. Primum quidem, ea locum non habuisse in causis criminalibus, ex lib. I *Stabilimentorum S. Ludovici*, cap. LXXXII, et ex *Consuetudinibus Britannorum*, articulo DCLXVI. Secundum est quod, cum ejusmodi cruce signatorum privilegia non creditoribus modo, sed et ipsis cruce signatis damnosa essent, ut quæ æs alienum propter ingruentes necessitates contrahendi facultatem iis adimerent, inducta postmodum, in eorum favorem et creditorum, fuit in contractibus publicis *renuntiatio privilegio crucis*, vel *cruce signatorum*; quam hac verborum formula conceptam legere est in Charta anni 1273, in regesto comitum Inculismensium : « Renuncians per fidem in hoc fa- » cto exceptioni doli mali, actioni infactum, » omni privilegio cruce signatorum, et cruce » signandorum indulto et indulgendo. » Item in alia anni 1278 legimus : « Renuntiantes » immensæ donationi, et cuilibet ingratitudini, » et privilegio crucis sumptæ et sumendæ. » Occurrit ejusmodi formula in Chartis aliis apud Ægidium Menagium in *Originibus Gallicanis*, pag. 830 et 831 ; et Guillelmum Prinneum in *Libertatibus Anglicanis*, tomo II, pagina 981. His adde statutum Philippi Pulchri Gallorum regis, editum anno 1303, quod descriptum legitur in regesto XXXVI chartophylacii regii, charta CXXVIII : « Item ordinamus quod, si quis expresse et ex » certa scientia renuntiaverit privilegio exer- » citus crucis, novæ bastidæ, seu quinquenna- » lium induciarum, cum instrumento debiti vel » alterius contractus expressi, non possit ex tunc » se juvare dicto privilegio. » Bastidæ, apud infimi ævi scriptores, genus sunt munitionis seu munimenti, uti videre est apud Carolum Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*, verbo *Bastida*.

V. Gaudebant denique et reges suis privilegiis, qui ad hujusmodi Hierosolymitanas expeditiones profecti fuerant. Cum enim Richardus Angliæ rex, ab ipsa expeditione rediens, naufragiumque in mari Hadriatico passus, a Leopoldo Austriæ duce privatæ injuriæ memore captus esset atque imperatori Henrico V traditus, qui captivum ipsum detinuit, Walterus archiepiscopus Rothomagensis et cæteri Normanniæ Præsules ad Cœlestinum III scripsere, obsecrantes ut pro tanti regis libertate, quem Ecclesia Romana in suam protectionem susceperat, ejus Sanctitas sollicita esset, gladiumque S. Petri contra Leopoldum ducem et Henricum imperatorem, captivitatis ejus auctores, distringeret; uti videre est in Epistola LXIV apud Petrum Blesensem : cui adde Epistolas CXLIV, CXLV et CXLVI,

Digitized by Google

apud eumdem auctorem, quas ad ipsum Cœlestinum semel et iterum scripsit Aleonora regina mater memorati regis Richardi, quibus Pontificis auctoritatem pro filii sui libertate implorabat. Sane Pontifex his excitatus litteris Leopoldum Austriæ ducem, qui regem Angliæ ceperat, anathemate perculit, atque imperatori ejusque ditionibus censuras Ecclesiasticas etiam comminatus est, nisi eum liberum dimitteret. Rem narrat Hovedenus in *Annalibus Anglicanis*, eamdemque refert Natalis Alexander, tomo VI *Historiæ Ecclesiasticæ*, sæculo XI, ubi agit de Cœlestino III. Quo tandem ritu crucis imago pectori humerisve a Sacerdotibus pro Christo dimicaturis affigeretur, præter illa quæ dicta superius sunt, ex sequentibus Ordinibus curiosus Lector addiscet, præsertim vero ex Cæremoniali Paridis Grassi.

VI. Illud vero minime omittendum videtur, fuisse et olim morem ut crux et palma, quæ redeuntium a peregrinatione Terræ sanctæ erant insignia, a Romano Pontifice conferri ipsis solerent. Id enim testatur Rogerus Hovedenus, ex eoque Baronius ad annum Christi 1191, ubi, de adventu Philippi regis Francorum a Palæstina Romam agens, hæc præter alia inquit : « Dominus vero Papa cum omni honore et » diligentia recepit eum, et per octo dies mini- » stravit ei necessaria. Et pro amore Domini et » suo novum fecit remedium peregrinis, scilicet » quod eum, et omnes qui cum eo venerant vel » post eum venerint, absolvit a voto suo et ab » itinere profectionis Hierosolymitanæ, et, licet » votum non solvissent, tamen palmas eis di- » stribuit, et cruces collis eorum suspendit, » statuens quod essent Peregrini. » Hæc Rogerus, reserans antiquos ritus de his qui votum Hierosolymitanum implessent, quod scilicet Romam redirent, palmamque acciperent a Summo Pontifice, crucemque suspensam ad collum. Quem solemnem ritum impleri rogavit rex Francorum suis, licet immeritis, quod haud perfecte votum implessent, tam cito redeuntes. Meminit et ejus ritus in suo *Hierolexico* Macrius, verbo *Palmarum festum*, ubi ita scribit : « An- » tiquitus etiam in aliis diebus solebat Pontifex » Peregrinis ramos palmarum in signum vic- » toriæ pro reditu visitationis Terræ sanctæ » distribuere, quibus etiam cruces ad collum » imponebat. »

VII. Huc spectat antiquus ritus quo olim Galliæ regibus, in eorum solemnibus inaugurationibus, una cum sceptro in victoriæ adprecationem palma porrigebatur, teste Hincmaro in *Coronationibus regiis*, ubi ita scribit : « Ad » ista verba : Det tibi Dominus velle ; dederunt » illi palmam et sceptrum. Det tibi Dominus » velle et posse quæ præcipit, ut in regni regi- » mine secundum voluntatem suam proficiens, » cum palma perseverantis victoriæ ad palmam » pervenias gloriæ sempiternæ, etc. » Palmas virentes misit quidem Joannes VIII Pontifex Maximus ad Carolum Calvum sub ea formula, quam in Epistola XXXII ejusdem Pontificis hunc in modum legimus : « Hodieque manui vestræ, » speciali voto et prærogativa, plenam benedic- » tione palmam, sicut cernitis, destinamus, » adversus visibiles hostes et invisibiles trium- » phum : optantes enim vos de cunctis adver- » sariis triumphare, nihil aptius vobis quam » ramos palmarum duximus offerendum, etc. » Et infra : « Optantes enim vos de cunctis ad- » versariis triumphare, nihil aptius vobis quam » ramos palmarum duximus offerendum, quos » et pueri sternebant in via Domino Hierosoly- » mam venienti, antiquum hostem triumpha- » turo, et mundum victuro. » Creatus fuit Joannes Pontifex anno 873, misitque aliam ejusdem fere argumenti Epistolam, quæ est Epistola CCLXIX, ad Carolum Crassum imperatorem, cui etiam palmam cum benedictione transmisit : « Honorificentiæ vestræ cum benedic- » tione Apostolica palmam, per quam signum » datur victoriæ, ecce ex more direximus, » exoptantes omnipotentemque Deum depre- » cantes ut hanc cum lætitia vos in die tantæ » solemnitatis gestare faciat atque permittat, et » ad omnium nostrum utilitatem et profectum » aures præcordiorum vestrorum divinitus in- » clinare dignetur. »

VIII. Integras hasce Joannis Papæ Epistolas legere est una cum aliis ejusdem Joannis Epistolis, apud Labbæum, tomo XI *Conciliorum*, ultimæ editionis Venetæ. Notandum in recitatis autem locis est : 1° quidem fuisse Romanorum Pontificum palmam benedictam imperatori mittere. 2° missam ipsam palmam fuisse a Romano Pontifice veluti omen victoriæ, et illicem seu incitamentum ad bellum contra hostes Ecclesiæ, ad quod ab ipso Pontifice princeps

Digitized by Google

Catholicus impellebatur. 3° alludere hanc palmam ad illas quas Christo Domino, ad antiquum hostem debellandum venienti, pueri Hebræorum sternebant in via. 4° antiquam esse benedictionem palmarum in Ecclesia Latina, cum auctores sæculi VIII et IX de ipsa loquantur, non tanquam de ritu suo tempore adinvento, sed longe ante ipsos in Ecclesia usitato. Id quod non obscure innuit Joannes VIII Pontifex in Epistola CCLXIX ad Carolum Crassum imperatorem; et Amalarius, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. X, ubi, sermonem de Dominica Palmarum instituens, postquam meminit Christi in Hierosolymam ingressus, hæc statim subdit: « In memoriam illius rei nos per ecclesias » nostras solemus portare ramos, et clamare, » Osanna. » Ubi nota, verbum *solemus* referri ad usum qui ante Amalarium jam in Germania invaluerat.

IX. Apud S. Adhelmum *De Laudibus Virginitatis*, cap. XV, ubi agit de sancto Benedicto, anno 709, ritum ipsum benedictionis ac distributionis palmarum institutum in Anglia cernimus, eoque autumo ab urbe Roma fuisse invectum. In *Sacramentario* enim *S. Gregorii Papæ*, in Oratione ad benedictionem, quæ communionem præcedit, expressa fit ejus ritus mentio, ubi inter alia ita inquit: « Concedat » vobis ut, sicut ei cum ramis palmarum » cæterarumve frondium præsentari studuistis, » ita in palma victoriæ et fructu bonorum » operum post obitum apparere valeatis. » Ubi nota antiquitatem solemnitatis Palmarum, in qua fit processio cum ramis arborum benedictis; ut enim scite observat in eum *Sacramentarii* locum eruditus Hugo Menardus, meminit quidem illius ritus S. Cyrillus Hierosolymitanus in sua Catechesi X. Cui addi potest insignis locus Sermonis I et II S. Ambrosio adscripti, cujus hæc sunt verba: « Hinc descendit consuetudo » ut psallentes ramos palmarum sive oli- » varum portemus in manibus. » Joannes Filesacus, ad adstruendam solemnitatis ac ritus antiquitatem, in suo *De Quadragesima Christiana* opusculo, cap. XIV, verba Præfationis Missæ S. Ambrosii describit: « Æterne Deus, qui » Filium tuum Dominum nostrum Jesum Chri- » stum in hunc mundum pro salute nostra » misisti, ut se humiliaret ad nos et nos revo- » caret ad te; cui etiam, dum Hierusalem veni- » ret adimplere Scripturas, credentium turba » fidelissima devotione vestimenta sua cum » ramis olivarum in via sternebant: præsta, » quæsumus, ut et nos illi fidei viam præpa- » remus, de quo, remoto lapide offensionis et » petra scandali, frondea opera et justitiæ ra- » mos vestigiis ejus sternamus, ut usque ad » palmam victoriæ pertingere mereamur. »

X. Quidquid sit de ejus ritus antiquitate, constat ex dictis palmam esse victoriæ signum, ideoque una cum cruce a Pontifice militibus tradebatur. Cæterum ingressum istum Salvatoris nostri Hierusalem, et occursum plebis ramos gestantis, Galli veteres hac cæremonia repræsentabant, teste Alcuino in libro *De divinis Officiis*, ubi agit de Dominica Palmarum. Præparabatur quoddam portatorium honestissime, in quo intromittebatur sanctum Evangelium, quo Christus intelligitur, et statuebatur in ecclesia ante aram, unde Clerus processurus est: deinde palmæ et diversa genera frondium certis precationibus benedicebantur et populo distribuebantur. Peracto Processionis ambitu, cum ad ecclesiæ atrium perveniebant, ubi decantati fuerant Versus *Gloria, laus et honor, etc.*, incipiente Schola cantorum, *Pueri Hebræorum, etc.*, tunc plebs universa prosternebat frondes et ramos quos gerebant, decantantes illud, *Osanna filio David.*

Digitized by Google

APPENDIX

In qua Ordines benedicendæ atque imponendæ crucis iis qui contra Infideles ad recuperandam Terram sanctam proficisci volunt, referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca exstat.

De benedictione et impositione crucis volentibus proficisci ultra mare. Rubrica.

Si quis proficisci desiderat in subsidium Terræ sanctæ, crux illi imponenda hoc modo benedicitur et ei imponitur. Benedictio crucis. ℣. *Adjutorium nostrum, etc.* ℟. *Qui fecit, etc. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui crucis signum pretioso Filii tui sanguine, etc.*

Deinde dicit super recipientem crucem : « Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es » verus et omnipotens Deus, splendor et imago » Patris, etc. »

Post hæc imponit illi crucem, dicens : « Ac» cipe signum crucis in nomine Patris, etc. »

ORDO II.

Ex Cæremoniali Paridis Grassi, qui ex Pontificalibus libris formulam collegit, quam anno Christi 1500, num. x, scriptor clarissimus Odericus Raynaldus consignavit.

De benedictione crucis imponendæ eis qui ad Terram sanctam, vel contra infideles, ex devotionis causa proficisci desiderant.

Ante omnia crux benedicenda de panno rubei coloris præparanda est per ipsum qui signari et proficisci intendit, et in uno bacili seu paropside munda reponi debet, et in ea portari ad ecclesiam sive capellam ubi actus benedictionis fiet; et, si plures erunt signandi, tunc tot cruces præparentur quot sunt signandi. Item signandus debet in die actum benedictionis præcedenti jejunare, et, si prius non confessus fuerit peccata sua Deo, confitebitur in die actus prædicti, poteritque Sacramentum salutare corporis Christi sumere per manus illius Episcopi sive Prælati aut simplicis Sacerdotis, qui ipsum signabit cruce. Præparabuntur quoque quinque Capellani sive Acolyti superpelliceis induti, quorum unus bacile sive paropsidem cum cruce benedicenda ad dexteram benedicentis; alius vero ad sinistram vas aquæ benedictæ cum aspersorio ex herba hyssopi facto; tertius vero librum benedictionis ante benedicentem; et duo alii ceroferarii cum luminaribus ardentibus hinc inde medium benedicendum habentes, tenebunt versam faciem ad ipsum benedicendum sive signandum. Igitur signandus, ante altare genuflexus, Missam audiet, qua finita communionem, ut supra, suscipiat; tum benedicens, si Prælatus vel Episcopus talis sit qui mithra utatur, deponet casulam sive planetam, loco cujus pluviale rubei coloris indutus, sedebit in sede ante medium altaris posita, ita ut, faciem signando, renes altari vertat. Si autem non sit Prælatus, sed simplex Sacerdos, qui benedicit ac Missam celebravit, tunc deposita tantum planeta, stans continue versus, ut supra, benedicet; si vero nulla tunc actum istum Missa præcessit, tunc, si Episcopus sit aut Prælatus qui mithra utatur, nullam quidem mithram, sed solum deposito mantello, stolam de rubeo colore supra rochettum capiet; et similiter, si Sacerdos simplex sit, superpelliceum et stolam recipiet : et sive Prælatus sit sive simplex Sacerdos sit, discooperto capite hoc modo incipient. Versus : *In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus* ✠ *sancti.* Respondetur : *Amen.* Versus : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Resp. *Qui fecit cœlum et terram.* Antiphona : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psalm. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc.* Legatur totus iste Psalmus ad longum per benedicentem, cui alternatim unus ex ministris respondeat, et in fine Psalmi dicat : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Tum Antiphona prædicta re-

Digitized by Google

petatur. Deinde benedicens, si Episcopus est, stans detecto capite, dicat Hymnum, *Vexilla regis*, et totum : quo finito, dicat alte : *Pater noster*, quod secrete prosequitur usque ad versum, *Et ne nos*, et alios sequentes versiculos intelligibili voce legat, dicens : *Et ne nos inducas in tentationem.* Respondetur : *Sed libera nos a malo.* Versiculus : *Domine, exaudi orationem meam.* Respondetur : *Et clamor meus ad te veniat.* Versiculus : *Dominus vobiscum.* Respondetur : *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

« Deus invictæ potentiæ, Deus majestatis im-
» mensæ, Deus, fidelium omnium peregrinan-
» tium auxilium, plena et perfecta consolatio,
» qui famulis tuis arma victricia tribuis : quæ-
» sumus hanc crucem (*sive* has cruces) in tuo
» nomine formatas bene ✠ dicere digneris, et
» venerandæ crucis vexillum sit ei (*vel* eis)
» robur invictissimum contra hostis tentamenta
» nequissimi; sitque ei (*vel* eis) in vita salus, in
» via defensio, in domo protectio, et ubique
» præsidium sempiternum, per Christum Do-
» minum nostrum. » Respondetur « Amen. »

Oremus.

« Omnipotens Deus, qui crucis signum pre-
» tioso Filii tui sanguine dedicasti, quique per
» eamdem crucem Filii tui Domini nostri Jesu
» Christi mundum redimere voluisti, et per
» virtutem ejusdem venerabilis crucis huma-
» num genus ab antiqui hostis chirographo
» liberasti : te suppliciter exoramus ut digneris
» hanc crucem paterna pietate bene ✠ dicere,
» et cœlestem virtutem et gratiam impertiri, ut
» quicumque eam in passionis et crucis Uni-
» geniti tui signum ad tutelam sui corporis et
» animæ super se gestaverint, cœlestis gratiæ
» plenitudinem ex ea munimen valeant tuæ
» benedictionis accipere; et, quemadmodum
» virgam Aaron ad rebellium perfidiam repel-
» lendam benedixisti, ita et hoc signum tua
» dextra bene ✠ dicas, et contra omnes diabo-
» licas fraudes virtutem ei tuæ defensionis im-
» pendas, ut omnibus illud operantibus animæ
» pariter et corporis prosperitatem conferat
» salutarem, et spiritualia in eis dona multi-
» plicet, per eundem Christum Dominum
» nostrum. Amen. »

Quo dicto, benedicens aspergat crucem, seu cruces, aqua benedicta in formam crucis. Tum si Prælatus sit, sedeat cooperto capite; si autem Sacerdos sit, eodem modo ut prius, et, capiens crucem, imponat in media vel in sinistra pectoris signandi parte, ita ut crux affixa remaneat vesti : et, si plures erunt signandi, similiter singulis singulas cruces affigat, et pro unoquoque dicat : « Accipe signum crucis in nomine
» Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in figuram
» passionis, crucis, et mortis Salvatoris nostri
» Jesu Christi, et ad tui corporis et animæ de-
» fensionem. Amen. »

Et, si unus benedicendus fuerit, non dicit hic *Amen;* sed continuet, *Ut divinæ bonitatis gratia post iter expletum salvus et emendatus ad nos valeas remeare per Christum Dominum nostrum. Amen* Si autem plures fuerint signandi, tunc dicto supra unoquoque, *Accipe*, usque ad *defensionem*, super pluribus semel in plurali collective dicat : *Ut divinæ, etc.*

Deinde, sive Prælatus sit, sive non, genuflexus, detecto capite, omnibus simul cum eo genuflectentibus, ut supra. *Pater noster. Et ne nos.* Versiculus : *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* Respondetur : *In æternum, et in seculum seculi.* Versiculus : *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.* Respondetur : *Miserere nobis Domine, miserere nobis.* Versiculus : *Respice, Domine, faciem Christi tui.* Respondetur : *Et exaudi preces servorum tuorum.* Versiculus : *Adjuva nos, Deus salutaris noster.* Respondetur : *Et propter gloriam nominis tui libera nos.* Versiculus : *Salvos fac nos, Domine Deus noster.* Respondetur : *Ut liberati serviamus tibi.* Versiculus : *Alleva manus tuas super gentes alienas.* Respondetur : *Ut videant, et agnoscant potentiam tuam.* Versiculus : *Hostium nostrorum tolle superbiam.* Respondetur : *Et eorum contumaciam prosterne.* Versiculus : *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Respondetur : *Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Versiculus : *Ecce inimici tui, Domine, surrexerunt.* Respondetur : *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* Versiculus : *Mitte nobis, Domine, auxilium de Sancto.* Respondetur : *Et de Syon tuere nos. Kyrie, eleyson. Christe, eleyson. Kyrie, eleyson.*

Et, his dictis, surgat, surgentibus omnibus

Digitized by Google

benedicens, stans, ut prius; prosequatur manibus in modum Præfationis dispositis, dicens : *Domine, exaudi orationem meam.* Respondetur : *Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum.* ℣. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

« Omnipotens sempiterne Deus, qui pretioso » sanguine dilectissimi Filii tui Domini nostri » Jesu Christi genus humanum redimere, ac in » ejus humilitate jacentem mundum erigere » dignatus es, tribue, quæsumus, ut hic famulus » tuus per te redemptus, sive hi famuli tui, qui » adversus impias Tartarorum et Turcarum » gentes, ceterasque barbarorum nationes vi- » vificæ crucis inimicos pro tui nominis gloria » arma suscepturi sunt et pugnaturi, virtutis » tuæ brachio sublevati, ad Ecclesiam tuam vic- » tricia signa reportent, per eundem Christum » Dominum nostrum. Amen. »

Quo dicto, benedicens aspergat cruce signatos cum aqua benedicta. Deinde, cum manu faciendo super eis crucis signum, dicat in singulari, si unus est signatus, et, si plures simul erunt, in plurali : *In hoc signo* ✠ *vade. In hoc signo* ✠ *vince. In hoc signo* ✠ *revertere.* Et omnes adstantes respondeant, *Amen.* Tum benedicens, sive sit Prælatus, sive non, osculatur signatum in facie, dicens : *Pax tibi.* Cui signatus respondet : *Et cum spiritu tuo.* Adstantes autem osculantur, si volunt, crucem in pectore signati affixam, et vadant in pace.

Hactenus Cæremoniale Paridis Grassi. Abs re denique forte non erit celeberrimam S. Bernardi Epistolam in calce hujusce Appendicis describere, quam anno 1146 ad Eugenium III Papam scripsit, ipsum excitans ad suppetias Orientali Ecclesiæ ferendas ; multa siquidem in ea epistola sunt quæ titulo huic xx conveniunt. Sic autem habet :

» Non est leve verbum quod sonuit : triste satis et grave est. Et cui triste ? Immo, et cui non triste ? Soli filii iræ iram non sentiunt, nec tristantur, sed lætantur et exultant in rebus piissimis. De cetero communis tristitia est, quia communis est causa. Bene fecistis, justissimum zelum nostræ Gallicanæ Ecclesiæ collaudando, et corroborando auctoritate litterarum vestrarum. Non est, dico vobis, in causa tam generali et tam gravi tepide agendum, sed ne timide quidem. Legi apud quendam (*a*) sapientem : Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico fideli homini magis et inter flagella fidendum. Intraverunt aquæ usque ad animam Christi : Tacta est pupilla oculi ejus. Exerendus est nunc uterque (*b*) gladius in passione Domini, Christo denuo patiente, ubi et (*c*) altera vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque; est alter suo ausu, alter sua manu, quoties necesse est, evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est : (*d*) *Converte gladium tuum in vaginam.* Ergo suus erat et ille, sed non sua manu utique educendus.

» Tempus et opus esse existimo ambos educi in defensionem Orientalis Ecclesiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale est hoc, principatum tenere, et ministerium declinare ? Vox clamantis : (*e*) Venio Hierosolymam iterum crucifigi. Ad quam vocem etsi alii tepidi, alii et surdi sint : successori Petri dissimulare non licet. Loquetur et ipse (*f*) : *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Nec terrebitur damnis (*g*) prioris exercitus, quibus magis resarciendis operam dabit. Numquid ideo non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult ? Ego vero pro tantis malis, tanquam christianus et fidelis, meliora sperabo, et omne gaudium existimabo, quod in varias tentationes incidimus. Revera panem doloris comedimus, et potati sumus vino compunctionis. Quid diffidis, amice sponsi, quasi non more suo vinum bonum servaverit usque adhuc benignus et sapiens sponsus? *Quis* (*h*) *scit, si convertatur,*

(*a*) Intelligit Senecam in Epistola II ad Lucilium.

(*b*) De duplici hoc gladio, lege librum IV sancti Bernardi *De consideratione ad Eugenium*, cap. III, et ibidem Horstii notas, et quæ nos infra dicemus.

(*c*) Intelligit Hierosolymam, ubi Christus passus est, uti ex Evangelio constat.

(*d*) Exstat hæc Christi allocutio in Evangelio Joannis, cap. XVIII, versiculo XI.

(*e*) Vide Hegesippum, lib. III. *De excidio Hierosolymitano*, cap. II.

(*f*) Desumptus est locus ex Evangelio Matth. c. XXVI, v. XXXIII.

(*g*) Monet hic Bernardus minime animum esse abjiciendum ob acceptam cladem in amissione civitatis Edessæ.

(*h*) Exstat hic locus cap. II Joel.

Digitized by Google

et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem. Et certe sic operari, sic judicare superna Divinitas solet : scienti loquor. Quando magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna prævenerint mala? Nam, ut cetera taceam, nonne illud unicum et singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Salvatoris?

» Tu ergo, amice sponsi, amicum te in necessitate probato. Si triplici illo amore, de quo tuus interrogatus est (*a*) prædecessor, tu quoque toto corde, tota anima, tota virtute Christum diligis, ut oportet; nihil reservabis, nihil dissimulabis in tanto periculo sponsæ ejus; sed quidquid habes virium, quidquid zeli, quicquid sollicitudinis, quidquid auctoritatis, quicquid potestatis, impendes. Singulare periculum singularem exigit operam. Fundamentum concutitur, et tamquam imminenti ruinæ totis est nisibus occurrendum. Et hæc propter vos, fidenter quidem, sed fideliter dicta.

» De cetero verbum illud, quod jam, ni fallor, audistis : quomodo videlicet in Carnotensi (*b*) conventu, quonam judicio satis miror, me quasi in ducem et principem militiæ elegerunt : certum sit vobis nec consilii mei nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ, quantum metior vires meas, pervenire usque illuc. Quis sum ego ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiam si peritia non deesset? Sed neque hoc meum est vestram docere sapientiam : nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitores estis, ne me humanis voluntatibus exponatis; sed, sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perquiratis, et operam detis ut, sicut voluntas in cœlo, sic fiat. »

TITULUS XXII.

DE BENEDICTIONE ARMORUM.

I. Tametsi inter Catholicos satis conveniat licitum esse homini Christiano militem agere, arma sumere et bella agere, Lutherus tamen, qui nihil incontaminatum reliquit, pertinaciter negat Christianis etiam adversus Turcas licitum esse sumere arma : innititur tum variis divinæ Scripturæ locis spiritu suo privato perperam intellectis, tum etiam ea ratione, quia, si Turcæ Christianos invadant, illa est Dei voluntas, cui non licet resistere. Verum ea in re Germanis, hominibus ad arma natis, imponere minime potuit, sicut in aliis suis dogmatibus. Nos, cum de ea controversia fuse egerimus nostro I tomo hujus operis in Commentariis ad titulum XXIII, qui inscribitur *De Benedictione novi militis,* supervacaneum existimamus actum iterum agere hoc loco.

II. Ut ergo ad nostrum accedamus titulum, armorum benedictio antiqua est in Ecclesia; exstat siquidem in Ordine antiquo Romano, et in plurimis manuscriptis libris Pontificalibus. Benedicebantur autem arma non modo eorum qui in sacras expeditiones proficiscebantur, verum etiam cum ad se purgandum quis ad singulare certamen descendebat. Cujus rei mentionem nos fecimus in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, etc.*, lib. III, cap. XII. Sed hæc disciplina, quæ diu in Ecclesia tolerata fuit, merito tandem sublata est, ne videretur tentari Deus ad facienda miracula.

III. Est quidem antiqua Christianorum militum pietas ut non modo arma, sed et ipsi præsertim qui ad bellum proficiscebantur, Episcopali benedictione munirentur. De imperatoris Ju-

(*a*) Alludit ad locum Joannis in Evangelio, cap. XXI, ubi Petrum primum Romanum Pontificem Jesus interrogavit an ipsum diligeret.

(*b*) De hoc conventu, ubi Bernardus electus fuit anno 1146 dux sacræ expeditionis, legendæ sunt, ut alibi etiam notavimus, Petri Venerabilis et Sugerii Epistolæ.

Digitized by Google

stiniani classe in Africam contra Wandalos profectura, lib. I cap. XII, ita scribit Procopius Cæsariensis : « Justinianus majorem prætoriam » ad littus quod imperatoris aulæ præjacet, ap» plicari jussit. Huc Epiphanius Urbis archie» piscopus se se contulit, ac, rite Deum precatus, » militem quemdam a Baptismo recentem, et » modo consortem factum nominis Christiani, » in navem immisit. » Epiphanium patriarcham Constantinopolitaneum non solos milites benedixisse, sed etiam classem, diserte scribit Nicephorus Callixtus. Id quod de aliis alii scriptores tradunt.

IV. Viguit hæc semper apud Græcos pietas, quorum *Euchologium* hosce hodieque habet titulos: *Oratio ad compingendam navem. Officium in barbarorum adventum, ac gentilium incursum. Canon supplex ad SS. Deiparam in rumore belli. Oratio in imperatorem, ac ejus exercitum. Oratio in celoce pro classe in aliquam urbem missa. Oratio in promotione procerum vel etiam patriciorum. Oratio in eum qui ministerium sive officium aliquod est subiturus.* Est, ut dixi, antiqua apud ipsos pietas, quæ cœpit haud dubie cum Magni Constantini imperio. De Persis Mesopotamiæ Theodosiopolim obsidentibus, et quodam inter ipsos rege divinam Majestatem blasphemante, scribit lib. V *Ecclesiasticæ Historiæ*, cap. XXXVI, Theodoretus, quod « Rabiem hanc non ferens divinus ille vir » (Eunomius præfatæ civitatis episcopus) bali» stam, cui nomen a Thoma Apostolo erat, in » muri pinna statui jussit, lapidemque ingentem » imponi, atque in ejus, quem blasphemaverat, » nomine emitti jussit : qui recta in illum im» pium regem est directus. » Ergo tunc Græci non solum milites aut ipsorum arma benedicebant, sed et ipsas balistas aliaque tormenta bellica.

V. Quanta sit apud Latinos benedictionis Episcopalis virtus, expertus fuit Clodovæus seu Ludovicus I, Francorum rex, de quo in Gothos moturo bellum ita scribit in Remensis Ecclesiæ Historia Flodoardus Presbyter : « Ludovicus, » accipiens a beato Remigio benedictionem, » redditur de victoriæ perceptione securus. Cui » vir quoque sanctus, ut et pridem fecerat, vas, » quod vulgo flasconem vocant, vini a se bene» dicti plenum dedit, hoc idem quod antea » mandans, ut eo usque ad bellum procederet, » donec sibi suisque, quibus exinde dare vellet, » hoc vinum de prædicto flascone non deficeret. » Bibit igitur rex ex eo, pluresque suorum; vas » tamen vini non patitur detrimentum. Bellum » vero cum Gothis conserens, eos in fugam » vertit, et ipse, beato Remigio suffragante, » victor exstitit. In qua pugna cum duo Gothi » contis eum in latere feriunt, hujus patroni » sui se prosequentibus meritis, illum cædere » nequiverunt. Multis autem civitatibus ditioni » suæ subactis, usque ad Tholosam perrexit, et, » Alarici Gothorum regis thesauros accipiens, » per Engolismam civitatem, cujus, ante con» spectum ipsius, muri corruerunt, interfectis » Gothis qui erant intus, ad propria cum glo» riosa redit victoria, vino flasconis non defi» ciente, donec reversus est in sua. »

VI. Ergo Episcopalis militum benedictio fecit non modo civitates capi, sed et muros ipsarum sine tormentis corruere. Fuit benedictum vinum quasi ipsius benedictionis sigillum; ad ejusque virtutem comprobandam varia authentica exempla afferri possent. Certe affirmat Flodoardus, ritum benedicti vini, aut alterius Eulogiæ adjungendæ morem, fuisse S. Remigio familiarem. Solent hodieque Germani die festo S. Joannis Apostoli vinum benedicere, et ad amorem ejus bibere, ut testatur Matthias Fabri in Concione V in ipsius Apostoli festo, in quo etiam contra hæreticos eum morem defendit; ubi inter alia ita scribit, num. III : « Cum enim » S. Joannes venenum sine læsione biberit, » non temere crediderunt veteres potum sibi » non fore noxium, quem in honore et cum » benedictione S. Joannis sumerent. » Tum varia enarrat miracula, quibus Deus non vanam esse hanc benedictionem ostendit. Vide Gretserum, l. I *De benedictionibus*, c. XXXVIII, ubi inter alia formulam Orationis in ipsa benedictione vini ex quodam codice Rituali describit.

VII. Rursus arma, homines, classem, solemni ab Episcopo benedictione, antequam hostes aggrederetur, fuisse munitam, docet nos in Vita S. Petri Thomasii ex Carmelitarum Ordine, patriarchæ Constantinopolitani, et ab Innocentio VI Pontifice Maximo ad sacrum bellum Legati, Philippus Mazzerius Cyprii regni Cancellarius, his plane verbis : « Petrus Le» gatus, personis Ecclesiasticis totius exercitus

Digitized by Google

» associatus, in galæam regis ascendit pro be-
» nedictione generali exercitus Dei ferenda.
» Erat hic Petrus Cypri rex, procedens in Æ-
» gyptum et Palæstinam. Et adscenso in loco
» eminentiori galææ, ut ab omni exercitu videri
» posset, rege prope ipsum stante, et omnibus
» stantibus ac Legatum respicientibus, et omni-
» bus signis et vexillis galæarum et aliorum
» navigiorum depositis, Legatus quamdam lar-
» gam et inauditam atque pulcherrimam be-
» nedictionem a Spiritu sancto incœpit, anti-
» quum Testamentum et novum in benedictione
» allegando, modo navigia, modo arma, modo
» personas, modo mare, modo totum exercitum
» benedicendo in honorem crucis et destructio-
» nem Saracenorum, auxilium Dei invocando.
» Rex vero, et omnis exercitus Legato devotis-
» sime ad omnes benedictiones capitibus in-
» clinatis respondebant, et in magna devotione
» erant. »

VIII. Afferri et alia exempla possent. Celebre est illud quod de Stephano Anglorum rege, ac ejus exercitu contra Scotos pugnaturo, scribit in libro *De bello standardico* Ricardus Prior ecclesiæ Hugustaldensis : « Turpinus Eboracensis
» archiepiscopus illis post acceptam privatam
» pœnitentiam indixit triduanum cum eleemo-
» synis jejunium, ac deinde absolutionem et
» benedictionem Dei ac suam solemniter tri-
» buit. » Bellum standardicum inde appellatum observat Lupus, in celebri sua dissertatione *De antiqua disciplina Christianæ militiæ*, cap. XIII, quod sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sibi hi milites etiam in vexillo seu standardo prætulerunt. Addit antiquis etiam Christianis notam hanc ac usitatam pietatem fuisse, a nostris utique temporibus venerandam, nequaquam vero imitandam. Porro pia militum ad prælium præparatio, præsertim contra Christianæ Religionis ac Fidei hostes, jam olim illis passim impetrabat victorias.

IX. Plura ex adverso exempla habemus apud scriptores Ecclesiasticos, qui nos docent militiam ex pravis Christianis coactam, victam non semel fuisse ab hostibus. De S. Leone Papa IX tenentibus Siciliam Nortmannis bellum illaturo scribit ad annum 1055 Hermannus Contractus : « Papa ab imperatore Romam reversus digre-
» ditur. Secuti sunt autem eum plurimi Teu-
» tonicorum partim jussu dominorum, partim
» quæstu adducti, multi etiam scelerati et pro-
» tervi diversasque ob causas patria pulsi. Quos
» ille omnes tum consuetæ nimiæ misericordiæ
» compassione, tum etiam quia eorum opera ad
» imminens videbatur bellum indigere, cle-
» menter et gratanter suscipiebat. » Addit, pugnam « occulto Dei judicio infelicissime succes-
» sisse : sive quia tantum Sacerdotem spiritualis
» potius quam pro caducis rebus carnalis pugna
» decebat, sive quod nefarios homines quam-
» multos, ad se ob impunitatem scelerum vel
» quæstum avarum confluentes, contra itidem
» sceleratos oppugnandos secum ducebat, sive
» divina Justitia alias, quas ipsa novit, ob causas
» nostros plectente. » Exstant in Codice Theodosiano leges imperatorum, qui Paganis, Judæis, Hæreticisque militare prohibent.

X. Docent passim sancti Ecclesiæ Patres, atque antiqui scriptores, eos qui militiæ adscribuntur non modo debere esse Catholicos, sed etiam ex Evangelii regula vivere, præsertim reges ac duces. Hinc de Belisario imperatoris Justiniani duce ereptam Wandalis Carthaginem gloriose intrante scribit lib. I *De bello Wandalico*, cap. XXI, Procopius, « quod ea die Beli-
» sarius laudem consecutus est tantam ut glo-
» riam non eorum modo qui tunc vivebant, sed
» veterum etiam, obscuraverit. Cum enim Ro-
» manis militibus solemne sit nunquam sine
» tumultu urbem sibi subditam ingredi, si vel
» tantum quingenti sint, præsertim quando est
» profectio subitanea ; ille suos omnes ita con-
» tinuit in officio, ut nec contumeliæ nec minæ
» usquam jactæ fuerint, non impeditum civitatis
» commercium, sed in urbe capta, quæ regimen
» ac dominum mutaverat, tabernæ usque pa-
» tuerunt. Scribæ, datis libellis hospitalibus, in
» domos pro more induxerunt milites : hi, emptis
» quæ quisque voluit cibariis, quievere. »

XI. Quam alieni sint ab hac disciplina hodierni duces ac milites, non oportet exemplis ostendere ; sunt enim omnibus nota, iis præsertim qui longam ducum ac militum moram suis in urbibus oppidisque cum ingenti rei familiaris jactura perpessi sunt. Unde non mirum si per istiusmodi milites nulla aliquando obtineatur victoria, ut Belisarius ipse censuit; cujus ea de re concionem, quam ad milites suos dixit in Africa, ex memorato Procopio, lib. I, cap. XVI, audire præstat : « Inferre vim, et rapto ac alieno

Digitized by Google

» vivere, scelus alias ideo videtur esse quia jus » violatur. Nunc autem tantum habet offensio- » nem, ut, posthabita æquitate, nihil aliud, nisi » quantum ex hac licentia periculum proficis- » citur, attendere nos oporteat. Ego sane in » terram vos exposui, hoc uno fretus, quod » Afri, qui Romani ex stirpe sunt, in fide erga » Wandalos claudicent, sintque illis infensi. » Propterea nobis nec deficere commeatum, » nec hostem ullo incursu nociturum existima- » bam. At nunc vestra illa intemperantia res » partem in contrariam vertit. Nam Africano- » rum benevolentiam Wandalis, odium vobis » modo conciliastis, adjuvante natura, quæ in- » justam vim patientes ab inferentibus alienat. » Eoque cupiditatis præposteræ deventum est, » ut, pro argenteis pauculis quos servastis, ve- » stram securitatem et honorum copiam abje- » ceritis, cum, cibaria a volentibus dominis » coemendo, injustitiæ notam vitare, eorumque » amicitiam colligere promptum esset. Igitur » hostes simul Wandalos simul Afros patiemur. » Addo quod Deum ipsum, qui nemini injuriam » facienti opitulatur. »

XII. Spectat hæc Belisarii concio militem quemdam qui modica cibaria, quæ pauculis argenteis comparari potuerant, cuidam Afro rustico rapuerat. De ista rapina queritur in recitata concione dux religiosissimus, quæstumque ipsum furtivum injustum atque periculosissimum esse adjungit, utpote qui addictos Romanis et a Wandalis aversos Afrorum animos alienaret, divinamque advocaret vindictam, adeoque omnem victoriam diverteret. Sed audiamus quid statim in ea concione sequitur : « Agitedum : » in aliena involare nolite amplius, et quæstum » periculosissimum amovete, quando ex absti- » tinentia et moderatione salus maxime pendet : » effrenata autem licentia ad interitum ducit : » nam si dicta sancte curabitis, Deum propitium, » Afros amicos, Wandalos aditu faciles expe- » riemini. » Hactenus Belisarii concio, quæ quidem *quadrat nostro tempori*, ut eruditissimi Lupi verbis utar, cap. x dissertationis *De antiqua disciplina Christianæ militiæ*.

XIII. Celebre est quod de militibus sui temporis refert S. Gregorius episcopus Nyssenus in elogio Quadraginta sanctorum Martyrum : « Est » ad me, inquit, pertinens vicus, in quo beatis- » simorum Martyrum reliquiæ requiescunt. » Non procul abest parva civitas, quam Iboram » vocant. In hac cum ex recepta Romanorum » consuetudine census militum institueretur, » quidam ex militibus ad prædictum vicum » venit, a tribuno ad vici custodiam destinatus, » ut commilitonum suorum invasiones et inju- » rias propulsaret, quas milites rusticanis au- » dacter inferre solent. » Fuit is miles probus ac pius, ejusque pes, quo incurabiliter claudicabat, ab apparente sibi uno Martyrum sanatus est. Porro queritur in ipso elogio Gregorius, Romanum tunc et Christianum militem fuisse adeo licentiosum, ut vicini vici indigerent tali custodia.

XIV. Quantum denique eorum sit ducum ac militum scelus qui, occasione belli, non modo homines laicos Clericosque, sed ecclesias etiam ipsas spoliant, docet nos laicus princeps, imperator Carolus Magnus in suo *Capitulari*, lib. VII, cap. 188, ubi ait anathematizatos esse hujusmodi homines, et in præsenti sæculo infames esse ac perditos, et a consortio fidelium, in omnibus absque pane et aqua, fieri alienos, atque, si absque Ecclesiæ satisfactione de hac vita recesserint, a regno Dei fore extorres. Adjungit, se perditos istiusmodi homines sua per omnia privare societate : « Quia non solum qui faciunt, » sed et qui facientibus prava consentiunt, sunt » rei. Satius enim nobis est regnum non habere » terrenum, quam æternum perdere. Plus vero » credo Deum posse, quam omnem militem » sæcularem. » Tum ipsa concludit : « Quapropter omnes scire cupimus, si, super his » quibus fruimur bonis, universum mundum » lucrari potuissemus, nostras vestrasque animas perdere noluissemus, nec se pro prædictis cupiditatibus perdere volentibus assentiri. »

XV. Commendat hanc regulam eruditissimus Lupus in laudata sua dissertatione, cap. x, eamque inquit omnes Christianos reges, duces ac milites debere suis mentibus memoriter inscribere, præsertim vero reges ac duces, ob illam scilicet rationem, quod omnia gregariæ turbæ facinora atque flagitia, quæ ipsi sua auctoritate ac cura impedire non student, illis propria fiant. Id quod Gallicanæ Synodi constituto comprobant, quæ Magni Caroli filium et successorem, Ludovicum ob hunc etiam articulum degradavit : « In expeditionibus multa et innumerabilia

Digitized by Google

» sunt in populo Christiano flagitia perpetrata, » in homicidiis et perjuriis, in sacrilegiis, in » adulteriis, in rapinis, in incendiis, sive in Ec- » clesiis, sive in aliis locis, in direptionibus et » oppressionibus pauperum, in miserabili et » pene apud Christianos inaudito patratu. Quæ » omnia ad auctorem reflectuntur. »

XVI. Celeberrimum est ea in re S. Pii V exemplum, quod utinam Christiani principes ac duces, adversus paganos et hæreticos pugnaturi, ob oculos haberent et sequerentur! Ubi enim Pontifex Joannem Paulum Odescalcum ad Joannem Austriacum et ad alios belli duces Legatum misit, quod inter ipsos non satis convenirent de pugna cum hoste Christiani nominis conserenda, inter alia Odescalcum monuit divinam opem sibi esse piis precibus implorandam; eamque affuturam, si militum animos ab effusa licentia ad sanctiora instituta revocaret, militaremque disciplinam tota classe ad Christianæ pietatis formam componeret : mixtos ex perdita et infima hominum fæce sicarios, exsules, latrones, obæratos ad nomina danda confluere; itaque purgaret ipse exercitum missionibus flagitiosorum; in primis vero detestabiles et maxime Deo invisas blasphemias interdiceret, infames ludorum labes, et desidiam, maximas peccandi illecebras, arceret; socios ac milites prohiberet injuria; denique prius adversus peccata, quibus iræ cœlestes provocantur, et acuuntur hostium tela, quam hostes ipsos bellum sibi gerendum putaret. Hæc quidem Pontificis nomine ad Joannem Austriacum ducem habuit Odescalcus, ut testatur Gabutius, libro quarto *De Vita et rebus gestis Pii Quinti Pontificis Maximi*, capite II, ubi etiam refert addidisse Odescalcum : « Hæc si fecisset, non solum milites obedien- » tiores habiturum, sed victoriam quoque haud » dubiam brevi relaturum. » Quod quidem ita contigit, ut legere est apud memoratum Gabutium, cap. IV.

§ I.

Pontifex benedicturus arma, quæ aliquis Ministrorum coram eo tenet, aut supra altare vel aliquam mensam ponuntur, stans sine mitra dicit :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Benedictio Dei omnipotentis, Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, descendat super hæc arma et super induentem ea, quibus ad tuendam justitiam induatur. Rogamus te, Domine Deus, ut illum protegas et defendas, qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Alia Oratio. OREMUS.

Deus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliam vires mirabiles tribuisti : clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almifica pietate bene ✠ dicere digneris; et concede famulo tuo N., eadem gestare cupienti, ut ad munimen et defensionem sanctæ Matris Ecclesiæ, pupillorum et viduarum, contra invisibilium et visibilium hostium impugnationem, ipsis libere et victoriose utatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Deinde aspergit ea aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Exstat is titulus de benedictione armorum, una cum recitatis versiculis atque binis Orationibus, in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, in quo tamen Orationes ipsæ conceptæ

Digitized by Google

numero plurativo sunt, et cum aliqua etiam variatione verborum, uti videre est nostro I tomo *Commentariorum in Romanum Pontificale*, pag. 651, in nota sub littera *b*. In Ordine antiquo Romano, ubi agitur de ritu armandi Ecclesiæ defensoris, vel alium militem, variæ exstant orationes, quibus vexillum, lancea, ensis benedicuntur. Defensio a Romana republica devenit ad Ecclesiam, eratque in republica nobile officium, civile aliud, aliud militare. Vide Lupum in canonem XXIII Chalcedonensem, et Thomassinum, parte I *Ecclesiæ Disciplinæ*, lib. II, cap. XCVII et pluribus sequentibus, ubi varias quæstiones de Ecclesiarum defensoribus scitu dignas fuse atque eleganter pertractant.

II. Porro constat ex duabus hisce Orationibus nostri Pontificalis, institutos fuisse atque armatos defensores ad munimen Ecclesiæ, pupillorum et viduarum, quos olim potentes quidam misere vexabant exspoliabantque. Excogitatum istud muneris genus a Patribus Africanis, ex Concilio Carthaginensi IV, can. IX, perspicue deducitur : « Propter afflictionem pauperum, » inquit, quorum molestiis sine intermissione » fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus » potentias divitum, cum Episcoporum provi- » sione delegentur. » Huc spectare videtur quod in *Euchologio* legitur, in Ordine seu Ritu promovendi proceres, seu patricios. Hæc enim ibidem Oratio exstat : « Domine Deus noster, » qui in cœlo et in terra omnis imperii virtu- » tisque potestatem habes, cui servum tuum » *N.* patriciatus magistratum suscipere com- » placuit : postulata saluti conducentia ipsi » concede; et subditos in justitia et æquitate » ipsum judicare, ut in quibus versatur, tibi » placeat, largire. Fac illum pauperibus et ege- » nis omne misericordiæ opus demonstrare, et » ejus administros in pace et subjectione agere » permitte. Germina quoque terræ ad omnis » populi tui abundantiam multiplica. Quia tua » est potestas, et tuum est regnum. *Sequitur* » *alia oratio :* Deinde, repositam in antimensio » super mensam, Sacerdotalem stolam accipit » Patriarcha, et a cæremoniis tradit; quam ipse » patricio imponit, atque ita patricius venera- » tur et osculatur Patriarcham, et communicat, » et discedit. » Varia in hoc Ordine observat eruditus Goar; notandum nobis obiter est : 1° nullam in ipso Ordine fieri de ense, seu aliis armis, mentionem; 2° Sacerdotali stola fuisse ornatum patricium; 3° promotum patricium osculum Patriarchæ præbere debuisse; 4° demum communicare. Porro variis insignibus apud Latinos ornari olim consuevisse patricios, fuse ostendit in suo *De Patriciis* opere eruditissimus Octavianus Gentilius.

III. Quod aliam orationem spectat in hoc nostro § I descriptam, alludit quidem ejus initium ad cap. XVII lib. I Regum, in quo, Philisthæis contra Israelem ad pugnam congregatis, Goliath gigantem, in armis et fortitudine confidentem, inermis David occidit, præcisumque caput diffusis Philistæis ad Saulem tulit. Quæ in ipsa Oratione sequuntur, satis ostendunt id quod alias diximus, nimirum benedici arma, ut qui eadem gestat, ad muninem et defensionem S. Matris Ecclesiæ, pupillorum et viduarum defensionem adhibeat. Hoc itaque est votum Ecclesiæ, et antiquorum Pontificalium præscriptum, ad quod alludens Petrus Blesensis, qui sæculo Christi XII floruit, in Epistola XCV ad Joannem Archidiaconum ita inquit : « Sed » et hodie tirones enses suos recipiunt de al- » tari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque » ad honorem Sacerdotii, ad tuitionem paupe- » rum, ad patriæ liberationem gladium acce- » pisse. » Porro quoniam multa in hac Epistola sunt quæ ad militarem attinent disciplinam, ritusque illustrant qui in hoc et sequenti titulo continentur, eosque etiam quos tomo I hujus operis in Commentariis ad titulum XXIII, qui est *De benedictione novi militis*, enarravimus, operæ pretium duxi integram Epistolam ipsam hoc loco describere, in qua invehitur auctor in quosdam sui ævi nostrique temporis duces ac milites, quod sacrum Clericorum Ordinem impie proscindant, ecclesias diripiant, pauperes vexent, et a virtute veterum militum, quorum virtutes depingit, longissime discesserint. Sic ergo scribit ad ipsum Joannem archidiaconum de insolentia nepotum ejus militum.

IV. « Nepotum vestrorum militum fastuosam gloriam tolerare non possum, qui, vitæ militaris eminentiam jactantes, Clericorum sortem multiplici detractione depravant, vitam et operam eorum ducentes in opprobrium et contemptum. Sane in depravatione ordinis nostri non multum eorum extollentia promovetur : qui, si essent milites, aut quæ militum pro-

Digitized by Google

fessio esset cognoscerent, deferrent Clericis; et se a scurrilitate verborum, quadam puellari modestia, temperarent. Porro ordo militum nunc est ordinem non tenere. Nam cujus os majore verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, iste hodie in cœtu militum fortior et nominatior reputatur. Tolerabilius mihi essent, si alii quam nepotes vestri in hanc superbiæ et abusionis audaciam prorupissent : maxime cum illi a pueritiæ cunabulis solam in vobis modestiam noverint, solam a vobis didicerint honestatem. Verumtamen, cum omnis ætas prona sit ab adolescentia in malum, ex quo suis adhæserunt commilitonibus, ab eis mores perditos contraxerunt. Nam et in rhetoricis argumentum trahitur a convictu; et : *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea* (a).

Uvaque conspecta livorem ducit ab uva (*a*).

Militaris hodie disciplina, quam Vegetius Renatus ac plerique alii docuerunt, prorsus evanuit, et se in quamdam delinquendi libertatem et scurrilitatis speciem deformavit. Olim se juramenti vinculo milites obligabant, quod starent pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, et quod vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent. Sed et hodie tirones enses suos recipiunt de altari ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad honorem Sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum et patriæ liberationem gladium accepisse. Porro res in contrarium versa est : nam, ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, et desæviunt in patrimonium Crucifixi. Spoliant et prædantur subjectos Christi pauperes, et miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus et extraordinarias impleant voluptates. Refert Lucas (*c*) quod milites accedentes ad Joannem Baptistam interrogaverunt eum, dicentes : *Magister quid faciemus et nos ? — Neminem, inquit, concusseritis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* Qui contra inimicos crucis Christi vires suas exercere debuerant, potibus et ebrietatibus pugnant, vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in immunditiis transigentes, nomen et officium militiæ dehonestant. Nihil damnabilius est in milite, quam otium; per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, et ad immunditiæ actus animus occupatur. Ideo P. Nasica cum exercitum in hibernis regeret, licet usu classium non egeret, ne tamen miles corrumperetur desidia seu crapula, vel per otii libertatem superbiret, naves ædificari instituit. Legitur Trajanus imperator milites suos, quoties vacabant a præliis, exercuisse in cursu, in saltu, in usu cantandi, in studio cæsim vel punctim feriendi, mittendique lapides manu vel funda, et missilia jaciendi : eos ad omnes modos erudiens quibus bellum sustineri debeat aut inferri. De magno Pompeio refert Sallustius, quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis robore certabat. Verumtamen ex quo ipse et Senatus, ac populus Romanus otio et quieti vacare cœperunt, qui quandoque in remotissimis nationibus hostiles insultus modico agmine propulsabant, superveniente Cæsarea paucitate reliquerunt præsidia fortissimæ Urbis, et in sola fuga sibi fiduciam posuerunt. Sed et hoc præcipue Cæsaris excitabat audaciam, quia res ei erat adversus otiosum militem, ducemque emeritum et qui longa pace dediscerat ducem. Refert Trogus Pompeius, quod novissimus rex Assyriorum Sardanapalus propter otium et mollitiem vitæ a regali solio turpiter est dejectus. Quid Romanos extulit? aut unde habuerunt super omnes populos principatum? nomen eis et gloriam acquisivit armorum usus, et exercitatio præliorum. Vegetii Renati testimonio, inutilis est omnino militiæ nutritus tenere, et deliciis assuetus : eum autem censet præliis aptiorem, qui sub dio et sole nutritur, laboris patiens, umbræ negligens, balneorum nescius, æque ferens frigoris injurias et caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderatiore contentus, qui non erubescit fossam ducere, reparare aggeres, ferre lapides, et cæmentum lignorumque materiam comportare. Ideo teste eodem auctore, Romana juventus quondam abluebat in Tiberi sudorem quem cursu vel exercitio campestri collegerat : nec minus balnea quam effemi-

(*a*) Ecclesiastici cap. XIII. — (*b*) Juvenalis, Satyra II. — (*c*) Cap. III.

Digitized by Google

natrices aquas (*a*) Salmacis abborrebat. Sed etiam in temporibus Judicum (*b*) Jerobaal, sive Gedeon, ut figuralium mysteria taceantur, Domino mandante, prohibitus est in multitudine delicata atque inexercitata et timida Madianitis occurrere. Cumque clamaret Gedeon cunctis audientibus : Qui formidolosus est et timidus, revertatur, recesserunt ab eo viginti et duo millia, et tantum decem millia remanserunt. Sed et de illis, tanquam ad bellum expeditiores, duntaxat elegit qui in siti sua velut canes lamberent, et festinantius aquam ad os mitterent : illis prorsus abjectis qui se ad bibendum flexo poplite inclinabant. In trecentis itaque facta est liberatio populi, quos non crediderim inter delicatiores epulas et exquisita convivia didicisse aquam lambere. Quos ideo præelegit Dominus, quia necessitati satisfecerunt in humilitate naturæ. Hodie in deliciis nutritur, et tota ad carnis delicias se relaxat philosymbola nostra.

In cute curanda plus æquo operosa juventus (*c*).

Quod si milites nostros ire in expeditione quandoque oporteat, summarii eorum non ferro sed vino, non lanceis sed caseis, non ensibus sed utribus, non hastis sed verubus onerantur. Credas eos ire ad domum convivii, non ad bellum. Clypeos deferunt optime deauratos, prædam potius hostium cupientes quam certamen ab hostibus, et eos referunt, ut ita loquar, virgines et intactos. Bella tamen et conflictus equestres depingi faciunt in sellis et clypeis, ut se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi aut videre non audent. Eleganter Scipio Africanus, sicut in libro *Stratagematum* Julius Frontinus refert, cum scutum cujusdam vidisset auro et gemmis multipliciter ornatum, dixit se non mirari quod tanta diligentia ornasset in quo plus præsidii quam in ense haberet. Æneas quidem gemmas a digitis ad ensem, Virro a digitis ad pocula legitur transtulisse. Refert Pericles non picturam, non aurum et lapides, sed scutum divulsum, fractam galeam, hebetem gladium, faciem vulneratam cedere militibus ad ornatum. Porro cum nostri milites ab expeditione sine vulnere et cicatrice, sanis etiam et integris armis per Dei gratiam revertuntur, curritur ad bibendi conflictum.

Crateras igitur læti statuunt, et vina coronant.
Atque exhausta canunt prælia marte gravi.
Illic Æacides, illic tendebat Ulysses.
Et pingunt fluido Pergama tota mero.

Garriunt igitur et laxant procaces linguas in detractionem hominum innocentum, desæviunt in Christos Domini, referuntque et conferunt labores suos et otia Sacerdotum. Datur itaque inter eos sententia, et communi lege sancitur ut decimas auferant, ut Ecclesiæ et Clero non deferant, ut excommunicationem non timeant, ut non revereantur Deum, ut injuriis afficiant Sacerdotes, quidquid in usus Ecclesiæ cessit de largitione avitæ aut paternæ liberalitatis, evacuent. Verumtamen magnus Dominus et terribilis nimis, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, ipse salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem, tollensque virgam peccatorum desuper sortem justorum, arguet pro mansuetis terræ, et obstruet os loquentium iniqua, dejicietque omnem extollentiam verborum. Cum autem dicat Dominus Sacerdotibus suis : *Qui vos spernit, me spernit; et qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* (*d*) : si nepotes vestros diligitis et zelatis ad vitam, ne pereant cum Oza dum ad arcam Domini manum temerariam porrigit : ipsos ad reverentiam Ecclesiæ et officialium Christi salutaribus monitis formate. Nam, cum eos receperitis in sortem familiaritatis et participium mensæ vestræ, non estis omnino immunes a culpa, si commensales vestros permittitis passim garrire in Clericos et in Ecclesiam protervire. Verum est quia nepos vester S. in brachio et fortitudine advocati Bethuniæ quandoque forsitan semel solemnes militiæ titulos acquisivit : sed non propter hoc adversus Ecclesiam Dei superbiæ ventum debuerat concepisse. Nihil enim est quod magis laudis imminuat pretium, quam suos assidue jactare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. Legitur de Mario, quod cum plurima fecisset egregie, una sui jactatione gloriam famæ perdidit (*e*) : et, quia sibi præsumpsit adscribere

(*a*) Salmacis fons est in Caria, juxta Halicarnassum dictus Venereus, ab amœnitate incolarum, ubi paulatim homines illecti omnem feritatem deposuerunt. Meminit ejus fontis Ovidius xv Metamorph. : *Cui non audita est obscœnæ Salmacis unda?*

(*b*) Judicum cap. vii. — (*c*) Horatius lib. i, Epistola ii.— (*d*) Lucæ x. — (*e*) Plutarchus, in C. Mario.

Digitized by Google

quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit. Ut ad domestica jactantiæ et ostentationis veniamus exempla, rex Ezechias (*a*), quem Dominus in umbra horologii, in appositione annorum et fuga Sennacherib, præ universis regibus honoraverat, quia nuntiis Merodach filii Baladan regis Babylonis pigmenta, unguenta quoque et domum vasorum, cellasque aromatum et omne quod erat in thesauris suis, ad ostentationem et jactantiam demonstravit, juxta verbum Isaiæ filii Amos, thesauri ejus ablati et in Babylonem translati sunt : Filii quoque ejus captivati, et in palatio regis Babylonis facti sunt eunuchi. Triplex quoque optio divinæ animadversionis proposita est David, eo quod ad jactantiam Dei populum numeravit. Sed et Nabuchodonosor (*b*) quia se magnificavit in fortitudine, et decore, et gloria regni sui, humiliatus in animal brutum, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Utinam non intumescant adversus Christum et Christos ejus ; sed humiliter ac devote recolant qualiter per gratiam Dei, aut potius vestram, de pulvere paupertatis et de stercore sunt evecti. Nam et Abraham, electus et vocatus a Domino, memor tamen suæ conditionis : *Loquar* (*c*) *inquit, ad Dominum, cum sim pulvis et cinis.* In Levitico (*d*) etiam, de sacrificio avium, præcipitur, ut plumæ et vesicula pulmonis deponantur in pulvere, quatenus is quem Dominus exaltat, humilietur, et inter divinæ gratiæ magnificentias se pulverem recognoscat. Bene valeatis.

TITULUS XXIII.

DE BENEDICTIONE ENSIS.

I. Est et antiqua ensis benedictio in Ecclesia Christiana, uti fuse ostendimus nostro I tomo hujus operis, in Commentariis ad titulum XX *De benedictione et coronatione regis;* et ad titulum XXIII *De benedictione novi militis;* ubi etiam notatum est quanta cæremonia atque solemnitate, novo præsertim militi benedictus ensis daretur. Præter benedictionem et coronationem regis atque benedictionem novi militis, id est extra eam occasionem, consuevit jam olim solus benedici ensis, et tradi alicui sine aliis servatis ritibus ; uti constat ex antiquo manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Bisuntinæ, in ea rubrica quæ inscribitur : *Dum quis juvenis cupit se in primis accingi gladio ;* atque ex prisco ritu, quo Romæ Summi Pontifices in nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ut testatur Augustinus Patricius, Piccolomineus per adoptionem dictus, qui trecentis ab hinc fere annis floruit, lib. I *Rituum Ecclesiasticorum sive sacrarum cæremoniarum,* capite inscripto, *De Ense in nocte Nativitatis Domini dando et benedicendo;* consueverunt ensem benedictum cum quodam cappello ducali ornatum candidis margaritis in formam columbæ, alicui magno principi, si præsens est, dare, vel, si non sit præsens, ad aliquem regem vel alium principem per aliquem ex suis transmittere. Quem ritum una cum aliis scitu dignis integrum, in Appendice ad hunc titulum, referemus atque etiam dilucidabimus.

§ I.

Pontifex, ensem benedicere volens, illo, cui tradendus est, coram eo genuflectente, quem unus ex Ministris coram eo tenet, stans sine mitra, dicit.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

(*a*) Isaiæ cap. XXXIX. — (*b*) Danielis cap. IV. — (*c*) Genesis cap. XVIII. — (*d*) Cap. I.

Digitized by Google

OREMUS.

Benc✠dicere digneris quæsumus, Domine, ensem istum; et hunc famulum tuum, qui eum, te inspirante, suscipere desiderat, pietatis tuæ custodia munias et illæsum custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ II.

Deinde aspergat ensem aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, tradit eum illi cui tradendus est, genuflexo coram eo permanenti, dicens : *Accipe ensem istum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, et utaris eo ad defensionem tuam, et ad confusionem inimicorum crucis Christi ac Fidei Christianæ; et, quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste lædas. Quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Consonat ritus in duobus hisce §§ descriptus cum manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi. Vestigium primæ Orationis legere est quidem in Ordine antiquo Romano, ubi agit de armando Ecclesiæ defensore vel alio milite. Mandat enim ut Episcopus militem benedicens, istam Orationem proferat : « Famu- » lum tuum, quæsumus, Domine, pietatis tuæ » custodia muniat, ut hunc ensem, quem te in- » spirante suscipere desiderat, te adjuvante il- » læsum custodiat. Per. » Pro varietate Pontificalium, variæ leguntur formulæ Orationum benedicendi ensem eumque tradendi.

II. In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ, etsi nulla recenseatur formula ad tradendum alicui ensem, duæ tamen exstant Orationes ad ipsum benedicendum. Prima hæc est : « Deus custos et in te sperantium protector, » adesto supplicationibus nostris; et concede » huic famulo tuo, qui sincero corde gladio se » primum nititur præcingere, ut in omnibus » galea tuæ virtutis sit protectus; et, sicut David » et Judith contra gentis tuæ hostes fortitudinis » tuæ potentia victoriam tribuisti, ita, tuo auxi- » lio munitus, contra hostium suorum sævitiam » victor ubique existat, et ad sanctæ Ecclesiæ » tutelam proficiat. Per. » Alterius Orationis, quæ statim sequitur, hæc sunt verba : « Deus, » qui trinos gradus hominum post lapsum Adæ » in toto orbe terrarum constituisti, quo plebs tua » fidelis, immunis ab omni impetu nequitiæ, » secura et quieta permaneret, adesto supplica- » tionibus nostris; et hunc ensem, quem invo- » catione tui nominis benedicimus, ita famulus » tuus, cui eum, te largiente, concedimus et » accingimus, utatur, quatenus et hostes Eccle- » siæ Dei insidiantes reprimat, et seipsum ab » omni fraude inimici tua protectione potenter » defendat.

III. Ex hisce Orationibus et aliis plurimis quibus ad benedicendum ensem variarum Ecclesiarum Episcopi utebantur, satis jam liquet quam ob causam ensem benedicerent, ad defensionem scilicet ecclesiarum, pupillorum ac viduarum, atque ad confusionem inimicorum crucis Christi et Fidei Christianæ. Puto frequentissimas præsertim fuisse post annum Christi millesimum istiusmodi benedictiones, propter bella quæ adversus Infideles et hæreticos atque schismaticos Christiani olim principes suscipiebant. Porro benedictio ensis reddebat eum qui ipso utebatur fortem, audacem, securum et quasi invulnerabilem, modo ipsum ensem ad defendendam justitiam, non vero ad aliquem injuste lædendum adhiberet.

IV. Quod S. Sergii Martyris reliquiæ eos qui ipsas secum deferrent, invulnerabiles redderent, pluribus quidem exemplis demonstrat in *Francorum Historia*, lib. VII, cap. XIII, S. Gregorius Turonensis episcopus, qui etiam adjun-

Digitized by Google

git Gundebaldum Burgundiæ regem aliquid ipsarum acquirere summopere studuisse. De S. imperatore Henrico, bellum in barbaros Schlavos movente, scribit in ejus Vita auctor antiquus, quod, « congregato exercitu, contra » prædictas nationes aciem direxit, et, faciens » transitum per locum qui Walbeck dicitur, » gladium sancti Adriani Martyris, qui pro re- » liquiis multo tempore ibi servabatur, accepit. » Quo accinctus, ex toto corde clamavit, et » dixit : *Judica, Domine, nocentes me, expugna* » *impugnantes me. Apprehende arma et scu-* » *tum, et exsurge in adjutorium mihi.* »

V. Fortasse gratum erit lectori in calce tituli hujus ritum illum describere, quo, ex antiqua Romanæ Ecclesiæ consuetudine, Summi Pontifices nocte Nativitatis Domini ensem benedicere cum quodam capello ducali solent. Sic enim ritum ipsum describit Augustinus Patricius, qui trecentis circiter abhinc annis floruit, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum* : « In nocte Nativitatis » Domini nostri consueverunt Romani Ponti- » fices ensem benedictum, cum quodam capello » ducali, ornatum candidis margaritis in for- » mam columbæ, alicui magno principi, si » præsens est, dare ; vel, si non sit præsens, ad » aliquem regem vel alium principem, per ali- » quem ex suis, transmittere. Sed quamvis ensis » benedictus vocatur, Sixtus Papa IV aliqua » verba ordinavit, cum ensis datur, quæ sub- » jiciam. »

VI. Ergo antiqua est istiusmodi ensis benedictio, ritusque tradendi alicui principi ensem ipsum cum capello ducali, cujus mentio reperitur in rituali codice Jacobi Gaetani, quem Bonifacius VIII, qui floruit labente sæculo III, Cardinalem creavit. In antiquioribus Romanis Ordinibus, in iisque quos sæculo XII Benedictus, canonicus Sancti Petri, aut Cencius de Sabellis scripsere, nullam ritus ipsius reperire est vestigium, ut testatur Edmundus Martene in opere *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XII, num. X. Vide Macrium in suo *Hierolexico*, verbo *Lectio*, ubi inter alia ita scribit : « In Matutino Nativitatis Domini, » quando occurrit gladium a Pontifice benedici » una cum ejus pileo; dux si præsens fuerit, » debet canere quintam lectionem, superpelli- » ceo indutus, supra quod cingit gladium, et » superinduitur pluviali albo, cujus apertio » seu scissura erit a latere dextero, et caput » pileo tectum habet; quod tamen detegit, et » adstanti Ministro consignat, dum lectionem » canit, etc. »

VII. Quantum ad formam qua in ipso ense ac pileo benedicendo utitur Pontifex, ita inquit memoratus Augustinus Patricius : « Benedictio » autem poterit fieri hoc modo, si placebit. » Pontifex indutus alba, cingulo, amictu et sto- » la, antequam sumat cappam purpuream, qua » in hac nocte uti solet, benedicit ensem, quem » Clericus cameræ in manu tenet, dicens : » ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* » ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Dominus* » *vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. » Benedicere digneris, quæsumus, Domine Jesu » Christe, hunc ensem in defensionem sanctæ » Romanæ Ecclesiæ et Christianæ reipublicæ » ordinatum nostræ bene ✠ dictionis officio, ad » vindictam malefactorum, laudem vero bono- » rum; ut per eum, qui, te inspirante, illo » accingetur, vim æquitatis exerceas, molem- » que iniquitatis potenter evertas, et sanctam » Ecclesiam, ejusque fideles, quos ut precioso » sanguine tuo redimeres, hodie in terris de- » scendere, et carnem nostram sumere dignatus » es, ab omni periculo protegas atque defen- » das, et famulum tuum, qui hodie gladio in » tuo nomine armatus erit, pietatis tuæ firma » custodia munias, illæsumque custodias. Qui » vivis et regnas cum Deo Patre in unitate » Spiritus sancti Deus, per omnia secula secu- » lorum. Amen. »

VIII. Finita hac Oratione, ut idem Patricius scribit : « Aspergit deinde gladium et capellum » aqua benedicta, et incenso adolet, deinde » cappam, et, præcedente Clerico cameræ cum » ense benedicto immediate ante crucem, » Pontifex descendit ad capellam, et cetera » servantur, ut in officio noctis Nativitatis Do- » mini dicetur. » Fortasse ad hanc benedictionis cæremoniam alludit quod legitur in cæremoniali codice Domini Rothomagensis de Stoutavilla apud Laudatum Martenium : « Si impe » rator, inquit, vel rex sit in curia hac nocte, » Sacrista vel Clerici præsentant sibi librum » legendarum, in quo debet legere quintam » lectionem, et eum honeste instruunt de cære- » moniis observandis in petendo benedictio- » nem, in levando ensem cum vagina et extra-

Digitized by Google

» hendo, ipsum vibrando, et de pluviali, pileo, » et aliis. Item notabiliter paretur, per Sacristam » et Clericos cameræ, ensis cum vagina, corri- » gia, et pileo secundum nobilitatem principis. » Addit et alia, quibus iterum atque iterum fit mentio ensis ac pilei, qui in ea functione principi usui erant.

IX. Sed audiamus mysticam rationem, quam de benedictione ipsa ensis ac pilei describit Patricius his plane verbis : « Cum vero Pontifex » dat ensem prædictum alicui præsenti, dicit » hæc verba, quæ, ut dixi, Sixtus IV in- » stituit : « Solent Romani Pontifices in præ- » clara Natalis Domini celebritate christianissi- » mo clarissimoque alicui principi ornatum » ensem dare aut destinare : quæ res profecto » non caret mysterio. Unigenitus namque Dei » filius, ut humanam naturam suo reconciliaret » auctori, eam assumere dignatus est, ut in- » ventor mortis diabolus, per ipsam, qua vice- » rat, vinceretur : quæ quidem victoria per » ensem congrue designatur. Fuerunt insuper » infideles Ariani, qui non veriti sunt Dei Filium » puram creaturam affirmare; cum tamen ho- » dierni Evangelii Scriptura testetur Deum » omnia fecisse per verbum. Largitur igitur » præsenti die Maximus Pontifex ensem Dei, » infinitam potentiam signantem in Christo, » Deo vero, Patrique æquali, et vero homine » residentem; per quem facta sunt omnia, juxta » Davidicum illud : *Tui sunt cœli, et tua est* » *terra : orbem terræ et plenitudinem ejus tu* » *fundasti, aquilonem et mare tu creasti.* Sedes » denique, Apostolica videlicet Sedes, a Christo » suum sumpsit stabilimentum, extititque præ- » parata Dei justo judicio, præmio atque justi- » tia; quibus Salvator noster Jesus, verus Deus » et homo, profligavit Sedis ipsius adversarios, » hæreticos videlicet et tyrannos, juxta id quoque » Propheticum : *Justitia et judicium præparatio* » *sedis tuæ.* »

X. « Figurat denique Pontificalis hic gladius » potestatem summam temporalem a Christo » Pontifici, ejus in terris Vicario, collatam, juxta » illud : *Data est mihi omnis potestas in cœlo* » *et in terra.* Et alibi : *Dominabitur a mari* » *usque ad mare, et a flumine usque ad terminos* » *orbis terrarum.* Quam et declarat cappa illa » sericea quam Pontifices gestare solent in nocte » Nativitatis Domini. Nos ergo volentes, ut » æquum est, approbatas sanctorum Patrum » consuetudines observare, statuimus et prin- » cipem Catholicum, sanctæque Sedis, a Deo » utrumque gladium habentis, filium devotissi- » mum hoc nostro præclaro munere insignire, » nec non et hoc pileo in signum muniminis et » defensionis adversus inimicos Fidei et sanctæ » Romanæ Ecclesiæ, protegere. Firmetur igitur » manus tua contra hostes Sanctæ Sedis ac » Christi nominis, et exaltetur dextera tua; eos, » veluti ipsius assiduus intrepidusque propu- » gnator, de terra delendo, et armetur caput » tuum Spiritus sancti, per columbam figurati, » protectione, adversus eos in quos Dei justitia » atque judicium pro Romana sancta Ecclesia » et Apostolica Sede præparatur. Quod tibi » præstare dignetur idem Dei Filius, qui cum » Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus » per infinita secula seculorum. Amen. »

XI. Hactenus allocutio Pontificis, mysticum sensum benedictionis ac traditionis ensis ac pilei explicantis, ut legere apud laudatum Augustinum Patricium, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum*, cap. *De Ense in nocte Nativitatis Domini dando et benedicendo.* In quo, post recitata Pontificiæ allocutionis verba circa ipsius ritus mysterium, hæc statim sequuntur : « Princeps » qui ense donatus est, ut primum illum de » manu Pontificis accepit, pedem et manum » ejus osculatur, et pro tempore gratias agit; » deinde discedens deducitur ad domum habi- » tationis suæ a familiaribus et domesticis Præ- » latis Papæ, et ab amicis, oratoribus et nobili- » bus qui voluerint illum honorare. Servientes » armorum præcedunt illum qui ensem cum » pileo ante principem præfert, et in hoc actu » ipsi debent habere præcipuam strenam, sicut » cursores in rosa. » Huc usque Ordo benedictionis ensis ac pilei in nocte Nativitatis Domini. Ubi nota, strenam nihil aliud esse quam munus sive pecuniam dari hodie Romæ solitam die Christi Natalitia, et kalendis augusti.

XII. Retinent eam vocem non modo Calabri, et alii incolæ regni Neapolitani, sed et Siculi ac Melitenses, ut testatur Macrius in suo *Hierolexico*, verbo *Strena.* Ubi, post allatam ejus vocis etymologiam ex *Glossa Juris Canonici*, « Strena, quasi sine threna, id est sine lamen- » tatione, » ita statim subjungit : « Sed hodie » contrarium efficit in Urbe, ubi tantus inolevit

Digitized by Google

» servilis insolentiæ abusus, ut quasi de jure » sibi debitum proventum prætendat, quem » Mangia vocant : unde intolerabiles montistis, » aulicis et litigantibus sunt prorsus tales Mini- » strorum importunitates. » Certe explicari satis nequit quantus sit hodie Romæ istiusmodi abusus. Ut enim admittatur quis ad aliquem principem salutandum, in libro statim notatur a famulorum decano, ut nimirum non modo in prima salutatione, sed et bis in singulos annos, in festis scilicet Natalis Domini et kalendis augusti, suum famulis ipsis tributum solvat. Quamobrem æqua est Juvenalis expostulatio, qui similem sui temporis abusum ita suggillat Satyra III :

Commune id vitium est. Hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? Omnia Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento libello?

Et paulo post :

. . . . . præstare tributa clientes
Cogimur, et cultis augere peculia servis.

XIII. Sed omisso hoc abusu, qui profundas jam ita egit radices ut irreparabilis esse videatur, videamus quid de mystica hujus gladii benedicti notione Reginaldus S. R. E. cardinalis Polus ad Philippum et Mariam Angliæ reges ducentis ab hinc circiter annis scripserit. Sane acceperant a Romano Pontifice Julio III Philippus et Maria conjuges Angliæ reges et fidei in eo regno Zorobabeles sacra munera quibus reges honestari solent : Maria rosam auream, Philippus gladium. Quid sibi hæc munera vellent, ab ipso Reginaldo Polo sciscitati sunt. Is sententiam suam scripto comprehensam tradidit, quod Angelus Rocca Ordinis Sancti Augustini, Apostolici Sacrarii præfectus, atque episcopus Tagastensis, Commentario suo *De aurea Rosa*, adjunxit; et inter alios Theophilus Raynaudus, Societatis Jesu, theologus, in lucem edidit, suæque lucubrationi *De Gladio et Pileo a Pontifice initiatis* inseruit, sectione prima, § I. Quamvis autem instituti nostri non sit nisi de gladio agere, alio enim rosa aurea pertinet; quia tamen Polus utrumque illud munus nexuit, et ad eumdem scopum, hoc est ad plenam regiorum ornamentorum expressionem, retulit, placet utramque illius scriptionis partem hoc loco describere. Sic ergo habet.

DE ENSE, PILEO, ET ROSA, PONTIFICIIS MUNERIBUS, CARDINALIS POLI EXEGESIS.

« Ad Serenissimos Regem et Reginam, Angliæ Reges.

» I. Ut felicis recordationis Julii III Pontificis Maximi obitus memoriam eorum munerum quæ is, non multo ante quam e vita decederet, ad Majestates Vestras per Nuntium Antonium Augustinum, virum sibi propter virtutem atque doctrinam valde charum, misit, a gratissimis vestris animis tollere non potuit; ita nec mea invaletudo memoriam mihi abstulit ejus rei quam a me, pridie quam in morbum incidi, postulastis : ut de significatione eorum munerum quæ magna cum cæremonia traduntur, propter ea quæ dici solent, aliquid ad vos scriberem : idque, ut per valetudinem licuit, facere institui; eo sane lubentius, quo, accuratius rem mecum considerans, quæ ad præclaram regii muneris functionem pertinent, hæc donis illis tanquam in tabella quadam expressa significari perspexi; de quo, ut audire Majestatibus Vestris, singulari Dei providentia et benignitate ad regnum vocatis, semper gratum esse debet; sic nulla res est de qua magis decet Christi summi Sacerdotis et regis vicarium quacumque ratione vos commonefacere, aut ejus Legatum vobiscum loqui.

» II. Hæc igitur munera cum ab eo sint benedicta cui Christus suum in terris locum et jus benedicendi dedit, gladius cum cingulo et pileo (hoc enim primum munus fuit) ea nocte est benedictus qua Christus natus est, quem Deus Pater vobis, ut inquit Scriptura, benedictionem misit. Quæ quidem benedictio Pontificia hanc habet vim et significationem, iis omnibus utilem qui gladii, id est justitiæ, potestatem obtinent; ut eos admoneat, si recte ac salutariter hac potestate uti velint, illis primum intelligendum esse a quo sibi ea sit tradita, nempe ab ipso Christo, cum quo simul nata est justitia, cujus quidem natalis solemniter ea nocte celebratur qua gladius est benedictus. Is autem a Prophetis *Rex justitiæ* est appellatus, non modo quod justus sit, sed quod sit fons justitiæ, cui servire debent omnes reges et principes, ab eoque hanc virtutem petere. Ille vero, etsi natus est Rex cœli et terræ, nec ullis terminis regnum ejus

Digitized by Google

continetur; tamen, ob singularem charitatem quam erga domum Davidis habet, sedere dicitur super solium ejus; ut verba illa Angeli ad benedictam Christi Matrem, antequam is nasceretur, ostendunt : *Hic erit Magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Quæ quidem domus sumus nos, qui, Christi beneficio ac munere, in familiam Abrahæ et domum acciti fuimus.

» III. In hac ipsa domo cum Majestates Vestræ regnent et gladii potestatem obtineant, hic gladius nocte Natalis Domini benedictus hoc eas admonet, non a seipsis primum nec e populis suis jus gladii habere, sed ab eo cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, cui primum dictum est : *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Ille vero etsi potentes omnes gladio accingit, tamen hoc sibi tum maxime acceptum referri vult, cum eos accingit qui ad populi sui utilitatem et consolationem eo sunt usuri. Id quod satis ostendit Isaias Propheta, qui de Cyro rege, etsi is a vero Dei cultu religioneque erat alienus, tamen, quia populum Israel sublevaturus esset, permissa illis in patriam revertendi potestate, ex persona Christi sic ait : *Accinxi te, et non cognovisti me.* Qui igitur, gladii potestatem obtinens, Dei populum maxima consolatione lætitiaque nunc affecit, hoc regno ad Ecclesiam, a qua penitus sejunctum erat, quæ unicuique patria charior esse debet, restituto; quis dubitet quin hunc ipse Christus gladio accinxerit? Quod scilicet summa cum animi lætitia videns Christi Vicarius, ad vos gladium hunc benedictum cum cingulo et pileo misit, quo duas res ad cognoscendum maxime necessarias vobis proponeret; alteram, ut illum agnoscatis a quo jus gladii accepistis; alteram, ab eodem facultatem eo recte utendi petatis. Id quod ipse Summus Pontifex a Deo precatur, cum gladium benedicit : qui non propter se benedicitur, sed propter eos quibus jus gladii datur.

» IV. Quid sit autem verus gladii usus, per pileum ostenditur margaritis ornatum; iisque inter se ita distinctis, ut speciem columbæ efficiant. Nam, cum velamen capitis, ut Apostolus interpretatur, indicet dominum habere cui pareat; quibus pileus cum gladio datur, hoc nimirum significatur, non suo illis arbitratu utendum esse gladii potestate, sed ejus a quo illam acceperint, qui Dominus est et caput omnium. Quale vero sit hoc caput, declarat pilei ornatus, id est margaritarum candor, et species columbæ. Hac enim specie Spiritus sanctus se ostendit super caput Christi regis nostri. Ex his Majestates Vestræ intelligent non humano spiritu, qui iræ, odio, ambitioni atque avaritiæ est obnoxius, gladii potestate sibi utendum esse, sed spiritu ejus qui, dum in terris versaretur, animum candidiorem margaritis habuit; super quem Spiritus sanctus cum omnibus suis donis requievit, cui servire regnare est. Hoc autem modo ei reges servire debent, ut ejus animi candorem, quem margaritæ designant, imitentur, et in simplicitate fidei, quæ etiam per columbam significatur, permaneant; utque eos omnes qui idem faciunt, gladii potestate tueantur; nec gladium stringant nisi contra illos qui vel aperte sunt nostræ Religionis hostes, vel fidei simplicitatem corrumpunt, vel contra bonos mores et leges peccant. Hic verus est gladii usus, atque hæc significatio munerum, gladii et pilei, quibus scilicet reges, ad quos mitti solent, docentur : primum, a quo potestatem regiam acceperint; deinde, quales ipsi esse, quos tueri gladio, et contra quos gladium stringere debeant.

» V. Nunc dicendum est de aureæ rosæ significatione. Hanc vero satis indicat tum ratio benedictionis, et tempus, ac etiam ipsius rosæ natura. Quo quidem flore nihil ad aspectum et odoratum potest esse jucundius, ejusque folia multiplicem utilitatem et usum habent. Ex quo sane aurea hæc rosa in primis gratum quiddam et jucundum significat : quod etiam dies confirmat quo ea benedici solet : qui dies est Dominica quarta Quadragesimæ, quæ ab Ecclesia Dominica *Lætare* appellatur. Quod vero ad ejus benedictionem attinet, Pontifex Maximus, tam in hac benedicenda quam in gladio, pro iis regibus ac principibus ad quos ea munera missurus est, precatur ut a Deo gratiam per Christum consequantur officio suo recte fungendi. Duo sunt autem quæ in officio regis potissimum spectentur; alterum, ut malos pœnis coerceat; alterum, ut bonos præmiis afficiat. Ex his enim duobus constant leges, quarum tuendarum causa principes ac reges constituti sunt. Quod si in pœnis intelligendis,

Digitized by Google

quod est opus justitiæ, rex Dei benedictione indiget, multo quidem magis in præmiis dandis; cum non minus in hoc quam in altero peccetur; magisque hoc proprium sit naturæ ejus in qua primum est creatus homo, quam in primis semper benedictio Dei spectare solet. Ob id enim, simul ac procreatæ res fuerunt, his Deus benedictionem impertivit, ut quæque res secundum genus suum fructus ederet. Homo vero, ad imaginem ejus qui ipsum creavit, in justitia et sanctitate conditus, hanc se benedictionem, ut fructus pro naturæ suæ ratione ferat, accepisse tunc ostendit, cum potestatem de cæteris benemerendi exercet : quæ quidem talis est ut semper delectet, ac, veluti rosa, odorem suum late diffundat. Hujus igitur aureæ rosæ, quæ principibus et regibus dono mittitur, benedictione significatur ipsa benemerendi potestas, cum qua sunt conjuncta, clementia, liberalitas, beneficentia, omniaque quæ a principibus jucunda et grata proficiscuntur. Hæc autem quæ de utraque regum potestate dixi, quam gladius et rosa designant, tempus etiam ipsum confirmat, quo tempore hæc ipsa benedicuntur. Gladius enim benedicitur cum horrent omnia, cumque res videntur sub maledicto esse. Id quod ostendit potestatem hanc magis esse necessariam quam gratam aut hominis propriam : quemadmodum nec Dei est, qui, cum ea utitur, ut est apud Prophetam, alienum a se opus operari dicit. Hæc tum homini data est, cum is, Deo ob peccatum invisus, benedictionem amisisset. Benedicendi autem potestas simul cum homine nata est : illi enim Deus hanc tribuit, cum eum ad imaginem ac similitudinem suam effinxit; de qua potestate tantum ipse amisit, quantum ipse de pulchritudine ejus imaginis per peccatum detraxit. Quia vero beneficia accipere, qui hujus potestatis est fructus, semper hominem delectat, ideo rosæ illa merito comparatur : et, quæ signum est hujus, rosa aurea, verno tempore, quo die *Lætare* Ecclesia canit, benedicitur.

» VI. Hæc habui, benedicti Principes, quæ de horum benedictorum munerum significatione dicerem. Quæ quidem tum audisse demum Majestatibus Vestris utile fuerit, si his donis idoneo loco rite conditis, eorum memoriam vobiscum circumferetis, neque unquam ex piis vestris animis effluere patiemini. Quæ sane vos admonere poterunt, quoties pro regia vestra potestate aliquid vobis gerendum erit quod Deo et hominibus gratum atque jucundum futurum sit, ut ad eum ipsi precibus confugiatis qui fons est omnis benedictionis; id est ad Christum, verum omnium Regem ac Dominum, cujus illa natali nocte benedicta sunt, et hanc ob causam ad vos missa. Hoc quidem si feceritis, et vos et qui ditioni vestræ atque imperio subjecti sunt populi, beati eritis. Quod Vestris Majestatibus concedat solus potens et beatus Deus, qui est benedictus in secula. Amen. »

VII. Huc usque religiosissimus cardinalis Reginaldus Polus, accommodans suam horum munerum sacrorum interpretationem personis cum quibus agebat, et ad quas ea munera directa fuerant a Pontifice. Quid vero in ea interpretatione desiderari posset, fuse edisserit memoratus Raynaudus in sua celebri *De Gladio et Pileo a Pontifice initiatis* lucubratione. Porro præter superius ex Augustino Patricio descriptam formulam benedictionis ac traditionis gladii ac pilei; alia sæculo elapso congesta formula fuit, et ab Urbano VIII Pontifice Maximo prima quidem vice in ejusmodi traditione servata, cum principe scilicet Uladislao Sigismundo serenissimi regis Poloniæ et Sueciæ primogenito, die 19 januarii anni 1625. Pontifex enim sacris indutus stans, ex libro ita legit : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Pater noster, etc. Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fortitudo mea, et laus mea Dominus.* ℟. *Et factus est mihi in salutem.* ℣. *Si consistant adversum me castra.* ℟. *In hoc ego sperabo.* ℣. *Non salvatur rex per multam virtutem.* ℟. *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* ℣. *Hi in turribus, et hi in equis.* ℟. *Nos autem in nomine Dei exercituum.* ℟. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

« Omnipotens sempiterne Deus, præliantium » fortitudo, et triumphantium gloria, dilectum » hunc filium tuum, coronatum scuto bonæ » voluntatis tuæ, armare digneris galea salutis,

Digitized by Google

» et diadema perfecti decoris impone super » caput ejus, ut, sævientibus periculis, e me» dio umbræ mortis abire possit incolumis, » ad tutelam fidelium populorum, et gloriam » Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit » et regnat in sæcula sæculorum. Amen. »

Pontifex deinde sedet, et cooperto capite pileum accipiens, principis seu regis capiti imponit, dicens : « Accipe, dilectissime fili noster, » pileum hunc aureis Spiritus sancti radiis » micantem, ubi candentes uniones, non ra» pacis aquilæ crudelitatem, sed paciferæ co» lumbæ innocentiam effingunt. Cogitare enim » debes, bella tum demum justa esse, cum non » usurpandi imperii, aut opum rapiendarum cu» pidine geruntur, sed suscipiuntur Spiritu san» cto admonente, ad propugnandam Fidem, et ad » stabiliendam pacem, quæ relicta principibus » fuit hæreditas Christi in cœlum redeuntis, qui » vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. »

Assurgit deinde Pontifex, et accipiens gladium e vagina eductum, dicit : ℣. *Væ genti insurgenti super genus meum.* ℟. *Dominus omnipotens vindicabit in eis.* ℣. *Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine.* ℟. *Et non fecit vindictam in nationibus non credentibus.* ℣. *Apprehende, Domine, arma et scutum.* ℟. *Et exsurge in adjutorium mihi.* ℣. *Judica, Domine, nocentes me.* ℟. *Et expugna impugnantes nomen tuum.* ℣. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* ℟. *Et arcus eorum confringatur.* ℣. *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* ℟. *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* ℣. *Notam fecisti in populis virtutem tuam.* ℟. *Redemisti in brachio tuo filios Israel et Joseph.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

« Omnipotens bellator, qui terribilis es apud » reges terræ, et doces præliantium digitos ad » bellum, dilectum hunc filium nostrum N. » præcinge gladio illo ancipiti qui profligat le» giones inferni, ut militet cum eo orbis terra» rum adversus insensatos, et molas leonum » conterat, et dentes peccatorum confringat ; ut, » in splendore fulgurantis hastæ tuæ, barbaras » nationes subdat Domino nostro Jesu Christo, » qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus » sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. » Amen. »

Pontifex sedens, capite cooperto, ensem nudum tradit principi, dicens : « Accipe, dilectis» sime fili noster N., mucronem Domini, et gla» dium salutis; et fiat, in dextera virtutis tuæ, » innocentium tutela et impiorum flagellum; » et ad gloriam Dei Omnipotentis, et sanctæ » matris Ecclesiæ, illucescant coruscationes ejus » orbi terræ. »

Deinde Pontifex gladium vagina tegit, principem eo accingit, dicens : « Accingat te gladio » suo super femur tuum potentissimus, qui » superbis resistit, humilibus autem gratiam » dat. Tu autem crebris victoriis cole Deum » exercituum, et ultionum Dominum, in no» mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. » Terque super principem Pontifex benedicit, et princeps Pontificis pedem, manum, et os oscu» latur, eique gratias agit.

VIII. Hactenus formula benedictionis ensis ac pilei ab Urbano VIII præscripta, quæ idipsum sonat quod sonat formula benedictionis ab Augustino Patricio concinnata; nempe apprecationem feliciter bellandi, ac tuendi Ecclesiam, vel, quos justum est, a mala impetitione defendendi, aut propulsatis hostibus in tuto locandi. Cæterum qui plura de eo ritu desiderat, legat lucubrationem quam *De Gladio et Pileo a Pontifice initiatis* edidit Theophilus Raynaudus. Ut autem aliquod exemplum litterarum proferam quibus Romani Pontifices benedictum ensem ac pileum ad magnos principes mittere consueverunt, placuit hoc loco describere egregiam Clementis XI Epistolam, qua dignis primum laudibus effert ac celebrat virtutem principis Eugenii de Sabaudia ob præclaram de Turcis in Hungaria relatam victoriam, eidemque, per equitem Horatium Rasponum, misit in argumentum Pontificiæ voluntatis pileum ac ensem solemni ritu benedictos, quibus Romani Pontifices strenuos ac illustres Christianæ reipublicæ sanctæque Religionis propugnatores decorare consueverunt. Sic ergo tenor ipsarum litterarum habet.

« CLEMENS PAPA XI

» *Dilecto Filio, nobili viro, principi Eugenio a Sabaudia.*

» Dilecte fili, nobilis Vir, salutem, etc. Firmam constantemque fiduciam quam in per-

Digitized by Google

specta nobilitatis tuæ virtute ac fortitudine reposuerat Christiana respublica, adeo excedit insignis omneque in ævum memoranda a te de Turcis nuperrime relata victoria, ut universi Christi fideles certatim maximas tibi laudes ubique tribuant. Et quidem innumeras barbarorum copias ea felicitate ac celeritate fere ad internecionem profligasti, ut celebris illius Romanorum ducis, qui venit, vidit, vicitque, gloriam æquasse videaris. Triumphas itaque, et sane merito, non tam in excidio hostium quam in amoribus gentium et benedictionibus populorum, qui te barbaricæ perfidiæ ac superbiæ domitorem, publicæ incolumitatis vindicem, orthodoxæque religionis assertorem fortissimum prædicantes, tuum nomen, antea quidem illustre ac longe lateque gloriosum, ad astra ferunt. Addimus et nos fidelium plausibus suffragium nostrum, præclarumque servatæ a gravissimo discrimine christianæ rei beneficium eximiæ virtuti et sapientiæ tuæ acceptum referentes, amplissimam, quæ inde facta tibi est, immortalis honoris ac meriti accessionem tibi prorsus ex animo gratulamur. Cum autem ingentia ex te in eamdem rem christianam derivata commoda, quæ nos in primis afficiunt, peculiare gratæ voluntatis testimonium a nobis plane reposcant, mittimus nobilitati tuæ per dilectum filium Horatium Rasponum, equitem Hierosolymitanum, familiarem nostrum, nobisque tum generis tum animi præstantia summopere acceptum, ensem et pileum cœlestibus benedictionibus large ditatos, quibus Romani Pontifices prædecessores nostri strenuos ac illustres Christianæ reipublicæ sanctæque Fidei propugnatores interdum decorare consueverunt; ut, ejusdem sacri muneris inflammatus mysteriis, gladio quidem circa femur tuum potentissime accingaris; pileo vero veluti galea salutis ad infensissimorum hostium superbiam in dies magis magisque confringendam induaris. Volumus autem ut idem sacrum munus, per aliquem in Ecclesiastica dignitate constitutum, ac, si fieri poterit, Episcopali charactere insignitum virum, peracto sacrosancto Missæ Sacrificio, rite ac juxta consuetum morem tibi tradatur. Nos interea Dominum exercituum assiduis enixisque precibus obsecrare non omittemus, ut partam victoriam novis usque triumphis cumulare, fugatique exercitus reliquiis omnino deletis, meditatam hostilium actuum expugnationem tibi ex voto fluere benigne velit. Ac nobilitati tuæ faustorum eventuum auspicem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, etc., die 7 septembris 1716, Pontificatus nostri anno 16. »

IX. Antiquitus quidem etsi ensis et pileus in nocte Nativitatis Domini a Pontifice benedici consueverint, observat tamen Franciscus Pagi in *Breviario gestorum Pontificum Romanorum*, ubi agit de Urbano VI, nunc ipsam ensis ac pilei benedictionem fieri in quocumque festo solemni, probatque ex eo quod ensem ac pileum, quos ad principem Eugenium Clemens XI misit ob victoriam ab illo de Turcis ad Varadinum anno 1716 reportatam, in ecclesia Sanctæ Mariæ de Populo die octava septembris consuetis ritibus benedixerit. Sed servatum etiam antiquitus hunc morem fuisse ut, etiam extra Nativitatem Christi, ensem Pontifex benediceret, alicuique principi Romæ degenti donaret, ex eodem auctore Pagio addiscimus, qui in Vita Urbani V ita scribit : « Juxta Bzovium, anno 1368, » num. IV, in festo Paschatis, seu die nona » aprilis, benedictum inter sacrificandum ensem » auratum eidem reginæ Joannæ adsidenti do» navit, ipsa vero Petro regi Cypri, qui, eo ac» cinctus, Nicolaum Spinellum Juvenatium Re» ginæ cancellarium baltheo militari ornavit. » Ubi nota Joannæ, utriusque Siciliæ reginæ, datum primo a Pontifice *Ensem auratum*, ab ipso Pontifice inter Missarum solemnia benedictum, deinde vero ipsum ensem ab ipsa regina Petro regi Cypri. Ista est Joanna, quæ Clementi VI Pontifici Maximo et Ecclesiæ Romanæ suam civitatem Avenionensem vendidit cum omnibus ejus juribus pretio octoginta millium florenorum auri de Florentia : contractum approbante Ludovico ipsius viro, tum adhuc titulum comitis Provinciæ gerente. Cujus exstat instrumentum publicum confectum Avenione die 9 junii anni 1348, quod integrum legitur in *Historia episcoporum Avenionensium* Francisci Noguieri, et in *Annalibus* Bzovii.

X. Tandem, ut aliqua exempla referamus de ense ac pileo a Pontifice nocte Natalis Domini benedictis virisque principibus donatis, Urbanus VI Lucæ existens nocte ipsa Natalitia, Divinis peractis, supremum Magistratum Lucen-

Digitized by Google

sem ense et pileo gemmis auroque exornatis donavit, ut inquit Ciacconius : quæ verba esse Nicolai Tegrimi Lucentium Oratoris in Oratione ad Alexandrum VI, qui ensem et pileum a Pontifice datos libertatis et justitiæ, sine qua libertas stare non potest, insignia vocavit, observat in notis ad ipsum Ciacconium Victorellus. Ensem quoque et pileum benedictos Paulum II Pontificem Maximum, anno 1468, Friderico III imperatori Romæ dedisse in nocte Natalis Domini scribit Augustinus Patricius in descriptione adventus Friderici ad Paulum; armigerumque imperatoris ensem, alium vero ex adstantibus pileum ante illum detulisse affirmat. Tum vero subdit : « Imperator post hæc » ante Pontificis thronum accedens, strictum » ensem ex armigeri manu accipiens, eum ter- » tio vibrat, redditque statim armigero. *Can- » tavit deinde Evangelium*, *eoque finito*, ille » qui gladium tenebat sacrum, eum in aurea » vagina condidit, superposuitque pileum. » Exstat descriptio Friderici adventus Romam, tomo I *Musæi Italici*, auctore eruditissimo Mabillonio, parte II, pag. 256 et seqq. Testatur autem memoratus Pagius in Vita Urbani VI, ubi exempla ista recenset, ante Paulum II, ejusdem generis ensem misisse Pium II Philippo Burgundiæ duci, et alium alterius anni benedictione sacrum Ludovico XI Galliarum regi, versibus hisce ornatum :

Exserat in Turcas tua me, Ludovice, furentes
Dextera, Grajorum sanguinis ultor ero.
Corruet Imperium Mahumetis, et inclyta rursus
Gallorum virtus, te, petit astra, duce.

Idem donum, anno Jubilæi 1625, Poloniæ principi, uti superius dictum est, dedit Urbanus VIII Pontifex Maximus, præscripsitque egregias sacras preces, quas refert eruditissimus Theophilus Raynaudus, easque manu exaratas se vidisse in libro benedictionum Sacrarii Apostolici Victorellus testatur : non tamen Urbanus vetuit quin institutis a Sixto IV successores uti possint, si velint. Atque, ut alios Pontifices mittam, Innocentius XI ensem ipsum ac pileum rite in Natalitia Domini nocte benedictos Joanni Sobieskio Poloniæ regi misit, et Alexander VIII Francisco Morosinio Venetiarum duci.

APPENDIX,

In qua quædam Sixti Papæ IV verba de materiali gladio Romani Pontificis explicantur, quæ superius descripta sunt in Commentario § II, *num.* IX.

I. Lubet ad calcem tituli hujus XXIII, qui *De Benedictione ensis* inscribitur, illa memorati Pontificis verba expendere, quibus ait Pontificali gladio potestatem summam temporalem a Christo Pontifici, ejus in terris Vicario, collatam, juxta illud Matthæi, cap. XXVII : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra;* et illud Psalmi LXXI : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Luculentissime etenim ostendit Bonifacius VIII, in extravaganti Constitutione quæ incipit *Unam Sanctam*, estque inter communes ad titulum *De Majoritate et Obedientia*, in Ecclesia ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet, et temporalem; eosque qui in potestate Petri temporalem gladium esse negant, male verbum attendere Domini proferentis in Evangelio Joannis, cap. VIII : *Converte gladium tuum in vaginam.*

II. At non desunt inter Catholicos politici (ut sectarios sileam), imo theologi plures et canonistæ, qui olim, forte etiam hodie, ut notat Horstius in lib. IV S. Bernardi *De Consideratione ad Eugenium*, cap. IV, imperatoribus et Principibus contra Pontificem armatis navarunt operam, et, cum alibi ferro decertaretur, illi non minus calamo rem egerunt, contendentes non competere Pontifici gladium materialem, sed, ut supremum caput Ecclesiæ, posse imperatorem, ut pote dignius et potentius Ec-

Digitized by Google

clesiæ membrum, simili ratione alios principes ad hoc requirere, ut arma commodet Ecclesiæ eamque contra hostes defendat, non vero propria auctoritate posse movere bellum. Quod ut comprobent, Bernardi verba usurpant, qui, lib. IV *De Consideratione*, cap. III, Eugenium alloquens : « Quid tu denuo, inquit, usurpare » gladium tentes, quem semel jussus es repo» nere in vaginam? etc., » itemque in Epistola CCLVI, ad eumdem Eugenium, superius ad calcem tituli XXI descriptam, ubi ita inter alia inquit : « Exserendus est nunc uterque gladius » in passione Domini, Christo denuo patiente » ubi et altera vice passus est. Per quem autem, » nisi per vos ? Petri uterque est, alter suo » nutu, alter sua manu, quoties necesse est, » evaginandus. Et quidem, de quo minus vide» batur, de ipso ad Petrum dictum est : *Con» verte gladium tuum in vaginam*. Ergo suus » erat et ille, sed non sua manu utique educen» dus. »

III. Ad hunc et similes S. Bernardi locos videri potest *Glossa Canonici Juris*, in laudatam Constitutionem Bonifacii quæ incipit *Unam Sanctam*, ubi recitatus Bernardi locus commode explicatur. Digna etiam lectu est Epistola Gregorii IX, ex editione Vossii, de duplici gladio Pontificis, et usu utriusque tractans. Omitto Baronium ad annum 1053; Josephum Stephanum Valentinum, *De potestate coactiva, quam Romanus Pontifex exercet in negotia sæculoria;* itemque Lupum doctissimum, aliosque complures de ea re agentes, cum operæ pretium duxerim, Catholicoque Lectori, Romanæ Sedi ejusque auctoritati ac potestati minime infenso, fortasse gratissimum erit, ex integro annotationem LXXII hoc loco describere, quam Sixtus Senensis vir doctissimus, Ordinis Prædicatorum, concinnavit, et lib. VI suæ *Bibliothecæ sanctæ* inseruit. Prolixe enim Bernardi verba explicat, Romanique Pontificis auctoritatem roborat, allatis non modo ex Sacris litteris præclarissimis testimoniis, sed etiam variis ex Historia Ecclesiastica exemplis, quibus ipsam Pontificis auctoritatem ac potestatem, verbaque sancti Bernardi a sinistris Calvini aliorumque hæreticorum atque politicorum interpretationibus vindicat. Sic autem inquit ad ea verba : *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Matt.

IV Joannes Ferus, libro tertio *Commentariorum in Matthæum*, ad explicationem hujus loci deveniens, adimere videtur Petro ac successoribus ejus omnem terreni principatus potestatem, ac dominium rerum temporalium, dum ita scribit : « Tertio observandum et illud » quod signanter dicit : *Tibi dabo claves re» gni cœlorum*. Non dicit regni terrarum : nihil » hæc verba spectant ad terrenam potestatem, » quam tamen ex his verbis stabilire nituntur, » asserentes Petrum nedum in spiritualibus, » sed et in externis plenitudinem potestatis ac» cepisse. Id quod Bernardus, libro I *De Consi» deratione* ad Eugenium manifeste arguit. In » criminibus, inquit, non in possessionibus est » potestas vestra : quoniam propter illa, et non » propter has, accepistis claves regni cœlorum.» Sequitur : « Quænam tibi major videtur pote» stas peccata remittendi, an prædia dividendi? » Habent hæc terrena et infima judices suos, » reges et principes terræ. Quid fines alienos » invaditis ? Quid falcem vestram in alienam » messem extenditis ? Cur major vis esse Do» mino, qui, interpellatus a quodam dicente : » *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem,* respondit, *Quis me constituit judicem » inter vos ? etc.* »

V. Hæc ex Bernardo Ferus, paulo infra hæc addens : « Audistis Petro dictum esse : *Tibi » dabo claves*. Claves hæ, ut dixi, non mate» riales sunt, sed metaphorice potestatem si» gnificant. Potestatem igitur accepit Petrus, » non terrenam aliquam, ut possit scilicet dare, » auferre, alienare regna, principatus, etc., » nec talium potestatem ut sibi licuerit facere » quidquid libuisset (id quod plerique som» niant), sed potestatem accepit ligandi ac sol» vendi; remittendi peccata et retinendi, ape» riendi et claudendi : neque id pro libito suo, » sed tanquam minister, voluntatem Domini » perficiens. » Huc usque Ferus, sive magis alius quispiam Feri nomine : non enim desunt testes fide digni, qui pro certo assererent Commentaria in Matthæum, post mortem auctoris, antequam excuderentur, ab hæreticis, præsertim hoc loco, depravata.

VI. Joannes Calvinus, nostrorum temporum hæresiarcha, in illa sua impia *Institutione*, capite octavo, abutitur adversus Pontificiam dignitatem eodem Bernardi testimonio; quod tamen si, depositis privatis odiis, æquo animo

Digitized by Google

considereetur, non id infert, quod ex eo Calvinus perperam colligit, nempe Romano Pontifici nullum in secularibus regnis jus esse. Nam cui credibile fuerit Bernardum talia sensisse, qui, scribens ad eundem Pontificem, et in iisdem libris, utramque illi adstruit spiritualium ac temporalium potestatem, et utroque illum incingit gladio, Ecclesiastico scilicet ac regio? In tertio jam citati operis volumine libere fatetur et clare pronuntiat, esse in Romano Episcopo non solum Pontificiam Aaronis Summi Sacerdotis majestatem, sed eam quoque politici principatus jurisdictionem quæ olim fuit in Samuele judice, in Moyse duce, in Melchisedech rege et Sacerdote. Ita enim Eugenium Papam alloquitur : « Age, indagemus adhuc diligentius » quis sis, quam geras videlicet pro tempore » personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos » magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Epi» scoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu » Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, » Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, aucto» ritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Pe» trus, unctione Christus. » Et libro quinto ejusdem voluminis, de utroque gladio loquens, Pontificem compellat his verbis : « Quid tu de» nuo usurpare gladium tentes, quem semel » jussus es ponere in vaginam? quem tamen » qui tuum negat, non satis mihi videtur atten» dere verbum Domini dicentis sic : *Converte* » *gladium tuum in vagina.* Tuus ergo et ipse, » tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, evagi» nandus : alioquin si nullo modo ad te perti» neret et is, dicentibus Apostolis : *Ecce duo* » *gladii hic*, non respondisset Dominus : *Satis* » *est*, sed : *Nimis est.* Uterque ergo Ecclesiæ, » et spiritualis scilicet gladius, et materialis; » sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab » Ecclesia exercendus est : ille Sacerdotis, is » militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, » et jussum imperatoris. Et de hoc alias. » Hæc Bernardus; ex quibus liquet eum temporalis regni ditionem Romano Pontifici non abstulisse, sed magis contulisse.

VII. At, inquies, quomodo ergo intelligenda sunt præmissa ejus verba, quæ his videntur adversa? Joannes Turrecremensis, presbyter cardinalis, libro *Ecclesiasticæ Summæ*, c. CXIII, Bernardi verba expendens, ait duplicem esse temporalium rerum potestatem, Monarchicam scilicet ac Pastoralem. Porro Monarchicam appellat eam quæ hominem constituat Universi Monarcham, hoc est, quæ illum sic efficiat summum ac singularem terrarum omnium Dominum, ut non solum ei liceat Monarchæ jus et nomen sibi ipsi vindicare, sed etiam suæ ditioni subditos ad principatus, regna et imperia, utcumque ei visum fuerit, assumere : assumptos vero etiam sine causa ab eisdem regnis deponere, et ea regna ex uno ad alterum pro suæ voluntatis arbitrio transferre. Hujusmodi ergo potestatis genus existimat Romanum Pontificem jure Pontificatus sibi usurpare non posse : siquidem cum ipse sit Apostolatus Petri successor, nequit Apostolico jure sibi arrogare quod Christus Petro et Apostolis interdixit, cum illis de monarchia temporalis regni inter se altercantibus dixit : *Reges gentium dominantur earum : et qui majores sunt, potestatem exercent in eas. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus : sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, etc.* Neque hoc inficiantur Romani Pontifices, qui in *Decretis* suis, distinctione XCVI, cap. *Cum ad rerum,* fatentur non licere sibi imperatorum titulos juraque arripere, et principum sæcularia dominia usurpare.

VIII. Cæterum Pastoralis rerum temporalium potestas ea est, quam œcumenicum totius Christiani orbis Pastorem ex Pastoralis curæ officio habere decet pro conservatione Ecclesiasticæ hierarchiæ, et administratione ac dispensatione spiritualium Ecclesiæ bonorum. Hanc quidem Romanus Pontifex Apostolico jure, et Evangelico præcepto, habere cogitur. Cum enim ei a Christo mandatum sit ut, veluti universalis Christiani ovilis Pastor, universum Christi gregem pascat, eique claves datæ sint quibus janitor et claviger cœlestis regni oves sibi traditas introducat ad æternam felicitatem; necessarium est ut principum, regum et imperatorum, qui primariæ sunt Christiani gregis oves, curam gerat; et summa diligentia annitatur ut eorum dignitates, imperia, regna, cæteraque terrestria commoda serviant ad illustrandam Christi gloriam, ad propagandum Religionis Christianæ cultum, ad firmandam Ecclesiæ quietem, et consequendam æterni regni beatitudinem, in quam, ut in

Digitized by Google

scopum et finem regnandi ultimum, omnia Christianorum regna prospiciunt.

IX. Necesse etiam ut ipse ingentem et assiduam adhibeat sollicitudinem, ne secularium principum negligentia aut malitia hæreses, schismata, dissidia, bella, atque alia his similia inter oves Apostolicæ curæ commissas oriantur : et, si exorta fuerint, ejus partes sunt ut principes Ecclesiasticæ pacis perturbatores primum paterne admoneat, et juxta Pauli et Christi legem corrigat et corripiat; deinde, si monita neglexerint, eos Ecclesiasticis animadversionibus et censuris coerceat. Quod si forte, in reprobum sensum traditi, has quoque contempserint, tunc Pontifex (si tamen id Ecclesiasticæ tranquillitati expedire cognoscet) populos absolvere poterit a juramento obedientiæ quo se dominis illis devinxerant cum adhuc juste imperarent. Ei quoque licitum erit ipsos dominos, ut incorrigibiles et Ecclesiæ rebelles, principatuum suorum jurisdictione privare, et eorum jura ad alios orthodoxos principes transferre : convocatis etiam, si opus fuerit, militaribus piorum ducum ac regum auxiliis ad correptionem rebellantium filiorum : quod et gravissimi scriptores testantur olim, et sæpe, et jure, factum a Romanis Pontificibus : ex quibus Innocentius Pontifex, ejus nominis primus, ob injustam Joannis Chrysostomi expulsionem anathemate notavit Arcadium Augustum, cujus patrem Theodosium Magnum Augustum S. Ambrosius, ob patratam aliquot innocentium Christianorum cædem, non multo prius Ecclesia expulerat.

Gelasius I Anastasium imperatorem non recte de religione sentientem excommunicationis nexu obstrinxit.

Zacharias I Carolomanum Francorum regem, quod administrando regno esset inutilis, regia dignitate dejecit, suffecto in ejus locum Pipino ejus fratre et Caroli Magni patre.

Adrianus I Desiderium, Longobardorum regem, ad direptionem Romanæ urbis properantem, edicto Pontificio in Insubriam reverti coegit; accitoque Carolo Magno Francorum rege, Longobardicum jugum ab Italiæ cervice excussit.

Gregorius III Leonem III imperatorem, quod omnes sacras imagines e templis ejici curasset, communione fidelium interdixit.

Leo III Pontifex, cum cerneret Christianæ reipublicæ curam a Græcis imperatoribus negligi, transtulit Romani imperii jura a Constantino Irenes filio ad Carolum Magnum Francorum regem; eique Augusti titulum, et imperatoris insignia contulit. Leo VIII rursum ob justas causas ex Francis ad Germanos imperium transtulit, et Othonem, Saxonum ducem, primum ex Germania imperatorem appellavit. Nec longe post Gregorius V concessit Germanis principibus perpetuum jus eligendi Cæsares, reservata tamen sibi, ac successoribus suis, auctoritate confirmandi quos ipsi elegissent.

Gregorius VII Henricum III imperatorem Apostolicæ Sedi rebellantem sacris omnibus interdixit, et imperio deposuit, nec illum ad pristinam dignitatem restituit, nisi veniam erroris exorantem.

Alexander III Federicum Ahenobarbum imperatorem, quod Romanam Ecclesiam injusto bello oppugnaret, anathemate irretitum, et imperatoria majestate dejectum, non prius ad imperium revocari permisit, quam ille supplex culpam sibi ignosci precaretur.

X. Prætereo brevitatis studio Urbanum II, cujus edicto, vexillo ac tessera sacrum illud ac memorabile bellum adversus Sarracenos confectum est, quo Hierosolymorum et Syriæ regna iterum a Christianis recepta sunt. Omitto Gregorium IV, Leonem IV, Nicolaum I, Joannem VIII, ac plerosque alios Pontifices, qui bellicis expeditionibus Italiam, Siciliam, variasque Hispaniæ oras a servitute Sarracenorum ereptas in libertatem vindicarunt. Quæ quidem omnia cum sine certa rerum temporalium procuratione, administratione ac jurisdictione aliqua nec ipsi expedire potuerint, nec alii Pontifices talia queant sine eadem jurisdictione Pastoralis officii munera explere, manifestum est summum Christianæ Religionis Antistitem habere in terrenis totius Christianæ reipublicæ facultatibus potestatem, et auctoritatem quamdam Pastoralem, administratoriam ac dispensatoriam, qualem decet œcumenicum orbis Christiani Pastorem habere.

XI. His itaque hoc modo perpensis, ad ea quæ impius hæreticus Joannes Calvinus, et Joannes Ferus ex Bernardo objectant, respondemus beatum illum virum non eo animo talia scripsisse ut Romano Pontifici auferret pastoralem administrandi ac dispensandi temporalia pote-

Digitized by Google

statem, a se, ut jam ostendimus, locupletissimo testimonio comprobatam; sed ut Romanum Pontificem admoneret ne sibi monarchicam sæcularium possessionem dominationum, Apostolis a Christo interdictam, jure Apostolico usurparet. Quod et ipse non obscure indicavit, cum in secundo prædicti operis libro, postquam multa de Pontificis auctoritate disseruit, demum intulit : « Forma igitur Apostolica hæc est : » Interdicitur dominatio, indicitur ministratio. » Cui subscribens S. Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima, articulo primo, « Quamvis, ait, res Ecclesiæ sint Papæ, ut principalis » dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut do- » mini et possessoris. »

XII. Hactenus Sixtus Senensis. Qui multo plura desiderat, legere potest eruditissimum Lupum in canonem XII *Dictatus* S. Gregorii septimi, ubi hæc et alia exempla his similia fusiori calamo enarrat. Atque, ut videas, non modo olim, sed et nostris hisce fere temporibus usitatum a Romanis Pontificibus morem, ut impios principes non modo anathemate percellerent, sed et regno etiam privarent, exemplum illustre habemus in Vita S. Pii V, qui, referente Gabutio, libro III, cap. IX, cum videret Elisabetham Angliæ reginam supremi Ecclesiæ capitis locum et auctoritatem in omni Anglia sibi arroganter atque impie usurpasse; sacrosanctum Missæ Sacrificium ac reliquos ritus Catholicos abolevisse; impia dogmata, et instituta ad Calvini præscriptum, a se suscepta et servata, a subjectis etiam sibi populis servari mandavisse; Episcopos et Sacerdotes Catholicos ex ecclesiis suis ejecisse : eosdemque insuper et carceribus et acribus suppliciis ad necem usque divexasse; atque id genus alia complura, quæ referre longum esset, quæque satis jam nimis orbi cognita sunt, exempla impietatis edidisse; cumque ejusdem Elisabethæ animum tam pertinaciter obfirmatum intelligeret, ut non modo pias Catholicorum principum de sanitate ac conversione preces admonitionesque contemneret, sed ne Sedis quidem Apostolicæ Internuntios in Angliam trajicere permitteret, gravissimum edictum promulgavit atque sententiam, qua ipsam Elisabetham hæreticam et hæreticorum adjutricem esse, et una cum iis qui ei in ejusmodi flagitiis adhæsissent, anathematis pœnam incurrisse declaravit; ac præterea omni jure regni, si quod illi erat, omnique dignitatis et honoris titulo eam spoliatam esse statuens, proceres, et universos illi subjectos, ei præstandæ fidelitatis sacramento solvit, anathemate proposito iis qui ei deinceps in rebus hujusmodi paruissent.

XIII. Hæc quidem Gabutius in Vita Pii, qui non sua adinventa auctoritate, zeloque præpostero, sed divinis fretus oraculis, majorumque exempla sequutus, impiam reginam, quod pestiferam Calvini sectam sequeretur, non modo diris devovit, sed et ejus regnum occupanti permisit. Id quod nemo Catholicus non jure factum existimaverit; ut enim cætera Elisabethæ scelera sileam, nusquam legimus aut audivimus, nisi apud S. Augustinum in lib. *De Hæresibus*, cap. XXVII, ubi de Pepuzianis hæreticis loquitur, mulierem ullam sibi clavium potestatem sumpsisse, præter Elisabetham vitiorum cloacam maximam, majorumque titulis ac cognomento indignissimam, nisi Henrici incestuosi patris, ut qui ei et pater, et avus, et levir, horribili exemplo fuerit, sicut ipsa soror matris, et sororis filia, necnon sororis Mariæ Bolenæ (quam ipse Henricus stupro polluisse fassus est) soror, et neptis, et privigna, et aliis monstruosis sanguinis gradibus conjuncta fuit; ut est apud Nicolaum Sanderum, lib. I *De Schismate Anglicano*.

XIV. Jure factas a Romanis Pontificibus memoratas principum degradationes, quia scilicet ipsi a Christo Domino jus gladii habent, inter alios egregie ostendit Anastasius Germonius, lib. III *De sacrorum Immunitatibus*, cap. XIII, ubi etiam ea quæ a politicis opponi solent, fuse atque erudite refellit. Cæterum, quod in Summo Romano Pontifice utraque potestas tam spiritualis quam sæcularis resideat, edocet inter alios Angelicus Doctor, sic dicens in librum secundum sententiarum, distinctione ultima : « Potestas » sæcularis et spiritualis utraque deducitur a » potestate divina; et ideo in tantum potestas » sæcularis est sub spirituali, in quantum ei a » Deo supposita est, scilicet in iis quæ ad salu- » tem pertinent animæ; et ideo in iis ma- » gis est obediendum potestati spirituali, se- » cundum illud Matthæi, cap. XXIII : *Reddite* » *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei* » *Deo.* »

XV. Nuperi quidam auctores suam omnem operam impenderunt ut ostenderent Sacerdotes atque Pontifices antiquæ legis subjectos fuisse

Digitized by Google

regibus et principibus terræ, cum cæteroqui liquido constet Sacerdotes ipsos atque Pontifices veteris legis, quæ nostram Ecclesiam adumbrabat, gladii jus habuisse : eo namque usus est Samuel Propheta, uti habetur libro I *Regum*, cap. xv, in Agag regem; Elias, lib. III *Regum*, cap. xviii, in cccc prophetas Baal, quos cum, idolis servientes, cœlestis ignis absumptique holocausti miraculo superans confudisset, apprehendi jussit, apprehensosque et ad torrentem Cison ductos ad unum usque interfecit. Idem Elias, lib. iv, cap. i, jubens ignem de cœlo descendere, semel atque iterum quinquaginta viros devorari fecit. Hac potestate usus est Eliseus in quadraginta duos pueros irrisores, qui ab ursis lacerati sunt ex eodem lib. IV *Regum*, cap. ii. Atque, ut alia exempla omittam, Joadæ Sacerdotis jussu Athalia nequissima regina interfecta est, quod regnum sibi usurparet. Vide lib. IV *Regum*, cap. xi.

XVI. Solent ad hæc politici quidam protinus respondere, verum esse veteris Legis Sacerdotes gladium aliquando tractasse, non vero novæ Legis quam Christus Dominus condidit. Sed toto aberrant cœlo : constat etenim ex Evangelio Christum Dominum dedisse Petro et successoribus potestatem corrigendi Christianos omnes, et consequenter etiam reges, si inobedientes et incorrigibiles sint, coercendi et puniendi non modo censuris Ecclesiasticis, verum etiam aliis temporalibus pœnis. Nam verbum Christi, Joannis cap. xxi : *Pasce oves meas,* indefinitum est, in eoque includitur potestas etiam coercendi, quæ in omni Pastore necessaria est, ut ea scilicet utatur prudenter et prout fuerit conveniens et expediens ovibus.

XVII. Deinde hoc etiam colligitur ex aliis Christi verbis, Matthæi cap. xvi : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ;* nam ipsa etiam generalia et indifferentia sunt. Quod si quis dixerit, Matthæi cap. xviii, fuisse declarata et determinata ad ligamen censuræ, respondet doctissimus Franciscus Suarez, lib. iii *Defensionis Fidei catholicæ adversus Anglicanæ sectæ errores*, cap. xxiii, declaratum ibi esse, in generali potestate ligandi includi excommunicationis vinculum, non tamen ad illam solam pœnam imponendam potestatem illam limitari : tum quia nulla talis limitatio ex illo contextu colligitur; tum etiam quia, licet ibi solius excommunicationis facta sit mentio, nihilominus aliæ censuræ sub illam potestatem cadunt, ut interdictum, suspensio, et aliæ item Ecclesiasticæ pœnæ : imo etiam vinculum præcepti et legis sub illa potestate includitur; et ex vi talium verborum, potestas illa, ut directiva est, non determinatur ad hunc modum directionis per personale præceptum, vel per stabilem legem hoc vel illo modo obligantem, sed omnem convenientem directionem indefinite complectitur. Idem ergo est de coactione; et ita, ex recitato Christi Domini oraculo : *Quodcumque ligaveris, etc.*, potestatem hanc colligit Innocentius IV, et Concilium œcumenicum Lugdunense I, ut legere est in cap. *Ad Apostolicæ* ii, *De sententia et re judicata in* vi.

XVIII. Adumbratam fuisse hanc potestatem in facto Petri, ad cujus increpationem Ananias ejusque uxor, uti habetur in Actibus Apostolorum, cap. v, mortui sunt, indicat nobis venerabilis Beda, lib. iii, in Lucam, cap. xi, dicens, verbis Apostoli Petri Ananiam et uxorem ejus cecidisse, quia expediebat in novo etiam Testamento fieri interdum, licet rarius, tales vindictas ad aliorum correctionem. Et lib. iii *De mirabilibus Sacræ Scripturæ*, cap. ultimo, dicitur nomine Augustini, id factum esse, « Ut » Apostolica auctoritas quanta esset ostendere- » tur, et quam magnum fuisset peccatum, ut et » cæteri illo exemplo castigarentur. » S. Gregorius, Beda vetustior, quippe qui sæculo vi floruit, lib. i, epistola xxiv, tractans de munere Pastoris, et de benignitate et severitate ac zelo, factum Petri in exemplum adducit, dicens : « Hinc est namque quod Petrus, authore Deo » sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, ac bene » agente Cornelio immoderatus se venerari re- » cusavit, et cum Ananiæ et Saphiræ culpam » reperit, mox quanta potentia super cæteros » excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum » vitam perculit, quam spiritu scrutante depre- » hendit, et summum se in Ecclesia contra » peccata recoluit. » Itaque, uti memoratus Suarez et alii observant, licet factum illud extraordinarium fuerit, et speciali Spiritus sancti instinctu ac virtute factum, nihilominus, ut infra ait S. Gregorius, *zelus ultionis vim aperuit potestatis.* Sed de his alias fusius.

Digitized by Google

TITULUS XXIV.

DE BENEDICTIONE ET TRADITIONE VEXILLI BELLICI.

I. Est vexillum militare signum cum ad arma concurri oporteret, de eoque passim mentionem faciunt veteres Romani scriptores, quorum testimonia videri possunt apud eruditum Samuelem Pitiscum, verbo *Vexillum*. Consuevit jam olim benedici vexillum a Romano Pontifice, vel ab aliis Episcopis, et profecturis ad bellum tradi vel mitti, iis præsertim qui contra Christiani nominis hostes vel adversus hæreticos pugnaturi erant. In Ordine antiquo Romano, ubi enarratur ritus armandi Ecclesiæ defensoris, benedicit primum Episcopus vexillum sub eadem Orationis forma quæ in nostro hodierno Romano Pontificali exstat.

II. Primum Carolo Martello Galliæ regi missum fuisse vexillum a Gregorio III Pontifice Maximo una cum clavibus confessionis seu sepulcri S. Petri, quo tempore illum patricium delegit, testatur in suo *Breviario Gestorum Pontificum Romanorum* Franciscus Pagius, qui etiam, ubi agit de Leone III, affirmat non modo ipsum Pontificem vexillum et claves prædictas, sicut antea Adrianus I fecerat, ad Carolum Magnum misisse, sed et Pipinum ejus patrem a Stephano II eo munere fuisse donatum. Id quod diserte etiam docet Antonius Pagius in *Critica Baroniana*, et novissime amicus noster eruditissimus Octavianus Gentilius Patricius Septempedanus in suo celeberrimo opere *De Patriciis*, lib. III, cap. II, num. VI, ubi egregie ostendit Galliæ regibus uti Romanorum patriciis missum vexillum Ecclesiæ Romanæ, quod ejus defensores et advocati essent.

III. Porro patricii dignitas illis conferebatur qui ad defensionem Ecclesiarum et inopum adversus vim potentiorum eligebantur, ut liquet ex formula a Paulo Diacono in *Historia Longobardorum* in manuscripto Vaticano codice relata, et a viro clarissimo Francisco Pagio in *Vita Gregorii III*, Romani Pontificis, descripta, qua princeps patricium ita renuntiabat : « Hunc » honorem tibi concedimus ut Ecclesiis Dei et » pauperibus legem facias, et inde apud Altissi- » mum Judicem rationem reddas. » Tum mandat, ut « tunc induat eum imperator mantum, » et ponat ei in dextero indice annulum, et det ei » bombacinum propria manu scriptum : *Esto* » *patricius misericors et justus*. Tunc po- » nat ei in caput aureum circulum, et dimittat. » Bombacinum, seu bambacinum, teste erudito Ducange, « tela gossypina est, facta ex bam- » bace. » Antiquum creandi patricios morem tam in Ecclesia Latina quam Græca, ac de ejus insignibus ac vestibus videri potest memoratus Gentilius in suo præclarissimo opere, ubi nihil penitus intactum reliquit quod ad patriciorum notitiam pertinet.

IV. Constat ex dictis, quod docet Petrus de Marca lib. I *De concordia Sacerdotii et imperii*, cap. XII, num. I, patriciatum quidem importasse jus quoddam protectionis extraordinarium, quod Ecclesiis sibi non subditis adversus potentiorum vim publicam aut privatam impertiri solent illi qui alias ex munere suo ad id non obligantur : licet enim principes Ecclesias in regnis suis constitutas ex officio tueri teneantur, illud tamen jus protectionis ordinarium est et a jurisdictione pendet. Jus illud itaque extraordinarium protectionis concessum tradunt eruditi scriptores proceribus viris, qui vocabantur *patroni, defensores, protectores et advocati Ecclesiarum*, qui scilicet protectionem et defensionem singularem Ecclesiis particularibus impendebant, præter eam quæ a regibus ex ordine disciplinæ publicæ exspectabatur.

V. Erat autem vexillum defensionis et patrocinii ita proprium ac præcipuum insigne, ut nec Carolo Magno, quando renuntiatus est imperator, missum constet, nec aliis imperatoribus, quorum majestati conjuncta ac individua erat

Digitized by Google

Ecclesiæ Romanæ protectio, ut ad annum 774 scribit criticus Pagius. Figuram vexilli quo Carolum Magnum donavit Leo III Pontifex Maximus, musivo opere expressam vidimus in celebri antiquo triclinio quod ipse Leo prope Lateranensem basilicam exstruxit atque exornavit. Cernebatur in ipso triclinio Apostolorum princeps solio insidens, dextera stolam Leoni porrigens, Carolo sinistra vexillum; ut ita defensor Ecclesiæ factus indicaretur, uti explicat Everardus Otto, dissertatione I *Juris publici et privati*, cap. II, § IV. Jam non sine venerandæ antiquitatis studiosorum mœrore æquatum solo triclinium ipsum vidimus; quod peramplam memoratæ basilicæ plateam impediret; cujus basilicæ extimam faciem summa impensa a fundamentis erexit, ac mirifice ornavit CLEMENS XII Pontifex Maximus. Agendæ itaque gratiæ viris clarissimis, Ciampino, Alemanno, Pagio, ac laudato Octaviano Gentilio, qui ipsam figuram æri incisam in suis operibus exhibuerunt.

VI. Etsi autem una cum vexillo Galliæ regi Carolo Martello aliisque ejus successoribus missæ et claves sepulcri S. Petri a Romanis Pontificibus fuerint; sciendum nihilominus est morem quidem fuisse ut ex confessione S. Petri acceptæ claves Christianis principibus mitterentur, uti complures S. Gregorii Magni aliorumque Pontificum Epistolæ nos docent : at vero vexillum ad Romanos tantum patricios qui adversus Infideles, schismaticos, et hæreticos pugnaturi erant. Sic Alexander II illud Willelmo Notho duci Normanniæ in bello contra Haroldum deferendum tradidit; ut legitur apud Ingulfum, pagina 9. Ita quoque, ut alios mittam Pontifices, Victor III, Roberto Guiscardo in Græcos schismaticos bellum moventi; ut notat Guillelmus Apuliensis, lib. IV *De Gestis Normannorum*. Tradit Gentilius, lib. III *De Patriciis*, cap. II, num. VI, quod cum circa initium hujus sæculi S. Matthæi Apostoli vetus basilica ab ipso Roberto magnificentissime olim exstructa Salerni in nostro regno Neapolitano, ex pia munificentia Bonaventuræ Poerii Calabri ex Ministro Generali Ordinis Minorum archiepiscopi Salernitani instauraretur, multi ærei et argentei inter rudera inventi sunt nummi, quorum pars altera effigiem S. Matthæi, altera Roberti equo insidentis gerentisque vexillum cruce insignitum, exhibent.

VII. Una cum vexillo missas jam olim fuisse Carolo Magno a Leone III claves aureas ex sancti Petri sepulcro acceptas, tradit ad annum 796 cardinalis Baronius, ubi etiam novatores ignorantiæ redarguit, quod per claves Carolum in possessionem immissum Romanæ Ecclesiæ esse contendunt; per vexillum vero, Romanæ urbis. Constat siquidem ejusmodi dona a Pontificibus mitti consuevisse, præsertim vero claves, ut testantur quamplurimæ S. Gregorii et aliorum Pontificum Epistolæ, quarum meminit eruditus Carolus Ducange in suo *Glossario*, verbo *Claves*. Porro docet Baronius ad annum 800, ex *Annalibus Francorum*, in *Vita Caroli Magni*, a Joanne patriarcha Hierosolymitano ad eumdem Carolum loco benedictionis missum vexillum una cum clavibus Locorum sanctorum.

VIII. Dictæ sunt autem claves S. Petri, quod ipsius principis Apostolorum confessio sive sepulcrum iisdem clavibus clauderetur. Hinc poeta Saxonicus, lib. III *De Rebus Caroli Magni*, ita cecinit :

Confestim claves, quibus et confessio sancti
Conservata Petri, vexillaque miserat urbis
Romulcæ Carolo pariterque recentia dona.

Sane soliti erant Summi Pontifices de limatura catenarum S. Petri, quæ religiose Romæ asservantur, ad reges et principes aliosque viros primarios pro ingenti munere mittere, quam in aurea clavi, instar illarum quibus confessio S. Petri claudebatur efficta, ab altari S. Petri accepta, includebant. Eam autem ad quos illa transmittebatur, suspendebant ad collum, veluti sacrum contra mala imminentia amuletum. Præter Gregorium Magnum in suis Epistolis passim, et Gregorium VII, lib. VI, epistola VII, et alios Romanos Pontifices, transmissarum ejusmodi clavium meminit Gregorius Turonensis, lib. I *Miraculorum*, cap. XXVIII.

IX. Adnotandum superest, vexillum quod mittebatur principibus a Romano Pontifice, benedici ab ipso jam olim consuevisse; ejusque formulam legere est apud Augustinum Patricium, lib. I *Sacrarum cæremoniarum*, cap. inscripto *De Benedictione et Traditione vexilli bellici*. Solitos etiam fuisse Episcopos in suis diœcesibus vexilla benedicere, suisque principibus profecturis ad bellum tradere, innumera pene exempla nos docent, quorum aliqua paulo inferius referemus. Quod ipsa benedi-

Digitized by Google

cantur, eos procul dubio spectat qui sunt illis usuri; ut nimirum Deus det ipsis prosperum belli exitum, et secundet consilia suscipientium prælium; nam alias ipsa per se arma aut vexilla idoneum benedictionis subjectum non sunt; nullumque eis benedictione bonum conciliari, aut malum ab illis averti potest; ut scite docet eruditissimus Theophilus Raynaudus in suis *Heteroclitis spiritualibus*, tomo II, pagina 218.

X. Neque insuper exempla desunt, quibus Ecclesiastici scriptores ostendunt quam fructuosa et utilis fuerit plerisque istiusmodi Ecclesiastica benedictio vexillorum. Cum, in Remensi Synodo, anno 1119, a Calixto II anathematis pœna mulctatus Henricus V imperator, quod laicas Antistitum investituras dimittere nollet, Ludovico VI, Galliæ regi, qui Synodo adstiterat et favere pergebat, regnum ejus minaretur invadere; scribit Sugerius, abbas Sancti Dionysii, in *Rebus gestis Ludovici*, quod Ludovicus ipse, maxime pius ac fortis, ex recepta in ejusmodi necessitatibus consuetudine, ad S. Dionysium accurrens, eique preces offerens tanquam speciali Galliæ protectori, sacras ipsius ac sociorum Martyrum reliquias, velut ad defendendum regnum ejus, altari superposuit, et vexillum bellicum ab eodem altari, quasi a Domini sui manu, suscepit: « Rex » autem vexillum ab altari votive, tanquam a » Domino suo, suscipiens, pauca manu contra » hostes, ut sibi provideat, evolat, ut eum tota » Francia sequatur, potenter invitat. » Hæc Sugerius, qui etiam adjungit, territum imperatorem, dissimulato consilio suo, alio tetendisse, magis eligentem ignominiam defectus, quam se imperiumque gravissimæ Francorum ultioni subjicere. Narrat hæc eadem ex Sugerio Baronius ad annum 1125.

XI. Fuisse hunc antiquorum regum Gallorum morem, ut, cum deberent ad bella procedere, post celebrationem Missarum vexillum S. Dionysii acciperent, testatur idem Sugerius abbas, ubi de Ludovico VII Galliæ rege ad sacrum bellum profecturo, anno 1147, ita scribit: « Rex venit, ut moris est, ad ecclesiam B. Dio» nysii, a Martyribus licentiam accepturus; et » ibi, post celebrationem Missarum, vexillum » B. Dionysii, quod Oriflambe gallice dicitur, » valde reverenter accipit; sicut moris est antiquorum regum, quando debent ad bella » procedere. » Quem morem in S. Ludovici Lectionibus ex ejus Vita laudat Romanum Breviarium die 25 augusti, his verbis: « Rex vexil» lum ab Episcopo Parisiensi accepit. Deinde » mare cum ingenti exercitu trajiciens, primo » prælio Sarracenos fugavit. » Quibus exemplis adjungi et illud Ludovici X potest, de quo profecturo in Flandros, ita scribit ad annum 1315 continuator Gulielmi Nangiacensis: «Ludovicus » rex Franciæ, accepto vexillo apud S. Diony» sium, quod dicitur Auriflamma, et domino » Henrico de Herqueri tradito, profectus est in » Flandriam. »

XII. Auriflamma, et alio nomine *Oliflamma*, *Oloflamma*, *Aureaflamma*, gallice vero *Oriflambe*, ut testis est Sugerius in superius laudato loco, Ludovici VII vexillum, fuit proprium monasterii Sancti Dionysii in Francia, quod Monachi in bellis quæ pro bonorum suorum aut privilegiorum tuitione suscipere cogebantur, suo deferendum Advocato porrigebant; qui illud ex Abbatis manibus, certis precibus ad id ab eo recitatis, ex Sancti monumento, cui appensum erat, acceptum, in bellis, tanquam ecclesiæ et monasterii signifer, præferebat. Docet hæc eruditus Ducange in suo *Mediæ et infimæ Latinitatis Glossario*, verbo *Auriflamma*, ex quo etiam plura addiscimus: 1° hunc fuisse primum Auriflammæ usum, ut advocati seu defensores monasterii S. Dionysii iis deferrent in bellis quæ Monachi ipsius monasterii contra bonorum suorum invasores suscipere cogerentur; 2° Franciæ reges Auriflammam in bellis suis ante Ludovicum VI, a quo Villicassinensis comitatus comparatus fuit, minime prætulisse; 3° vocari *Auriflammam* a voce *Flammula*, quæ quodvis vexillum significat, uti in hoc verbo fuse ostendit idem Ducange.

XIII. Cæterum vocis Auriflammæ etymon non desunt qui a materia et colore sumi debere autumant. Cum enim Labari seu gonfanonis formam præferret, cujusmodi ædes sacræ habere etiamnum solent, atque iis uti in publicis processionibus, ejus materiam fuisse aiunt ex rubeo serico ignei et coruscantis coloris, atque ab igne auri, et fulgore sandaricæ, cui flammeus color tribuitur a Plinio, lib. XXXV, cap. VI, *Auriflammæ* nomen inditum. Willelmus Brito, lib. II *Philippidos*, de hujus

Digitized by Google

sacri vexilli colore et materia ita cecinit :

At regi satis est tenues crispare per auras
Vexillum simplex, cendato simplice textum,
Splendoris rubei, Letania qualiter uti
Ecclesiana solet, certis ex more diebus.
Quod cum flamma habeat vulgariter aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire.
Quod regi præstare solet Dionysius abbas,
Ad bellum quoties sumptis proficiscitur armis.

XIV. His obiter explicatis, prosequamur nunc et alia exempla principum Galliæ, qui, in aciem profecturi, rite vexillum de altari S. Dionysii accipere sequioribus etiam Jesu Christi sæculis consueverunt. Sic enim de Ludovici XII fratre Philippo, comite Pictaviensi, regnique ac infantis regis rectore, profecturo contra Robertum comitem Artesiæ, memoratus continuator Nangis scribit ad annum. 1316 : « Comes Philippus contra ipsum » arma corripiens, apud S. Dionysium vexil- » lum accepit, episcopo Sancti-Machorii Missam » celebrante, et ipsum benedicente. Sanctis » tamen Martyribus non extractis, aut super » altare positis, nec ipso vexillo, ut alias fieri » solet, eisdem contacto. » Ubi nota varios ritus in benedictione et traditione vexilli servari solitos. Nam 1° celebrabatur Missa; 2° benedicebatur vexillum; 3° tangebatur ipsum vexillum sacris reliquiis super altari positis. Solemnem ritum accipiendi vexillum ab altari S. Dionysii describit quidem Joannes Juvenalis Ursinus archiepiscopus Rhemensis, ad annum 1382; habeturque apud eumdem, ad annum 1386, non debuisse deferri, nisi pro regni defensione (non etiam pro invasione alterius) et contra Infideles et Ecclesiæ hostes.

XV. Celeberrimum omnium exemplum, in quo varii ac sacri ritus mirifice elucent, est illud certe quod idem scriptor, ad annum 1328, de profecturo in Flandros Philippo VI Galliæ rege, hunc in modum enarrat : « Rex apud » S. Dionysium revertitur, et, extractis corpo- » ribus beatorum Martyrum Dionysii, Rustici » et Eleutherii de locis propriis ubi positi re- » quiescunt, caputio et cuculla depositis, usque » ad eorum altare propriis manibus vectavit, » et ibidem ea devotione collocavit, ut, per » ipsum juxta posito corpore beati Ludovici, et » audita Missa ab Abbate Sancti-Dionysii super » altare sanctorum Martyrum solemniter cele- » brata, vexillum, quod Auriflammeum dici- » tur, ab eodem Abbate super dictum altare » benedictum, in præsentia Prælatorum et Ba- » ronum, de ejusdem Abbatis manu recepit, et » domino Miloni de Nucherico, viro utique in » cunctis bonis actionibus strenuo et probato, » ad portandum tradidit atque servandum. » Enarrat mox scriptor insignem regis pietatem sanctis Martyribus exhibitam; tum vero concludit quod post sumptionem vexilli iter arripuit, terrasque hostium undique deprædans multipliciter devastavit. Hic Philippus et in Dominum Deum, et in matrem Ecclesiam fuit longe piissimus, eamque ob causam decoratus ab Episcopis fuit hisce titulis : « Rex Felix bene » fortunatus, Optimus Christicola, etc. »

XVI. Rursus pugnaturi principes consueverunt non semel in summo sacri vexilli fastigio Eucharistiam ponere, eorumque piissimo bello dedisse legitur Deum plenam victoriam. Narrat Joannes, Hugustaldensis monasterii Prior, in *Supplemento ad Anglicanam Historiam Simeonis monachi Dunalmensis,* quod, ubi David Scotorum rex movit injustum adversus Stephani Anglorum regis fines assultum, fideles Anglicani regni in confiniis barones « procedentes » secus Altertam in campo quodam de feudo » S. Lutberti, *standart*, id est malum navis, » erexerunt, vexillum S. Petri et S. Joannis » de Beverlaco, et S. Walfridi Ripum in eo sus- » pendentes, et Corpus Domini superimponen- » tes, ut esset signifer et dux prælii eorum. » Misit ergo cum eis archiepiscopus Turstinus » Radulphum Novellum, episcopum suffraga- » neum suum, et viros disciplinatos, qui ad » pœnitentiam susciperent, et ut de spe futuræ » vitæ per satisfactionem instruerent. » Fuit is Turstinus Eboracensis archiepiscopus, scientia et vitæ sanctimonia clarus. Cur bellum istud ab Anglorum scriptoribus Standardicum appelletur, diximus supra ad titulum XXII *De Benedictione armorum,* num. VIII. Ipsum ample describunt Richardus prior memorati monasterii Hugustaldensis et Aelredus abbas Rievalensis, qui etiam in opere suo nobis reliquit veram standardi effigiem. Porro Eucharistiam vexillo militari imponi jussit Turstinus archiepiscopus Eboracensis, in signum quod Christus sit verus dux justi belli; iique qui Christianos injusto bello vexant, non solis for-

Digitized by Google

tunæ bonis ac hominum vitis, sed etiam Ecclesiæ atque ipsi divinæ Majestati summam injuriam inferunt. Vide Lupi dissertationem *De antiqua Disciplina Christianæ militiæ*, cap. IV.

§ I.

Pontifex vexillum bellicum, quod unus ex Ministris coram eo tenet, benedicere volens, stans sine mitra, dicit :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et triumphantium fortitudo : respice propitius ad preces humilitatis nostræ; et hoc vexillum, quod bellico usui præparatum est, cœlesti bene✠dictione sanctifica; ut contra adversarias et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum; sitque inimicis Christiani populi terribile, atque in te confidentibus solidamentum et certa fiducia victoriæ. Tu enim es Deus qui conteris bella, et cœlestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per unicum Filium tuum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Legitur hæc benedictionis formula non modo apud Augustinum Patricium, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum*, cap. *De Benedictione et traditione vexilli bellici;* et in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, atque aliis plurimis, sed et in antiquo Romano Ordine, in eo titulo qui inscribitur *Ordo ad armandum Ecclesiæ vel alium militem.* Ubi reges Francorum ab altari S. Dionysii accepturi erant vexillum, hæc erat ejus benedicendi formula, quam ex antiquis auctoribus refert Spondanus in continuatione *Annalium*, ad annum 1214. « Inclina, » Domine, aurem tuam ad preces humilitatis » nostræ, et per interventum B. Michaelis Ar- » changeli tui, omniumque cœlestium virtu- » tum, sed et beatorum Martyrum Dionysii, » Rustici et Eleutherii, omniumque Sanctorum » tuorum, præsta nobis auxilium dexteræ tuæ; » ut, sicut benedixisti Abraham adversus quin- » que reges triumphantem, atque Davidem » regem in tui nominis laude triumphales con- » gressus exercentem, ita benedicere et san- » ctificare digneris hoc vexillum, quod ob » defensionem regni et sanctæ Ecclesiæ contra » hostilem rabiem defertur; quatenus in no- » mine tuo fideles et defensores populi Dei il- » lud consequentes, per virtutem sanctæ cru- » cis, triumphum et victoriam se ex hostibus » acquisisse lætentur. Qui cum Patre, et Spi- » ritu sancto, etc. » Exstat Oratio hæc in Ordine antiquo Romano, dicebatque eam Episcopus statim ac vexillum benedixit, et lanceæ seu hastæ benedictæ alligavit. Desunt in ipsa Ordinis antiqui Romani oratione verba illa, « sed » et beatorum Martyrum Dionysii, Rustici et » Eleutherii, omniumque Sanctorum tuorum, » quia scilicet hi sancti patroni regni Gallorum invocabantur, ubi ipsius regni regibus vexillum tradebatur, quod quidem ubi Papa aliis porrigebat, juxta memoratum Romanum Ordinem, sine illa additione Orationem pronuntiabat. Sane constat ritus fere omnes jam olim Gallos ab Ecclesia Romana sumpsisse, ut vel ipsi Galli scriptores testantur.

II. Scite autem ex recitata a se Oratione refellit Spondanus illorum opinionem qui Auriflammam, de qua superius dictum est, divinitus exceptam a Clodovæo, primo Francorum rege, fuisse affirmant; eaque deinde usos esse et alios reges, quoties prælium incipere coge-

Digitized by Google

rentur : « Fuisse, inquit, quod diximus simplex vexillum ecclesiæ Sancti-Dionysii, quod » solerent reges, ob reverentiam Martyrum, ab » eorum Ecclesia ad protectionem exercitus sui » sumere, inde quoque videtur intelligi, quod » solitum esset semper benedictione consecra- » ri, quotiescumque regibus traderetur : quod » non videtur fore necessarium, si vere cre- » ditum fuisset cœlitus delatum. » Addit et alia memoratus auctor, quibus varios nationis suæ scriptores convellit, qui fabulam ipsam libris suis mandarunt.

III. Notanda sunt insuper verba Orationis in § hoc nostro descriptæ, quam scilicet ob causam vexillum benedicitur, ut nimirum contra adversarias et rebelles nationes sit validum divinoque munimine circumseptum; sitque inimicis Christiani populi terribile, atque in Deo confidentibus solidamentum et certa fiducia victoriæ. Hanc certe Episcopalis benedictionis virtutem plerique Christiani reges ac principes experti sunt, qui ad prælium contra Christiani nominis et Fidei hostes profecturi, pia præparatione illud ab Episcopi manibus accipientes, victorias deinde reportarunt. Varia ejus rei exempla attulimus supra in Præfatione ad titulum. Quibus adde quod apud Baronium anno 1061, et apud Pagium, in Alexandro II, legitur de S. Herlembaldo, « cui etiam Pon- » tifex (Alexander II) et cardinales ex beati » Petri parte mirificum vexillum dedere; ut » quoties hæreticorum vesania ultra modum » insaniret, illud in manu tenens eos repri- » meret : quod constanter per decem et octo » ferme annos implevit. »

IV. Simile vexillum pari effectu Willelmo Normanniæ duci contra Haraldum tyrannum idem Alexander II Pontifex misit. Cum enim Haraldus, S. Eduardo Angliæ rege mortuo, anno 1066, eidem Willelmo, qui in regnum successit, se regis insignia non affectaturum jurasset, postridie vero mortis S. Regis, ipso Epiphaniorum die, paucorum procerum fide impetrata, coronam et regis insignia sumpsisset, Willelmus tandem, ut refert Ordericus, lib. III *Historiæ*, « Gislebertum Lexoviensem archi- » diaconum Romam misit, et de his quæ » acciderant, ab Alexandro Papa consilium » requisivit. Papa vero, auditis rebus quæ con- » tigerant, legitimo duci favit, audacter arma » sumere contra perjurium præcepit, et vexil- » lum S. Petri Apostoli, cujus meritis ab omni » periculo defenderetur, transmisit. » Ergo Willelmus, accepto vexillo, III kal. octobris mare transfretavit, prælioque commisso, Haraldus peremptus est, et Willelmus in ipso die Natalis Domini anni 1066 ab Aldredo archiepiscopo Eboracensi in regem Anglorum est consecratus. Est hic Guillelmus seu Willelmus dux Normanniæ II, *Bastardus* vulgo et *Conquestor* cognominatus, de quo plura apud utrumque Pagium vide.

V. Sæculo tandem XVI, Joannes Austriacus, summus belli dux, ex simili quidem benedictione per S. Pium V Pontificem Maximum collata, nobilissimum de Turcis triumphum atque omnium sæculorum maxime memorabilem ad Echinadas insulas victoriam retulit, uti legere est apud Gabutium in Vita Pii; ubi inter alia de vexillo, lib. V, cap. I, hæc scribit : « Joannes interea Neapoli ab Antonio cardinali » Granvellano, Neapolitani regni per id tempus » prorege, honorifice acceptus, ibi in æde » Sanctæ-Claræ, de ipsius cardinalis manibus » inter sacrorum solemnia, sceptrum vexil- » lumque dati honoris insignia a Pio Pontifice » missa, singulari religione ac cæremonia su- » scepit. Quo quidem in vexillo Jesu Christi » affixi cruci imago mire auro et argento ad- » umbrata erat : sub qua locata in medio Pon- » tificis Maximi, a dextera Philippi regis, a læva » senatus Veneti, atque ex iis, quibusdam an- » nexa catenulis, ipsius Joannis pendebant in- » signia. » Ita ille; ex quo addiscimus qualis » fuerit hujus forma vexilli.

VI. Summa itaque est benedictionis vexilli virtus, si tamen is qui illud accipit, pia præparatione contra Christiani nominis vel Fidei hostes, aut violatores justitiæ bellum suscipiat. Unde non mirum videri debet si Ludovicus VII, Galliæ rex, fractus maris tempestatibus in Palæstinam appulsus, nihil ibidem perfecerit, etsi vexillum ab altari S. Dionysii, ut superius dictum est, antequam se ad iter accingeret, sumpsisset : « Tunc enim per totam Galliam facta » est exactio generalis; nec sexus, vel ordo, » vel dignitas quempiam excusavit quin auxi- » lium regi conferret. Unde factum est ut ejus » peregrinatio multis imprecationibus perse- » queretur. » Verba sunt Matthæi Parisii ad

Digitized by Google

annum 1146, qui etiam iis consona alia habet ad annum 1250. Sunt qui docent Ludovicum ipsum, Galliæ regem, primum omnium induxisse *Auxilium pro subsidio Terræ sanctæ*, quamdam scilicet tributi et vectigalis speciem, quod regibus subditi solvere tenebantur, quoties ipsi in Terram sanctam bellandi gratia contra Fidei hostes proficiscerentur. De hujusmodi exactionibus frequenter questi sunt populi, præsertim vero ubi Terræ sanctæ prætextu ministri regum, quæ sua erant quærebant.

§ II.

Deinde aspergit vexillum aqua benedicta. Tum sedens accepta mitra, genuflexo coram eo illo cui vexillum tradendum est, consignat ei ipsum vexillum, dicens : *Accipe vexillum cœlesti benedictione sanctificatum : sitque inimicis populi Christiani terribile, et det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen et honorem, coram illo hostium cuneos potenter penetres incolumis et securus.* Deinde dat ei osculum pacis, dicens : *Pax tibi.* Qui, accepto vexillo, osculatur manus Pontificis, surgit, et discedit.

COMMENTARIUS.

I. Juxta Ordinis antiqui Romani præscriptum, post benedictum vexillum sequitur statim benedictio lanceæ seu hastæ cui vexillum alligabatur, sub ista Orationis formula : « Domine, Deus omnipotens, lux et vita fabricæ » mundi, qui, per manus Tubalcain, ad usus » hominum fabrilia opera instituisti, respice » propitius nostri deprecationem officii, ad benedicendam hanc lanceam militaris instrumenti, qui a milite latus Filii tui Domini » nostri Jesu Christi, pro nostra salute in cruce » pendentis, permisisti lancea perforari; et per » nomen ejusdem Filii tui, eam sic consecrare » et benedicere digneris; ut is qui eam tulerit, » des ei prosperum signum tuæ defensionis, » sicut dedisti Gedeoni, Sauli, David quoque » regi; ut, tuis semper fultus auxiliis, congaudeat et lætetur in te, in omnibus prosperitatibus suis. Per eumdem.

II. Recitata hac Oratione mandat tum vetus ipse Ordo Romanus, ut « deinde alligetur » vexillum lanceæ, et, tenente eam milite, » aspergat eam Episcopus aqua benedicta, et » dicat aliam Orationem, quæ incipit : *Inclina, Domine Jesu, Salvator omnium, ac » Redemptor animarum, aures tuæ pietatis ad » preces nostræ humilitatis, et per interventum » B. Michaelis, etc.*, » ut supra initio Commentarii ad § I. Formula traditionis vexilli in hoc § nostro II descripta, desideratur quidem in Ordine antiquo Romano, exstat tamen in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, annorum circiter quingentorum, et apud Augustinum Patricium, lib. *Sacrarum Cæremoniarum*, capite inscripto *De Benedictione et traditione vexilli bellici.* Ubi tamen, finita benedictione vexilli, antequam ipsum tradatur, non modo cum aqua benedicta aspergitur, sed et incenso adoletur, deinde vero hastæ infigitur. Cæterum tradito vexillo juxta formulam jam descriptam, is cui datur vexillum, ipso accepto, « osculatur pedes sanctissimi Domini nostri, » et surgens recedit cum suis. »

III. Pedum osculandorum Episcopis mos est longe antiquissimus, suntque eam in rem innumera apud Ecclesiasticos scriptores exempla : statuit tamen in suo *Dictatu*, can. IX, S. Gregorius VII Pontifex Maximus, qui floruit labente sæculo XI, ut solius Papæ pedes omnes principes deosculentur. Quod quidem reverentiæ indicium Christi in terris Vicario a Christianis jure exhiberi, validissimis argumentis Catholici auctores propugnant adversus hæreticos, qui inter alios ritum ipsum quammaxime reprehendunt. Sed de his alias. Unum hic minime omiserim, judicio Romani Pontificis hosce meos Commentarios subjicere, et si forte quidpiam exciderit quod sacris Catholicæ Ecclesiæ canonibus adversetur, indictum penitus velle.

FINIS SECUNDÆ PARTIS ROMANI PONTIFICALIS.

Digitized by Google

INDEX TITULORUM

SECUNDÆ PARTIS ROMANI PONTIFICALIS.

Pag.

TITULUS I. De Benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda. 1
II. De ecclesiæ Dedicatione seu consecratione. 46
III. De altaris Consecratione, quæ fit sine ecclesiæ dedicatione. 196
IV. De Consecratione altaris cujus sepulcrum reliquiarum est in medio summitatis stipitis. 226
V. De altaris portatilis Consecratione. 263
VI. De cœmeterii Benedictione. 290
VII. De ecclesiæ et cœmeterii Reconciliatione. 322
VIII. De Reconciliatione cœmeterii sine ecclesiæ reconciliatione. 346
IX. De patenæ et calicis Consecratione. 348
X. De Benedictione Sacerdotalium indumentorum in genere. 367
XI. De Benedictione mapparum seu linteaminum sacri altaris. 375
XII De Benedictione corporalium. 377
XIII. De Benedictione novæ crucis. 383
XIV. De Benedictione crucis pectoralis 402
XV. De Benedictione imaginis B. Mariæ Virginis 403
XVI. De Benedictione imaginum aliorum Sanctorum. 418
XVII. De Benedictione sacrorum vasorum et aliorum ornamentorum in genere. 437
XVIII. De Benedictione tabernaculi, sive vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda. 442
XIX. De Benedictione capsarum pro reliquiis et aliis sanctuariis includendis. 554
XX. De Benedictione signi, vel campanæ. 482
XXI. De Benedictione et impositione crucis proficiscentibus in subsidium et defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem Terræ sanctæ. 528
XXII. De Benedictione armorum. 551
XXIII. De Benedictione ensis. 559
XXIV. De Benedictione et traditione vexilli bellici. 574

INDEX

ORDINES PONTIFICALES, TUM EXCUSOS, TUM MANUSCRIPTOS, CONTINENS,

IN APPENDICIBUS TITULORUM RECENSITOS.

ORDINES AD FUNDANDAM ECCLESIAM.

I. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis, in Bibliotheca Angelica. 44
II. Ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in Bibliotheca Vaticana, num. 4744. 45

ORDINES AD DEDICANDAM ECCLESIAM VEL ALTARE.

I. Ex pervetusta schedula ecclesiæ Sancti-Juliani de Lepida, apud Ughellum, *Ital. sacr.* 230
II. Ex manuscripto Ceccani Chronico, apud eumdem, t. I. 232
III. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. 234
IV. Ex manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi. 242
V. Ex Euchologio Græcorum, apud Goar. 255

ORDINES AD ALTARIS PORTATILIS CONSECRATIONEM.

I. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. 286
II. Ex manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi. 287
III. Ex Græcorum Euchologio, apud Goar. 288

ORDINES AD CŒMETERIUM BENEDICENDUM.

I. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. 320
II. Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. *ibid.*

ORDINES AD RECONCILIANDAM ECCLESIAM ET CŒMETERIUM.

I. Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 342
II. Ex Euchologio Græcorum, apud Goar. 344

ORDINES AD BENEDICENDUM PATENAM ET CALICEM.

I. Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 366
II. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. *ibid.*
III. Ex Euchologio Allatiano, apud Goar. *ibid.*

Digitized by Google

ORDO AD BENEDICENDA SACERDOTALIA INDUMENTA.

Pag.

Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 374

ORDINES AD BENEDICENDAM NOVAM CRUCEM.

I. Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 399
II. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. 400
III. Ex manuscripto monasterii Lyrensis, apud Ed. Martene. *ibid.*

ORDO AD BENEDICENDAM B. M. V. IMAGINEM.

Ex manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi. 408

ORDO AD CORONANDAS IMAGINES SANCTORUM A CAPITULO SANCTI-PETRI DE URBE. *ibid.*

ORDO AD BENEDICENDUM SANCTORUM IMAGINES.

Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 437

ORDO AD BENEDICENDUM CAPSULAS PRO SACRIS RELIQUIIS INCLUDENDIS.

Pag.

Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 471

ORDO TRANSLATIONIS RELIQUIARUM AD ECCLESIAM SANCTI-HIERONYMI CHARITATIS. *ibid.*

ORDINES AD BENEDICENDAM CAMPANAM.

I. Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 523
II. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. 524
III. Ex antiquo Ordine Romano. 526

ORDINES AD BENEDICENDAS ET IMPONENDAS CRUCES PROFICISCENTIUM IN TERRAM SANCTAM VEL CONTRA INFIDELES.

I. Ex manuscripto Vaticano G. Durandi. 548
II. Ex Cæremoniali Paridis Grassi, apud Raynaldum. *ibid.*

APPENDIX.

De materiali gladio Romani Pontificis. 568

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google